


This is the property of
Southern Evangelical Seminary
3000 Tilley Morris R atthews, NC 28105

SANCTI

# THOMAE AQUINATIS

ORDINIS PRAEDICATORUM

OPERA OMNIA

SANCTI

# THOMAE AQUINATIS

DOCTORIS ANGELICI

## OPERA OMNIA

IUSSU EDITA

## LEONIS XIII P. M.

---

TOMUS DECIMUS QUINTUS

## SUMMA CONTRA GENTILES

AD CODICES MANUSCRIPTOS PRAESERTIM SANCTI DOCTORIS AUTOGRAPHUM EXACTA

## LIBER QUARTUS

CUM COMMENTARIIS

FRANCISCI DE SYLVESTRIS FERRARIENSIS

CURA ET STUDIO

FRATRUM PRAEDICATORUM

ROMAE

APUD SEDEM COMMISSIONIS LEONINAE

VIA S. VITALIS 15

MCMXXX

TYPIS RICCARDI GARRONI

19,636

*Proprietas litteraria*

E/
BX
890
T6
1882
v.15

# PRAEFATIO

QUARTUM nunc et ultimum librum Summae Contra Gentiles introducturis, post satis superque per duas extensas Praefationes antea tractatas quaestiones varias, codicum indagationi et textus criticae restitutioni annexas, nobis pauca tantummodo dicenda superfuissent, nisi circumstantiae quaedam quibus mederi posse non videbatur, huius ultimi libri praeparationem continuam et impressionem sollicitam ultra omnium exspectationem retardare incoepissent fere ab initio, minime tamen inopportune omnibus consideratis. Quo nimirum factum est ut, nullam negligentes addiscendi occasionem, per annos elapsos inde ab edito Tomo praecedente haud ita parvam novam materiam congesserimus ex plus quinquaginta codicibus nunc demum critice exploratis et ex triginta circiter aliis plerisque antiquioribus determinata intentione novis periculis subiectis, qui quantum profuerunt ad novis subsidiis roborandum iam prius exposita et ad solvendum definitive nuper exorta quaedam dubia, infra per singula patebit.

Quamvis enim nemo sane traditionis variegatae recognitionem et textus restitutionem leviter vel non sufficienter peractas dicturus sit, quas hucusque iam suffultas videt in duobus Tomis prioribus studio accurato et critico 101 testium traditionis, attamen non obstante testimonio isto, perinsigni tam numero quam qualitate testantium, intermittere nunquam voluimus arduum susceptum propositum interrogandi quoscumque codices nondum indagatos adire tempus et occasio nos sinerent. Prae ceteris nobis magis cordi erat, quippe cum Summa Contra Gentiles invitante S. Raymundo de Pennafort confecta legatur pro conversione infidelium Hispaniae, ab hispanicis praecipue codicibus antiquioribus doceri utrum ex eorum testimonio conclusiones nostrae vel roboratae, vel moderandae, vel mutandae, vel penitus reformandae exirent. Accedebat desiderium pium decessoris nostri felicis recordationis, de hispanicis codicibus haec dicens: « Hispanos non tam necessitate quam consilio inducti aliis conferendos relinquimus. Cupimus enim collationem per alios ac nostros oculos et super campo nondum explorato fieri, ut et iudicium de variantium origine et valore ab alia mente instituatur, quae libera sit ab omni praeoccupatione, nostrae forte, quin sciamus, adhaerenti » Tom. XIII, pag. XII a. Nullum autem codicem, neque in eis neque in cetera noviter scrutata traditionis copia uberrima, obviam habuimus qui non alta voce dependentiam suam proclamaverit a textu primi et unici apographi, a patre isto communi totius traditionis manuscriptae, nullum igitur qui evellere potuit petram hanc angularem totius criseos nostrae.

Si quis nobiscum ex dicta invitatione S. Raymundi spem conceperit in Hispania praesertim inveniendi codices familiae parcissime diffusae pA ortae ante factam ultimam redactionem in Autographo de qua abundanter et pluries iam sermo fuit, a spe ista omnino nos deiectos sciat. Huius familiae testem nullum ibi invenire datum est, et unum solum in tota cetera collata traditione, recentissimum quidem sed socium fidelissimum et fratrem germanum codicum Vat. Palat. (Z) et Erf. Amplon. (M): mss. n. 46 in Bibliotheca Civitatis Lubeci in Germania.

Restat ut finem facientes criticae nostrae Editionis Summae Contra Gentiles, iteratas agamus gratias quam maximas omnibus qui ei accurandae quomodocumque auxilio

fuerunt, imprimis Summis Romanis Pontificibus qui, continuantes nunquam satis laudandam magnanimitatem Supremi Institutoris nostri Leonis XIII P. M. f. r., privilegio speciali per longissimum tempus tot praeclaros codices Vaticanos, immo ipsum Sancti Doctoris Autographum, in ipsa sede Commissionis Leoninae conservandos et quotidie inspiciendos concesserunt; deinde Ill.mis ac Rev.mis Episcopis et Praelatis qui Archiva Ecclesiarum Cathedralium nobis reseraverunt, denique omnibus Moderatoribus Archivorum et Bibliothecarum sive Publicarum sive Monasteriorum, qui ubique summa humanitate nos nostrasque inquisitiones prosecuti sunt.

Sequenti Tomo XVI reservare intendimus varios et copiossimos indices Summae Contra Gentiles una cum indicibus totius Summae Theologicae. Quae in hac Praefatione tractantur, quatuor summis capitibus complecti possumus. Agetur primo de Traditione manuscripta in quo de codicibus nunc demum recensitis praecipuus sermo erit. Secundo de textus habitudine in Libro IV et de quibusdam locis speciatim. Tertio de titulis capitulorum in tota Summa Contra Gentiles, et conspectus de locis citatis ex textu in tribus Praefationibus Tom. XIII-XV. Quarto de Commentariis Ferrariensis.

## DE TRADITIONE MANUSCRIPTA SUMMAE CONTRA GENTILES

### § 1.

### De codicibus nunc demum recensitis.

Manu scriptorum codicum iam longa series quam criticae collationi subiectam antea recensuimus, 84 in Praefatione Tomi XIII, 16 in Tomo XV, iterum incrementum haud leve acceptura est infra ex codicibus a nobis inde ab edito Tomo praecedente critice perscrutatis. Sunt isti numero 54, et elenchus omnes universim complectitur qui ad nostram notitiam pervenerunt. Haud parum insudavimus ut adhuc ante omnino absoluta cum hoc libro IV studia critica, aspera et diuturna, circa textum Summae contra Gentiles — a nemine facile, nec forte unquam repetenda nisi cui inveniendi reliquam Autographi partem felix sors contigerit — colligere hic possemus messem istam copiosam, hucusque relictam partim consilio a decessore nostro ratione iam supra dicta postquam satis abunde traditionem tam antiquam quam iuniorem et recentissimam propria experientia recognoverat, partim etiam ex ipsius aetati gravescenti nimiis itinerum incommodis per decennium illud belli et pacis vix restitutae cuivis inquisitioni scientificae funestissimum, partim denique quia codices plures nobis prius nondum noti erant.

Codices qui fragmenta tantum minima continent vel compendia abbreviata, vel excerpta libera in novi opusculi formam redacta, nec systematice quaesivimus nec cognita scrutavimus, nulla nempe nos cogente necessitate vel utilitate ad finem praecipue intentum nostrae editionis qui est textuum recognitio et critica restitutio. Si quos quandoque inspeximus, modo tempore et occasione propitia ita ferentibus, modo casu et fortuna ludentibus, a ceteris tamen characteribus minoribus hic distinguuntur et extra seriem numeratam remanebunt quae inferius ordine alphabetico codices omnes exhibebit Summae contra Gentiles.

Quae mox dicturi sumus apud singulos codices noviter accersitos de eorum textus habitudine, solidis ni fallor fulciuntur argumentis et datis ut aiunt statisticis, deductis ex collatione codicum ad loca selecta plurima. Tanta numeri abundantia specimina ista collecta erant, talibus criteriis internae indolis variantium, sub tot diversis respectibus considerata, ut nobis vix dubium superesset quin quivis codex huic periculo subiectus responsum dare posset sufficiens ad duo principaliter quaesita: primo utrum forte textus eius ab Autographo ortum duxerit prorsus independenter ab apographo illo primo et unico, de quo iam uberrimos sermones fecimus, patre communi totius hucusque recognitae posteritatis; deinde, si negative ad primum, utrum textus pertineat ad aliquam trium familiarum $\alpha$, $\beta$, pA quibus textus illius apographi ad nos usque pervenerit. His principaliter quaesitis, nullus inventus est codex quin ad primum indubie negative responderit, neque ullum reperimus quin ad secundum etiam clare familiae necessitudinem proclamaverit, dummodo apte et scite interrogantur qui, maxime inter recentiores, primo aspectu mixti videntur ex $\alpha$ et $\beta$.

Huic inquisitioni peragendae specimina selegimus partim eadem, partim diversa et ex alio campo congregata quam quibus decessor noster antea codicum periculum instituerat. Assumpta autem non nimis separata et dispersa esse voluimus nec limitata ad loca ut ita dicam celebriora, insignium et multarum variantium copia affectata. His enim locis plerumque agitur de lectione aliqua antiquissima intrinsece erronea ubi facilis et spontanea scribentis vel potius doctrinae studentis correctiva intercessio, aliis alio modo errori

medentibus, saepe genuinam familiae indolem perturbaverit. Quamvis igitur errores antiqui intrinseci maxime grossiores, si revera remanserint, superba indicia sint familiae recognoscendae, attamen pro codicibus ortis non genuina et obiectiva transcriptione ex primis apographis sed iam textum recensitum et erroribus purgatum ostendentibus, puriora ferme et certiora originariae necessitudinis documenta habentur ex variantibus humillimis, intrinsece utraque ex parte aeque bonis vel vix sensu diversis, correctorum itaque attentionem et benevolam, sed eheu saepius corruptivam, intercessionem plane effugentibus, quales e. g. sunt transpositiones verborum, parvarum coniunctionum, adverbiorum et synonymorum mutationes, exceptis quae occurrunt in textibus liturgicis aut Sacrae Scripturae saepe memoriter recitatis. Hic enim scriptoribus nimis faciliter et inadvertenter scribere contra exemplaris fidem in promptu est.

Quamobrem his annis praeferendam nostro usui credidimus inquisitionem penitiorem capitulorum determinatorum. Selegimus horum quaedam in principio, quaedam ulterius, quaedam ex fine libri; quaedam infra, quaedam extra ambitum Autographi superstitis; quaedam ubi praeponderant et abundant errores apographi primi, quaedam lectionum pA uberrimos fontes, quaedam humilium variantium inter α et β thesauros ditissimos. Capitula selecta haec sunt:

*Lib. I, capp. 1-14 incl.*, ubi ex A adest solum fragmentum capituli 13. Prae numero et qualitate errorum α haec capitula optima constituunt criteria ad discernandam infra ambitum traditionis α puritatem maiorem vel minorem respectu apographi, huius familiae patris; item ad diiudicandam in codicibus antiquioribus correctis a secunda manu vel in iunioribus recensitis qualitatem et originem correctionis, utrum nempe crisis instituta debeatur correctori proprio marte intercedenti, an ope codicis alterius familiae peracta sit.

*Lib. I, capp. 72-80 incl.*, adest A qui, ubicumque adest, quemvis conferentem lectiones A-*solius* contra totam traditionem, mox docebit utrum textus examinatus ex A fluxerit tramite illius primi hucusque unici apographi annon.

*Lib. III, capp. 40-47 cum Appendice respectivo p. 11*-15**, ubi adest A inde a cap. 43, indubia indicia praebent necessitudinis et extensionis familiae MNZpA.

*Lib. III, capp. 25-28 incl. cum Appendice respectivo p. 8*-10**, eadem criteria optima afferunt familiae pA sed speciatim rami NpA contra ramum MZpA.

*Lib. IV, cap. 72, 73, 74* verum thesaurum continent variantium humilium, minutarum, plerumque unilateralium inter solas α et β, criteria itaque aptissima discriminandi genuinam conditionem textus codicum iuniorum recensitorum, praesertim cum experientia communi constat codices saepe circa finem puriores familiae suae testes esse quam in initio. Rarius, immo rarissime evenire solet quod correctores correctionem incoeptam, sive ex proprio ingenio sive ex alio codice, constanter continuant et perducunt usque ad finem. Abundant e contra codices quos in solo principio sedulo correctos vides; certe hoc phaenomenon insolita frequentia in codicibus Summae nostrae observavimus.

Variantes capitulorum dictorum ex Libro III contulimus in iis tantum codicibus de quorum affinitate ad familiam pA constabat ex 44 speciminibus Z, NZ, ZpA iam contentis in ceteris capitulis supra indicatis.

Ut cuivis critico pateant viae et facta quibus ad conclusiones nostras pervenerimus, infra post descriptionem codicum immediate subiungemus elenchum completum omnium locorum selectorum (circiter 150) quae ipsi contulimus in omnibus et singulis codicibus sequentibus; pro oportunitate temporis vel codicis necessitate saepe multa alia loca contulimus; sic e. g. pro plurimis mss. α, praesertim si petiarum notas exhibebant, specialem seriem locis dictis superaddidimus ad determinandam affinitatem ad cod. Par. Nat. 3107, sed de hoc infra specialis discussio habebitur.

*Ambiani (Amiens), Bibl. Civitatis 242.* Cod. membr. Saec. XIV-XIII ex. fol. 232. Scriptura clara, sed valde mendosa et manus paululum incertae, forte artis scribendi et legendi novitium denotantis, quod et attestari videntur plurima spatiola vacua, plerumque postmodum impleta ab ipso, ut nobis videbatur, scriptore. Inde ab ultima quarta parte libri III abundare incipiunt spatia relicta vacua, quandoque maiora plurium linearum, e. g. in cap. 139 (ibi 136), pag. 419 b 26 *Et* - 30 *In his.* – Textus est α purissimus, exceptis ut patet erroribus numero solito maiore propriis huius scriptoris.

*Bambergae, Bibl. Status 139 Q. III 3.* Fol. 182-395, cod. chart. anni 1474, ut patet ex *explicit* Summae Theol. I$^{ae}$ Partis quae scripta ab eadem manu praecedit Summam contra Gentiles. – Textus est α sed recens et valde recensitus, saepe non secundum lectiones β, in libro IV purior α. Pertinet ad pauciores mss. ubi tandem ex toto disparuit famosus error homoteleuti incoepti, Lib. IV, c. 54 (p. 175 a 22).

*Barcinone (Barcelona), Archivum Capituli Ecclesiae Cathedralis 17.* Cod. membr. Saec. XIII, folia non numerata sunt, probabiliter scriptus a 2 diversis manibus, incoeptio manus quem iuniorem dicerem obtinere videtur in libro III. Certe constat de mutatione exemplaris durante exscriptione, cum in toto libro I textus sit adamussim β, in libro IV purus α.

*Ibidem, Archivum Coronae Arragoniae, sectione Ripoll 64.* Cod. membr. Saec. XIII ex. – Textus est α fere purus, cuius errores α adhuc relicti saepe a secunda manu in principio libri corriguntur, plerumque in lectionem β, sed pro more solito correctorum, toties a nobis observato, correctio haud constans est, mox finitur, et in capitulis 72-80 libri I iam omnes et crassiores errores α incorrecti remanserunt.

In margine huius codicis inveniuntur – e. g. hoc modo: XXIII *petia* – annotata initia plurimarum petiarum. De petiis in communi, de earum functione in transcriptione codicum cfr. Tom. XII, Praef. Suppl. p. IX seqq., Tom. XIII, p. XXVII sqq., Tom. XIV, p. XXVII. Petiarum initia in nostro cod. Barc. indicantur iuxta divisionem textus in traditione dicta Parisiensi, qua Summa c. Gentiles constabat 57 petiis. In cod. Barc. vidimus notulas adscriptas petiarum 23, 30, 31, 32, 33, 34, 39, 40, 41, 42*, 43*, 44, 45*, 46, 47, 48*, 49, quorum initia omnia concordant initiis petiarum

traditionis Parisiensis prout notantur in nostro elencho in Praefatione Tomi XIII, n. 37, p. XXIX. Ad numeros asterisco * supra notatos observavimus in initio novae petiae illam clare visibilem eiusdem manus in scriptura (vel in atramento, vel in utroque) variationem et incertitudinem per pauca verba vel lineas tantum protractam quae haud raro concomitare solet novam scriptionis incoeptionem post interruptionem longiorem. In incoeptionibus novae petiae tales interruptiones et inde secutae leves variationes sponte explicantur ex necessitate restituendi stationario-locatori petiam transcriptam et petendi sequentem petiam rescribendam. Ultimam notam quam vidimus in cod. Barc. est petiae 49 in folio 171 r a 26; folio sequenti 172 r a 1 nobis videtur incipere alia manus, quae forte vel petias annotare neglexit, vel transcripsit non petiatim, vel ex alio exemplari non petiato.

*Brixiae (Brescia), Archivum Capituli Ecclesiae Cathedralis,* sine signatura. Cod. membr., quem saec. XIIIex–XIVinc. dicerem, non obstante nota quae legitur in parte versa teguminis anterioris a manu iuniore: *cod. 26, fere coaevus auctori*; fol. 192. – Textus est α purissimus.

Etiam in isto codice in marginibus obvias habuimus notas multarum petiarum. (Cf. supra sub cod. Barcin. 64). Indicantur initia petiarum iuxta divisionem Parisiensem, litteris tenuibus, quandoque breviter solo numero vel solo littera *p.* cum numerali, quandoque plenius e. g. XXXIX *p. incipit.* Vidimus notas petiarum 6-28, exceptis 9, 18, 26, 27; deinde absunt multae, valde inferius vidimus 39, 40, 41. Post petiam 28 probabiliter mutatur manus, prior manus redire videtur f. 109 in cap. numerato 73 (apud nos 75) libri III, ubi frequenter obtinere incipiunt spatia vacua. Liber IV scriptus videtur a manu probabiliter iuniore saec. XIV, etiam textus hic levem mixturam cum β ostendere incipit. Omnes petiarum initia observata a nobis concordant cum initiis elenchi nostri in Praef. Tomi XIII, excepto ad pet. 39, cuius nota in cap. 130 lib. III adscribitur paulo inferius, sc. ad p. 396 a 21 *tertio* (apud nos et ceteros ad a 14). Valde notabilis atramenti variatio habetur ad initium petiae 20, etiam ad initium petiae 2, sed hoc loco deficit omnino nota et numerus petiae in margine. Forte hoc modo indirecto adhuc aliarum petiarum initia in isto codice observare potest qui singula 57 examinare velit.

*Brunsvigae (Braunschweig), Bibliotheca Civitatis 29.* Cod. chart. fol. 268, anni 1468 ut patet ex *explicit.* Mutatur manus f. 166 r a 1 in lib. III, cap. 67 (apud nos 69). – Textus est α valde recensitus, saepe non secundum β, sine correcturis a sec. manu. Pertinet etiam ad illos codices pauciores et generatim recentiores ubi non amplius adest error ille fere communis ex unico apographo primo oriundo de incoepto homoteleuto circa finem capituli 54 in lib. IV, (p. 175 a 22) de quo vide infra specialius.

*Camberii (Chambéry), Bibl. Publica 21.* Cod. membr., in 4°, Saec. XIV, fol. 242. – In principio videtur potius α saepe recensitus secundum β quam e converso, deinde praevalet multum genuinus β sed denuo in capp. 72-80 libri I adamussim α; in libro IV omnino β exceptis paucissimis locis, unde eruimus originem ipsius, mediate vel immediate, ex pluribus exemplaribus diversae conditionis, successive adhibitis.

*Cameraci (Cambrai), Bibl. Commun. 381.* Cod. membr. Saec. XIVinc., forte XIIIex., fol. 219. Abundant in marginibus correctiones textus et notae theologicae–philosophicae. Textus est α fere purus, errores α in principio sedulo correcti sunt a sec. manu, saepe non secundum lectiones β.

Occurrunt etiam in isto codice notae quaedam petiarum sed paucissimae tantum ut nobis decursu collationis videbatur; vidimus e. g. notam petiae 20 et 25, quarum initia concordant nostris initiis petiarum traditionis Parisiensis exhibitis in Praef. Tomi XIII.

*Carnuti (Chartres), Bibl. Hôtel de Ville 379.* Cod. membr. Saec. XIII–XIV-inc. fol. 188. – Textus est α fere purus, leviter recensitus, non secundum β, praecipue in principio libri I, postea α purior.

*Carolopoli (Charleville), Bibl. Publ. 195 A 1.* Cod. membr. fol. 170, quem potius saeculo XIII quam XIVinc. adscriberem motus fere magis scriptura quadam typica gothica angulosa correctionum quam ipsius textus. Correctiones abundant; sed quamvis singuli fasciculi ostendant in margine inferiore ultimi fasciculi folii versi notam correctoris cor (i. e. *correctus*), plurimorum spatiorum vacuorum alia impleta sunt, alia adhuc permulta vacua relicta sunt. Cum insuper omnes errores familiae α intacti remanserint, correctio videtur facta, saltem ubi revera facta est, ad eundem codicem vel huic simillimum a quo descriptus est. – Textus est α purissimus.

*Cordubae, Archivum Capituli Ecclesiae Cathedralis 304.* Cod. membr. Saec. XIII. Folia non numerantur, Summam praecedit pars operis cui *explicit* huius tenoris: « Explicit sententia super libro de causis editus a fr. Egidio de Roma Ord. fr. heremitarum Sancti Augustini. Explicit liber. ». – Textus est α purissimus.

*Cracoviae, Bibl. Universitatis. 1693.* Cod. membr. Saec. XIVmed. fol. 279, cum paucis correctionibus a sec. manu, tituli omnes in fine. – Textus in libro I est β adamussim, in libro IV valde mixtus α et β, praevalet α sed videtur codex genuinus β valde recensitus secundum α.

*Ibidem, Bibl. Universit., 1694.* Cod. membr. Saec. XIVmed.-fin. Pulchra membrana ex utraque parte levigata, stylo litterarum depictarum et scriptura ex Italia oriundum sese manifestat, cui favet etiam textus conditio. – Textus est β purus, quatenus saltem de puritate textus loqui fas est apud familiam in proprio sinu tam variegatae et inconstantis conditionis sicut β. (Cf. Tom. XIII p. XXII seqq., Tom. XIV p. XXXII a). Non habet interpolationem illam longam in cap. 11 libri IV (p. 35 a 37) de quo infra specialis sermo habebitur.

*Ibidem, Bibl. Universit., 1690,* p. 1-475. Cod. chart. finitus anno 1452, « feria tertia rogationum », folia 582 continet, numeratio modo nostro moderno facta est indicans paginam, non folium; folii pars versa habet numerum sequentem ad numerum partis rectae eiusdem folii. Scriptura neglectior est. – Textus in I libro omnino β in principio, deinde admixtus paucis lectionibus α, usque ad finem semper praevalet valde textus β sed recensitus quandoque iuxta α, sic e. g. ei introducta est ex α etiam interpolatio illa magna in cap. 11 libri IV.

*Ibidem, Bibl. Universit., 1405,* p. 111-581. Cod. chart. anni 1459, numeratio sicut cod. praecedentis per paginas, non per folia. – Textus praecipue β et adeo simillimus textui codicis praecedentis ut iste ex illo transcriptum diceres, vel probabilius ambo ex eodem exemplari quia cod. 1690 propter negligentiorem scripturam parum aptum exemplar esse debuit.

*Ibidem., Bibl. Universit., 1735.* Cod. chart. Saec. XV, pag. 597, numeratio sicut in praec. per pag., non per folia. – Textus in I libro adamussim β, postea mixtus cum α, valde similis codici Cracov. 1693 supra descripto.

*Derthusae (Tortosa), Archivum Capituli Ecclesiae Cathedralis 4.* Cod. membr. Saec. XIII, vel XIVinc., fol. 592 in 4°. – Textus est α purissimus, in principio a sec. manu saepius correctus et quidem plerumque adamussim iuxta lectiones β.

*Dresdae, Sächsische Landesbibliothek (antea Königliche Oeffentliche Bibl.) A, 97.* Cod. chart. fol. 323, finitus « anno 1450, feria tertia post festum Conversionis

S. Pauli in frienstadt hora quasi vespere ». Absque ullis correctionibus, cum paucis notis marginalibus in lib. IV ad capitula de Eucharistia. – Textus est α, in principio valde recensitus, iuxta lectiones β praecipue, postea α purior, in lib. IV omnino α.

*Duaci (Douai), Bibl. Publica 422.* Cod. membr. Saec. XIIIex.-XIVinc. potius quam XIVfin. ut dicitur in catalogo (anni 1878), fol. 203. Correctiones rarae et in solo libro I, plerumque iuxta textum β. – Textus est α fere purus.

Exceptionaliter, curiositatis causa et ad eruditionem eorum quorum interest, hic specimina quaedam damus de modo inconsueto, quo in hoc codice scribuntur vel potius componuntur numeri altiores. Numeros altos scriptos partim cifris arabicis partim romanis frequenter et in multis mss. saec. XIII-XIV observavimus, modum specialem tamen huius codicis hucusque alias non obviam habuimus; ecce exempli gratia *compositionem* numerorum in ultimis capitulis 80-97 libri IV (*forma* litterarum est consueta illius temporis, sic e. g. ultima i, si plures adsint, scribitur longa, protracta inferius, fere j): LXXX, L3I, L3II, LXXX3, LXXXIIII, L3V, L3VI, L3VII, L3IX, L4, L4I, LXXXII, L42, LXIIII, L4V, L4VI, LXXXXVII. Quidam numeri omittuntur, alii erronei sunt.

*Dunelmiae (Durham), Bibl. Capituli Ecclesiae Cathedralis B I 19,* fol. 1–204. Cod. membr. Saec. XIVinc.-XIIIex., fol. 328, post Summam contra Gentiles sequitur Quaest. Disp. De Malo, forte ab alia manu iuniore. – Textus est α purus, parce correctus ab ipso scriptore, saepe non in lectionem β.

*Ibidem, B I 20.* Cod. membr. Saec. XIVinc., certe paululum iunior mihi videtur quam praecedens, quod et confirmat textus conditio, fol. 174, rarissimae correctiones, nullae in erroribus familiae α. Multa spatia et spatiola vacua relicta sunt, praecipue inde a fol. 129. – Textus est α, sed iam leviter recensitus, forte transcriptus ex exemplari ubi iam paululum correcti fuerunt crassiores errores α. In IV libro ubi specimina nostra magis variantibus humilibus et interne non vel vix erroneis constabant, est omnino α.

*Ibidem, B I 21.* Cod. membr., valde probabilius saec. XIII quam XIVinc. nobis visus est, et palaeographice et ex textus conditione, fol. 224. Post *explicit* (*inc.* et *expl.* in 3 mss. Dunelm. sunt iuxta schema commune, cf. Tom. XIII, p. XII b) habetur idem iaculatorium ac post *expl.* cod. B I 19, haud lepidius aut elegantius quam cetera obviam habita in mss. Summae c. Gentiles, immo sat vulgare et insulsum, quod citare tamen liceat in testimonium communis propinquioris originis:

Hic est tractatus fratris Thomae generatus
Contra Gentiles quapropter sunt modo viles.

Antiquitate hic codex alteri praecellit. – Textus est α purissimus. Si unam excipias variantem levem *admittit* pro *admittat* (Tom. XIII, p. 213 a 14), fidelissime in omnibus ceteris speciminibus collatis textui α adhaeret. Sedulo correctus est (saepissime a manu ipsius scriptoris ut mihi videbatur), et in fine singulorum fasciculorum a correctore subscriptus, hoc modo: cor. Cum plurimi errores textus primitivi α remanserint, supponimus correctionem factam esse partim ad codicem ipsum, vel huic simillimum, e quo descriptus est, partim proprio marte ingenii correctoris; correctiones enim pro parte maiore non fiunt secundum lectiones β.

Non possum quin gratias referamus speciales humanissimo bibliothecario Dunelmensi, cl.mo d.no J. Meade Falkner pro eximia benignitate qua et nobis et nostris inquisitionibus auxilium praestitit.

*Edimburgi, Bibl. Universitatis 75* (in ipso cod. 42). Cod. membr., anni 1456, fol. 231 in 8° (185×125, textus 130×90). Ex scriptura gothica compacta, perpulchra, clara et accurata certe eum saec. XIVmed.-ex. diceres; sed aliter constat ex *explicit* et forte etiam ex forma et perfectione litterarum minio depictarum. Ante singulos 4 libros folium integrum depictum, cuius pars versa ob eam causam vacua relicta est. Membrana subtilis pulchra, ex utraque parte levigata. Omnia originem italicam denotant, etiam textus. Tituli omnes in fine, f. 228-231 et post *explicit*, quod huius tenoris est: Hoc opus perfectum fuit per me philippum de homodeis (*homocleis?*) in loco Viglevani die primo mensis septembris MCCCCLXVI. – Textus est β, omnino et per totam Summam, proinde associatur codicibus antiquioribus et constantioribus β qui non habent interpolationem magnam in cap. 11 libri IV (p. 35 a 37). Habet cum fere omnibus αβ errorem incoeptae repetitionis homoteleuti prope finem cap. 54 libri IV (p. 175 a 22), sed non integrum errorem repetit, quia diligens scriptor post 5 verba errorem intravidit et superflue scripta delet usuali superscriptione deletiva *va ... cat.*

*Erlangen, Bibl. Universitatis 641,* fol. 1-285. Cod. chart. Saec. XV, fol. 400. – Textus α recensitus, saepe non secundum lectionem β, sine ullis correctionibus.

Nuperrime (1928) prodiit pars prior novi Catalogi codicum mss.: Band I, Die Lateinischen Pergament-Hss., auctore Hans Fischer, Bibliothecario. Duo mss. membr. 163 et 166 iam enumerata in Praef. Tom. XIII, p. XIV b, nunc numerantur resp. 262 et 267 in novo catalogo.

*Escorial, Bibl. Regii Conv. S. Laurentii, f II 7.* Cod. membr. Saec. XIVmed., fol. 223. Saepe in titulis capitulorum numeri omittuntur et iis relicta sunt spatiola vacua. Inde a lib. II tituli adscribuntur ab ipso scriptore non rubro sed nigro subducta linea rubra. – Textus est α purus, paucissime correctus a sec. manu et tantum in principio, multa spatia vacua.

*Ibidem, T I 19.* Cod. chart. Saec. XV, fol. 184, sine ullis correctionibus a sec. manu. Post *expl.*: Hermes flandriensis me scripsit. – Textus est α sed saepius recensitus praesertim in principio, fere semper iuxta textum β.

*Florentiae, Bibl. Medicaea Laurentiana, sectione Aedil. XXIV.* Cod. membr. Saec. XV, fol. 144. – Textus est α, in principio valde recensitus, ita ut fere β eum diceres, nisi plures lectiones α remansissent; postea fidelius familiae α adhaeret, praesertim in libro IV.

*Ibidem, sectione Faesul. CII.* Cod. membr. Anni 1463, ut habetur bis: post tabulas capitulorum, quae omnes in principio codicis, et post *explicit.* Scriptura nitida, absque ulla correctione, cum paucissimis notis in margine. – Textus est α valde recensitus, saepe adsunt lectiones β, abundant etiam lectiones propriae et arbitrariae.

*Graecii (Graz), Bibl. Universitatis, III 125.* Cod. membr. fol. 155. – Textus est α, paululum recensitus praesertim quoad errores α et generatim iuxta lectionem textus β. A sec. manu et, quod rarius obtinere solet apud correctores, a principio usque ad finem sedulo correctus est, probabiliter ad exemplar suum vel ad textum huic simillimum, cum rarius errores α mutentur in β vel e converso.

*Hispali (Sevilla), Bibl. Colombina 85-7* (signatura nova). Cod. membr. Saec. XIV. In catalogo dactylographo nunc in usu habetur sub 85-8, una cum Comm. in Iob, et sub hoc titulo: In Iob contra Gentiles. Certe codex quem examinavi continet solam Summam c. Gentiles; signatura antiqua 137-27 (1). Ad omnes et singulos codices S. Thomae operum accurate examinandos hic tempus nobis defuit. –

(1) Non 131-21, ut habetur in Praef. Tom. XIII p. XV b, ex antiquo errore in notis copiosissimis Archivi nostri circa codices hispanicos, collectis olim ab Adm. Rev.do Patre H. Denifle, O. P., collaboratore nostro per aliquos annos in principio editionis Leoninae, cum bis Hispaniam peragravit hac praecipua intentione ut elenchum codicum mss. S. Thomae conficeret. Hunc hodiernae inquisitiones hucusque nisi paucissimis numeris augere non potuerunt. Notas permultas circa codices etiam Austriae et Germaniae nobis collegit, de conficiendo tamen elencho completo minus sollicitus, forte quia extabant hic vel praeparabantur catalogi accuratiores typis impressi, aditu faciliores.

Textus est α, leviter recensitus, praesertim in erroribus α manifestioribus, saepe non secundum β; in lib. IV α purior. Plurimi tituli capitulorum prope finem libri IV erronee appositi sunt loco non debito.

*Lentiae (Linz, Austria), Oeffentliche Studienbibliothek, Cc V 8.* Cod. membr. Saec. XIVmed., fol. 153. – Textus est α modice recensitus, sed saepe non secundum β, in principio affinitas quaedam in lectionibus recensitis ad textum editionis nostrae *b*.

*Lubeci (Lübeck), Bibl. Civitatis* (sine signatura moderna, antiqua 46 in ipso libro). Cod. chart. Saec. XV, certe ante annum 1447, quo inscriptio in parte verso teguminis anterioris nos docet eum comparatum esse a mgr.o Simone baccalaureo (*vel* bartholomeo?) de homburch, fol. 322. – Ex omnibus codicibus his annis a nobis examinatis post compositam Praef. Tomi Praec., solus iste inventus est testis, et quidem fidelissimus, traditionis parcissime diffusae pA, de qua cf. Tom. XIII, § 1, p. XVI, Tom. XIV, § 2, p. XXIV. Inter socios D, N, Y, Z, M specialius fratrem sese ostendit germanum codicum MZ. De eius textu et specialiter de ipsius habitudine ad MZ infra uberius dicetur.

*Maihingen (prope Nördlingen, Bavaria), Fürst. Oettingen-Wallersteinsche Bibliothek, II 1 f. 61.* Cod. chart. Anni 1445, fol. 209. – Textus est α multum recensitus quoad errores α, etiam permixtus leviter cum lectionibus β in principio libri I, postea purior α, in libro IV omnino; sine ullis correctionibus a sec. manu.

*Ibidem. II 1 f. 70* fol. 1-128. Cod. chart. fol. 534. Summa nostra incompleta est, finivit prior scriptor in cap. 69 libri III ad verba: *ita summi boni est aliquod optime facere* (p. 200 a 40), alia manus scriptionem paululum continuavit usque ad: *nam singula in seipsis sunt bona* (l. c. b 4). – Textus est α multum recensitus, sed saepe non secundum β.

Foliis 129-534 sequuntur 13 tractatus diversi, ex quibus, cum agatur de bibliotheca in loco remoto et de catalogo non publici iuris facto, hic quamvis loco non suo notare velim: f. 340-437 Defensio S. Thomae contra obtractores (*incipit* Quare detraxisti sermonibus veritatis), ms. nondum nominatum in editione cl.mi P. Glorieux, 1927; f. 436-449 v a Liber retractionum fratris S. Thomae Aq.; f. 449 v b-458 Libellus beati Thomae Aq. de expositione Symboli.

*Matriti, Bibl. Nationalis 208.* Cod. membr. Saec. XIVinc.-forte XIII, fol. 237. – Textus est α purissimus, in omnibus speciminibus numerosissimis a nobis collatis, absque ulla exceptione; inter codices α nunc demum recensitis sub hoc respectu principatum tenet; in principio a sec. manu saepius correctus, plerumque non secundum β.

(*Ibidem, 499.* Cod. membr. anni 1282, iam descriptus brevi in Praef. Tomi XIII p. XV a et recognitus ut α fidelissimus ex initiali quadam collatione R. P. Iusti Cuervo ad loca selecta ipsi indicata a decessore nostro).

Prioris collationis exitum nunc valde uberior nostra inquisitio non modo plene confirmavit, immo magnopere roboravit novaque subsidia ei adducit ex hoc quod codex iste, venustate aetatis inscriptae celeber, initia fere omnium 57 petiarum iuxta Parisiensem traditionem notulis in marginibus indicat. (De petiis, cf. supra sub cod. Barc. 64). Notatio petiae non fit expressis verbis *petia*, vel *petia incipit* cum numerali addito, sed solis numeris (arabicis), saepissime, tantum non semper, tetragono inscriptis, e. g. [2], [4], [12], appositis in marginibus e regione verborum quibus incipit petia huius numeri eosque saepe concomitatur sensibilis illa eiusdem manus vel atramenti momentanea variatio, de qua cfr. dicta supra (sub cod. Barc.). Petiarum 57 adscriptum numerum non vidimus solum octies, sc. ad petias 1, 6, 7, 19, 27, 32, 50, 57. Clare visibilem illam manus vel atramenti vel utriusque variationem transitoriam vidimus ad initium petiarum 9, 10, 11, 20, 21, 29, 30, 34, 44, 45, 53, clarissime immo ad 4, 23, 49 et etiam ad 6 ubi tamen numerus novae petiae incoeptae in margine appositus non erat. Omnia initia adamussim concordant initiis elenchi nostri in Praef. Tom. XIII, p. XXIX, quo elenchus noster, depromptus praecipue ex codicibus nostris B, F, Par. Nat. 15816, Par. Maz. 807, valde roboratus nunc exit adiecto testimonio et approbatione continua huius codicis Matritensis venerandae aetatis inscriptione tam insignis.

*Ibidem, Bibl. Palatii Regis, 2 E 2.* (Signatura 6 codices diversos complectitur, $I^{am}$, $I^{am}$ $II^{ae}$, $II^{am}$ $II^{ae}$, $III^{am}$, contra Gentiles, et tabulam super dicta in Summa et in aliis operibus S. Thomae). Cod. membr., quem probabilius saeculo XIII quam XIV adscribendum esse puto, motus tam palaeographicis notis quam textus conditione, fol. 204. Sedulo eum consuluit et plurimis notis et correctionibus ornavit seu potius oneravit aliquis, forte, ut ex similitudine scripturae inferre liceat, idem qui post librum III in margine annotavit: Perfeci hunc librum tertium in studendo die veneris, vigilia beati Bartholomaei post meridiem, inter secundam et tertiam horam, 23 augusti anno 1437, et incoepi eum studere tertia die iulii anno eodem. – Textus est α purissimus, correctiones errorum α adsunt numero modico, saepe non secundum lectionem β.

Etiam iste codex in margine notas fere omnium petiarum iuxta traditionem Parisiensem adscriptas habet, vel potius habuit, quia plures abrasae sunt. Indicatio petiarum fit verbo *petia* (scripto plerumque compendio) cum numerali, litteris claris grossioribus et atramento nigerrimo; forte propter hoc disturbaverunt diligentem annotatorem de quo supra et fuit ipse qui timens confusionem pro propriis suis notis abrasit multas petiarum notulas, non tamen adeo efficaciter quin saepius sub claris vestigiis eas adhuc sat legibiles reliquerit, e. g. petiarum 28, 29, 30, 31, 36, 37, 41, 44, 57. Eiusdem manus claras variationes transitorias (cf. supra sub cod. Barc.) vidimus ad petias 12, 21, 41, item adeo clare ad 14, quamvis hic deficiat nota petiae in margine, ut aliam manum subintrare diceres; forte scriptionis interruptio scriptori simul calamum mutandi vel acuminandi occasionem dedit. Positive vidimus non adesse notas petiarum 7, 11, 14, 15, 16, 18, 19. Forte omnes 57 a principio aderant, et aliae efficacius abrasae sunt, aliae nos conferentes effugerunt. Omnium petiarum quas vidimus initia concordant initiis elenchi nostri in Praef. Tomi XIII, p. XXIX.

*Moguntiae (Mainz), Bibl. Civitatis 8,* fol. 264-461. Cod. chart. Saec. XV. Summae nostrae et Summae Theol. $III^{ae}$ Partis eam praecedentis primum folium excisum est. Textus incipit in cap. 3 libri I *quid est, et omnia cognoscit quae,* (pag. 8 b 5). – Textus est α recensitus praesertim in principio, in libro IV fere purus α.

*Ibidem, 219.* Habentur 2 catalogi codicum, uterque scriptus et antiquus, unus in libro continuo secundum numerum progrediens, alter in schedulis separatis dispositis iuxta nomen Auctorum. Uterque plures habet mss. S. Thomae, qui in altero desiderantur. In solo priore invenimus sub 219⁴: *Summam de 7 Sacramentis contra Gentiles.* A nobis inspectus inventus est excerptum ex Summa contra Gentiles: prius excerpta capitulorum ex principio libri I, deinde capitula de Sacramentis ex libro IV per tractus longiores fere ad verbum transumpta, (textus est adamussim familiae β). Codex chartac. est, in 8°, plures tractatus continet, qui singuli propriam foliorum numerationem retinent; excerptum nostrum folia 29 continet cum *explicit*: Explicit Summula de 7 Sacramentis feria sexta ante dominicam invocavit anno domini MCCCXLII quae dicitur summa beati Thomae praedicatorum contra gentiles ut credo, pro vero autem per me ipsum nescio. *Deinde rubro*: Explicit excerptum de summa contra gentiles.

*Monachii, Bibl. Status, Clm. 15833.* Cod. membr. Saec. XIV, fol. 124, sine correctionibus. – Textus est familiae β, cui fideliter adhaerere continuat per totum librum, omittens etiam cum omnibus antiquioribus et fidelioribus β interpolationem illam magnam in cap. 11, libri IV (p. 35 a 37).

*Ibidem, 15714*, f. 1-223. Cod. membr. Anni 1467 ut patet ex *explicit* tractatus sequentis S. Thomae *de divinis moribus* (opusc. spurium), scriptus ab eadem manu. – Textus est α recensitus multum secundum β in principio libri I etiam saepe in variantibus nullius momenti (cf. infra tabulam pag. XIV a). In capp. 72 sqq. iam fere purus α.

(*Parisiis, Bibl. Universitatis Sorbonne 206*. Cod. membr. Saec. XIII. In Praef. Tom. XIII, p. xv, iam recensitus, et recognitus ut α omnino).

Denuo examinatus ut habitudinem ad Par. Nat. 3107 ostenderet (de hoc cfr. infra), etiam in isto codice adesse cognovimus (quod decessor noster vel tacuit vel non vidit) notas petiarum iuxta traditionem Parisiensem. Notantur petiae numeris parvis et tenuissime scriptis, fere semper adeo in ima ora marginis ut notulae cadentes in marginibus exterioribus saepe ex parte abscissae sint in religatione, sicut et illae occurrentes in margine interno vix visibiles sunt pro vicinitate ad dorsum codicis religati, praecipue cum tegumentum folia contineat tam astricte et compacte compressa ut librum bene aperire et inspicere folia usque ad imam oram marginis interni nisi difficulter non possis. Petiarum numeri in isto codice non indicant initium petiae, sed finem, quandoque expresse et plene scribitur *explicit petia*, ita ut numeri non decurrant ab 2-57 ut apud plerosque alios, sed ab 1-56. Exemplum praeclarum notae ob rationem dictam vix visibilis habes 23; omnino non vidi solos 4 et 34. Clare visibilem variationem scripturae in initiis petiarum nunquam vidi, et cum etiam adsint in textu haud pauca spatia vacua, fortasse ex his duobus inferre licet codicem descriptum esse non immediate ex ipsis petiis-exemplaribus sed ex alio quodam codice scripturae minus clarae ubi petiarum notae in margine appositae erant. Num huic opinioni etiam favere dici possent differentiae quaedam, rarae tantum et leviores, in initiis petiarum in hoc codice ad initia in elencho nostro Praef. Tom. XIII, p. xxix? Habetur nota 25, i. e. petia 26 incipit, in codice isto 3 lineas inferius, petia 27 2 lineas superius, petia 36 2 lineas inferius, petia 51 2 lineas inferius quam in nostro elencho, admovetur nempe his locis signum petiae ad vicinum initium vel finem argumenti vel commatis.

*Podii (Le Puy, en Velay), Bibl. Civitatis, 7 (8075)*. Cod. membr. Saec. XIVmed. fol. 222 in 8° parvo (152 × 110). Omnes tituli 4 librorum in principio in foliis 1-7, attamen quia inter folia nunc numerata 5 et 6 excisum est unum folium (fol. 7$^{um}$ quaternionis quo incipiebat ms.), deficiunt tituli capp. lib. III 130 (apud nos 132) usque ad lib. IV 30 incl. Codex completus non est, sed finitur fol. 222 v b iam in principio libri III, cap. 2, Adhuc. Omne agens ... sicut autem in intellectu praeconcipiente existit tota similitudo effectus ad quem per (p. 6 a 8). De codice ante quam ipsum vidimus, copiose nobis scripsit humanissimus bibliothecarius C. Fabre, cui gratias agimus maximas. Textus est omnino β, eiusdem tenoris ac sociorum constantiorum EG, a principio usque ad finem, ex. gr. in illa etiam variante initii libri III de qua Praef. Tom. XIV, p. xxii b sub cod. Ross. 176.

*Pragae, Bibl. Publica et Universitatis 2423, XIV A 10*. Cod. membr. Saec. XIVmed.-fin. – Textus est α fere purus, recensitus leviter, iuxta β praecipue sed modo non continuo. Correctiones a secunda manu adsunt paucissimae.

*Ibidem, 1667, IX A 2*. Cod. chart., anni 1460, textus est originis α, sed multum recensitus in principio libri ubi lectiones α erroneae fuerunt, plerumque iuxta β; postea purior α, in lib. IV omnino.

*Rhemis (Reims), Bibl. Comm. 481*. Cod. membr. Saec. XIVinc., forte XIIIex., fol. 289, cum paucissimis tantum correctionibus. – Textus est α purissimus.

*Sancti Audomari (Saint Omer), Bibl. Publica, 166*. Cod. membr. Saec. XIII potius quam XIVinc. eum reputarem. In principio rarissimae correctiones a sec. manu, postea nullae. – Textus est α purissimus.

Hic etiam codex petiarum notis in margine instructus est, notantur initia petiarum, iuxta divisionem Parisiensem. Ad petiam 57 adscribitur: *petia 57 et ultima*. Vidi notas omnium petiarum exceptis petiarum 1, 2, 24; erronee 23 inscribitur 24. Omnia initia adamussim concordant initiis elenchi nostri Praef. XIII, p. xxix; nota 47 opponitur non e regione initii cap. 18, sed ad finem cap. 17, quae est differentia levissima, notatu vix digna.

*Sancti Pauli, Monasterium O. S. B. in Carinthia, Austria, 26, 3, 9*. Cod. membr. Saec. XIV med.-fin. Scriptus a 2, forte a 3 diversis scriptoribus, nunquam finitus est. Textus finitus fol. 114 in lib. III cap. 123 *ea quae pertinent* (pag. 382 b 26). Inceperat manus iunior saec. XV non multum ante, in lib. III cap. 94: *Quia enim non omnium* (pag. 288 b 47). Tituli in solis 2 capitulis libri I apponuntur, deinde spatia illis recipiendis destinata vacua relicta sunt, etiam brevi post vacua remaneri incipiunt spatia litteris initialibus replenda. – Textus est α multum permixtus lectionibus β, aliquae rarae lectiones Z, rarissimae ZpA in solo principio libri.

*Tarasione (Tarazona in Hispania), Arch. Capituli Ecclesiae Cathedralis*, sine signatura. Cod. membr. Saec. XIV. – Textus est α modice recensitus, iuxta β plerumque; iam disparuit etiam, res rara in mss. huius aetatis, error famosus in cap. 54 lib. IV, de quo cf. supra sub ms. Bambergae. Fere nullae correctiones a sec. manu.

*Tarracone in Catalonia, Bibl. Provincialis, 134* (251 dicebatur in Tom. XIII, p. xv, quae est signatura antiqua). Cod. membr. fol. 183. Saec. XIV inc.-med., originis italicae ut non solum denotant criteria palaeographica sed etiam textus conditio. – Textus est β, fideliter a principio ad finem (cum rarissimis lectionibus ZpA in solo principio libri I) ideo etiam non habet interpolationem famosam in cap. 11 libri IV.

*Toleti, Arch. Capituli Ecclesiae Cathedralis, 19-17*. Cod. membr. Saec. XIVmed. fol. 465 in 8°. Textus est α, in principio recensitus praesertim quoad errores α, sed iam inde a cap. 13 fere purus α, in libro IV omnino.

*Ibidem, 19-16*. Cod. membr. Saec. XIVmed.-fin., fol. 128. Characteris italici. – Textum habet β, valde purum et continuum per totum librum, et solus est in omnibus mss. nunc demum collatis qui est contra α in omnibus speciminibus collatis, excepta interpolatione in capite 11 libri IV. Hanc autem habet cum variantibus Z (cfr. infra in § *De aliquibus locis speciatim*, et ad locum ipsum p. 35 a 37) quo patet interpolationem non partem genuinam esse huius textus sed partem ei introductam aliquando ex iuniore codice α iam recensito in aliquem codicem β qui fuit exemplar, mediate vel immediate, codicis nostri. Infra coetum β multo vicinius adhaeret stirpi genuinae EGN quam magis erraticis DWY. In fine libri legitur: «Explicit liber. Deo gratias. Correctus est».

*Turonibus (Tours), Bibl. Publica 369*. Fasciculorum folium externum membraneum est, folia interna chartacea. Saec. XIV-XV, fol. 204. Paucissimae tantum correctiones. – Textus est α recensitus praesertim in erroribus α, in principio libri et fere semper iuxta β. Posterius adamussim α.

*Ulyssipone (Lisboa), Bibl. Nat. 268*, (sectione Alcoban 227). Cod. membr. Saec. XIII, fol. 192. Hunc codicem perantiquum ipsum adire et examinare non potuimus, sed de textu eius iudicium certum proferre licet ex reproductionibus photographicis, nobis benigne transmissis a bibliothecae moderatoribus, quibus gratias agimus maxi-

mas. Examinavimus hoc modo indicem libri I et 14 capp. prima, et ex libro IV ultima 6 capitula. Scriptura nitidissima, clara, etiam in multis notis doctrinalibus in marginibus. – Textus est α purissimus, sine correcturis a secunda manu.

*Valentiae in Hispania, Arch. Capituli Ecclesiae Cathedralis 125.* Cod. membr. Saec. XIVinc., fol. 226. – Textus est α purissimus, cum paucis correctionibus a secunda manu.

*Vratislaviae (Breslau), Bibl. [Regia et] Universitatis, I Fol. 223.* Cod. chart. Saec. XV, certe ante 1460 ut patet ex *explicit*, fol. 392 (sequuntur adhuc 24 folia non numerata et omnino vacua). Textus est sine ullis correctionibus, familiae α, sed iam multum recensitus praesertim in principio, et praecipue quoad errores α.

Totum *explicit* hic referre placet propter eius notam finalem: Explicit liber de veritate fidei catholicae contra errores infidelium et finitus per fratrem Iohannem Bartharis canonicum regularem in Sagano in Nawburg (?) sub proposito Laurentio Weynrich (?). Comparatus per venerabilem patrem ac dominum Symonem Arnoldi abbatem ibidem anno servitutis eius decimo sub anno incarnationis domini millesimo cccc°lx° feria 3ª ante palmarum. – Linea vacua, deinde: O quam difficulter hunc librum. cum adiutorio discretorum potuimus inventum ad rescribendum optinere.

*Wigorniae (Worcester), Bibl. Ecclesiae Cathedralis, F 106.* Cod. membr. Saec. XIVinc. Codex valde mutilus est, nunc habet folia 54, maiora solito (400 × 275) pro codicibus theologicis, cum marginibus largis, sed numeri post mutilationem appositi sunt. In solo primo fasciculo tituli capitulorum adscripti sunt. Postea spatia pro iis recipiendis et pro litteris initialibus vacua relicta sunt. – Textus est α purus, sine correctionibus a sec. manu.

In codice prius habetur folium-diploma cuius folium primum agglutinatum est tegumini anteriori interno, folium alterum huius diplomatis numeratur folium 1$^{um}$; in isto diplomate, principiante librum, extant diversa et a manu iuniore.

Huic diplomati sequuntur 3 quinterniones sani et continui (folia 2-11, 12-21, 22-31) qui continent Summam nostram a principio usque ad: (*negligo variantes*) quod est consonum divinae bonitati et non propter aliqua creaturarum rationalium (merita *in exclamante*), in cap. 44 libri II (p. 370 b 7).

Quae nunc sequuntur, numerata 32 et 33, non sunt folia integra sed miserrima fragmenta partis inferioris et interioris unius diplomatis, relicta probabiliter cum aliquis fur, in evellendo violenter totum diploma, huius diplomatis laceravit membranam ex resistentia apud infimum funem quo diploma erat religatum, relinquens adhaesum dorso fragmentum, quod non nisi pauca verba et lineas columnarum internarum continet.

Sequuntur deinde, fol. 34-43, 44-53, duo quinterniones sani et continui, ubi habetur textus lib. III cap. 94: quantum in se est. Patet ergo de intentione particularis agentis (p. 289 b 15), usque ad lib. III cap. 154: non tamen de futuris contingentibus (est praecognitio *in exclamante*).

Hos 2 quinterniones excipit folium 54 et ultimum, quod est folium primum diplomatis adhuc integri cuius folium alterum agglutinatum est tegumini posteriori interno. Hoc diploma erat diploma externum ultimi codicis quinternionis cui extracta sunt 4 diplomata interna. Incipit textus huius folii 54 in lib. IV c. 72: cum acta suscipitur (p. 226 b 79), finitur in ipso folio ultimo tegumini agglutinato cum ultimis verbis Summae et explicit commune (cfr. Tom. XIII, p. xii b): super cor sed gaudebitis et exsultabitis usque in sempiternum. Amen. Explicit 4$^{us}$ liber et etiam totalis tractatus de fide catholica contra gentiles (a fratre Thoma *omittitur*) de aquino editus. Folium 54 v b textum perducit usque ad lib. IV c. 76: sacramenta vero Ecclesiae sunt per aliquos ministros ecclesiae (p. 241 a 4).

In codice igitur prout nunc extat, deficiunt:

*Inter folia 31 et 34* (duo miserrima fragmenta numerata 32 et 33 negligo): Lib. II cap. 44 l. c. usque ad lib. III cap. 94 l. c., i. e. probabiliter, ut mihi ex calculo approximativo constat, 5 quinterniones integri.

*Inter folia 53 et 54*: Lib. III cap. 154 l. c. usque ad lib. IV cap. 72 l. c., i. e. probabiliter 3 quinterniones integri.

*Inter folium 54 verso et tegumini agglutinatum alterum folium recto eiusdem diplomatis*: Lib. IV cap. 76 l. c. usque ad paucissima verba ante *Explicit.* i. e. 4 diplomata interna ultimi quinternionis.

Submittimus elenchum locorum quae omnia in omnibus supradictis codicibus examinavimus. Horum lectiones annotavimus cum exscriptione etiam variantium propriarum et a secunda manu, ubi aderant. Sunt specimina ista plus 150. Quaedam uno *, quaedam duobus asteriscis ** signamus, quorum significationem infra exponimus.

## Ex Libro I.

| | Cap. | Pag. | |
|---|---|---|---|
| | 1, | 3 a | 6 (p. 6*) |
| | | | 10 ( » » ) |
| * | | | 15 |
| * | | | 19 |
| | | | 21 ( » » ) |
| | | | 23 ( » » ) |
| | | b | 7 *primo* |
| | | | 7 *secundo* |
| | | | 8 (p. 6*) |
| | | | 22 ( » » ) |
| * | | 4 a | 1 |
| | | | 3 ( » » ) |
| * | | b | 1 |
| * | | | 3 |
| | | | 10 ( » » ) |
| | 2, | 6 a | 2 (p. xxxii) |
| | | | 26 *primo*, p. lviii |
| | | b | 15 |
| | | | 22 (p. 6*) |
| | 3, | 8 a | 8 (p. xxxii) |
| | | | 28 |
| * | | | 29 |
| * | | | 30 |
| * | | b | 14 |
| | | | 27 *primo* |
| * | | | 37 |
| | 4, | 11 a | 24 (p. xxxii) |
| | | | 31-33 (p. 6*) |
| | | | 34 (p. 6*) |
| | | | 41 |
| * | | b | 29 *primo* |
| | | | 29 *secundo* |
| | 5, | 14 a | 6 (p. xxxii) |
| ** | | | 10 *secundo* |
| | | | 10 *tert.* (p. xxxii) |
| | | | 12-13 ( » » ) |
| | | | 14 ( » » ) |
| ** | | b | 5 |
| | | | 21 ( » » ) |
| | | | 22 |
| * | 6, | 17 a | 22 |
| * | | | 37 |
| | | | 38-40 (1) |
| * | | b | 3 |
| * | | | 11 *primo* |
| * | | | 11 *secundo* |
| * | | | 17 |
| ** | | | 21 |

| | Cap. | Pag. | |
|---|---|---|---|
| ** | 6, | 17 b | 28 |
| * | | | 38 |
| ** | 7, | 19 a | 7 (2) |
| | | b | 13-14 (3) |
| | 8, | 21 a | 5 |
| | | b | 14 *primo* |
| | | b | 14 *tertio* |
| ** | 9, | 22 a | 16 |
| | | b | 27 |
| ** | 10, | 23 b | 1 |
| * | 11, | 24 a | 15 |
| | | b | 13 |
| * | | | 16 |
| | 12, | 28 a | 11 |
| | 13, | 30 a | 17 (p. xxxii) |
| | | 31 a | 5 *primo* |
| | | | 5 *secundo* |
| | | b | 3 |
| | | | 11 *primo* (4) |
| | | | 11 *secundo* (5) |
| | | 32 a | 24 |
| ** | | | 26 *primo* |
| ** | | | 26 *tertio* |
| ** | | | 38 *primo* |
| | | | 38 *secundo* |
| | | | 38 *tertio* |
| ** | | | 45 *primo* |
| | | 33 a | 16 |
| | | | 30 *secundo* |
| * | | | 44 |
| | | b | 12 *primo* |
| | | | 12 *secundo* |
| ** | | | 37 |
| ** | | | 43 |
| * | | 34 a | 8 |
| * | | b | 3 |
| | | | 8 |
| ** | 14, | 40 a | 24 |
| ** | | b | 4 |
| * | | | 10 |
| ** | | | 16 |
| ** | 72, | 209 a | 6 |
| * | | | 16 |
| | | b | 11-12 (p. 31*) |
| * | | 210 a | 17 |
| ** | | | 24 |
| ** | | | 29 |
| | | b | 4 (p. 31*) |

(1) ab eis..... distributionibus – etc. Z.
(2) apud variantes: αNZbPc corrige in DEGNWYbPc.
(3) in corde..... praedicamus – etc. Z.
(4) quem etiam modum – quo etiam modo Z.
(5) tangit – utitur Z, loquitur N.

| Cap. | Pag. | |
|---|---|---|
| **72, | 210 b | 28 |
| * 73, | 213 a | 14 |
| 74, | 214 a | 14 |
| | b | 22 |
| * 75, | 215 a | 12 |
| 76, | 217 a | 17 (p. 32*) |
| 77, | 220 a | 8 |
| **78, | 220 a | 9 |
| **78, | 220 a | 12 |
| | b | 9 |
| ** | 221 b | 7 |
| 79, | 221 a | 9 *primo* |
| ** | 222 b | 4 |
| 80, | 223 a | 7 |
| ** | | 8 |

## Ex Libro IV.

| Cap. | Pag. | |
|---|---|---|
| 11, | 35 a | *nota*, utrum adsit interpolatio (cf. p. xxiv). |
| | | *in nota*, varians 2ª |
| | | » 3ª |
| | | » 4ª |
| | | » 5ª |
| 54, | 175 a | 22 (cf. p. xxv). |
| 72, | 225 a | 22 |
| | | 27 *primo* |
| | | 27 *secundo* |
| | | 36 |
| | | 41 |
| | b | 16 |
| | | 18 *primo* |
| | | 18 *secundo* |
| | | 21 |
| | | 24 |
| | | 29 |
| | | 32 |
| | 226 a | 40 |
| | | 50 |
| | b | 14 |
| 72, | 226 b | 28 |
| | | 38 |
| 73, | 233 a | 20 |
| | | 22 |
| | b | 17 |
| | | 19 |
| | 234 a | 6 |
| | | 8 |
| | b | 6 |
| | | 31 |
| | | 40 |
| 74, | 237 a | 39 |
| | | 47 |
| | b | 41 |
| | 238 a | 5 |

Collationis exitum ex integro e schedulis nostris hic transferre, pro singulis manuscriptis documenta conclusionis enuntiatae exponere longum est; iam inquisitionis methodum et campum delineasse plane sufficere posse videbitur, ubi talia generatim alias alto silentio praeteriri solent. Non inviti tamen paululum adhuc moramur illustrando, non ipsis variantibus extense adductis sed tabulis et numeris comparatis, efficaciam criterii supra pag. viia expositi ex variantium humilibus, interne non vel vix erroneis, quorum periculo hac vice specialius usi sumus ad recognoscendam originem et conditionem genuinam codicum multorum, qui textum ostendentes iam satis discedentem a genuinarum familiarum puritate, dubium ingerunt quaerenti eorum originem et valorem criticum. Ad trutinam vocatae eorum lectiones variantes collectae, si solum numerum et non qualitatem perpendas concordantiarum ad textum α vel β, aequa lance suspenduntur inter utramque familiam, et textus conditionis incertae et mixtae apparent. Divisis autem speciminibus conferendis iuxta partes dispersas libri, vel selectis ex variantium farragine illis humilibus vix attentionem capientibus critice legentium et scribentium, illico sensibiliter mutatum vides exitum ponderationis; plurimi codices mixti crediti manifeste in alterutram partem propendere incipiunt vel scinduntur in partes successivas diversae quidem originis sed intra proprios limites conditionis constantis. Quod aliqualiter ob oculos ponere conantur tabulae sequentes, quin ipsas variantes inspicere necesse sit.

Apud omnes codices supra recensitos observavimus textus habitudinem, sive ad α sive ad β, valde constantiorem in libro IV quam in libro I, ita ut si ad solum librum IV attendas fere omnes sint vel omnino α vel omnino β. Paucissimi in hoc libro IV ostendunt mixturam, solummodo tres, omnes recentes: Camberiensis, ubi praevalet β, et Cracovienses 1693 et 1735 ubi hic praevalet α quamvis in libro I fuerint omnino β.

Tabulas igitur subsequentes limitamus ad specimina solius libri I, quia hic praecipue textus α maiorem mixturam cum aliis lectionibus ostendit, ex duplici ni fallor ratione: una est generalis, cuivis textuum critice scrutatori non ignota, quod nempe generatim incoeptae codicum castigationes non constanter continuantur et rarissime usque ad finem libri perducuntur; altera est particularis huic Summae: specialior scilicet deficientia igiturque errorum abundantia textus α in libro I, quae iam in multis antiquissimis codicibus prout vidimus correctiones a sec. manu suscitaverunt. Duplici hac de causa codices iuniores, descripti ex codicibus vel petiis-exemplaribus antiquis correctis textum habebunt praesertim in principio libri non iam purum sed recensitum, dum circa finem puri esse continuant.

Relictis ex speciminibus 111 suprapositis pro capp. 1-14 incl. Libri I illis 59 quae inservierunt recognoscendis relationibus traditionis manuscriptae ad Autographum, ad pA, ad Z, ad pAZ, ad editiones, remanent 52 in dictis capitulis libri I criteria propria pro discriminandis textibus α et β ab invicem; sunt illa specimina elenchi suprapositi quae notantur asteriscis (uno vel duobus). *De his solis 52* tabulae sequentes comparationem duplicem instituunt: unam iuxta lectiones pro et contra α, alteram iuxta qualitatem lectionum contra α. Codices ordinantur iuxta numerum concordantiarum ad textum α in istis 52 locis.

In primis elenchis sub I indicatur numerus concordantiarum ad α, quem si deducis a 52, numerum habes lectionum respectivi codicis contra α; hunc numerum lectionum contra α etiam addimus sed subdivisum iuxta concordantiam vel discordantiam ad β. Saepe enim fit ut codex legat contra α quin tamen lectionem β exhibeat, legens potius solitarie vel cum paucissimis erraticis.

In alteris elenchis sub II ob oculos ponimus principale intentum: comparationem scilicet lectionum contra α iuxta quod occurrerunt vel in serie A notata uno asterisco * in tabula p. xii, i. e. in serie 27 lectionum α una alterave ratione erronearum intrinsece, vel in serie B notata duobus asteriscis **, i. e. in serie 25 variantium humilium α sensu indifferentium vel vix erronearum, de quarum duarum serierum diverso valore critico supra sermo fuit.

Prima series A manifeste ostendit *gradum puritatis textus* α, cum signum maioris puritatis respectu α certe hoc est quod etiam in erroribus α codex fideliter familiae α adhaerere continuat; altera series B clare *genuinam textus conditionem* ostendit in mss. iunioribus dubiae originis, et multos codices hic puros α sese proclamant quos ex elenchis sub I valde recensitos et cum β permixtos vides; exempla praeclara cf. mss. Turon. et Prag. 1667.

| | I. Numerus speciminum 52 | | | II. Lectiones contra α | |
|---|---|---|---|---|---|
| | | | | series A * | series B ** |
| | cum α | cum β | cum aliis vel solus | numerus speciminum 27 | numerus speciminum 25 |
| Matrit. 208 | 52 | — | — | — | — |
| Dunelm. 21 | 51 | 1 | — | 1 | — |
| Matrit. 499 | 50 | 1 | 1 | 2 | — |
| Brixiens. | 50 | 1 | 1 | 1 | 1 |
| Derthus. | 50 | 2 | — | 2 | — |
| Valentin. | 50 | 2 | — | 1 | 1 |
| Cordubens. | 50 | 1 | 1 | 2 | — |
| Ulyssipon. (1) | 37 (*ex* 39) | 1 | 1 | 2 | — |
| S. Audomar. | 49 | 2 | 1 | 2 | 1 |
| Ambian. | 49 | 1 | 2 | 2 | 1 |
| Carolopolit. | 49 | 2 | 1 | 3 | — |
| Matrit. Pal. Reg. | 48 | 3 | 1 | 4 | — |
| Escurial. 7 | 48 | 1 | 3 | 4 | — |
| Rhemens. | 48 | 2 | 2 | 3 | 1 |
| Dunelm. 19 | 48 | 3 | 1 | 4 | — |
| Barcinon. 64 | 46 | 6 | — | 3 | 3 |
| Duacens. | 45 | 6 | 1 | 6 | 1 |
| Pragens. 2423 | 45 | 6 | 1 | 6 | 1 |
| Camerac. | 45 | 5 | 2 | 7 | — |
| Wigorn. | 44 | 5 | 3 | 8 | — |
| Carnutens. | 43 | 4 | 5 | 8 | 1 |
| Hispalens. | 42 | 5 | 5 | 9 | 1 |
| Dunelm. 20 | 42 | 7 | 3 | 10 | — |
| Graecens. | 41 | 8 | 3 | 10 | 1 |

(1) Non vidimus capp. 72-80, deficiunt ideo 13 spec.

| | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|
| Tarasion. . . | 40 | 9 | 3 | 11 | 1 |
| Lentiens. . . | 39 | 7 | 6 | 13 | — |
| Toletan. 17 . . | 38 | 9 | 5 | 14 | — |
| Escorial. 19 . . | 35 | 16 | 1 | 15 | 2 |
| Monac. 15714 | 35 | 12 | 5 | 10 | 7 (1) |
| Pragens. 1667 . | 34 | 14 | 4 | 18 | — |
| Turonens. . . | 34 | 16 | 2 | 18 | — |
| Erlangens. . . | 32 | 13 | 7 | 16 | 4 |
| Mogunt. (2). . | 29 (*ex* 45) | 12 | 4 | 12 | 4 |
| Maihingen 61 . | 29 | 18 | 5 | 19 | 4 |
| » 70 . | 27 | 16 | 9 | 20 | 5 |
| Florent. Faes. . | 27 | 19 | 6 | 20 | 5 |
| Brunsvig. . . . | 26 | 17 | 9 | 20 | 6 |
| Bamberg. . . | 25 | 18 | 9 | 22 | 5 |
| S. Pauli . . . | 23 | 24 | 5 | 20 | 9 |
| Dresdens. . . | 23 | 21 | 8 | 18 | 11 (3) |
| Camberiens. . | 22 | 26 | 4 | 17 | 13 (4) |
| Vratislav. . . | 22 | 23 | 7 | 21 | 9 |
| Florent. Aed. . | 21 | 22 | 9 | 21 | 10 |
| *Codices familiae* β. | | | | | |
| Cracov. 1735 (5) | 3 | 32 (*ex* 36) | 1 | 19 | 14 |
| » 1690 . | 9 | 38 | 5 | 24 | 19 |
| » 1405 . | 9 | 38 | 5 | 24 | 19 |
| » 1694 . | 5 | 43 | 4 | 24 | 23 |
| Monac. 15833 | 5 | 42 | 5 | 24 | 23 |
| Cracov. 1693 . | 4 | 45 | 3 | 25 | 23 |
| Edimburg. . . | 4 | 44 | 4 | 24 | 24 |
| Tarracon. . . | 3 | 45 | 4 | 26 | 23 |
| Barcinon. 17 . | 2 | 48 | 2 | 27 | 23 |
| Podiens. 7 . . | 2 | 48 | 1 | 25 | 25 |
| Toletan. 16 . . | — | 48 | 4 | 27 | 25 |

Tabulas eodem modo iam confectas reproducere possemus de lectionibus speciminibus collatis ex libro IV, de correctionibus a sec. manu, quibus abundant praesertim in libro I multi codices α antiquissimi. Per supradicta tamen largo modo nos satisfecisse credimus necessitatibus illorum studiosorum qui, critice uti intendentes editione critice facta, clare expositum iure desiderant a textuum recensore quid egerit, quae fuerint documenta et quomodo interrogata, quibus ratiociniis et methodis inductivis singulae conclusiones apud singulos codices fulciantur.

Manuscriptorum inquisitionem absolvet discussio de duobus codicibus speciatim et nota finalis de primo unico apographo. Concludimus deinde cum elencho alphabetico et completo omnium codicum Summae contra Gentiles.

## § 2.

## De codicis Lubeci 46 habitudine ad traditionem pA.

Supra pag. x a iam generatim diximus codicem Lub. 46 inter omnes noviter adductos unicum esse quem invenimus testem traditionis pA et intra huius coetum et intra ramum eius principalem (MNZ) fratrem germanum codicum MZ. (De M, codice Erfordiae Amplon. F 96, vide discussionem specialem § 2 Tom. XIV p. xxiv sqq.). Huius necessitudinis indicium primum, praeclarum et haud dubium, nobis praebuit collatio ad specimina enumerata supra pag. xii quorum periculo semper omnes codices subiecimus.

Prius igitur huius collationis initialis exitum hic proferemus, ad sola specimina libri I nos hic limitantes, cum in speciminibus libri IV nihil speciale habeat codex Lub., sicut nec Z, cum quo fideliter concordat α fere semper.

(1) Omnes 7 in capp. 5-14. Cf. supra p. xi a.
(2) Deficiunt 7 spec. propter excisionem primi folii.
(3) Horum 9 in capp. 5-14.
(4) Horum 12 in capp. 5-14.
(5) Defectu temporis non vidimus partem speciminum, ideo deficiunt hic 16 variantes.

Lub. hic bis tantum legit contra Z: p. 225 b 32 *om.* est, et p. 233 b 19 legit cum nobis contra BYZ.

In speciminibus 111 suprapositis ex libro I Lub. habet lectiones *cum* Z 86, *contra* Z 25; in istis 25 tamen minime familiam propriam semper relinquit, sed 15^ies^ concordat *cum* M, vel N, vel MN, forte pluries quia non omnes lectiones MN cognovimus, nec revidere potuimus codices MN. Si ex speciminibus 111 solum consideras 44 quae specialius recognoscendae traditioni Z inservierunt, habes in Lub. lectiones 34 *cum* Z, 10 *contra* Z, sed in 10 istis 7^ies^ cum M, vel N, vel MN legit.

Submittimus solum elenchum horum 26 locorum ubi legit Lub. *contra* Z; lectiones enim *cum* Z invenies in textu vel sub textu ad siglum Z.

Siglo L indicamus textum nostrum Leoninum.

| Cap. | Pag. | | |
|---|---|---|---|
| I | 3 b | 7 | quo etiam est. |
| | | 7*bis* | veritatis (*cum* M). |
| | | 8 | *cum* NZpA, *sed* primo *pro* principio. |
| | 4 b | 3 | » *b*M |
| II | 6 b | 15 | » L |
| V | 14 a | 6 | » L |
| VI | 17 a | 38 | » L |
| | b | 28 | » α |
| VII | 19 b | 13-14 | » L |
| VIII | 21 a | 5 | » L |
| | b | 14 | » N*d* |
| | | *ter* | » L |
| IX | 22 a | 16 | » L |
| X | 23 b | 1 | » L |
| XI | 24 a | 15 | maius est sua parte (*cum* Z, *cf. Corrig.*). |
| XIII | 31 a | 5 | *cum* L |
| | b | 3 | » Z, *sed* nominavit (*cum* M) *pro* nominat. |
| | 33 a | 16 | » EGP*c* |
| | | 44 | » L, *sed antea om* (*cum* M) et tamen . . . per accidens. |
| | b | 43 | esse causa non poterit. |
| | 34 b | 3 | ut ad . . . tendantur. |
| | | 8 | *cum* L |
| LXXII | 210 b | 28 | Dominus *post* quaecumque. |
| LXXVIII | 220 b | 9 | *om* sicut . . . . exercitus. |
| LXXX | 223 a | 7 | *cum* L |

Cum non desint exempla codicum (cfr. e. g. Vat. Ross. VIII 203 in Praef. Tomi XIV, p. xxii b) qui in principio Summae mixturam ostendant cum textu MZ, immo cum MZpA, quin postea in libro III ubi copiosissime fluere incipit fam. MZpA istis concordare continuent, codicem nostrum Lub. adamussim contulimus prius ad omnes lectiones pA indicatas ex capp. 40-47 libri III in Appendice Tomi XIV p. 11*-15*, deinde pro inquirenda cognatione ad NpA ad capp. 25-26 ibidem p. 8-11*.

Exitus collationis nobis patefecit maximam intimam cognationem codicis Lub. ad familiam MNZpA, cum fraternitate perfecta ad socios MZ ubi N sese ab istis separat. In variantibus internis M contra Z potius textui M quam Z adhaeret legens quandoque contra utrumque. Perdidit etiam quasdam lectiones MZpA et legit cum textu nostro. Ex his omnibus probatur codicem Lub. originem ducere non immediate ex Z, vel ex M, vel ex N, sed ex quodam altero codice intermedio inter ipsum et primum patrem communem traditionis MNZ.

Submittimus nunc elenchum lectionum cod. Lub. collati ad MZ in capp. 40 sqq. libri III in Append. pag. 11* sqq.

Cap. 40 p. 11* b 33-53

| | |
|---|---|
| § *In cognitione,* | *cum* M *contra* Z. |
| § *Non enim,* | » MZ, *om* veritatis. |
| § *esset,* | *partim cum* Z, *om* credentium, *habet* cum . . . . . dependeat *et etiam* quod . . . afferret (auferret Lub.) *sed illud post hoc.* |
| § *Cognitio,* | *cum* MZ. |
| § *Per cognitionem,* | » MZ. |

Cap. 41, 11* b 55-12* b 30
§ *considerandum,* *cum* MZ, *exceptis:*
11* b 62 autem - enim.
73 operatione - cognitione.
12* a 1 Si - et si.
12* a 18-22 Ad variantem α, *cum* M *contra* Z.
» » γ, » Z » M.
» » δ, » sM » ZpM.
» variantes ε ζ η θ, *cum* M *contra* Z.
§ *Avempace,* *contra* MZ, (*cum* L).
§ *cum intellectus,* *cum* MZ.
§ *Quidditas,* *contra* MZ *in passu* cum . . . Metaphysicae.
*cum* MZ *in altera parte huius §.*
§ *Non enim,* *cum* MZ.
Ad variantem α, *cum* M *contra* Z.
§ *Non igitur,* *cum* MZ.
§ *Multo,* *cum* MZ.
§ *Item,* *cum* MZ.
§ *Ratione,* *cum* MZ.
§ *nam virtutes,* *cum* MZ, *sed legit* causae *pro* omnes b 2.
§ *Adhuc,* *cum* MZ.
§ *Si autem,* *contra* MZ.
§ *perveniri,* *contra* MZ.
Cap. 42.
§ *Quia,* *cum* MZ, *sed habet*
in intellectu *pro* intellectui b 41.
comprehendi *pro* apprehendi b 43.
§ *Intellectus,* *cum* MZ.
§ *Semper,* *cum* MZ.
§ *cum autem,* *cum* MZ.
Ad var. α, *cum* MpZ *contra* sZA.
§ *licet,* *cum* MZ, *sed om.* licet, *add.* huiusmodi *post* in b 64.
§ *Item,* *contra* MZ; aliqua (*cum* M) *pro* aliquo LZ, b 67.
§ *Alio modo,* *cum* L *contra* MZ, *in* quis dicitur b 69.
*cum* MZ *in* b 71.
§ *non potest,* *cum* ML *contra* Z.
§ *cum enim,* *cum* MZ.
§ *separatos,* *cum* MZ, factae *pro* substantiae a 26.
ulterius *add. post* aliquod a 27.
assequimur *pro* consequimur a 33.
Ad variantes: α, δ, ζ, θ, ι, ν, *cum* MZ *contra* nos.
» » β, γ, ε, η, κ, ρ, *cum* M *contra* Z.
» » λ, μ, *cum* Z *contra* M.
Cap. 43 p. 13* b 5-33, *et etiam* p. 14* a 1-26.
§ *Quia vero,* *cum* MZ.
Ad variantem: α, *cum* M *contra* Z.
» » β, *cum* Z *contra* M.
(Reincipit N, cuius erant excisa folia duo, p. 13* b 14).
(Reincipit Autographum, p. 13* b 18).
§ *homo,* 14* a 12 *cum* MNZpA
§ *Vel si,* » » 17-26 *cum* MNZpA.
*cum* NZsA *habet etiam additionem marginalem* vel si hoc.... separatos.
Cap. 44, p. 13* a 35-39, *et etiam* p. 14* a 33-52
§ *quod est,* 14* a 33, *cum* MNZpA.
§ *fieri autem,* 14* a 35-39, *cum* MNZpA, (*partim cum* NZpA *contra* M)
§ *et intellectus,* 14* a 49, *cum* MNZpA (*sed* decimo *pro* VII).
Cap. 45, p. 13* b 41-50, *et etiam* 14* a 55-b 23.
§ *intellectus,* 14* a 60, *cum* MNZpA.
§ *Ad illa,* 14* a 66, *contra* MNZpA.
§ *si enim,* 14* b 4-9, *cum* MNZpA, *etiam in hom. om.*
*In ceteris:*
*om* quaedam b 5.
*legit* Alexander *pro* Avempache.
§ *sequi,* 14* b 10, *cum* NZpA *contra* M.
§ *incorruptibilis,* 14* b 12-13, *cum* MNZpA, *sed* virtus *pro* substantia.
§ *obligatio,* 14* b 14-17 *cum* MNZpA.

In codice Lubeci 46 eodem loco quo in ceteris codicibus MNZ traditionis pA cessant omnino lectiones pA, quarum nullam deinceps in eo invenimus ex omnibus illis quas Appendix noster ex Autographo descripsit, et quarum indagationem usque ad finem cap. 47 perduximus, limitatam deinde pro capp. 48, 49 ad solas lectiones pA longiores.

In parte capp. 43-45 ubi adest Autographum, lectiones Lub. pA invenimus solummodo ad illas lectiones pA (cfr. p. 14*) ubi codices MNZ lectionem pA exhibent (cfr. p. 13* b), immo etiam horum lectiones MNZpA codex Lub. aliquas perdidit tam hic praesenti Autographo quam etiam in capp. praecedentibus, cfr. in elencho lectiones contra MZ.

Generatim textus fragmentorum pA codicis Lub. purior est quam codicis Z et saepe confirmat variantes internas M contra Z.

Quamvis ex omnibus supradictis clare eluceret multo intimior cognatio codicis Lub. ad MZ quam ad N, attamen ne ullum in hac re dubium superesset, adamussim cod. Lub. contulimus ad capp. 25 et 26 libri III, Append. 8* b–10* b ubi habentur plurimae, tam minutae quam extensae lectiones NpA-*solius* contra MZ et ceteram traditionem universam. In *nullo* harum invenimus codicem Lub. concordantem textui N.

Hoc modo satis illustrasse conditionem textus credimus; a conclusionibus particularibus ex elenchis deducendis abstinemus; de codice Lub. fere omnia aeque valent quae diximus abundanter de codice M in Praef. Tom. XIV, p. XXV, XXVI sub conclusionibus I, II, IV.

## § 3.

## De codicis Par. Nat. Lat. 3107 habitudine ad traditionem α.

In Tomo Praecedente, in principio discussionis longae cui titulus: *De relatione codicis Par. Bibl. Nat. Lat. 3107 et Exemplaris Parisiensis et traditionum α, β, pA ad Autographum et Primum Apographum* (p. XXVII a-XXXII b), iam annuntiavimus et brevi exposuimus hypothesim quandam tunc nuperrime exortam circa codicem Par. Nat. Lat. 3107: hunc nempe codicem constare ex fasciculis qui, exceptis paucis postea suppletis a manu iuniore, fuissent ipsae petiae solutae Exemplaris primi et officialis Summae contra Gentiles apud universitatem Parisiensem; huius codicis textui igitur origo deberetur, sive immediate sive mediate, omnium codicum familiae numerosissimae α cui adscribere potuimus post indagationes criticas plus quam tres partes totius posteritatis, immo ex sententia decessoris nostri totam istam posteritatem exceptis codicibus illis paucissimis qui continent fragmenta pA.

Res igitur haud nullius momenti et inquisitionis ulterioris semper dignissima, etiam si, ex opinione nostra, nec Exemplar primum Parisiense sit numerice idem cum primo et certissime unico apographo, nec familia β sit orta ex correctione posteriore alicuius codicis α ad Autographum sed immediate ex apographo isto. Profecto codex 3107 a decessore nostro sufficienter quoad textus conditionem examinatus erat et debite familiae α annumeratus in Tomo XIII, p. XIV b, de textus etiam conditione familiae α satis quidem iam constabat ex concordia codicum BCFH siglo α indicata in apparatu nostro critico variantium, attamen valde pigeret non prius recognitum esse in codice 3107 ipsum patrem communem legiferum, cuius solius praesentia et auctoritas superfluum reddidisset inquirere longorum annorum studio testimonia unisona ceterorum plurimorum codicum α.

Audiamus decessorem nostrum loquentem in Praef. Tomi X in haud absimili casu et principia exponentem, quia et nos iisdem usi sumus principiis et methodis pro indaganda veritate circa novam hypothesim de codice Parisiensi 3107: « Hic locus esset tractandae quaestionis, an primum apographum inter septem nostros codices inveniatur, ita ut series constaret ex ipso apographo et sex eius transcriptionibus. Id a nobis iam in principio collationis quaesivimus, postquam lectionum collectarum varietas necessitudinem codicum delineare incoeperat. Utinam respondere licuisset inveniri. Nam, etsi collationis taedium officio et cellae continuatione dulcescere potuerit, gratus

venisset ille liber, qui ceteros superfluos reddidisset: sex enim non plus valent quam ille solus, vel si vis nec tantum. At exemplar ceterorum inter hos septem non invenitur. Cum iam in Praefatione Noni Voluminis toti in eo fuerimus ut probaremus codicem Atrebatensem, quamvis in prima pagina nomine Exemplaris Primi Secundae insignitur, non esse primum apographum pleno et formali sensu, lectorem ad illam remittimus, si methodum quaerit qua hoc de singulis codicibus peculiariter probari potest. In hac generali consideratione uno hoc generali argumento utimur; ex nostris septem nullus non habet solitarias lectiones; vel aliis verbis: singuli lectiones habent variantes ab unanimis lectionibus ceterorum. Exemplar autem, pluribus descriptionibus multiplicatum, non potest legere solitarie, idest non potest non habere socium qui secum legat, non potest non habere quod omnes transcriptiones habent ». Praef. Tomi X, p. VIII a.

2. – Inquisitionem ulteriorem codicis Par. 3107, quamvis sane probandi munus potius spectare soleat et debeat semper ad illum qui novam hypothesim consequentiis tam gravem proponere audet, ultro tamen promisimus iam antea, statim incepimus, inceptam non semel aut bis sed pluribus vicibus et modis per annos continuavimus, animo semper intenti inserendi adhuc apparatui nostro critico huius Libri IV testimonium continuum tantae auctoritatis, immo conficiendi insuper tabulas variantium ipsius pro libris tribus prioribus iam editis, si vel tenui saltem probabilitate nobis opinari licuisset in codice Parisiensi 3107 re vera adesse petias originales, sive plures sive aliquas tantum, exemplaris primi in 57 petiis descripti Summae contra Gentiles.

Primae autem inquisitionis nostrae exitum, qui prolatae hypothesi minime favere videbantur, ulteriores indagationes semper confirmaverunt et roboraverunt, eousque certitudinis nos pervenire sinunt ut absque ullo formidine oppositi affirmare possimus falsam esse et omnino reiiciendam opinionem praedictam. Nulla autem argumenta hucusque allata, nulla futura quaecumque afferenda evellere posse credimus sententiam hanc nostram de textu codicis Parisiensis 3107.

Antequam argumenta conclusionis nostrae proferimus haud inutiliter clare enuntietur principaliter a nobis quaesitum in hac discussione hoc esse: utrum in codice 3107 vel saltem in aliquibus fasciculorum eius re vera textum prae oculis habere liceat cui privilegium illud illustre competit fuisse primum exemplar a quo mediate vel immediate ortum duxerit tota prolifica familia codicum α, ad quem etiam necessarie omnes redeunt si, causa et sede errorum detectis, omnium lectionum diversitas in unitatem summae primi exemplaris resolvitur. Si ita non est, nobis critici textuum scrutatoris officium peragentibus causa finita iam est, et mere accessoriae habendae sunt quaestiones ut istae: num huius codicis fasciculi fuerunt petiae alicuius exemplaris descriptionibus multiplicandis adhibiti et continue locati apud stationarium quemdam? Quae petiae originales habendae sunt, quae suppositae? Cuiusnam exemplaris fuerint, utrum officialis illius Universitatis Parisiensis, an alterius exemplaris privati cuiusdam stationarii qui etiam in sua statione petiatim locabat Summam contra Gentiles? Immo mere accessorium principaliter quaesito etiam hoc est: utrum reapse fuerit ipsum Exemplar officiale Universitatis Parisiensis qui erat pater communis totius traditionis α, an forte aliquis alius codex iam petiatim scriptus Parisios missus ad confratres Auctoris in conventu S. Jacobi e quo descriptus esset Exemplar Universitatis? a fortiori huic accessorium est etiam utrum Exemplar Parisiense fuerit re ipsa simpliciter primum illud et certissime unicum apographum quo solo mediante tota traditio ad Autographum ascendat, ad quam ultimam quaestionem potius historicam quam criticam decessor noster affirmative, nos negative respondendum esse duximus (cf. Praef. Tomi XIV p. XXIX seqq.).

Argumentis nostris peremptoriis, infra ponendis sub 6 sqq. praemittimus alia quaedam, minime spernenda, ex extrinseca fasciculorum dispositione et textus distributione quae iam sufficere possent ut laudem et privilegium primi exemplaris familiae α concedere non liceat parti valde maiori fasciculorum huius codicis.

3. – Manifeste scriptae sunt ab alia, et probabiliter ab eadem alia manu, valde iuniore saec. XIV et cum alio atramento pallidiore 6 petiae: 4, 5 (istae constituunt 1 quaternionem (1), non 2 duerniones 28, 32, 33, 34, et ideo reiiciendae tanquam certissime non genuinae sed posterius interpositae.

Ceterae petiae omnes nobis videntur scriptae ab eadem manu, quam ex sola litterarum figura et ductu dicerem antiquam quidem sed non illico coaevam S. Thomae tempore quo finivit Summam contra Gentiles. (Periti iam sciunt praesumptuosum esse iudicium peremptorium ferre de differentia 2 vel 3 tantum decadum annorum ex sola scripturae facie). Huic manui inter alia proprium est in fine omnium petiarum, exceptis paucissimis, signum quoddam, figura oblonga in forma piscis rudimentarie depicti in cuius parte media et vacua scriptor scribere solet verba exclamantis. Deficit figura ista in 6 petiis supra dictis.

Alia etiam sed semper eadem manus (exc. in 6 petiis dictis) habetur in nota correctoris qui fere ubique in fine petiarum scripsit: *cor. per R* (plenius *Rad* in pet. 10), forte ab alia manu est *cor. est per* R in petia 14, item forte in petia 44; desunt omnes notae correctoris et etiam correctiones in textu inde a petia 46.

4. – Nullus etiam illas petias genuinas habebit et exemplar totius posteritatis α, quarum verba initialia minime concordare videt initiis petiarum prout annotantur unanimi consensu omnium aliorum codicum traditionis α notas petiarum exhibentium (2). Huic criterio multae petiae codicis nostri 3107 non resistunt. Sequentes igitur petiae ob solitaria verba quibus incipiunt contra consensum aliorum clare non authenticatis arguuntur, omni denique primitiae laude et valore penitus destituantur: 5, 20, 25, 28, 33, 34, 42, 45, 47, 48, 49, 50, 51, 52, 53, 54, 55, 56, 57. Harum verba initialia a veris et unanimibus initiis aliorum distant et in Nat. 3107 habentur *superius* nisi ubi expresse addamus *inferius*, et quidem lineas (in nostra editione) respective 7, 1½, 7, 31, 42, 70, 7, 10, 23, 45, 55, 140 *inferius*, 100 *inferius*, 10 *inferius*, 58, 116, 162, 124.

(1) Etiam petiae 25 et 26 constituunt nunc 1 quaternionem quia petia 26 erronee religata est in medio petiae 25. Hoc non intellexit ille, modernissimus, qui in ora infima marginis inferioris interioris fasciculis numerum inscripsit; petiae 27 numerum 26 imposuit, et sic deinceps, contradictionem introducens ad numeros antiquos et rectos in margine superiore scriptos fere omnium petiarum.

(2) Isti sunt: nostri B, F, H, Parisiis Nat. 15816, Sorbonne 206, Mazarine 807, Barcinone 64, Brixiae, Cameraci, Matriti Nat. 499 et Pal. Regis, S. Audomari; indirecte initia petiarum notant Par. Nat 15817 et 15818 (cf. Praef. Tom. XIII p. XXVIII a). Etiam Mazarine 808 multas petias notare dicitur in notulis meis, initia autem non contuli. Percurrendo singula folia, forte adhuc alios codices petiarum notis instructos invenies. Hucusque autem inventi largissime iam sufficiunt argumentationi nostrae.

In Tomo XIII p. XXIX notata sunt initia petiarum. Cum haec ibi pro Libris III et IV nondum indicari potuerint paginis et lineis nostrae editionis adscriptis, pro petiis abhinc 26ª istas nunc submittere volumus; non tamen repetimus ipsa verba initialia.

| | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 25 | Tom. XIV | 26 a 41 | | 42 | » | 447 a 7 |
| 26 | » | 57 a 40 | | 43 | » | 465 b 4 |
| 27 | » | 85 b 5 | | 44 | Tom. XV | 10 b 27 |
| 28 | » | 110 a 31 | | 45 | » | 23 b 34 |
| 29 | » | 135 b 16 | | 46 | » | 36 a 3 |
| 30 | » | 167 b 14 | | 47 | » | 72 a 1 |
| 31 | » | 199 a 39 | | 48 | » | 91 a 43 |
| 32 | » | 224 a 14 | | 49 | » | 115 a 9 |
| 33 | » | 249 a 9 | | 50 | » | 130 a 16 |
| 34 | » | 279 b 15 | | 51 | » | 148 a 19 |
| 35 | » | 299 a 34 | | 52 | » | 171 b 12 |
| 36 | » | 325 a 39 | | 53 | » | 182 b 38 |
| 37 | » | 356 a 12 | | 54 | » | 218 a 7 |
| 38 | » | 377 a 3 | | 55 | » | 241 a 12 |
| 39 | » | 396 a 13 | | 56 | » | 261 b 11 |
| 40 | » | 408 b 16 | | 57 | » | 282 a 12 |
| 41 | » | 427 a 6 | | | | |

Cum cuivis non concordanti *incipit* codicis 3107 antecedat necessarie non concordans *explicit* relativae petiae immediate praecedentis, consequenter probabiliter etiam non genuinae habendae sunt omnes petiae uno numero praedictas antecedentes: 4, 21, 24, 27, 32, 33, 41, 44, 46 etc. usque ad 56 incl.

Ob duplicem igitur defectum concordantiae tum *incipit* tum *explicit* non authenticae evadunt 33, 47, 48, 49 (1), 50, 51, 52, 53, 54, 55, 56.

5. – Aliud signum fasciculum non esse genuinam petiam sui exemplaris habetur, si scriptura in fine non regulariter transit in petiam sequentem, sed si ex ipso modo et loco quo scriptura terminatur et quo eius *explicit* artificialiter concors redditur initio petiae sequentis, non indubie ostenditur petiam esse transcriptam ex alia priore petia immo forte non ex petia soluta sed ex codice ubi petiarum mensurae exacte indicata fuerant.

In conficiendis primis petiis genuinis alicuius Exemplaris Primi scriptura regulariter decurrens transibit in novam petiam sequentem inde a fine ultimae lineae ultimi folii petiae praecedentis. Si autem petia conficitur et describitur iuxta mensuras et textus divisiones alicuius Exemplaris iam existentis, humano modo vix fieri potest (nisi forte quando eadem manus valde perita et constans et cum speciali attentione textum multiplicet) ut eadem tanta textus quantitas 16 columnarum denuo finiatur adamussim in fine ultimae lineae ultimi folii sed pro maiore vel minore diversitate scripturae aut supererit aut deficiet aliquod spatium in fine novae petiae. Si deficiat, scriptor supplet supplenda continuando scriptionem in margine inferiore; si supersit spatium, aut vacuum relinquitur, aut scriptura ultimarum linearum insolito modo valde extenditur (quod artificium non semper perfecte spatium superstes implet), aut, ne ullum vacuum remaneat, textus regulariter continuatur et superflue scripta, quae etiam habentur in initio sequentis petiae, delenda indicantur usuali delendorum formula superscripta *va . . . cat.*

Examinantes ope huius criterii singula ultima folia omnium 57 petiarum nostri Par. 3107, in parte dimidia petiarum ipsius invenimus textum modo irregulari et localiter non continuo fluentem de fine petiae in sequentem, quo facto solo iam vehemens suspicio oritur has petias non esse genuinas respectu proprii sui Exemplaris sed refectas ad petiam aequalem praeexistentem (2). Attamen ex ceteris petiis quae regulariter in proximam petiam transeunt, quae sunt 1, 2, 4, 11, 12, 13, 19, 24, 26, 27, 32, 33, 41, 43, 44, 46 . . . 56 incl., iam supra sub 1 et 2 ob graviores rationes non genuinas habendas declaravimus petias 4, 19, 24, 27, 32, 33, 41, 44, 46 . . . . 56 incl.

Remanent igitur ex 57 petiis nostri Par. 3107 solae petiae 1, 2, 11, 12, 13, 26, 43 quae criteriis hucusque adductis extrinsecis resisterunt, quae ideo saltem ex parte harum conditionum extrinsecarum forte genuinae primae petiae esse potuerunt respectu proprii Exemplaris cuius partes fuerunt, transeat quod et quale Exemplar istud fuerit: an simpliciter primum petiatim scriptum hac divisione 57 petiarum, an primum Universitatis Parisiensis, an utrumque simul, an Exemplar utroque dicto posterius et locandum apud privatum stationarium.

Hoc dato, et qualecumque fuerit Exemplar, nobis qui huius praesentis codicis nostri 3107 valorem criticum indagamus et non historiam mere externam fasciculorum ipsius, alia remanet quaestio: num illico solae petiae genuinae eo ipso perfecti critici valoris, illae refectae eo ipso nullius specialis valoris critici reputandae sunt, ut forte non pauci nimis praecipitanter concludere velint? Quod absit! Minime valet per se ista conclusio. Per se enim non impossibile est, quamvis minime probabile in casu petiarum Parisiensium respectu Autographi S. Thomae lectu difficillimi et in Italia relicti, ut petia reficienda describatur ex ipso Autographo adhuc existente; tunc enim, petia genuina et altera refecta aequali gradu (sc. una descriptione) distantibus a communi stipite, nihil prohibet quin petia refecta, quamvis quantitatis mensura dependens a genuina, tamen fidelitate et puritate transcriptionis eam possit aequare immo eam antecellere (1).

Non nimis igitur urgere volumus istas quaestiones quae sint petiae originales, quae substitutae habendae, cuius Exemplaris unquam fuerint petiae genuinae creditae. Eas solvat ad quem potius quam ad nos spectant, ad cultorem historiae librorum, bibliothecarum et institutorum medioaevalium.

Nostra hoc tantum scire interest utrum textus petiarum praesentium huius codicis Par. Nat. 3107 habeat necne ius et privilegia paternitatis, proximae vel remotae, in textum traditionis manuscriptae nunc superstitis vel in partem ipsius, ita ut in apparato critico variantium sua sola praesentia superfluum redderet testimonium aliorum, et ut omissio ipsius testimonii continui errorem constitueret vix tolerabilem et damnum editioni nostrae.

6. – Ut his responsum certum dare possemus et argumentis praehabitis addere alia eaque peremptoria, textus ipsius conditionem intrinsecam sedulo et subtiliter indagavimus conferendo (*sub siglo* R) verbotenus sequentes sex portiones longiores per totum librum dispersas, intra et extra campum Autographi superstitis, in petiis tam genuinis creditis quam in refectis, insuper non paucas lectiones separatas:

Lib. I, Tabula capitulorum, capp. 1-14 incl., in cap. 13 adest fragmentum A, in R fol. 1 ra1 – 7 ra43, in petiis $1^a$ et $2^a$.

Lib. I, capp. 72-80 incl., ubi adest A, in R fol. 28 rb – 31 ra31, in petiis $7^a$ et $8^a$.

Lib. II, cap. 3 (278 b7) – cap. 15 (294 b3), in R fol. 41 ra1 – 42 vb ult., in petia $11^a$.

Lib. III, capp. 132-138 incl., ubi adest A, in R fol. 153 va45 – 159 ra3, in petiis $39^a$ et $40^a$.

Lib. IV, capp. 1-10 incl., in R. fol. 170 vb38 – 178 vb45 in petiis $43^a$, $44^a$, $45^a$.

Lib. IV, capp. 72-74 incl., in R. fol. 215 ra28 – 217 rb in petiis $54^a$, $55^a$.

Collationis uberrimae (2) exitus in primis plene confirmavit collationem et inductionem decessoris nostri qui codicem 3107, cum omnibus aliis Parisinis, familiae $\alpha$ testem nuntiavit in Praef. Tomi XIII, p. xivb, quam traditionem fere ubique fideliter sequitur in lectionibus innumeris huic familiae propriis contra Autographum et familias $\beta$ et pA. Iam statim inde eruitur manifestissime Par. 3107 non alio modo originem ex Autographo ducere posse nisi mediante primo et unico immediato apographo, de quo saepissime iam sermo fuit supra et in Praeff. Tom. XIII et XIV.

Tantum autem abest ut Par. 3107, aut pars eius, dici posset ipsum illud apographum et hoc modo pater com-

(1) Huius petiae $49^{ae}$ *explicit* inveniri 140 lineas *inferius* quam apud omnes alios mss. petias notantes dum eius *incipit* adhuc erat 55 lineas *superius* (cf. in fine pag. praec.), minime indicat petiam $49^{am}$ in Nat. 3107 habere textum solito maiorem, sed est effectus erroris crassi, quo in hac petia fere 3 integra capitula omissa sunt, a secunda manu in fine libri addita, cf. infra pag. xix b. Ecce qualis sit codex levissime Exemplar creditus totius traditionis Parisiensis!

(2) Pars ultima ultimi folii vacua remansit in petiis 7, 8, 15, 16, 18, 20, 21, 23, 25 (hic pars ultimae lineae tantum vacua), 28, 29, 34, 35, 36, 37, 38, 45. Lineas excedentes columnam ultimam vidimus in petiis 3, 9, 14, 17, 22, 30. Scriptura extenditur insolito modo prope finem petiarum 8, 10 (nimis hic extenditur ita ut 3 verba post ultimam lineam addenda erant), 37, 39, 40 (paululum tantum in sola ultima linea). Scriptura continuatur et superfluum deletur per *va . . . cat* in petiis 5, 6, 31.

(1) Sicut e. g. transcriptio Autographi partis superstitis a decessoribus nostris in Tomo XIII et XIV purior est quam illae duae, quae solae decursu saeculorum istam praecederunt: prima nempe auctoris primi et unici apographi, altera ab Uccellio in suis editionibus Migniana et Romana.

(2) Uberrima sane collatio! Partes verbotenus collatae simul iunctae constituunt 5520 lineas editionis nostrae et tabulam libri I, circiter 108 columnas integras in codice Par. 3107 ex 816 quae ibi habentur in 51 petiis a manu prima scriptis.

munis aliorum, ut nec primum Exemplar et pater traditionis α stricte dictae seu Parisiensis, nec intra limites huius familiae caput alicuius classis inferioris codicum dici posset, ne illorum quidem paucorum codicum pater dicendus sit qui aliqualem viciniorem affinitatem ad eius textum ostendunt.

Haec omnia uno simul absque umbra dubitationis ostendunt luce clarius perplura illa loca, inventa in quamcumque partem scrutavimus, quibus noster Par. 3107 solus est contra alios, immo, quod magis valet, contra unanimitatem aliorum. Per se enim fieri posset, quamvis vel tenuissimae probabilitatis limites longe excedat, errore apertissimo vel verbo difficillime lectu vel spatio vacuo obtinentibus in exemplari, ut transcriptores omnes hoc loco in sua copia corrigant, vel non legere possint, vel suppleant textum exemplaris, ita ut exemplar nullum hic habeat qui secum legat; omnes autem et eodem loco et eodem modo ab exemplari deficere, legibus metaphysicis de casu plene contradicit. Exemplar igitur commune nunquam esse potuit qui omnium aliorum concordiae sese opponit. Hoc autem facit Par. noster 3107, idque non semel ac iterum, sed pluries, immo sexcenties si huiusmodi solitariis lectionibus etiam addere velles multas lectiones illas solitarias primae manus sed postea correctas iuxta lectionem α, utrum statim ab ipso scriptore an a manu posteriore non semper liquet. Non tamen desunt, immo abundant, in quavis parte a nobis collata loci nunquam correctoris intercessione tacti a communi aliorum lectione discordantes quibus probatur indubitanter assertum nostrum, et perpendat quaeso rerum peritus pro quavis petia unam solam variantem solitariam contra ceterorum unanimitatem iam demonstrative probare conclusionem suprapositam.

7. - Collationem sex portionum supra indicatarum codicis Nat. 3107 (*sub siglo* R) peregimus ad nostrum textum habita ratione omnium variantium B, C, F, H et α, id est horum consensus, expresse vel silentio notatarum (1). Deductis omnibus iis locis ubi R confirmatur ab α vel a saltem uno sociorum B, C, F, H (generatim R fideliter familiae suae adhaeret) remanebant adhuc 351 lectiones variantes (respective 42, 48, 14, 74, 131, 42 pro singulis portionibus). Revera numerus oppositionum textus Par. 3107 ad familiam α inferior esse debuit, cum etiam quandoque in aliquibus ex mss. BCFH aut in istis omnibus aderant variantes ad textum nostrum non indicatae in apparatu critico, vel quia de futilibus agebatur (e. g. de variantibus in coniugatione et transpositione locali verborum nullius momenti, praesertim in praesentia Autographi) vel quia olim durante collatione codicum α aut forte observatae aut in schedulis notatae non fuerunt. Ideo revidere statuimus in singulis mss. BCFH omnia ista loca 351, et invenimus horum 63 ubi consensus BCFH confirmabat lectionem R, 134 ubi unus vel aliqui tantum ex BCFH ei associabantur, 154 denique ubi R solitarius manebat contra consensum unanimem BCFH.

Ad horum ultimorum 154 locorum rectam interpretationem recolendum est ex Praef. Tom. XIII, p. XXXIII, n. 47 sqq., α seu consensum BCFH inventum esse virtualiter exprimere lectionem communem primitivam totius familiae α (2), cum apud omnia specimina collata pars longe maior et antiquior codicum semper concordaret consensui BCFH. Ex hoc illico conclusio valet illam longe communiorem lectionem fuisse lectionem Exemplaris primi, lectiones autem rariores et ab BCFH et ab invicem discordantes esse vel correctiones vel corruptiones posteriores. Nota insuper in casu nostro particulari codicem R non meliore sed fere ubique erronea lectione sese separare a consensu BCFH.

Sequitur nunc elenchus istorum 154 locorum codicis Par. 3107 (sigl. R) contra consensum BCFH seu α; horum multa uno asterisco *, aliqua duobus asteriscis * * ornamus, de quorum interpretatione inferius agetur, sub n. 8.

LIBER I, capp. 1-14.

| | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|
| **Cap. | 1. | 3 | a | 2 | censet – censuit R. |
| » | 2. | 6 | b | 2 | vel – *om* R. |
| ** » | 3. | 8 | a | 41 | naturali cognitione – Dei *add* R. |
| | | | b | 37 | Et (idem α) – *om* R. |
| ** » | 5. | 14 | a | 29 | vacant (natant B) – vocant R. |
| | | | b | 6 | hoc – hanc R. |
| ** » | 7. | 19 | b | 15 | a – *om* R. |
| » | 13. | 32 | a | 15 | est (*primo loco*) – *om* R; sR *add sed post* verum. |
| | | | | 20 | habet – *bis* R. |
| * | | | | 37 | est – *om* R. |

LIBER I, capp. 72-80.

| | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|
| Cap. | 72. | 209 | a | 18 | In (sH) – *om* R (pH). |
| * » | 74. | 214 | a | 24 | principaliter velit – velit principaliter R. |
| ** | | | b | 17 | sensus – sensui R. |
| » | 75. | 215 | b | 3 | Deus – *om* R. |
| | | | | | et amat se, vult (sF) – *hom om* R (F). |
| * | | | | 25 | autem – sit *add* R. |
| ** » | 76. | 217 | a | 8 | tantum illud quod propter finem – *hom om* R. |
| | | | b | 1 | et – et quo R. |
| | | | | 10 | semotim (semotum B) – se motum R. |
| | | | | 18 | procedit – proceditur R. |
| * » | 77. | 219 | b | 2 | eius – *om* R. |
| * | | | | 4 | multa – multe R. |
| * | | | | 8 | est divina – divina est R. |
| * | | 220 | a | 4 | Hoc – *om* R. |
| * | | | | 7 | e converso – contra R, e contra sR. |
| | | | b | 6 | numerorum – minorum R. |
| » | 78. | | b | 1 | Dei (sH) – bonorum R (pH). |
| * | | | | 8 | universi – *om* R. |
| * | | | | 13 | ipsum – Christum R. |
| * | | 221 | a | 7 | sequeretur – sequetur R. |
| ** » | 79. | | b | 13 | secundum – *om* R. |
| * » | | 222 | a | 2 | nisi *om* R. |
| * | | | | 16 | et – *om* R. |
| * » | 80. | 223 | a | 13 | est igitur – igitur est R. |
| | | 224 | a | 7 | vult – *bis* R. |
| * » | 81. | | b | 4 | ordinatorum (et ordinatorum H) – inordinatorum R. |

LIBER II, capp. 3-15.

| | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|
| Cap. | 4. | 279 | a | 5 | enim – ei R. |
| » | 6. | 281 | b | 1 | autem est – est autem R. |
| » | 10. | 286 | a | 3 | praedictis – dictis R. |
| » | 11. | 287 | a | 4 | principium – principii R. |
| » | 13-14. | 293 | b | 13 | scientia – sapientia R. |
| | | | | 21 | est magis simplex – simpliciter est magis R. |

LIBER III, capp. 132-138.

| | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|
| Cap. | 132. | 399 | b | 4 | esse oportet R *casu cum* A – oportet esse BCFH. |
| | | 400 | a | 9 | liberat – liberatur R *(cum* GWYPc *contra* α). |
| | | | | 28 | possint – possunt R. |
| ** | | | b | 36 | rependat – reprehendat R. |
| | | | | 47 | his ... ut de (ut his ... de BCFH) – in his ... de R. |
| » | 133. | 403 | a | 6 | quod – *om* R (*seu potius pro* quod *habet* ut *sed ante* ex, F *habet* quod *et* ut). |
| » | 134. | 405 | b | 17 | rationis – *om* R. |
| ** » | 135. | 406 | b | 1 | persecutiones.... propter – *hom om* R; sR *addit omissa in margine sed lectione solitaria:* infestationes persecutiones et iniurias a iudeis cum etiam propter. |
| | | 407 | a | 28 | cum – tamen R. |
| | | 408 | a | 5 | quin – q$\overline{\text{m}}$ (quoniam *vel* quem) R. |
| ** | | | | 17 | est – illud hoc est *add* R. |
| | | | | 51 | Unde – ut R. |

(1) Recole apparatum nostrum variantium *positivum* esse, i. e., ubi varians datur, innotescit lectio omnium mss. in apparatu admissorum, cum ibi non-nominati cum textu nostro legere censendi sint. Cf. Praef. Tom. Praec. p. XLI b.

(2) « Siglum quoque « α » non semper totalitatem antiquorum codicum attinget, propterea quia iam multi errores originales correctionem antiquitus habuerunt, ut supra diximus. Fieri etiam posset ut « α » aliquoties solos BCFH amplectetur quamvis hoc nobis, casus vel improbilissimos conferentibus, nullibi accidit reperire ». Tom. XIII, p. XXXIV ».

Cap. 135. 408 b 6 contemnantes – contemplantes R.
** 13-15 Licet... propter – *om* R.
36 subveniendum – perveniendum R.
41 petitur – petit R.
et loci – sed etiam loci R.
49 pati – patet R.
409 a 13 ferre – inferre R.
» 136-137. 412 a 11 abstineret – abstinet B.
13 alia – *om* R.
29 a – *om* R.
b 32 illorum – illarum R.
413 a 34 quae – *om* R.
45 alius (alius B) – alio R.
b 35 contemplationem (contemplationis H) – contemplationi R.
» 138. 416 a 28 vero (sF) – nec R (pF).
35 scilicet (sF) – secundum R (pF).
b 32 itineris – numeris R.
38 voti (sF) – non R (pF).
cum – tamen R.
41 quam – *om* R.
42 sine (cum B) – *spat. vac* pR, ex sR.

Liber IV, capp. 1-10.

**Cap. 1. 3 a 27 quae – de quae R.
4 b 24 subdidit – subdididit R.
33 omne – omnem R.
» 2. 7 a 4 praemittamus RsH – praetermittamus BCFH.
8 a 36 subdatur – subditur R.
b 9 consequuntur – consequitur R.
» 3. 9 a 11 taceret – tacere R.
sic – sit R.
» 4. a 1 Huius (Unius C) – Cuius R.
10 a 39 crucis – *om* R.
b 14 hoc – hec R *cum* NP*c* *contra* α.
11 a 35 enarravit (C *hic lacuna*) – erravit R.
» 5. 13 a 12 attribuebant – attribuebatur R.
34 utraque – *bis* R.
** 19 b 17 supposito – suppositorum R.
» 6. 15 a 23 superioribus – inferioribus R.
b 1 adventum – adventu R.
quem – quam R.
19 ex – quod R.
38 recipere – et *add* R.
16 a 19 alias (aliae H) – talia R.
b 3 nos – vos R.
** » 7. 17 a 18 filiationis – felicionis R.
b 11 benedictus – benedictio R.
16 vocabunt – vocabant R.
18 a 20 Deo – homo R.
b 9 ipso i Christo R.
40 rationem (responsionem F) – positionem R WP*c*.
49 esse – *om* R.
19 b 30 ingenitum – impositum R.
» 8. 21 a 9 Patrem – Patres R.
** b 6 signantur – si generatur R.
** 22 a 5 sui (sua BCFH) – sua *bis* R.
** 10 Pater nominatur – pronominatur R.
31 de – a R.
b 27 genitum a – *om* R.
42 etiam – *om* R *cum* WXP*c*.
23 a 18 fuerat (fuerit B) – est pR, fuit R.
36 est – et est R.
37 autem – *om* R.
24 a 31 sumere (su. BFH, sumendi C) – super R.
55 eas – eos R.
b 13 accesserat – accessarat R.
20 rogabatur – rogobatur R.
** 25 b 19 eam – causa R.
» 9. 28 a 26 quod – *om* R.
b 6 volebat – valebat R.
15 ostensum est – est ostensum R.
» 10. 30 a 26 de quo dicuntur (quod dicuntur BFH, quidem C) – quo dicuntur R.
31 a 9 est – *om* R.

Liber IV, capp. 72-74.

Cap. 72. 225 a 41 morbum – mordum R.
44 quae – quo R.
b 3 tardior – *om* R.
23 omnium – omni R.
50 sanatione – salvatione R.
226 a 18 taxatione – coraccione R.
43 hominibus esse solus – esse solus hominibus R.
b 37 contritionem – contractionem R.
» 73. 233 a 12 in – ad R.
b 22 propter – per R.
234 a 26 sacramentum – *bis* R.
29 absolutio – ablutio R.
30 quia – *om* R.
34 medicina – mediā (mediam ?) R.
35 autem – quod R.
37 aliqui – alicui R.
39 tamen – cum R.
b 2 significationem – sanctificationem R.
25 Dionysius dicit – dicit Dionysius R.
30 tamen – cum R.
» 74. 237 a 3 actum – dictum R.
27 Sic – sicut R.
33 peccata – *om* R.
41 instrumentum – instrumenta R.
43 esse – etiam R.
b 10 usque – scilicet *add* R.
31 igitur – *om* R.
35 conferantur – conferuntur R.
51 perfectionem – perfectam R.
238 b 9 peccato – a peccato R.

Tabula Libri I.

Haec tabula sicut fere in omnibus mss. α habetur etiam in R in initio codicis ante textum Libri I (tabulam cum variantibus α′ vide infra pag. xxix; α′ R′ B′ etc. est tabula α R B etc.).

In titulo 32 rebus aliis (creaturis α′) – creaturae R′.
» » 33 et creaturis – in creaturis R′ (*cum* E′ *contra* α′).
» » 34 dicuntur *altero loco* – dicantur R′.
» » 46 nihil aliud (nomen (non C′) aliud α′) – nomen R′.

Numeratio in R′ continua est, sed erronee titulis 28 et 29 in una dictione continua iunctis imponitur numerus 28, item eodem modo titulis unitis 30 et 31 adscribitur numerus 29, titulo 32 numerus 30, et sic deinceps usque in finem, titulo 102 numerus 100. In principio erroris secunda manus posterior sedulo correctiones attulit, postea quandoque tantum.

*Error gravissimus* habetur paucis verbis post initium petiae 49, folio 193 r a, ubi R omittit fere 3 integra capitula 31, 32, 33 Libri IV, exacte: *mysterium Apollinaris,* p. 114 a 2 – *et animam sensitivam,* p. 117 b 28. Ad locum omissionis secunda manus posterior adscribit signum remissivum, cui in margine respondet: *deficit c. 31 et 32, et 33, quaere in fine libri huius* Omissa manus iunior supplet in fine codicis in fol. 228 r a 1 – v a 35, inde a titulo capituli 31, finitur *ex praedictis* (p. 118 a 1) *et cetera. Quaere supra.*

Ex petiis manifestissime recentioribus 4, 5, 28, 32, 33, 34, (cf. supra sub 3) nullam partem verbotenus examinavimus. Ex locis selectis cognovimus multas hic adesse lectiones contra α, quarum ex petia 4 unam in loco celebri iam notavit Praefatio Tomi XIII, p. xxiv a 5 (*ab infra*). In fine petiae 5 pars maior ultimae columnae, (*cognoscentis,* p. 162 a 6 – *considerat,* p. 163 a 13) deletur verbo *va.... cat* quia rursus habetur in initio petiae 6; sexies in hac portiuncula textus petiae 5 differt a textu petiae 6.

8. – Non obstante probato valore virtuali consensus BC FH in attestando lectionem communiorem familiae α, adhuc etiam in casu nostro particulari huius valorem periculum instituere voluimus respectu lectionum codicis Par. 3107, quo simul insuper immediatius comparare liceret eius textum ad partem nobilissimam et antiquissimam traditionis α. Ex variantibus 351 collectis in collatione (cf. n. 7

initium) codicis 3107 ad textum nostrum, selegimus seriem 85 lectionum quam directe comparavimus ad circiter 30 codices optimos traditionis α: nempe ad omnes ceteros Parisienses (solum Nat. 15819 inadvertenter omisimus), ad omnes codices notantes initia petiarum, et ad aliquos alios ex codicibus his annis demum indagatis e. g. ad tres quos durante collatione (de qua supra pag. XII) praetereundo iam observaveramus esse plus ceteris communibus mss. α affines huic nostro Par. 3107, scilicet ad Carolopolitensem, Matritensem 208 et Escurialensem f. II, 2. Quasdam variantes huius seriei comparavimus ad omnes codices his annis demum exploratos.

Submittimus nunc sub uno conspectu exitum collationis dictorum 85 speciminum, quo ex solis numeris iam clare innotescit tum positio solitaria codicis Par. 3107 (*sigl.* R), tum constans habitudo traditionis α ad consensum nostrorum BCFH. Conclusiones generales infra ponimus.

SUMMA SPECIMINUM COLLATORUM 85.

| | I<br>Lectiones contra R. | II<br>Lectiones cum R | III<br>BCFH divisi 25. In his cum R |
|---|---|---|---|
| B . . . . . | 51 | 34 | 7 |
| C . . . . . | 54 | 31 | 5 |
| F . . . . . | 41 | 44 | 16 |
| H . . . . . | 46 | 39 | 12 |
| *BCFH unanimes 60 quarum* | *33 contra R* | *27 cum R* | |
| *BCFH non unanimes 25.* | | | |
| | Ex his 33 legunt cum R contra BCFH | Ex his 27 legunt contra RBCFH | Ex his 25 legunt cum R |
| Paris. Nat. 3106 . . . | 0 | 2 | 16 |
| » » 15813 . . . . | 0 | 7 | 4 |
| » » 15816 . . . . | 0 | 3 | 12 |
| » » 15817 . . . . | 0 | 4 | 10 |
| » » 15818 (1) . . . | 0 | 13 | 9 |
| » Mazarine 808 . . . | 0 | 1 | 12 |
| » Arsenal 441 . . . . | 0 | 10 | 10 |
| » Sorbonne 206 . . . | 0 | 1 | 11 |
| Barcinone 64 . . . . . | 0 | 1 | 6 |
| Cameraci 381 . . . . . | 0 | 3 | 12 |
| Matriti 499 . . . . . | 0 | 3 | 16 |
| » Pal. Reg. . . . . | 0 | 2 | 9 |
| Paris. Nat. 3103 . . . . | 1 | 1 | 9 |
| » » 14544 . . . . | 1 | 6 | 7 |
| » » 15815 . . . . | 1 | 7 | 10 |
| » Arsenal 444 . . . . | 1 | 1 | 11 |
| Brixiae, Eccl. Cath. . . . | 1 | 5 | 12 |
| Cordobae, Eccl. Cath. . . | 1 | 7 | 18 |
| S. Audomari. . . . . | 1 | 3 | 14 |
| Paris. Nat. 3102 . . . . | 1 | 2 | 16 |
| » » 15814 . . . . | 3 | 3 | 13 |
| » » 3104 . . . . | 3 | 8 | 7 |
| » Arsenal 443 . . . . | 7 | 7 | 12 |
| » » 442 (2) . . | 11 | 0 | 18 |
| » Nat. 14545 . . . | 13 | 4 | 20 |
| Carolopoli . . . . . | 14 | — (3) | |
| Escorial f II 7 . . . . . | 14 | — (3) | |
| Par. Mazarine 807 . . . | 14 | 4 | 29 |
| Matriti 208 . . . . . | 15 | — (3) | |

Exitus collationis generatim hic erat:

Ubicumque in istis 85 speciminibus BCFH unanimiter sese opponunt lectioni R, id est in 33 lectionibus asterisco uno * vel duobus ** signatis in elencho pagg. XVIII-XIX, semper codicum pars et maior et sanior concordat consensui BCFH contra R, et, quod valde bene notetur, maxime ii ipsi omnes (excepto *Mazarine* 807 qui tamen non est antiquus) qui notant initia petiarum; *cf. elenchum* I *in tabula praecedenti.* Ubicumque BCFH unanimiter confirmant lectionem R, fere tota traditio α eos sequitur; *cf. elenchum* II; notetur tamen maior traditionis unitas in elencho primo *contra* R quam in isto secundo *cum* R. Ubi denique BCFH inter se discordant, iam signum est, tantum non semper, discordiae in reliqua traditione α, sed tunc pars iunior FH et iuniores codices α concordant saepius cum R quam antiquiores BC, *cf. elenchum* III.

Ad petiarum differentiam quod attinet haec notentur: Observatur generatim maior textus homogeneitas, maior concordia codicis R ad ceteram traditionem in petiis genuinis creditis quam in refectis; maior e. g. in petiis 1ª et 2ª, quae forte ex omnibus maximam genuinitatis probabilitatem prae se ferunt, quam in 7ª et 8ª ubi 6 codices aliquam affinitatem ad R ostendere incipiunt. Minime tamen ab R dependere dici possint! Remanent enim etiam hic ubique lectiones solitariae R contra unanimitatem horum sex affinium, e. g. ex nostris speciminibus relative paucis iam illae quas duplici asterisco ** assignavimus. In capitulis collatis ex libris III et IV nullus codex, nisi casu semel aut bis, consensum BCFH relinquere et codici R adhaerere visus est.

9. – Plurimas petias huius codicis nunquam fuisse petias-exemplares, saltem certissime non exemplaris primi, nobis dilucide etiam videbantur probare spatia vacua. Quorum, non obstante testimonio subscripto correctoris, alia vacua relicta sunt, alia male impleta, alia impleta atramento pallidiore et manu probabiliter iuniore.

Sic. e. g. spatia vacua multa supersunt in petia 40, male supplentur e. g. lib. III p. 424 a. 23: *utimur* spat. vac. pR, *venit* sR; p. 417 b 42 *sine* (voto) spat. vac. pR, *ex* sR.

Spatia vacua quae certe petiis exemplaribus minime conveniunt dicenda sunt etiam omissiones plurimae numerorum post titulos capitulorum, dum numero recipiendo visibiliter spatium vacuum relinquitur; immo haud raro omittuntur integri tituli, e. g. in lib. III capp. 151, 152, 153 (iuxta *nostram* numerationem), in lib. IV capp. 9, 10, 11, 12, 13, 21, 25, 26, 27, 28. Qui adsunt numeri titulorum non raro erronei sunt.

10. – Ultimo loco non possum quin probationis nostrae gravem confirmationem videam in ipsis correctionibus textus codicis nostri, etiam supposito, non concesso, omnes correctiones esse a manu primi scriptoris et additas immediate post scriptionem finitam (1). Correctiones consistunt saepissime in restitutione verborum omissorum, quandoque in correctione errorum traditionis α. Cum nullibi repererimus vestigia alicuius correctionis iuxta Autographum in millenis lectionibus traditionis α contra Autographum, hinc iam manifestum est codicem nec transcriptum nec correctum esse iuxta Autographum, certissime ergo esse non potest esse illud apographum primum et unicum.

Grave etiam indicium quod textus R iam olim bona fama non gaudebat, hoc est quod, in conferendis 85 supradictis lectionibus saepe invenimus in multis codicibus affinibus codici R expunctam a sec. manu lectionem R (2), raro autem introductam. Ita in variantibus, iam paucis, ubi legebatur cum R in mss. Par. Arsenal 442 adhuc quindecies, in Par. Arsenal 443 quater eiicitur a correctore varians R, et restituitur lectio communis α.

*Conclusio.*

Levissime absque seria indagatione critica illico ex signis quibusdam externis codicem Paris. 3107 proclamatum esse exemplar primum et patrem communem traditionis Parisiensis, nemini credo sane dubium remanere potest qui discussionem habitam legerit.

(1) Recole 15818 in libro I esse familiae β.

(2) Deficit cap. 7 lib. IV, deficiunt ideo lectiones 7 speciminum.

(3) Inductio incompleta est, quia hic complete contulimus solas 33 lectiones BCFH contra R.

(1) Nam si correctiones posterius additas dicis, auges numero permagno lectiones singulares R contra consensum BCFH et contra totam traditionem α. Cf. supra n. 6 fin. et notam sequentem.

(2) Ideo, ut faveamus codici R, in tabulis suprapositis respiciuntur solae lectiones genuinae codicum textus, non correctiones additae (sicut fecimus pro R). Secus concordia ad R in multis mss. adhuc diminueretur.

In fine hic repetere liceat parum nostra interesse scire utrum petiae huius codicis, omnes vel aliquae, forte temporibus posterioribus exemplar fuerint necne, utrum Parisiis an alibi, utrum publicum officiale apud universitatem an privati cuiusdam stationarii. Unum tantum nobis certum videbatur: codicem petiatim scriptum esse; cetera coniecturantur, plus minusve probabiliter, forte nunquam exemplar fuit. Ex membrana enim usu frequenti plus solito trita, ex signis relictis plicaturae longitudinalis, ex inscriptionibus numeri petiae in fronte petiarum, ex solis verbis debitis initialibus petiarum (non habita ratione de verbis finalibus forte artificialiter rectis factis per transitum irregularem ex petia praecedente), brevi, ex his et similibus conditionibus externis cave ne praecipiti iudicio nimia deducas; haec signa enim communia sunt fere omnibus petiis nostri codicis (1). Ex hac igitur parte fere omnes aut iisdem exemplaris et paternitatis privilegiis fruentur aut omnes eodem iure damnabuntur.

Textus autem iure damnatus iam est ubicumque eum interrogavimus; de historia codicis iudicent peritiores vel qui audacia coniecturandi nobis antecellunt. Hoc tantum monere liceat: si quis ms. Par. 3107 exemplar dicere velit, aut erit exemplar sine exemplatis aut si mavis exemplar exemplatorum quae exsulaverunt omnia a traditione manuscripta superstite!

## § 4.

### De habitudine traditionis ad primum apographum observationes ultimae.

Traditionem omnem superstitem tramite unius et unici primi apographi ortum ducere ab Autographo, traditionem extare solis 3 familiis dictis α, β et pA, hoc veritatem inconcussam esse absque ulla umbra dubii probaverunt indagationes tum de codicibus in Tomis XIII et XIV descriptis tum de nunc demum supra recensitis. De *modo* originis 3 familiarum non omni ex parte nos concordare posse credidimus opinioni decessoris nostri et de hac re mentem nostram aperuimus in Praef. Tomi Praec. p. xxix, sqq. Dicta non repetimus, ea paucis tantum augere liceat hic in fine editionis nostrae.

1. - Transcriptionem, quae ortum dedit familiae pA, non deberi casu cuidam discipulo, cum vel forte absque licentia Magistri librum nondum perfectum transcribenti, sed eam esse ipsum illud primum et unicum apographum in priore sua redactione, haec erat opinio nostra. Inter alia argumentationi nostrae etiam inserviebat locus quidam huius libri IV cap. 50 (pag. 158 b 19), ubi S. Doctor nobis visus est lectorem remittere ad locum quemdam libri III cuius exactam recognitionem non invenimus nisi in capitulis in Autographo superstite deletis. Quae res nobis signum esse videbatur S. Thomam ultimo revidisse textum libri III iam scripto huius libri IV capitulo 50; de delenda deleti capituli citatione postea non cogitasset.

Similes autem locos nos duos alios adinvenisse opinamur in capitulo 54, primum ad pag. 174 a 21, alterum p. 174 b 49, quo roborantur tum opinio nostra de facta revisione libri III diu post scriptum textum, tum conclusiones inde deductae.

Ad primum locum pro sententia ibi prolata de fide danda hominibus ut praelibatione qua dirigerentur in plenitudinem cognitionis beatae, S. Thomas remittit lectorem ad librum III. Ad nullum autem alium locum aptius putamus dicta referri posse quam ad capitulum sic dictum « anecdotum » §§ 3-5, praesertim si attendas ad evolutionem praeceptorum divinae legis quae in priore redactione huius tractatus fit ex conceptu-duce de paterna Dei pro hominibus cura in mente elevanda et praeparanda ut postea fruatur Deo, cui opponitur in revisione evolutio praeceptorum ex idea-principe de plena et immediata subiectione hominis Deo secundum se totum et secundum omnia quae ipsius sunt. Cf. dicta de istis generatim in Praef. Tomi Praec. p. xiii a, et magis per singula p. xvii.

Item in altero loco eiusdem capituli 54, ob considerationem peccati, hic considerati magis ut est impedimentum beatitudinis assequendae quam in se ut est defectus debitae submissionis, S. Thomas nobis visus est remittere voluisse lectorem potius ad priorem redactionem libri III (et specialius ad caput anecdotum, § 6) quam ad capitula 116 et 128 postea in ultima revisione addita.

2. - Opinioni decessoris nostri de origine textus β ex codice α, correcto ad Autographum opposuimus, l. c. Praef. Tomi Praec. nostram de origine ab invicem independenti utriusque familiae et etiam familiae pA per transcriptiones diversas ex ipso primo unico apographo, cui opinioni intime annexam diximus et sustinuimus non-identitatem numericam primi apographi cum Exemplari Parisiensi.

Ulterioribus indagationibus et praecipue penitiore inspectu textus codicum pA extra ipsa fragmenta pA confirmatam nunc credimus sententiam nostram. Supra pag. vii et xiii exposuimus quomodo ope variantium minutarum scrutaverimus conditionem genuinam textus codicum qui primo aspectu mixturam continuam lectionum α et β ostendere videntur. Huic periculo subiicientes codices omnes qui continue vel quandoque tantum fragmenta pA exhibent (nostros DNYZ *b*, Erford. 96, Lubeci, Vat. Ross. 203), invenimus in horum omnium textu genuino semper praevalere β saltem in illis partibus ubi adsunt fragmenta pA. Familiae pA alii codices per mixturam cum correctionibus α sub hoc respectu deformati sunt, alii per exemplaris mutationem puri α facti sunt e. g. classis Z Erford. Lub. prius omnino β, in libro IV adamussim α facta est.

Posita existentia fragmentorum pA in textu ceteroquin praecipue β hoc modo argumentum nostrum procedit: omnino probabilis immo certa videtur origo traditionis pA immediata ex priore redactione vel Autographi vel (ex nostra sententia) primi unici apographi, ergo *ante* ortum familiae α (sensu strictiore) seu Parisiensis; cum autem in textu pA textus β praevaleat, consequenter multae lectiones β iam existebant ante ortum familiae α, ergo admitti nequit origo posterior textus β ex α, sed oportet ut utraque vel potius omnes tres descendant ab apographo distinctis transcriptionibus in qua modo α, modo β, modo pA contra exemplaris fidem scripserunt. Quod lectiones βpA contra α praevalent illis αpA contra β, hoc rursus concordat supra p. xii dictis de peiore et saepe erronea transcriptione α in principio Summae.

3. - Opinioni nostrae etiam favet consideratio traditionem β non solum melioribus lectionibus communibus sese separare ab α, sed etiam multis lectionibus aperte falsis et infinitis variantibus nullius momenti, praecipue in hoc libro IV; cf. e. g. supra p. xiii indicata specimina et ibi dicta de maiore stabilitate textus, etiam β, in libro IV. Supposita origine β ex ms. α correcto, num probabile videtur auctorem correctionum simul innumeros novos errores et variantes futiles creasse? si minus, ergone iam adfuerunt in codice ante correctionem et unde venerunt? quare in nullis aliis codicibus α inveniuntur, ne in recentibus quidem et mixtis? Haec omnia supposita origine independenti utriusque familiae per diversam transcriptionem ex apographo promptam solutionem habent; parum tunc refert utra sit prior tempore, utrum ad caput heterogeneae familiae β ponenda sit una descriptio an multiplex dispersio.

Ex notiunculis anno 1907 scriptis in fine collectionis variantium libri I inter Autographum et codices apparatus nostri (exc. HN), invenimus provisorie ibi decessorem nostrum conclusisse ad prioritatem recensionis β. Postea sententiam mutavit motus probabiliter ut nobis videtur

(1) Petia 28[a] e. g. manifestissime suppleta a manu iuniore est tamen inter usitatissimas quasque; etiam ms. Arsenal 444 habet membranam valde tritam et signa evidentia plicaturae; plicae etiam in nostro F remanserunt. Inscriptio numeri petiae adest ubique exc. in 6 illis manus iunioris et in 2, 3, 5, 19, 36, 47. In angulo dextro petiarum 21, 22 additur *h. englici*, in petia 31 *henr. anglici*.

meliorata conditione textus α in reliqua parte Summae et numero et antiquitate omnino praeponderanti codicum α in cetera traditione, forte praeoccupatus etiam aliquantulum (1), pace ipsius et omnium secus opinantium dixerim, desiderio tuendi sententiam suam de identitate numerica primi unici apographi cum Exemplari Parisiensi.

Talem enim identitatem minime expostulant phaenomena extrinseca numeri et antiquitatis codicum α, neque ut vidimus natura intrinseca lectionum α contra β, quae melius explicantur si patrem communem traditionis α dicas non ipsum apographum sed codicem una descriptione a communi stipite αβpA distantem, transeat utrum hic codex fuerit re vera Exemplar Parisiense necne. Certe praeponderans numerus et antiquitas codicum α sufficienter explicantur, si Ex. Par. fuisset unus ex antiquissimis primis codicibus α.

Maxime autem phaenomena insolita traditionis pA et prae aliis praesentia fragmentorum pA in textu β nostram opinionem suadere videntur de modo originis variantium, quam prius datae praeferre voluimus quin minime derogari credimus *valori* critico variantium.

Huic enim valori sufficit independentia mutua *variantium* α, β, pA; utrum istae in textu adsint ex 3 distinctis transcriptionibus *totius textus*, an importatae in textum existentem per posteriorem correctionem authenticam ad Autographum, *critice* parum refert. De authenticitate autem variantium α, β et pA certo constat ex testimonio Autographi superstitis. Optime igitur eiam decessor noster discussionem de familia β concludit haec monens: « Ceterum qua via tot lectiones A amissae in partem traditionis remigrarint minus nostra scire interest, quam eas revera profectas esse ab Autographo... ...Criterium autographi Summae nostrae dubium solvit: ultimus, sin minus proximus, fons variantium β est A. Hic inquantum superstes signaturas plenas vel semiplenas quasi-familiae β tanta luce illustravit, ut et deperditus eas non deserat ». Praef. Tomi XIII, p. XXVII.

## § 5.

## Elenchus alphabeticus omnium codicum Summae contra Gentiles.

Peracta inquisitione codicum noviter collatorum, plurimis acceptum esse credimus si hic, in fine laboriosae nostrae editionis Summae contra Gentiles, elenchum ordinatum submittimus omnium testium traditionis manuscriptae et editae, qui ei accurandae inservierunt, quique iuxta criseos nostrae principia omnes suo quisque modo testimonio suo attribuerunt subsidium textus nostri recensioni eique suffulciunt.

Ab aliis examinati sunt ad loca selecta a nobis indicata: nn. 33 et 150; ceteri omnes ab ipsis Editoribus inspecti et critice collati sunt; solum codicem 141 ipsum non vidimus sed ex reproductionibus photographicis de eius textu iudicamus.

Elenchus tripartitim dividitur: principiantur codices et editiones perpetuo, sive expresse sive tacite, citati in apparatu variantium textui submisso. Recolendum apparatus nostros semper *positive* ut aiunt confectos esse, cf. Tom. XIV, p. XLI b et, ne remaneant tibi legenti liber clausus, de eorum valore absoluto et virtuali, sedulo attendas ad dicta Tom. XIII, p. XXXIII, n. 47, 48. Cf. etiam hic p. XIX b n. 8.

Deinde sequuntur codices accurate critice collati iuxta methodum nostrum saepius descriptum, hic supra p. VI et XII et Tom. XIII, p. XII a. Cf. etiam Tom. XIV, p. XLI in fine n. 20.

Ultimo loco enumerari possent codices non collati, sed codicum quorum notitiam habuimus hucusque ex diversis fontibus nullus superest cuius textum non criticae collationi submisimus.

### Elenchus I.

*Codices adhibiti in Apparatu critico variantium.*

1 *Romae* Vat. Lat. 9850, Autograph. pars superstes . Sub siglo A
2 » Vat. Ottob. Lat. 186 . . . . . » » B
3 » » » » 211 . . . . . » » C
4 » Vat. Lat. 788 (Erronee dictus Vat. Urb. in Praef. Tom. XIII et XIV) . . » » X
5 *Romae* Vat. Lat. 789 . . . . . Sub siglo D
6 » » » 790 . . . . . » » E
7 » » » 791 . . . . . » » G
8 » » » 792 . . . . . » » W
9 » » » 10139 . . . . . » » F
10 » Vat. Burgh. 112 . . . . . » » H
11 » Vat. Urbin. 135 . . . . . » » Y
12 » Vat. Palat. 356 . . . . . » » Z
13 *Norimbergae* Bibl. Civitatis, Cent. II, 26 . . . . » » N
*Editio Piana* anni 1570 . . . . . » » P
» *Rom.* » 1475 . . . . . » » *b*
» *Venet.* circiter 1473-1476 . . . . . » » *c*
» *Venet.* anni 1480 . . . . . » » *d*

Continue adhibiti, quamvis sigla non apparent, 2 mss. ex sequenti elencho II, nempe nn. 17 et 18.

Adhibitus continue in Appendice Tom. XIV ms. n. 64 sub siglo M.

### Elenchus II.

*Codices critice collati.*

14 *Romae,* Vat. Lat. 10460 . . . . . in Tomo XIV
15 » Vat. Ross. VIII 176 . . . . . » » »
16 » » » VIII 203 . . . . . » » »
17 » Vat. Chis. B VIII 126 . . . . . » » XIII
18 » Arch. Cap. Eccl. S. Petri G 40 . . . . » » »
19 *Ambiani* (*Amiens*), Bibl. Civitatis 242 . . . . » » XV
20 *Argentorati* (*Strasbourg*), Bibl. Univ. 59 . . . » » XIV
21 *Bambergae,* Bibl. Status 139, Q III 3 . . . . » » XV
22 *Barcinone* (*Barcelona*), Arch. Cap. Eccl. Cath. 17 » » »
23 » Arch. Coronae Aragoniae, Ripoll 64 . » » »
24 *Basileae,* Bibl. Universit. B III 7 . . . . . » » XIII
25 *Berolini,* Bibl. Regia, codices mss. lat. theol. Fol. 478 » » »
26 *Bonnae,* Bibl. Universit. 299 . . . . . » » XIV
27 *Bononiae,* Bibl. Universit. 1655, 8 . . . . . » » XIII
28 » » » 1655, 9 . . . . . » » »
29 *Brixiae* (*Brescia*), Arch. Cap. Eccl. Cath., sine signatura . . . . . » » XV
30 *Brugis,* Bibl. publica, 201 . . . . . » » XIII
31 *Brunsvigae* (*Braunschweig*), Bibl. Civitatis 29 . » » XV
32 *Bruxellis,* Bibl. Regia Burg. 419-420 . . . . . » » XIII
33 *Caesenae,* Bibl. Malatestiana 1, d. XVI, 3 . . . » » »
34 *Camberii* (*Chambéry*), Bibl Publica 21 . . . . » » XV
35 *Cameraci* (*Cambrai*), Bibl. Civitatis 381 . . . » » »
36 *Campolilii* (*Lilienfeld*), Bibl. Monast. Ord Cist. 211 » » XIII
37 *Cantabrigiae,* Peterhouse 73 . . . . . » » »
38 » Pembroke-Hall 37 . . . . . » » »
39 *Carnuti* (*Chartres*), Bibl. Hotel de Ville 397 . . » » XV
40 *Carolopoli* (*Charleville*), Bibl. Publica 195 A 1 . » » »
41 *Claustroneoburgi* (*Klosterneuburg*), Bibl. Monasterii Can. Reg. S. Aug. CCLXXXII . . . . » » XIII
42 *Coloniae Agrippinae,* Bibl. Civitatis G B 150 . . » » »
43 » » » » G B 156 . . » » »
44 » » » » G B 167 . . » » »
45 » » » » W 253 . . » » »
46 *Cordubae,* Arch. Cap. Eccl. Cath. 304 . . . . » » XV
47 *Cracoviae,* Bibl. Universit. 1693 . . . . . » » »
48 » » » 1694 . . . . . » » »
49 » » » 1690 . . . . . » » »
50 » » » 1405 . . . . . » » »
51 » » » 1735 . . . . . » » »
52 *Cusae* (*Bernkastel-Kues*), Bibl. Hospitalis 74 . . » » XIV
53 *Derthusae* (*Tortosa*), Arch. Cap. Eccl. Cath. 4 . » » XV
54 *Dresdae,* Sächsische Landesbibliothek A 97 . . . » » »
55 *Duaci* (*Douai*), Bibl. Publ. 422 . . . . . » » »
56 *Dunelmiae* (*Durham*), Bibl. Cap. Eccl. Cath. B I 19 » » »
57 » » » » » » B I 20 » » »
58 » » » » » » B I 21 » » »
59 *Edimburgi,* Bibl. Universit. 75 . . . . . » » »
60 *Erlangen,* Bibl. Universit. 166, nunc 267 . in Tom. XIII et XV
— ( » » » 163, nunc 262 mere fragmentum unius paginae) » » »
61 » » » 620 . . . . . in Tomo XIII
62 » » » 641 . . . . . » » XV
63 *Erfordiae,* Bibl. Civitatis, Amplonian. Q. 111 . . » » XIV
64 » » » » F. 96 . . » » »
65 *Escorial,* Bibl. Regii Conv. S. Laur. f. H 7. . . » » XV

(1) Cf. dicta ab eo, citata hic supra pag. V, lineis 26-29.

66 *Escorial*, Bibl. Regii Conv. S. Laur. T. I 19 . . in Tomo xv
67 *Florentiae*, Bibl. Med. Laurent. Plut. XXVIII, dext. 12 » » xiii
68 » » » » Conv. Soppr. 614 . » » »
69 » » » » Plut. XXVI, cod. ix . » » »
70 » » » » Plut. XXVI, cod. x . » » »
71 » » » » Aedil. XXIV . . . » » xv
72 » » » » Faes. CII . . . . » » »
73 *Graecii* (*Graz*), Bibl. Universit. III 125 . . . . » » »
74 *Hesychiae Carolinae* (*Karlsruhe*), Aug. 111 . . » » xiii
75 *Hispali* (*Sevilla*), Bibl. Colombina 85-7 . . . . » » xv
76 *Huissen* Hollandia, Bibl. Conventus Ord. Praed. sine signatura . . . . . » » xiii
77 *Lentiae* (*Linz*) in Austria, Oeffentliche Studienbibliothek, Cc V 8 . . . . . » » xv
78 *Lipsiae*, Bibl. Universit. 468 . . . . . » » xiii
79 » » » 478 . . . . . » » »
80 » » » 601 . . . . . » » »
81 » » » 1528 . . . . . » » »
82 *Lubeci* (*Lübeck*), Bibl. Civitatis 46 (*sign. antiqua*) » » xv
83 *Maihingen* in Bavaria, Fürst. Oettingen Wallersteinische Bibl. II 1 f. 61 . . » » »
84 » » » *ibid.* II 1 f. 70 . . . . » » »
85 *Matriti*, Bibl. Nat. 499 . . . . . in Tom. xiii et xv
86 » » » 208 . . . . . in Tomo xv
87 » Bibl. Palatii Regis 2 E 2 . . . . . » » »
88 *Moguntiae* (*Mainz*), Bibl. Civitatis 8 . . . . . » » »
— ( » » » » 219, compendium tractatus de 7 Sacr. ex Libro IV) . . » » »
89 *Monachii*, Bibl. Status, Clm. 18071, 2° . . . . » » xiii
90 » » » » 60. . . . . » » »
91 » » » » 15833 . . . . » » xv
92 » » » » 15714 . . . . . » » »
93 *Oxonii*, Merton College I 1 7 . . . . . » » xiii
94 » » » N 2 7 . . . . . » » »
95 » Balliol College 59 . . . . . » » »
96 » Canonici, in Bodl. Patr. Lat. 136 . . . » » »
97 » » » » » » 137 . . . » » »
98 » Universit. in Bodl. 68 . . . . . » » »
99 » Bodleiana 372 . . . . . » » »
100 *Parisiis*, Bibl. Nat. 3102 . . . . . » » »
101 » » » 3103 . . . . . » » »
102 » » » 3104 . . . . . » » »
103 » » » 3106 . . . . . » » »
104 » » » 3107 . . . . . in Tom. xiii, xiv et xv
105 » » » 14544 . . . . . in Tomo xiii
106 » » » 14545 . . . . . » » »
107 » » » 15813 . . . . . » » »
108 » » » 15814 . . . . . » » »
109 » » » 15815 . . . . . » » »
110 *Parisiis*, Bibl. Nat. 15816 . . . . . in Tom. xiii et xv
111 » » » 15817 . . . . . in Tomo xiii
112 » » » 15818 . . . . . » » »
113 » » » 15819 . . . . . » » »
114 » Bibl. Mazarinea 807 . . . . . » » »
115 » » » 808 . . . . . » » »
116 » Bibl. Universit. Sorbonne 206 . . . . » » »
117 » Bibl. Arsenalis 441 . . . . . » » »
118 » » » 442 . . . . . » » »
119 » » » 443 . . . . . » » »
120 » » » 1444 . . . . . » » »
121 *Patavii*, Bibl. S. Antonii, Scaff. XII 261 . . . . » » xiv
122 » » » Scaff. XIV 307 . . . . » » »
123 *Perusii*, Bibl. Comm. 1052 . . . . . » » »
124 *Podii* (*Le Puy*), Bibl. Civitatis 7 (8075) . . . . » » xv
125 *Pragae*, Bibl. Publica et Universit. 2424, XIV A 10 » » »
126 » » » » » 1667, IX A 2 . » » »
127 *Rhemis* (*Reims*), Bibl. Civitatis 481 . . . . . » » »
128 *Sancti Audomari* (*S. Omer*), Bibl. Publica 166 . » » »
129 *Sanctae Crucis* (*Heiligenkreuz*), Bibl. Monasterii Ord. Cisterc. 120 . . . . . » » xiii
130 *Sancti Pauli* in Carinthia, Bibl. Monasterii Ord. Sancti Benedicti 26, 3, 9 . . . . . » » xv
— (*Savignano*, Romagna, Bibl. Comm. 31, compendium Summae c. Gent.). . . . . » » xiv
131 *Senis* (*Siena*), Bibl. Comm. F. IV 22 . . . . » » »
132 *Stuttgardiae*, Bibl. Publica 256. . . . . » » xiii
133 » Bibl. Regia priv. Handbibliothek III Dogm. 31 E 5 . . . . . » » »
134 *Tarasione* (Tarazona), Arch. Cap. Eccl. Cath. sine signatura . . . . . » » xv
135 *Tarracone* in Catalonia, Bibl. Provinc. 134. . . » » »
136 *Toleti*, Arch. Cap. Eccl. Cath. 19-16 . . . . . » » »
137 » » » » » 19-17 . . . . . » » »
138 *Trecis* (*Troyes*), Bibl. Comm. 963 . . . . . » » xiii
139 » » » » 982 . . . . . » » »
140 *Turonibus* (*Tours*), Bibl. Publica 369 . . . . » » »
141 *Ulyssipone* (*Lisboa*) Bibl. Nat. 268 . . . . . » » xv
142 *Valentiae* in Hispania, Arch. Cap. Eccl. Cath. 125 » » »
143 *Venetiis*, Bibl. Marciana Lat. III 85 . . . . . » » xiv
144 » » » Lat. III 88 . . . . . » » »
145 » » » Lat. Z 119 . . . . . » » »
146 *Veronae*, Bibl, Comm. 108 . . . . . » » xiii
147 *Vindobonae*, Bibl. Caesar. Regia 1480 . . . . » » »
148 » » » » 1676 . . . . . » » »
149 » » » » 5263 . . . . . » » »
150 *Vindocino* (*Vendôme*), Bibl. Comm. 65 . . . . » » »
151 *Vratislaviae* (*Breslau*), Bibl. Univer. I Fol. 223 . » » xv
152 *Wigorniae* (*Worcester*), Bibl. Cap. Eccl. Cath. F 106 » » »

# DE TEXTUS HABITUDINE IN LIBRO IV

## § 1.

### De principiis recensionis nostrae.

Adhuc a decessore nostro optime merito et ex iisdem codicibus textus recensio et selectio variantium apparatus critici peractae sunt in quibus, nisi in casibus rarissimis, aliquid mutare, addere aut corrigere noluimus occasione nostrae revisionis ante impressionem. Praefationis Tomi XIII p. xxx sqq. adeat, vel horum sinthesin Praef. Tomi XIV p. xxxiii, qui methodum quaerit et principia critica nostrae recensionis.

Cum Autographum superstes finiret in cap. 138 libri III et traditio pA in cap. 45 libri III, unicam constantem variantium oppositionem nunc nobis praebent duae solae traditiones α et β, transeat utrum β sit una familia homogenea vel complexus omnium mss. contra α legentium. Fundamentum textus nostri remansit α, non tamen quin largam copiam correctionum familia β suppeditaret. Quanto autem textus familiae α hic in se melior est et purior a mendis intrinsecis quam in principio (ut iam diximus supra pag. xiii b), quanto igitur paucioribus correctionibus indiguit, iam ostendet minor frequentia sigli α in apparatu critico huius libri IV.

Quam etiam supra l. c. diximus observari posse apud plurimos codices indagatos maiorem textus stabilitatem respectu propriae familiae circa finem codicum quam in principio, hoc etiam valet de codicibus apparatus critici nostri. Puri α esse continuant codices BCFH, coetus β solito compactius et magis homogenee procedit in codicibus EGN*b*; codices autem DWXY in Praefatione Tomi XIII dicti mixti et vagi inter α et β nunc sat constanter associantur alterutri parti, cessante una alterave causa mixturae. Mixtura textus ex duplici fonte oriri potest et triplicem inde aspectum textus alicuius codicis assumere potest. Aut enim erit mixtura orta directe vel remote ex correctione multarum lectionum erronearum vel sic creditarum, aut mixtura debetur usui successivo duorum vel

plurium exemplarium diversae familiae, aut utramque causam habet. Prima causa praecipue in principio codicum obtinet, altera potius tardius sese manifestare solet. Utriusque causae effectum ostendunt codices DWXY. Ex his, mixtis vel vagis dictis in Tomo XIII, nunc WY fideliter familiae α adhaerere solent, X familiae β, D prius familiae α et inde a circiter cap. 38 familiae β. Z per totum librum IV socium α sese proclamat, unde eruitur manifesta exemplaris mutatio, (non in ipso Z, sed multo antea, apud patrem nempe communem codicum Z, Erf. 96, Lub.), probabiliter iam inde ab altera parte libri III.

Periculo instituto omnium codicum apparatus nostri iuxta methodum supra descriptum, pag. VII a et XIII b, ad indagandum ope variantium humillimarum et non aut vix erronearum conditionem genuinam textus, invenimus tum in libro I quam in IV esse puros α solos BCFH, puros β solos EGN; esse X in libro I praecipue α, in IV fidelem β; e contra WYZ in libro I adamussim β sed in IV constanter β; D in libro I textum β habet, admixtis lectionibus non paucis α. DX (vel DXZ) non raro videntur attestare textus recensionem iuniorem applicatam codici cuidam qui erat in priore parte α sed postea familiae β. Editio *Piana* cum editionibus *cd* prius β, iam in capp. 72-80 libri I sat fideliter α adhaereat additis ut patet multis correctionibus errorum α; textui Piano alte impressum manet sigillum originis remotae ex α. Ita sufficienter nos delineasse putamus conditionem generalem textus et apparatus critici huius libri IV.

## § 2.

### De aliquibus locis speciatim.

Cap. XI, pag. 35 a 37. – De longo passu quem hic interponit de aequalitate Patris et Filii tota traditio typis edita, iam incidenter sermo fuit in Praef. Tomi XIII p. XXII in § *De interpolationibus*. Paulo fusius explicabimus prius ex criteriis externis, deinde ex internis quare spurium et interpolatum eum habemus et e textu definitivo S. Thomae eiicimus.

1. – Ex parte traditionis manuscriptae generatim res ita se habet quod passus adest in familia α, deest in familia tam heterogenea β, quod testimonium quantum valet ad discernendas interpolationes in textu α, ipsum Autographum toties nos docuit. Accedit N, testis unicus traditionis pA qui non sicut ceteri pA: Z, Erford. 96, Lub., Y, D, manifeste per exemplaris mutationem transiit in α; accedunt quoque duo dicti mixti in elenchis nostris: X et Venet. Z, 119, qui autem in hac parte Summae sunt adamussim β. Si autem, minime improbaliter, traditionem inconstantem β pluribus independentibus descriptionibus vel correctionibus ortam dicas, valde roborata ut patet inde exibunt testimonia βN contra α. Quod ad α pertinent plurimi codices, ad β pauciores, hoc non eo ipso augere aut diminuere familiarum auctoritatem, iam intelliget peritus antea dictorum non immemor. En magis per singula de hac interpolatione in traditione manuscripta:

Quod dicturi sumus supponit collationem huius passus in omnibus 70 mss. descriptis in Tomis XIV et XV, et in 60 ex 85 descriptis in Tomo XIII. Cum enim horum 85 plurimi iam critice indagati essent annis ante quos decessor noster hucusque crisin perduxerat, non omnes istos postea revidere potuit aut necesse habuit. Isti 60 sunt: omnes nostri ABC *etc.*, omnes Romani, Parisienses, Oxonienses, Colonienses, Bononienses, Florentini, deinde mss. Vendôme, Matrit. 499, Basileae, Bruxellis, Brugis, Caesenae, Huissen. De 25 igitur reliquis, plerisque recentibus, quorum soli duo familiae β ibi adscripti erant, Monachii 18071 et Carlsruhe (ceteri 23 sunt α aut mixti), nihil circa hunc passum certe affirmare aut negare possumus.

Sequentes 15 mss. non habent interpolationem: nostri E, G, N, X, deinde Vat. Ross. 176 et Chis., Romae Arch. S. Petri, Bononiae 1655, 8, Caesenae, Cracoviae 1694 (in marg. sec. man. notat *hic est defectus*), Edimburgi, Monachii 15833, Oxonii. Can. 136, Tarracone, Venet. Z, 119; horum nullus est familiae α nisi X et Venet. in alia parte libri, hic tamen sunt purus β.

Quosdam codices in principio libri β iam antea diximus postea mutasse exemplar et in libro IV esse α, e. g. Par. Nat. 15818, Barcinone 17, Cracovienses 1693 et 1735.

Istis deductis omnium codicum textus β remanent soli 5 qui habent interpolationem, nempe Flor. Laur. XXVI, 10, Cracovienses 1405 et 1690, Camberii, et Toleti 19-16. Firmiter autem opinamur passum non esse partem genuinam textus β sed in iis subintravisse per mixturam ex familia α:

Prius ratione generali, quia isti codices, medii vel recentes omnes, opponuntur parti maiori et antiquiori familiae β; errores autem interni, qualis facile videri debuit omissio passus tam longi, semper in omni familia codicum per correctiones sensim diminuere solent progressu temporis (1).

Deinde, ms. Camberiensem iam mixtum cum α et ex diversis exemplaribus ortum diximus supra p. VIII. Uterque recentissimus Cracoviensis textum correctum ostendit ex parte errorum internorum. Florentinum iam inde ab initio mixtum cum α inveniemus revidendo in schedulis nostris variantes olim collectas. Toletanus igitur est unicus inter puros β qui habet interpolationem quam forte directe quidem arripuit ex margine codicis exemplaris, et probabiliter indirecte ex aliquo codice familiae pA, quia in eius textu variantes *naturale* et *naturalis* (pro *essentiale, essentialis* in lin. $2^a$ et $3^a$) non obtinent utroque loco nisi in Z et huius affinibus: Erford. 96, Lub., Ross. 203, et in s. m. Cracov. 1735, alterutro loco tantum in Carnut., p. m. Matr. 208, s. m. Derthus.

Circa has duas principaliores variantes internas passus interpolati annotandum quod variantes *aequale, aequalis* (in YsH*b*) pro *essentiale, essentialis* (2), obtinent utroque loco in solis 2 antiquis Flor. S. Cruc., Colon. 253 et in 10 recentibus Par. 3104, Huiss., Colon. 150, 167, Brunsv., Bamb., Maihingen, Prag. A 2, Turon., Flor. Laur. Faes., et in 4 secundis manibus, obtinent alterutro loco in Bonon. 9, Bonnis, Cracov. 1405, 1690, et in 4 secundis manibus; hic *materiale, materialis* legunt cum C soli Par. 15814 (primo loco), Cracov. 1693 et 1735, *connaturale* D solus: pauci conflant *naturale et essentiale*, vel *aequalis vel essentialis*, etc.; tres Flor. 614, IX, et Aed. ampliant altero loco: *naturalis patri et essentialis, est ergo Filius Dei Deo essentialis.* Apud *Hoc etiam hic* (in linea $3^a$) quae est lectio longe communissima et antiquissima, praeter iam ibi additas variantes adhuc in 11 mss. obtinet omissio verbi *hic*; cum WY*b*P*c hinc* legunt 9 mss. in quibus Toletanus supradictus et duae sec. manus. Ceterorum quorundam variantes solitarias his locis et alias in hoc passu negligimus.

2. – Ex parte criteriorum internorum quibus etiam passum interpolatum habemus ante omnia praecipuum hoc nobis videbatur quod interrumpitur indebite pulcherrima explicatio generationis Filii descendens gradatim semper magis ad particulariora momenta generationis humanae singula comparata ad divinam: nempe quod Verbum a Deo procedens non sit solum *imago* sed *Filius*, et naturaliter procedens, ideo *genitus* et *natus* dictus, immo *conceptus, partus, ex utero, in sinu.* Hanc evolutionem comparatae

(1) Cf. quae de bonitate sub hoc respectu textus Pianae habentur in Praeff. Tomi VIII p. XXVIII b 32 sqq., XI p. XXII b 36 sqq.

(2) Etiam Lib. I cap. 89 (pag. 240 a 18) occurrit pro *aequalem* (quod Autogr. et ceteri) varians *essentialem* in NZP*d* et Erf. 96, ergo in tota familia pA. Num casu? an forte quia in scriptura auctoris primi apographi per levem subductionem infra lineam duae *ss* facile legi poterant *q*? Sic et varians in interpolatione nostra explicationem haberet et simul coniecturaretur interpolationem adfuisse in illo apographo primo ubi forte non sat clare vel postea tantum deleta esset; huic favet quod N (solus quidem sed magnae auctoritatis in hac parte ut pote unicus pA qui non sicut ceteri pA in α transiens continuat textum β independentem ab omnibus reliquis β), omittit cum interpolatione etiam verbum immediate sequens *Considerandum.* Si in apographo linea delens interpolationem adhuc aliquantulum producta tangeret primum verbum sequens, etiam omissionem in N haberet explicationem promptam. Mere coniecturaliter haec proferimus.

generationis divinae et humanae interrumpunt duo paragraphi de aequalitate Filii et Patris, postquam iam pervenit comparatio ad hoc quod Verbum procedens *Filius* dici potest et *genitus*; ea enim quae praecedunt duos §§ de aequalitate sicut et omnia quae eos sequuntur: *conceptus, partus* etc. proprie soli Verbo Dei conveniunt et quidem ratione generationis et non Spiritui Sancto. Aequalitas autem nec proprie ratione generationis Verbo Dei convenit, nec Ei soli, cum conveniat et Spiritui Sancto. Secundum relationes enim non attenditur in divinis neque aequalitas neque inaequalitas, sed secundum essentialia. Cf. I$^{a}$, 35, 2 et 42, 4 ad 2. Unde argumenta in passu interpolato pro aequalitate Filii non concludunt nisi subintroducta unitate essentiae Patris et Filii.

De aequalitate Filii etiam iam sufficienter actum esse videtur cap. VII *Item nihil creatum* p. 18 a 14, et cap. VIII *Quod autem* p. 22 a 36.

Item forma exterior doctrinae in his duobus paragraphis de aequalitate mutata apparet; dum nempe in modo argumentandi processus hic fit per duo argumenta discreta, in forma et unita cum *Item*, ubique ante et post oratio continue fluit descendendo semper gradatim ad momenta particulariora generationis.

Etiam in passu interpolato plures expressiones sunt quae non ex omni parte consuetum stylum et modum S. Thomae redolere videntur, e. g. *Patri essentiale, essentialis,* sed si haec forte corruptiones sint textus antiqui pro *aequale, aequalis* (cf. notam sub pag. XXIV), etiam *alias, non minus est quod Deus de seipso intelligit quam quod in ipso est, alia numero magnitudo Patris et Filii,* videntur nobis quaedam a S. Thoma alienae locutiones.

Si passus genuinus esset, quare S. Doctor non distulisset contra Arium concludere potius post paragraphum de aequalitate Filii et Patris, sicut et in *Parte* I qu. 92 1 ad 2 *etiam dicimus aequalem, ut excludatur error Arii* et hic supra 23 a 6: *ut Arius confundatur.*

Ultimo dicendum quod passus de aequalitate si ut *pars genuina* male hic ponatur, tamen ut *interpolatio* optime hic introducta sit. Interpolationes et omne genus errorum librariorum si non causam, attamen occasionem habere solent. Haec adesse hic videtur quia S. Doctor immediate ante contra Arium concluserat, cuius praecipua haeresis fuit inaequalitas Patris et Filii.

3. – Num forte passus esse posset ipsius S. Thomae ut vestigium relictum ex priore aliqua redactione, conservatum in traditione α, sicut et tot alias huiusmodi reliquias nobis conservavit traditio pA? Omnibus consideratis minime probabile hoc reputarem quamvis non *omnino absolute et simpliciter* S. Thomae abnegare vellem quod tot saecula impune S. Thoma patre gaudere permittebant, praesertim cum ex alia etiam ratione his locis revisionem intercidisse valde suspicemur. Locus enim conclusionis contra Arium immediate praecedentis interpolationem nobis hic minus proprius videbatur quam paulo superius ad a 12 post *naturaliter ab ipso procedit.* Vel fortene dicendum etiam conclusionem contra Arium esse spuriam et fuisse partem initialem interpolationis? S. Thomas enim iam sufficienter et abundantissime contra Arium concluserat in capp. 7 et 8, et in toto perlongo capitulo 11 nullibi nisi hic expositio comparatae generationis divinae ad humanam interrumpitur ad concludendum contra haereticos.

Cap. 54, pag. 175 a 22. De singulari errore repetitionis inceptae homoteleuti hic occurrente, et qui nobis videtur exemplum praeclarissimum inter tot alia argumenta probantia, etiam extra campum Autographi superstitis, originem totius traditionis manuscriptae ab uno et unico primo apographo, hic post sufficienter de eo dicta in Tomo XIII, p. XXIV b, tantum erroris communitatem illustrare licet, quin per singula explicemus quomodo recentissimi quidam codices errori per mutationem aliquorum verborum mederi conati sint. Inductio valet de omnibus mss. descriptis in Tomo XIV et XV et de 60 ex Tomo XIII supra p. XXIV a indicatis. Horum passum erronee repetitum non exhibent soli sequentes (exceptis paucis sunt omnes recentissimi): nostri W et X, Bambergae, Bonon. 9, Bruxell., Cameraci (hic habet spatium solito maius post verbum *infectum*), Coloniae G B 150 et G B 167, Erford. 96, Lentiae, Lubeci, Maihingen 61, Par. 14544, Prag. 1667, Tarasione, et secundae manus in mss. E, Argentorati, Cracov. 1405, Edimburgi (cf. supra pag. IX), Valentiae.

Cap. 55 prope finem, pag. 183, respondet S. Thomas ad rationem vigesimam septimam. Revera in cap. 54 non enumeratae erant nisi 26 rationes in contrarium. Ad hoc annotare vellem primo non esse omnino raram in traditione manuscripta omissionem vel transpositionem alicuius responsionis vel obiectionis loco non debito. Cf. exempla Praef. Tom. XI, p. XVI, n. 20. Sed in hoc casu, cum responsio 27$^{a}$ supponat obiectionem de peccato originali similem obiectioni 11$^{ae}$ capituli 51, leve nostrum dubium exprimere liceat num forte S. Thomas ipse in revisione suppresserit obiectionem 27$^{am}$, postea non cogitans de supprimenda responsione iam scripta.

## § 3.

### Variantes pianae ortae post annum 1480

(cf. Tom. XIII, p. XXXIX, Tom. XIV, p. XLIII).

#### Liber IV.

Cap. 1. 3 b 26 illorum quorum – illarum quarum.
4 a 22 solum – sola.
b 3 nobis *om.*
53 stellam parvam ad nos descendentem – stella parva ad nos descendente.
» 2. 8 a 19 etiam *om.*
a 29 David – Davidi.
b 3 » – »
9 ipsum *om.*
» 4. 11 a 32 nominat (*cfr. Corrigenda*) – nominans.
» 5. 13 b 45 dicit – dicitur.
» 6. 15 a 5 filius – filium.
31 et in – ut in.
» 7. 17 a 4 consideret – considerat.
b 20 filius est – est filius.
18 a 31 Deo – erit Deo.
19 b 2 docta – edocta.
» 8. 24 a 28 Psalmi – Psalmistae.
29 quia – quod.
b 43 dixissem – vobis *addit.*
25 a 6 ad Christum pertinere – quod ad Christum pertineant.
» 10. 29 b 1 multipliciter – multiplicem.
30 a 40 Filius – Dei *addit.*
b 43 praeintelligatur – primo intelligatur.
» 11. 32 a 38 qui – quae.
33 b 41 vera potest esse – potest esse vera.
34 a 43 Evangelista – Ioannes Evangelista.
35 b 18 oportet – et ideo oportet.
» 13. 49 b 19 produxit – producit.
23 Ioan. I – a Ioanne.
28 *et* 37 Psalmista *ita* P *et nos* – p̄s (psalmus) *ceteri.*
36 ita omnia – ita.
50 b 9 et in quo – in quo.
» 14. 56 a 43 ex aliis – ex alio.
58 b 9 et alterum – est alterum.
» 16. 67 a 3 excelsiorem – celsiorem.
12 Non – Nam.
22 Paraclitus – Paracletus, *ita et interdum inferius.*
b 6 Reg. II. – Reg.
» 17. 69 a 34 fecit – facit.
b 12 sum *om.*
37 ex Scripturis – in Scripturis.
43 Deus *om.*
70 b 12 nominavit – nominaverat.
» 18. 72 b 13 tradit – tradidit.
» 19. 74 b 12 naturalis – generalis.
19 quod – eo quod.
75 a 33 et essentia Dei – et essentia.
b 18 sit – est sit.
» 20. 79 a 6 eius ratio – ratio.
b 15 Domini – Dei.
» 21. 81 b 15 Spiritum Sanctum – etc. *addit.*
30 ut se alterum – ut alterum se.
» 23. 87 a 38 In verbo – verbo.
» 24. 91 a 36 profluat – profluit.
b 41 quia huiusmodi – huiusmodi enim.
92 a 38 quod habet – habens.
50 igitur *om.*

Cap. 24. 92 b 8 cum hac – hac.
» 26. 101 b 5 unam – una, *err. typ.*
102 a 30 Huius – Huiusmodi.
b 24 consideratur – considerantur.
» 27. 108 a 19 et habitavit in nobis *om.*
b 15 esuriit – esurit.
» 29. 110 b 19 narrat aliqua quae – narrat quod aliqua.
111 a 11 veritas expresse manifestatur quae *hom om.*
» 30. 113 a 4 portavit – apportavit.
13 meam sed voluntatem *hom om.*
b 9 factum – natum.
22 dicens – Psalmo 21 *addit.*
» 33. 117 b 2 oportet – oporteret.
118 b 3 Verbum Dei – Verbum.
» 34. 119 a 4 sententiam (*cfr.* Corrigas *in margine*) – scientiam.
18 Et ex hoc – et hoc.
b 34 fide – fine.
121 b 9 supra – super.
13 loquatur – loquitur.
22 sed Dei. Adoptio ergo filiorum – sed adoptio. Ergo filiorum adoptio.
122 a 57 quod et – quod est.
b 18 fecit – praefecit.
123 a 3 Coloss. I – Coloss. I primo.
» 35. 125 a 4 relinquitur – tamen *addit.*
126 a 45 in natura – natura.
53 aliquo – aliquo eorum P.
b 24 in Primo – in ipso.
27 salvata – salva.
» 36. 130 a 16 consubstantialis – substantialis.
» 37. 133 b 15 sicut Filius ... minor Patre *hom om.*
» 38. 136 b 2 incarnatus – est *addit.*
7 solvere – tollere.
» 41. 141 a 24 sic – se, *err. typ.*
36 domus – dominus, *err. typ.*
» 43. 145 a 12 Sic – Si.
» 44. 147 a 14 est prius – prius est.
16 est id – id est.
» 45. 148 a 16 cuiuscumque – cuiusque.
149 b 19 hominem – humanum hominem.
25 determinatam materiam ad *om.*
» 46. 152 a 13 sensibile – ei (*in fine lineae*) sibile; *typorum confusione syllaba* sen *excidit et subintravit* ei *ex sequente* Dei (*ex fine sequentis lineae, ubi nunc legitur sola littera* D); *moderni editores correxerunt* eisibile *in* visibile.
» 49. 156 b 6 solum – solus.
157 a 3 hypostases – hypostasis.
» 50. 158 a 5 assumpsisse – assumere.
159 a 20 Si – Si tantum.
b 23 quis – qui.
» 52. 165 a 1 sicut – sic, *err. typ.*
4 per *om, err. typ.*
11 ad primum *om, err. typ.*
20 donum – modo, *err. typ.*
29 huiusmodi – huius.
b 16 natura *om.*
» 53. 171 a 9 debuit – debuerit
b 6 conversari – conservari.
172 a 20 abiecta – subiecta.
» 54. 173 b 23 utpote – utputa.

Cap. 54. 174 a 19 qua – quae.
175 b 19 sicut – si.
» 55. 178 b 40 et persona – et aliud persona.
179 b 15 effecit – ea effecit.
31 Hebr. – secundo *addit.*
180 b 50 commune – communem.
» 57. 191 b 9 praesentia – praesenti, *err. typ.*
» 58. 193 a 6 corporalis – vitae corporalis.
194 b 15 et secundum – quidam vero secundum.
» 62. 199 a 34 illuc – illud.
41 huiusmodi – huius.
» 63. 201 a 54 convertatur – vertatur.
202 b 5 invisibilibus – indivisibilibus.
6 et eius meritum – et quantum ad meritum.
9 Et propter – propter.
15 manducandum – ad manducandum.
» 64. 206 a 22 sed tamen ei in quod terminatur *hom om, err. typ.*
» 65. 209 a 4 negari – negare, *err. typ.*
13 subiectum – sustentamentum.
19 sine ipsis – ipsis sine, *err. typ.*
» 69. 218 a 12 hoc *om.*
» 70. 221 b 9 Assumunt – Assumit.
30 dona – bona.
40 non iniusta agit – iniusta non agit.
» 71. 223 a 1 apparet – apparebit.
» 72. 226 a 41 et ideo – ideo.
43 vel realiter – ut realiter.
b 18 conferat et in – conferat in.
» 73. 234 a 20 percipiendam – participandam.
» 74. 237 b 24 traderetur – traderet.
25 et determinati – determinati.
26 inunctio – iniunctio.
» 76. 241 a 12 ab – ex.
20 summa – potestas *addit.*
b 6 a – ex.
» 79. 248 a 36 Si autem resurrectio mortuorum non est *hom om.*
» 80. 251 a 21 Videntur – Videtur.
» 81. 253 a 16 corpus quod est – corpus esse.
254 a 41 resurrectionis – resurrectionem, *err. typ.*
b 45 Christo – in Christo.
» 82. 260 a 42 ratio – causa.
» 83. 263 a 53 utantur – utuntur.
b 42 simul *om.*
264 a 15 solam delectationem et non propter *hom om.*
265 a 20 Apoc. – et Apoc.
b 1 demonstrandum – demonstrandam.
17 insipientibus – in sapientibus.
» 84. 269 b 17 in libro – in II libro.
» 85. 271 a 6 nunc – non.
» 86. 273 a 6 subiectum – subiectorum, *err. typ.*
b 14 facilior *om.*
» 89. 279 b 16 animam ... separat – anima ... separatur.
» 90. 282 a 4 poena – poenam, *err. typ.*
b 28 prohibeat – prohibebat.
» 91. 285 b 35 Quod – 32. Quod.
286 b 9 corpore – hoc corpore.
» 95. 291 b 12 illa – ista.
292 b 24 conclusiones – conclusionem.
» 96. 296 a 2 his – iis.
b 14 quia *om, err. typ.*
» 97. 298 b 28 illo – ipso.

# CONSPECTUS VARIANTIUM IN CAPITULORUM TITULIS ET DIVISIONE TOTIUS SUMMAE CONTRA GENTILES

Promissa solventes enuntiata in Praefatione Tomi XIII, num. 45, p. XXXIII, hic in fine totius Summae contra Gentiles critice colligimus lectiones variantes in capitulorum titulis tum inter Autographum et traditionem, tum traditionis in proprio sinu. His variantibus praemittimus conspectum de titulis in Autographi parte superstite et horum variantes ad priorem sui redactionem in unum collectas, quas locis dispersis, ante sua quaeque capitula, exhibebant Appendices Tomorum XIII et XIV. – Nova hac ducti penitiore inquisitione aliquos nostros titulos correximus, cf. infra p. XLIX.

## I.

### De titulis capitulorum in Autographo superstite.

In Autographo novi capituli initium innotescit saepissime ex apposito titulo, quandoque ex ipsa forma introductoria dictionis, sed praecipue ex spatio albo relicto in reliqua parte lineae ubi habentur ultima verba capituli praecedentis. Cf. e. g. lib. II c. 38 (Append. p. 30* b 48, cf. notam) ubi S. Thomas, inchoata nova linea cum intentione incipiendi novum capitulum, postea, propositum mutans, linea adscripta spatium vacuum implet.

Tituli rarissime adscripti inveniuntur in ipso spatiolo albo intra dua capitula, sed fere semper in marginibus, ad quos signa remissiva lectorem remandare solent. Praefertur generatim margo inferior, quandoque titulus in margine superiore invenitur, rarius in margine laterali.

Scriptura omnium titulorum in libro I exarata invenitur forma illa compendiosiore, erecta, gothica dicta, de qua cf. dicta in Praef. Tomi XIII, p. XI b, lin. 49 *Aliud item genus* etc., et vide exempla huius scripturae in prima huic Tomo addita phototypia in margine laterali sinistro inferiore dextero (nota e. g. verba: *Ave Maria*), et in altera phototypia in margine superiore laterali dextero. In libris II et III omnes tituli excepto uno (sc. cap. 57 libri II)

exarati sunt scriptura illa propria, veloci, inclinata, et usuali Sancti Thomae.

Ut signa remissiva adhibentur in I libro littera ℟ (i. e. *Rubrica*) titulo praemissa, in libris II et III diversae et arbitrariae compositiones lineolae cum punctis.

Plures tituli revisionem subierunt, alii deleti sunt, alii non deleti sed delendi, quippe qui in margine appositi et pertinentes ad capitula integra deleta, mere casu remanserunt extra campum lineis delentibus circumscriptum. Sub capite pA omnes huiusmodi priores lectiones revisae recensebuntur.

Numeri nec capitulis nec eorum titulis unquam apponuntur, ideo authentici non habendi sunt; immo militant quandoque hodiernae traditionis divisiones et numeri contra authenticam Autographi divisionem. Hanc authenticam retinere cupientes quin numerorum series usu saeculorum sancita disturbaretur, utramque in nostra editione servare statuimus et potuimus numerando duplici numero textum vel in Autographo vel quandoque etiam extra terminos Autographi superstitis in tota antiquiore traditione indivisum, indicantes signo in margine apposito locum ubi initium habetur alterius capituli sub speciali numero usu moderno ubique recepti. Casus obtinet quinquies in praesentia Autographi: Lib. I cap. 50-51, Lib. II capp. 13-14, 28-29, Lib. III capp. 95-96, 136-137; bis occurrit extra fragmentum superstes Autographi, in Lib. III,capp. 5-6, 8-9.

Sequens tabula, omnem varietatem et conditionem continens titulorum in Autographo, disposita est iuxta ordinem definitivum capitulorum, quem ex antea dictis memineris non semper concordare dispositioni materiali Autographi propter revisiones posteriores, praesertim in ultimo Autographi fasciculo; cf. tabulas positas in Praef. Vol. Praec. p. XIX-XXI. Nostra editio semper textum tituli iuxta ultimam redactionem Autographi, ubi adest, exhibet, nisi aliter expresse notetur.

| Capitula quae integra vel fragmentarie extant in parte superstite Autographi. | | Lectiones variantes pA in titulis Autographi.* |
|---|---|---|
| **Liber I.** | | |
| Cap. 13 fragm. | Deest titulus | — |
| » 18 fragm. | » » | — |
| » 19 | » » | — |
| » 20 fragm. | » » | — |
| » 27 fragm. | » » | — |
| » 28 | Adest titulus | — |
| » 29 | » » | — |
| » 30 | » » | *Nomina de* Quae nomina de Deo possint praedicari. |
| » 31 | » » | Quod divina *per* perfectio *plur* et pluralitas nominum divinorum divinae simplicitati non repugnant. |
| » 32 | Titulus truncus quia periit pars membranae | Quod nihil de Deo et rebus aliis univoce**. |
| » 33 | Adest titulus | — |
| » 34 | Deest titulus | — |
| Capp. 35-38 | Adsunt tituli | — |
| » 39-50 | Desunt tituli | — |
| Cap. 51+52 | Deest titulus | — |
| Capp. 53-78 | Desunt tituli | — |
| Cap. 79 fragm. | Deest titulus | — |
| » 82 fragm. | » » | — |
| Capp. 83-101 | Desunt tituli | — |
| Cap. 102 fragm. | Deest titulus | — |
| **Liber II.** | | |
| Cap. 10 fragm. | Deest titulus | — |
| » 11 | Adest titulus | — |
| » 12 | » » | — |
| » 13+14 | » » | — |
| » 15 | » » | — |
| » 17 fragm. | Deest titulus | — |
| Capp. 18-25 | Adsunt tituli | — |
| Cap. 26 | Adest titulus | Quod *Deus non agit* divinus intellectus non *determinatur* coartatur ad determinatos effectus. |
| » 27 | » » | — |
| » 28+29 | » » | Qualiter in rerum productione debitum iustitiae inveniatur. |
| » 30 | » » | — |
| » 31 fragm. | » » | — |
| » 33 fragm. | Deest titulus | — |
| » 34 | Adest titulus | — |
| » 35 fragm. | » » | Solutio rationum supra positarum *quae* et primo earum quae sumebantur ex parte Dei. |
| » 38 fragm. | Deest titulus | — |
| » 39 | Adest titulus | — |
| » 40 | » » | — |
| » 41 | » » | Quod *diversitas* distinctio rerum non est propter contrarietatem agentium. |
| » 42 | » » | Quod rerum distinctio non est per aliquem de secundis agentibus inducentem in materiam *proprias* diversas formas. |
| » 43 | » » | — |
| » 44 fragm. | » » | — |
| » 47 | » » | — |
| » 48 | » » | — |
| » 49 fragm. | Deest titulus | — |
| » 50 | Adest titulus | — |
| » 51 | » » | — |
| » 52 | » » | — |
| » 53 | » » | Quod *in, substantiae,* in substantiis intellectualibus creatis est actus et potentia. |
| » 54 | » » | Quod non est idem componi ex *potentia et actu* (substantia et esse) et materia et forma. |
| Capp. 55-59 | Adsunt tituli | — |
| Cap. 60 fragm. | Adest titulus | Quod homo non sortitur speciem per intellectum passivum Aristotelis, sed per intellectum possibilem. |
| **Liber III.** | | |
| Cap. 43 fragm. | Deest titulus | — |
| » 44 | Adfuit in parte membranae resecta; adest in textu signum remissivum. | — |
| » 45 | Adfuit in membr. resecta; adest signum remissivum. | — |
| » 46 | Titulus truncus ob membr. resectam. | ** per seipsam. |

* Recole ex Appendicibus Tom. XIII et XIV:
*Litterae maiores*: Redactio definitiva.
*Litterae minores*: Verba deleta.
*Litterae minores inclinati*: Verba deleta in ipsa prima scriptione.
*Uncini* ( ): Verba addita.
*Asterisci* **: Locus mutilus.

| | | |
|---|---|---|
| Cap. 47 | Adest titulus | Quod non possumus in hac *vida* vita videre Deum per essentiam. |
| » 48 | » » | — |
| » 49 | » » | Quod substantiae separatae *ex hoc quod cognoscunt* non vident Deum per essentiam ex hoc quod cognoscunt eum per suam essentiam. |
| Capp. 50-55 | Adsunt tituli | — |
| Cap. 56 | Adest titulus | Quod nullus intellectus creatus videndo Deum *de necessitate* videt omnia quae in eo videri possunt. |
| » 57 | » » | Quod omnis intellectus cuiuscumque gradus *potest perduci* particeps esse potest divinae visionis. |
| Capp. 58-67 | Adsunt tituli | — |
| Cap. 69 | Adest titulus | — |
| » 70 | » » | — |
| » 71 fragm. | » » | — |
| » 72 fragm. | » » | — |
| » 73 fragm. | Deest titulus | — |
| Capp. 74-87 | Adsunt tituli | — |
| Cap. 88 | Adest titulus | Quod substantiae separatae creatae *non possunt causare* non possunt esse causa directe electionum et voluntatum nostrarum sed solus Deus. |
| Capp. 89-94 | Adsunt tituli | — |
| Cap. 95+96 | Adest titulus | *Titulus cap. 96 deletus:* Quod Deus non omnes orationes exaudit. |
| Capp. 97-107 | Adsunt tituli | — |
| Cap. 108 | Adest titulus | *Cur (?) daemones possint mali per culpam. - Obiectiones* – Rationes quibus probari videtur quod in daemonibus non possit esse peccatum. |
| » 109 fragm. | » » | — |
| » 110 | » » | — |
| » 111 | » » | Quod speciali quadam ratione creaturae rationales (divinae) providentiae subduntur. |
| » 112 | » » | — |
| » 119 | » » | Quod per quaedam sensibilia et corporalia mens nostra dirigitur in Deum. |
| » 120 fragm. | » » | — |
| » 121 fragm. | Deest titulus | — |
| » 122 | Adest titulus | — |
| » 123 | » » | — |
| » 124 | » » | — |
| » 125 | » » | — |
| » 129 fragm. | » » | Quod in actibus humanis sunt aliqua recta (secundum naturam et non solum) quasi lege posita. |
| » 130 fragm. | » » | *Rationes* De errore impugnantium voluntariam paupertatem. |
| » 132 | » » | — |
| » 133 | » » | — |
| » 134 | » » | — |
| Cap. 135 | Adest titulus | Solutio eorum quae obiiciebantur contra *mo* diversos modos vivendi eorum qui assumunt voluntariam paupertatem. *De modis viven.* |
| » 136+137 | » » | — |
| » 138 | » » | — |

In ultimo Autographi fasciculo praeter titulos hic enumeratos sequentes occurrunt, de facto non deleti, sed delendi propter rationem supra dictam:

Quod in sola rationali creatura potest esse culpa.
Quod in sola creatura rationali est (malum) poenae.
Quomodo creaturae irrationales divinae providentiae subduntur.
Quod hominum actus divino iudicio subiacent.
Quod lege divina non exigitur aliquid ab homine propter utilitatem Dei, sicut *est* legibus tyrannorum.
Quod lege Dei non requiritur ab homine solum ut sit bene ordinatus ad alios, sicut legibus regum iustorum.
Quod divinum regimen (ad homines) est sicut regimen paternum.

De eorum loco in Autographo, cf. tabulas in Praef. Tom. Praec. p. XIX. Ex dicta tabula sequentia patent circa titulos 21 capitulorum quibus constabat prima redactio huius ultimi fasciculi, et quae, in Autographo sine numero, nos in Praef. Tomi XIV, p. XI sqq. per numeros pA 1, pA 2 etc. indicavimus:

Habebant titulum adscriptum omnes 21, exceptis duobus: capp. pA 12 et 20 in nostra tabula. — Delendi, de facto non deleti, fuerunt 7 tituli supradicti, resp. capp. pA 3, 4, 5, 6, 8, 9, 11. — Conservati sunt in textu definitivo cum capitulo suo vel cum parte capituli sui omnes 14 reliqui tituli huius seriei. — Ex revisione titulos capp. 119, 123, 124, 125, 130 additos videmus Autographo i. e. parti Autographi superstiti; recole magnam revisionis partem, ex pluribus novis capitulis cum resp. suis titulis constantem, scriptam fuisse in foliis perditis quaterni auxiliarii dicti « parvi » a S. Thoma.

Considerantes in libro II capp. 10, 17, 33, 38, 49, et in libro III capp. 43, 73, 121 fragmentaria esse ex hoc quod his locis post incoeptum capitulum reincipiebat Autographum superstes, absentiam tituli in parte superstite haud leviter explicamus coniecturando, ex ceterorum omnium titulorum librorum II et III fere constanti praesentia, eos revera adfuisse in margine folii praecedentis perditi sub columna ubi initium capituli habebatur. Si ita est, concludendo affirmare possumus S. Thomam inde a libro II specialiorem curam habuisse de apponendis titulis. Adfuerunt etiam sat regulariter in principio libri I, tamen post cap. 38 usque ad finem libri I eadem constantia absunt qua postea adesse solent.

Sexies editio nostra non adamussim sequitur, in rebus nullius momenti, dictionem tituli Autographi; cum horum aliqui recte inscripti extent in originali scripto decessoris nostri, nescio qua ratione aut occasione haec discordia cum Autographo evenerit. Casus observati isti sunt:

| | | | |
|---|---|---|---|
| Lib. II, | in titulo cap. | 27 | artatur A - coarctatur L. |
| » | » » » | 56 | corpori uniri A - uniri corpori L. |
| Lib. III, | » » | 53 | ad hoc quod A - ad hoc ut L. |
| » | » » » | 59 | videant A - vident L. |
| » | » » » | 92 | adiuvetur A - adiuvatur L. |
| » | » » » | 103 | quo modo A - quod L. |

## II.

### De titulis capitulorum in traditione.

*Saepe adsunt differentiae inter titulos scriptos in textu et illos scriptos in tabulis titulorum. B′ C′ D′ etc. indicant tabulas B C D etc.* N N′ *revidere non potuimus, forte quandoque deficient. In nostra editione tituli in tabula sunt adamussim illi in textu (exceptis corrigendis), etiam si omnes tabulae aliter legant.*

*Generatim tituli adscribi solebant post scriptum librum a rubricatore in spatiis eis destinatis et vacuis relictis. Cum rubricator (plerumque ipse scriptor, quandoque alia manus) successivos inscriberet*

*titulos saepe cum parva aut nulla attentione ad textum capituli, error ex appositione loco non debito vel ex omissione tituli ortus non raro (e. g. in C et X) per multa capitula continuari solet antequam deprehenditur. Si spatium recipiendo titulo destinatum non ex toto impletur saepe diversae figuratae lineae adduntur, e. g. in BE, vel verbum* Rubrica *semel vel bis scribitur, plene vel abbreviatum, prout fert necessitas spatii implendi. Exempla habes multa in nostris mss. F, H et X.*

## LIBER PRIMUS

*In titulo*

Contra errores infidelium] Contra gentiles P (cf. Praef. Tomi XIII, p. XII b).

Cap. 1. - Quod sit officium sapientis.

Prooemium *praem* PY′. Quod] quid B, quale D′. *Om. tit.* W *sed habet numerum.*

Cap. 2. - Quae sit in hoc Opere Auctoris intentio.

*Tit. ante* Assumpta 6 a 22 Z. in hoc opere *om* P.

Cap. 3. - Quis modus sit possibilis divinae veritatis manifestandae.

veritatis] virtutis YC′Y′, necessitatis pG. Quod in iis (his P′) quae de Deo confitemur duplex est veritatis modus PP′.

Cap. 4. - Quod veritas divinorum ad quam naturalis ratio pertingit convenienter hominibus credenda proponitur.

naturalis] *post* ratio GNZG′N′Z′X′, *om* W. Quod divina naturaliter cognita convenienter hominibus credenda proponuntur P. D *hic et mox tit.* 5.

Cap. 5. - Quod ea quae ratione investigari non possunt convenienter fide tenenda hominibus proponuntur.

tenenda] credenda D.

Cap. 6. - Quod assentire his quae sunt fidei non est levitatis quamvis supra rationem sint.

levitatis] levitas EG. quamvis] cum E.

Cap. 7. - Quod veritati fidei Christianae non contrariatur veritas rationis.

veritati] veritate BpHPG′, virtuti X. rationis] naturalis *add* G.

Cap. 8. - Qualiter se habeat humana ratio ad veritatem fidei.

habeat] habeant F′ *(cf. var. seq.).* humana ratio] ratio humana C′, veritas rationis X′, ratio *om* B′F′pH′. fidei *ita* αDGXD′, primam *add ceteri* (*post* fidei *vel post* ad).

Cap. 9. - De ordine et modo procedendi in hoc opere.

De ordine et modo] ordine et *om* H, quis ordo et modus DZ*bcd*α′D′E′W′Z′*b′c′d′ et sine* quis PP′, de modo (*hic* procedendi BCFX) et ordine BCFXYY′.

Cap. 10. - De opinione dicentium quod Deum esse demonstrari non potest cum sit per se notum.

quod *om* FWE′F′H′ *et postea* posse WE′. Deum] divinum YY′.

Cap. 11. - Reprobatio praemissae opinionis et solutio rationum praemissarum.

praemissae] praedictae G.

Cap. 12. - De opinione dicentium quod Deum esse demonstrari non potest sed sola fide tenetur.

De opinione dicentium *om* YY′.

Cap. 13. - Rationes ad probandum Deum esse.

Cap. 14. - Quod ad cognitionem Dei oportet uti via remotionis.

Dei] entis B.

Cap. 15. - Quod Deus sit aeternus.

Cap. 16. - Quod in Deo non est potentia passiva.

sed est actus purus *add* DEFGZ*bcd et tabulae exc.* N′Y′P′ (*aliqui horum om* est).

Cap. 17. - Quod in Deo non est materia.

in Deo] Deus DG*b*PcB′C′D′G′H′W′P′*c′*, *om* NZ. materia] in materia D.

Cap. 18. - Quod in Deo nulla est compositio.

Cap. 19. - Quod in Deo nihil est violentum neque praeter naturam.

est] potest esse *bb′*. neque] nihilque P.

Cap. 20. - Quod Deus non est corpus.

*Ad* Sed contra, p. 53 b 4, *novum capitulum incipiunt cum titulo:* Obiectiones contra (*add* hunc pG, processum praedictum ZZ′, hunc processum *cdc′d′*) pGWZ*cd*Z′*c′d′ et editiones usque ad Lugdun.* 1521 *incl. (Cf. Corrigenda).*

Cap. 21. - Quod Deus est sua essentia.

Cap. 22. - Quod in Deo idem est esse et essentia.

esse et essentia] essentia (*hic* est X) et esse αDEXZ*b*B′D′E′F′H′W′. Quod in Deo non est aliud sua essentia quam suum esse YY′.

Cap. 23. - Quod in Deo non est accidens.

non] nihil G.

Cap. 24. - Quod divinum esse non potest designari per additionem alicuius differentiae substantialis.

alicuius *om* P.

Cap. 25. - Quod Deus non est in aliquo genere.

Cap. 26. - Quod Deus non est esse formale omnium.

esse] *post* omnium YY′, *om* αEX*bb′*.

Cap. 27. - Quod Deus non sit forma alicuius corporis.

corporis] rei creatae E′.

Cap. 28. - De perfectione divina. A.

Quod Deus est universaliter perfectus PP′.

Cap. 29. - De similitudine creaturarum. A.

creaturarum] creaturae ad Deum *omnes*, Quomodo in rebus similitudo ad Deum inveniri potest PP′.

Cap. 30. - Quae nomina de Deo possint praedicari. A.

Cap. 31. - Quod divina perfectio et pluralitas nominum divinorum divinae simplicitati non repugnant. A.

divina perfectio et *om* DEGNWZ*b et tabulae exc.* P′*c′*. divinorum] in Deo DEGNWZ*b*α′D′G′N′W′X′Z′*b′* divinae simplicitati] simplicitati divinae substantiae YY′, *cf. cap. 77.* repugnant *ita* BFNXPcG′N′P′*c′*, repugnat *ceteri.*

Cap. 32. - Quod nihil de Deo et rebus aliis univoce praedicatur. A.

et rebus aliis] et (in E′, et a H′) creaturis DEGNWZ*b et tabulae exc.* W′Y′, creaturis aliis W′. Quod attributa divina non praedicantur B (*cf. tit. seq.*).

Cap. 33. - Quod non omnia nomina dicuntur de Deo et creaturis pure aequivoce. A.

Quod ea quae dicuntur de Deo et (*om* H) creaturis non (*om* BX) dicuntur aequivoce αENXYY′, Quod attributa divina (*om bb′*) non praedicantur de deo et (in E′, de *add* DG′) creaturis pure (*om* DD′, et *add* GG′) aequivoce (pura aequivocatione *b*) DGWZ*cd et tabulae exc.* Y′, quod ea quae de Deo et aliis rebus praedicantur non dicuntur pure aequivoce PP′.

Cap. 34. - Quod ea quae dicuntur de Deo et creaturis dicuntur analogice.

de] a G*b′*. et] in X. dicuntur *altero loco*] dicantur DD′, non dicuntur E.

Cap. 35. - Quod plura nomina dicta de Deo non sunt synonyma. A.

dicta *om* F.

Cap. 36. - Qualiter intellectus noster de Deo propositionem formet. A.

Qualiter] Quod αXYY′. formet] format αEXY. Quod (quae E′) propositiones (species N) quas de Deo intelligere nostrum (nostrum intellectum F′, intellectus noster GNWG′X′ *et ante* de Deo PcP′*c′*) format non sunt vanae GNWZ*b*P*c et tabulae exc.* Y′, Quod propositiones dictae (*om* D′) de Deo quos intellectus (de Deo *add* D′) format non sunt vanae DD′.

Cap. 37. - Quod Deus est bonus. A.

Cap. 38. - Quod Deus est ipsa bonitas. A.

ipsa *om* N, summa EYY′, sua *ceteri.*

Cap. 39. - Quod in Deo non potest esse malum.

Cap. 40. - Quod Deus est omnis boni bonum.

Cap. 41. - Quod Deus sit summum bonum.

sit] scit B, est DEGN′ summum] suum F.

Cap. 42. - Quod Deus est unus.

Quod non est nisi unus solus Deus YY′.

Cap. 43. - Quod Deus est infinitus.

Cap. 44. - Quod Deus est intelligens.

Cap. 45. - Quod intelligere Dei est sua essentia.

intelligere] intelligentia αYY′.

Cap. 46. - Quod Deus per nihil aliud intelligit quam per suam essentiam.

Nihil aliud] nullum aliud α, nomen aliud B′E′F′pH′, non aliud C′, aliud non DZD′Z′

Cap. 47. - Quod Deus intelligit perfecte seipsum.

Cap. 48. - Quod Deus primo et per se solum seipsum cognoscit.

et *om* C. cognoscit] cognoscat C′, intelligit CGG′N′X′. solum *om* CD*b*D′Z′*b′*. seipsum] perfecte *add* DD′.

Cap. 49. - Quod Deus cognoscit alia a se.
Cap. 50. - Quod Deus habet propriam cognitionem de omnibus rebus.
Capp. 51 et 52. - Rationes ad inquirendum qualiter multitudo intellectorum sit in intellectu divino.

inquirendum] quaerendum GG′. qualiter] qualis Z′.

*Ad* Ex eisdem p. 148 b 16 *traditio novum capitulum incipit* (cap. 52) *cui titulus*: Rationes (*om* αENYZbN′b′, Solutio rationum praemissarum X) quod huiusmodi (*post* multitudo WW′*cc′*, huius YY′) multitudo intelligibilium non est nisi (*om* EFPE′) in intellectu divino (tantum *add* YY′), Quod non sit multitudo intellectorum praedictorum in aliquo intellectu praeter divinum G; *tit.* cap. 52 *om* pG′ (sG′ *in margine*), X′Z′.

Cap. 53. - Solutio praemissae dubitationis.

*Ita G*, Solutio omnium praemissarum E, Quomodo multitudo intellectorum sit in Deo PP′, Solutio rationum praemissarum *ceteri*.

Cap. 54. - Qualiter divina essentia una et simplex sit propria similitudo omnium intelligibilium.

Qualiter] Quomodo PP′. una] existens *add* PP′, *cf. infra Corrigenda* similitudo *ita* αDNXYZN′Y′, et ratio *add ceteri*, F′ rationum *pro* ratio omnium, *in* C′Z′ *tit. finitur verbo* similitudo.

Cap. 55. - Quod Deus omnia simul intelligit.
Cap. 56. - Quod cognitio Dei non est habitualis.

Quod in Deo non est habitualis cognitio (*ante* habit. G) GPcP′*d′*.

Cap. 57. - Quod cognitio Dei non est discursiva.
Cap. 58. - Quod Deus non intelligit componendo et dividendo.
Cap. 59. - Quod a Deo non excluditur veritas enuntiabilium.
Cap. 60. - Quod Deus est veritas.
Cap. 61. - Quod Deus est purissima veritas.
Cap. 62. - Quod divina veritas est prima et summa veritas.
Cap. 63. - Rationes volentium subtrahere Deo cognitionem singularium.

Deo *ita* αXYY′, a Deo *ceteri*.

Cap. 64. - Ordo dicendorum circa divinam cognitionem.
Cap. 65. - Quod Deus singularia cognoscat.

singularia cognoscat *ita* XPZ′, cognoscit singulos CD′, cognoscit singularia *ceteri*.

Cap. 66. - Quod Deus cognoscit ea quae non sunt.
Cap. 67. - Quod Deus cognoscit singularia contingentia futura.

contingentia] et *add* DGNWD′G′N′, et *add et praem* W′.

Cap. 68. - Quod Deus cognoscit motus voluntatis.
Cap. 69. - Quod Deus cognoscit infinita.
Cap. 70. - Quod Deus vilia cognoscit.
Cap. 71. - Quod Deus cognoscit mala.

*Ante* Sciendum autem 206 b 18 *rubricam* differentia quaedam inter intellectum divinum et humanum *inserit sine maiusculo depicto et numero et in ipso textu* W.

Cap. 72. - Quod Deus est volens.
Cap. 73. - Quod voluntas Dei est eius essentia.
Cap. 74. - Quod principale volitum Dei est divina essentia.
Cap. 75. - Quod Deus, volendo se, vult etiam alia.

etiam] et EGZ. alia] a se *add* P.

Cap. 76. - Quod Deus uno actu voluntatis se et alia velit.

alia] omnia CDα′D′E′Z′, omnia alia EP*d*G′X′.

Cap. 77. - Quod volitorum multitudo divinae simplicitati non repugnat.

divinae simplicitati *ita* BFHXYZY′, simplicitati (et unitati *add* W) divinae substantiae *ceteri*, *cf. cap. 31*.

Cap. 78. - Quod divina voluntas ad singula bonorum se extendit.

singula bonorum *ita* C, singularia bona EP*d*Y′, singularia bonorum *ceteri*. *Cf. infra Corrigenda*.

Cap. 79. - Quod Deus vult etiam ea quae nondum sunt.

nondum] non CFGC′, nunc H′, non (sunt) nunc *b*, nunc non DNYW *et ceterae tabulae exc.* P′*c′*.

Cap. 80. - Quod Deus de necessitate vult suum esse et suam bonitatem.

suum esse et suam bonitatem] se G, suum esse X′.

Cap. 81. - Quod Deus non de necessitate vult alia a se.

non *om* BpWG′X′, *post* necessitate GB′.

Cap. 82. - Rationes ducentes ad inconveniens si Deus alia a se non necessario velit.

et solutio rationum (*om* W) ipsarum (earum W, praemissarum E*bcdb′c′d′*) *add* DEY*bcd et tabulae exc.* X′. alia *etc.*] velit alia a se non ex necessitate et solutio earum W. Rationes contra praemissa et earum solutiones PP′.

Cap. 83. - Quod Deus vult aliquid aliud a se necessitate suppositionis.

aliquid aliud] aliqua alia DEGNWY*b et tabulae exc.* P′*c′*. suppositionis *ita* PP′, conditionis vel suppositionis *ceteri*.

Cap. 84. - Quod voluntas Dei non est impossibilium secundum se.

impossibilium] impossibilis α′E′G′. secundum se *om* BE FHXYZY′.

Cap. 85. - Quod divina voluntas non tollit contingentiam a rebus, neque eis necessitatem absolutam imponit.

C *repetit tit.* c. 84 *cum var.* impossibilis. a rebus *om* F, in rebus YF′Y′. neque....imponit *om* NPP′, *et* C (*ante* c. 86).

Cap. 86. - Quod divinae voluntatis potest ratio assignari.
Cap. 87. - Quod divinae voluntatis nihil potest esse causa.

voluntatis] voluntati X.

Cap. 88. - Quod in Deo est liberum arbitrium.
Cap. 89. - Quod in Deo non sunt passiones affectuum.

affectuum] effectuum BXsH, X′.

Cap. 90. - Quod in Deo sit delectatio et gaudium non tamen repugnat divinae perfectioni.

*Hic* C *repetit* tit. c. 89, *et deinceps* capp. 91-99 *imponit titulos* cc. 90-98. delectatio] dilectio αDWXcα′D′E′W′*c′*. non tamen] cum F, quae tamen GG′, quae non tamen sG′, quae tamen non NN′X′. non.... perfectioni] *om.* PP′. repugnat] repugnant GNZ*cd*B′E′F′H′G′N′X′*c′d′*, repugnans W.

Cap. 91. - Quod in Deo sit amor.

*Ad* Posset autem, 246 b 31, *novum capitulum incipiunt* pNZ, *cui titulus apud* N Obiectiones contra praedicta, Z *in spatio titulo vacanti notat* non est capitulum.

Cap. 92. - Quomodo in Deo ponantur esse virtutes.

Quomodo] Quod BEFHYZ*cd*D′E′X′Y′*b′*P′*c′*.

Cap. 93. - Quod in Deo sunt virtutes morales quae sunt circa actiones.

Quod *ita* DEPD′E′X′, quomodo *ceteri*. morales *om* P. actiones] orationes BHF. NZ *non faciunt novum capitulum*, cf. App. 38*, N *habet tit. in marg.*

Cap. 94. - Quod in Deo sunt virtutes contemplativae.

Quod *ita* DFXWPcD′X′P′*c′*, Quomodo *ceteri*.

Cap. 95. - Quod Deus non potest velle malum.
Cap. 96. - Quod Deus nihil odit, nec odium alicuius rei ei convenire potest.

nec odium..... potest *om* XPP′.

Cap. 97. - Quod Deus est vivens.
Cap. 98. - Quod Deus est sua vita.
Cap. 99. - Quod vita Dei est sempiterna.
Cap. 100. - Quod Deus est beatus.
Cap. 101. - Quod Deus sit sua beatitudo.
Cap. 102. - Quod beatitudo divina perfecta et singularis est excedens omnem aliam beatitudinem.

perfecta..... beatitudinem] perfectissima est omnemque aliam beatitudinem excedit PP′. excedens] excellens X, excludens NN′pG′X′. omnem] omnino B′E′F′H′.

*Notanda circa enumerationem capitulorum :*

C *habet bis numeros 67, 83, 87, om 98, finitur n. 100.*
E *capp. 69-71 numerat 64-66, a 72 denuo recte.*
G *habet bis 24, deinde ubique uno n. errat, desunt nn. 51-56, 84-87, 94 etc.*
W *habet bis n. 89, fin. n. 101.*
Z *excedit uno numero (cf. cap. 20 supra), om 93, fin. 102.*
*c c′ et d d′ habent titulos 103, (cf. cap. 20 supra).*
B′ *habet bis 24, om 33, finitur debite 102.*
C′ *numeratio continua est, om. titulos capp. 34 et 86, fin. n. 100.*
D′ *habet bis n. 13, fin. n. 101, correctus ubique a scriptore.*
E′ *numeratio continua est, om. tit. 5, fin. 101.*
F′ *numeratio continua est, sub n. 13 ponit titulos capp. 13 et 14, om. tit. cap. 41, ideo fin. n. 100.*
G′ *numeratio apponitur post correctionem quia numeri etiam apponuntur titulis 52, 80, 86 in marg. scriptis (Item in* D′Z′*).*
H′ *numeratio continua est, om tit. cap. 16, fin. n. 101.*
W′ *omissum tit. 42 scripsit post 63, addens signum remissivum in margine, et corrigit numeros erroneos.*
X′ *non numerat titulos sed addit numerum folii.*
Y′ *numerat bene, addit num. folii et initium capituli.*
Z′ *numeratio continua, cf. sub* G′, *et ad titt. 20 et 52.*

*Cum in textu et in tabulis numeri fere semper adscribi soleant posterius a rubricatore, occasio frequens errorum aderat, maxime in omissione vel transpositione titulorum. Exempli gratia hic huiusmodi variantes ex libro I exscripsimus; pro ceteris libris negligentur.*

## LIBER SECUNDUS

Cap. 1. - Continuatio sequentium ad praecedentia.

sequentium] sequentis CDsGNB′C′D′F′G′N′W′Z′. Continuatio praecedentium (praecedentis pG) ad sequentia pG′Z′. Continuatio praecedentium assignatio YY′.

Cap. 2. - Quod consideratio creaturarum utilis est ad fidei instructionem.

Cap. 3. - Quod cognoscere naturam creaturarum valet ad destruendum errores qui sunt circa Deum.

cognoscere naturam] cognitio PP′. naturam] naturas αDG Z*bcd*α′E′D′G′W′Z′*b*′*c*′*d*′ *et* E *post* creaturarum, natura X′. naturam creaturarum] alias creaturas YY′. destruendum errores] destructionem errorum PP′. circa] contra FGW YY′X′sG′P′.

Cap. 4. - Quod aliter considerat de creaturis philosophus et theologus.

et] et aliter GPcP′*c*′. Quod aliter considerantur creaturae a theologo et aliter a philosopho G.

Cap. 5. - Ordo dicendorum.

Z *tit. in marg. Cf. ad locum.* CC′ *hic simul titt.* cc. 5 et 6, *repetunt mox* 6.

Cap. 6. - Quod Deo competit ut sit aliis principium essendi.

ut sit] non sit CC′ (n̄ *pro* ū, unde?), quod sit EW*d*′, esse PP′.

Cap. 7. - Quod in Deo sit potentia activa.

Cap. 8. - Quod Dei potentia sit eius substantia.

Cap. 9. - Quod Dei potentia sit eius actio.

Cap. 10. - Qualiter potentia in Deo dicatur.

Cap. 11. - Quod de Deo dicitur aliquid relative ad creaturas. A.

de *om* FH.

Cap. 12. - Quod relationes dictae de Deo ad creaturas non sunt realiter in Deo. A.

dictae de Deo] Dei P.

Capp. 13 et 14. - Quomodo praedictae relationes de Deo dicantur. A.

*Traditio*: Quod relationes quibus ad res alias (creaturas NN′, res aliquas EFHWGY*b*G′W′X′Y′*b*′, res Z′) refertur non sunt res (*om* NDD′) extra Deum existentes.

*Ad* Patet etiam, 293 b 14, *traditio incipit capitulum* 14 *cui titulus* (*negligo mere transpositiones verborum*): Quod multae (multas PcP′*c*′) relationes dictae (dici CP*c*B′C′P′*c*′) de Deo non derogant (derogat CEB′H′PcP′*c*′, repugnant YY′) divinae (eius GWX) simplicitati.

Cap. 15. - Quod Deus sit omnibus causa essendi. A.

*Traditio habet*: Quod omnia quae sunt a Deo sunt.

Cap. 16. - Quod Deus ex nihilo produxit res in esse.

produxit] producit YY′.

Cap. 17. - Quod creatio non est motus neque mutatio.

Cap. 18. - Quomodo solvantur ea quae contra creationem obiiciuntur.

*Traditio*: quod creatio non potest impugnari per rationes (res E′) sumptas ex natura (parte BEFHXZ) motus vel (et *quidam*) mutationis (sumptas ... mutationis *om* Z′).

Cap. 19. - Quod in creatione non sit successio. A.

*Traditio:* Quod creatio (creare N′Z′) est absque successione.

Cap. 20. - Quod nullum corpus potest creare. A.

creare] aliud creare E.

Cap. 21. - Quod solius Dei est creare. A.

Cap. 22. - Quod Deus omnia possit. A.

*Traditio:* Quod Deus sit omnipotens. WX′: Quod divina virtus non determinatur ad unum effectum.

Cap. 23. - Quod Deus non agat ex necessitate naturae. A.

agat] agit *omnes.* ex necessitate] de necessitate EE′, per necessitatem PcP′*c*′.

Cap. 24. - Quod Deus agit secundum suam sapientiam. A.

secundum *ita* E, per *ceteri.*

Cap. 25. - Qualiter Omnipotens dicatur quaedam non posse. A.

Omnipotens W′, Deus omnipotens *ceteri.*

Cap. 26. - Quod divinus intellectus non coarctatur ad determinatos effectus. A.

coarctatur] arctatur W*b*X′. determinatos] terminatos G′, divinos B.

Cap. 27. - Quod divina voluntas ad determinatos effectus non artatur. A. *Sine* c, *cf. p.* XXVIII b.

arctatur *ita* CWY*cd et tabulae exc.* C′*b*′; coarctatur *ceteri.*

Capp. 28 et 29. - Qualiter in rerum productione debitum inveniatur. A.

*Spat. vac.* pG. productione] dispositione E. creatione YY′. debitum] iustitiae *add* PcP′*c*′. Quod Deus non ex necessitate operatus est in creatione rerum ex debito iustitiae W.

*Ad* Licet autem p. 334 b 8 ZpN *incipiunt novum cap.* Z *hic et ibidem tit. 30*, pN *hic repetit tit. 28. In* Y *habetur littera L depicta maior.*

*Ad* Si autem p. 335 a. 39 *novum cap. incipiunt* GW*b*Pc. *Hic tit. 28* W, *spat. vac.* G, Qualiter in productione alicuius creaturae potest debitum iustitiae inveniri in comparatione posterioris ad priorem *b*Pc*b*′P′*c*′. X′ *hic tit.* W *28 sed addit* quasi *post* rerum.

Cap. 30. - Qualiter in rebus creatis esse potest necessitas absoluta. A.

Cap. 31. - Quod non est necessarium creaturas semper fuisse. A.

semper fuisse] fuisse (*post* aeterno W) ab aeterno *traditio.*

Cap. 32. - Rationes volentium probare aeternitatem mundi ex parte Dei acceptae.

volentium probare] probare volentium EGW*b*P*c et tabulae exc.* C′N′X′Y′*d*′. acceptae] acceptam Cα′E′W′Z′, sumptae WX′.

Cap. 33. - Rationes volentium probare aeternitatem mundi sumptae ex parte creaturarum.

*Hic et in seqq. permultas transpositiones verborum negligimus*; volentium probare aeternitatem mundi *om* PP′. volentium probare] ad ostendendum (ostendendam *aliqui*) CD WY*bcd et tabulae.* sumptae *om* GG′, inductae WX′.

Cap. 34. - Rationes ad probandum aeternitatem mundi ex parte factionis. A.

ad probandum aeternitatem mundi *om* PP′. ad probandum] ad ostendendum (ostendendam *aliqui*) CDGWZ*bcd et tabulae exc.* Y′. volentium probare BEFHXYN′Y′. mundi] sumptae *hic vel alibi addit tota traditio.*

Cap. 35. - Solutio rationum supra positarum. Et primo earum quae sumebantur ex parte Dei. A.

supra positarum] positarum supra W′, positarum WX′, praemissarum BEFGHWXYZ*b*Y′*b*′, supra praemissarum DD′, sumptarum PP′ *qui et om* Et ... Dei. sumebantur] sunt Z, ponuntur CC′, sumitur Y′, sumuntur *ceteri.*

Cap. 36. - Solutio rationum quae sumuntur ex parte rerum factarum.

quae sumuntur] quae sumebantur DW, sumptarum PP′.

Cap. 37. - Solutio rationum quae sumebantur ex parte factionis rerum.

quae sumebantur (sumuntur *multi*)] sumptarum PP′, inductarum X′.

Cap. 38. - Rationes quibus quidam conantur ostendere mundum non esse aeternum.

ostendere] probare CDGN *et tabulae exc.* Y′. PP′ *add* et solutiones earum.

Cap. 39. - Quod distinctio rerum non est a casu. A.

Cap. 40. - Quod materia non est prima causa distinctionis rerum.

materia] prima materia Z, natura Cα′Z′pD′. rerum *om* CGNZ *et tabulae exc.* Y′.

Cap. 41. - Quod distinctio rerum non est propter contrarietatem agentium. A.

agentium] primorum agentium CYPcC′D′F′W′Y′Z′P′, priorum ag. DGB′E′H′G′, principiorum ag. BEFHWXZ*bb*′, potentiarum ag. X′, primorum principiorum *c*′*d*′.

Cap. 42. - Quod causa prima distinctionis rerum non est secundorum agentium ordo. A.

prima *om traditio.* causa prima distinctionis] distinctio Z′.

Cap. 43. - Quod rerum distinctio non est per aliquem de secundis agentibus inducentem in materiam diversas formas. A.

aliquem] aliquod YY′, aliquam operationem N′, *om* P. de secundis agentibus] angelum PcP′*c*′, secundorum agentium (ag. *etc. om* X′) *ceteri.* in materiam] in materia WXG′, materiam CC′. diversas formas] diversitatem D, diversam formam H, diversis B′D′F′Z′, diversis formis X, in diversis CC′.

Cap. 44. - Quod distinctio rerum non processit ex meritorum vel demeritorum diversitate. A.

nè sit prima causa *add* F′ (*est pars prior sequentis tituli, legerat* ne *pro que, cf. tit. lib.* III c. 4).

Cap. 45. - Quae sit prima causa distinctionis rerum secundum veritatem.

Quae..... distinctionis] Distinctiones F′ *(cf. var. praec.)*. veritatem] varietatem GG′, diversitatem X′.

Cap. 46. - Quod oportuit ad perfectionem universi aliquas creaturas intellectuales esse.

creaturas] naturas EPP′, substantias X. intellectuales] intelligibiles CC′D′E′F′H′W′.

Cap. 47. - Quod substantiae intellectuales sunt volentes. A.

intellectuales] intelligibiles W′.

Cap. 48. - Quod substantiae intellectuales sunt liberi arbitrii in agendo. A.

in agendo] in operando D, *om* P′.

Cap. 49. - Quod substantia intellectualis non sit corpus.

non] nulla (*ante* substantia) GYY′.

Cap. 50. - Quod substantiae intellectuales sunt immateriales. A.

Cap. 51. - Quod substantia intellectualis non sit forma materialis. A.

*Traditio tit. habet numero plurali.* non..... materialis] immateriales GE′, materiales F′, non..... immateriales F, non..... naturales X, subsistentes absque materia W, sed subsistentes *add* PcP′*c′*. BE *hic repetunt tit. praec.*

Cap. 52. - Quod in substantiis intellectualibus creatis differt esse et quod est. A.

creatis] dictis X′, *om* GXZPG′N′. B *hic tit.* c. 51.

Cap. 53. - Quod in substantiis intellectualibus creatis est actus et potentia. A.

creatis] dictis X′. actus et potentia] est compositio actus et potentiae GX*b*.

Cap. 54. - Quod non est idem componi ex substantia et esse, et materia et forma. A.

componi *ita* DEGXD′G′X′, compositio *ceteri*. et materia] et ex materia *traditio*.

Cap. 55. - Quod substantiae intellectuales sunt incorruptibiles. A.

Cap. 56. - Per quem modum substantia intellectualis possit corpori uniri. A. *Cf. p.* XXVIII b.

Utrum substantia intellectualis possit uniri corpori et per quem modum PcP′*c′*.

Cap. 57. - Positio Platonis de unione animae intellectualis ad corpus. A.

intellectualis] intellectivae P, *om* pGXE′.

Cap. 58. - Quod nutritiva, sensitiva et intellectiva non sunt in homine tres animae. A.

animae] animae potentiae αCEYα′ (*exc.* H′) C′E′Y′, potentiae Z, potentiae animae *b*, sed tres potentiae *add* H′. X *repetit tit. 57, et capp. 59-67 imponit titt. 58-66.*

Cap. 59. - Quod intellectus possibilis hominis non est substantia separata. A.

hominis *om* BZX′, in homine D. Responsio *praem.* YY′ *titulis capp.* 59-64 *incl.*

Cap. 60. - Quod homo non sortitur speciem per intellectum passivum, sed per intellectum possibilem. A.

sed per *ita* XP, sed P′, et *ceteri*. sed..... possibilem *om* DEYZ*b*D′E′Y′Z′. passivum] possibilem Z. possibilem] activum BWCC′, intellectivum (*om* intellectum) B′, potentialem W′, *om* FHF′H′.

Cap. 61. - Quod praedicta positio est contra sententiam Aristotelis.

est] non est B. contra sententiam] est manifeste contra intentionem X.

Cap. 62. - Contra opinionem Alexandri de intellectu possibili.

Cap. 63. - Quod anima non sit complexio, ut posuit Galenus.

Galenus] Galienus *traditio exc.* PP′.

Cap. 64. - Quod anima non sit harmonia.

Cap. 65. - Quod anima non sit corpus.

Cap. 66. - Contra ponentes intellectum et sensum esse idem.

Cap. 67. - Contra ponentes intellectum possibilem esse imaginationem.

Cap. 68. - Qualiter substantia intellectualis possit esse forma corporis.

Cap. 69. - Solutio rationum quibus supra probatur quod substantia intellectualis non potest uniri corpori ut forma.

substantia intellectualis] anima G. X *(cf. sub 58 et sub 84) capp. 69-80 imponit titt. 67-78.*

Cap. 70. - Quod secundum dicta Aristotelis oportet ponere intellectum uniri corpori ut formam.

formam *ita* DYP*b*D′Y′*b′*, forma *ceteri*.

Cap. 71. - Quod anima immediate unitur corpori.

Cap. 72. - Quod anima sit tota in toto et tota in qualibet parte.

toto] corpore *add* DD′E′. YY′ *hic repetunt tit. 71.*

Cap. 73. - Quod intellectus possibilis non est unus in omnibus hominibus.

unus] idem X′. in *om* E. hominibus *om* YY′Z′.

Cap. 74. - De opinione Avicennae, qui posuit formas intelligibiles non conservari in intellectu possibili.

intelligibiles] intellectus YXY′.

Cap. 75. - Solutio rationum quibus videtur probari unitas intellectus possibilis.

videtur] intenditur E.

Cap. 76. - Quod intellectus agens non sit substantia separata, sed aliquid animae.

sit .... animae] est unus in omnibus sG *in marg.* sed aliquid animae *om* YY′*b′*, magis quod sit *post* sed *add* E′.

Cap. 77. - Quod non est impossibile intellectum possibilem et agentem in una substantia animae convenire.

impossibile] possibile DENG′N′*d′*. animae *om* CWXC′G′.

Cap. 78. - Quod non fuit sententia Aristotelis de intellectu agente quod sit substantia separata, sed magis quod sit aliquid animae.

de intellectu agente quod] quod intellectus agens P. sed animae *om* CYC′Y′. quod sit aliquid animae *om* W.

Cap. 79. - Quod anima humana, corrupto corpore, non corrumpitur.

Capp. 80 et 81. - Rationes probantes animam corrumpi corrupto corpore.

animam] humanam *add* CDGNP*c et tabulae exc.* E′Y′, animas humanas *bb′*. corpore] et solutio ipsarum *add* Z′.

*Ad* Has autem, p. 505 a 23, *novum capitulum incipiunt b*P*c, in traditione typis impressa cap.* 81, *cuius titulus etiam in tabulis* W′X′ *adest*: Improbatio (solutio PP′) praecedentium (praedictarum *bcd*W′*b′c′d′*) rationum *b*P*c*W′X′*b′*P′*c′*.

Cap. 82. - Quod animae brutorum animalium non sunt immortales.

Cap. 83. - Quod anima humana incipiat cum corpore.

incipiat cum corpore] et rationes in contrarium *add* ZZ′, non *praem.* PcP′*c′ et add* sed fuerit ab aeterno.

Cap. 84. - Solutio rationum praemissarum.

praemissarum] contra superiorem conclusionem PP′. X *imponit capitulo 82 tit. 79, capp. 83 et 84 tit. 80, deinceps ubique erroneum tit. exc. apud cap. 85 et 101.*

Cap. 85. - Quod anima non sit de substantia Dei.

Cap. 86. - Quod anima humana non traducatur cum semine.

Cap. 87. - Quod anima humana producatur in esse a Deo per creationem.

producatur] traducatur CE′.

Cap. 88. - Rationes ad probandum quod anima humana creetur ex semine.

creetur] causetur CDGXZ*cd et tabulae exc.* X′Y′. Rationes contra determinatam veritatem PP′.

Cap. 89. - Solutio rationum praemissarum.

Responsiones ad praedicta PP′.

Cap. 90. - Quod nulli alii corpori nisi humano unitur substantia intellectualis ut forma.

substantia intellectualis] anima N′, anima intellectualis N.

Cap. 91. - Quod sunt aliquae substantiae intellectuales corporibus non unitae.

Cap. 92. - De multitudine substantiarum separatarum.

separatarum] intellectualium X′.

Cap. 93. - Quod in substantiis separatis non sunt multae unius speciei.

in substantiis separatis] substantiae separatae PP′.

Cap. 94. - Quod substantia separata et anima non sunt unius speciei.

Cap. 95. - Quomodo accipiatur genus et species in substantiis separatis.

Cap. 96. - Quod substantiae separatae non accipiunt cognitionem a sensibilibus.

a *ita* BGNWG′N′, ex *ceteri*. sensibilibus] sensibus ZZ′.

Cap. 97. - Quod intellectus substantiae separatae semper intelligit actu.

Cap. 98. - Quomodo una substantia separata intelligit aliam.
Quod substantiae separatae intelligunt seipsas et alias ut propria obiecta G.
Cap. 99. - Quod substantiae separatae cognoscunt materialia.
Cap. 100. - Quod substantiae separatae cognoscunt singularia.
Cap. 101. - Utrum substantiae separatae naturali cognitione cognoscant omnia simul.
simul *om* pGWG′N′, actu *add* W′.

*Capitula 29 et 81 distinctum capitulum cum proprio titulo et numero efficiunt in solis respective* GW*b*P*c et b*P*c. Inde iuxta schema communioris et antiquioris traditionis liber II habet capitula 99, omissis titulis capp. 29 et 81.*

## LIBER TERTIUS

Cap. 1. - Prooemium.
Cap. 2. - Quod omne agens agit propter finem.
Cap. 3. - Quod omne agens agit propter bonum.
propter bonum] sibi simile B.
Cap. 4. - Quod malum est praeter intentionem in rebus.
per rationes quibus videtur *add* F′ (*est initium tit. seq.* cf. *supra* II c. 44).
Capp. 5 et 6. - Rationes quibus videtur probari quod malum non sit praeter intentionem.
quibus videtur probari *om* D. probari] probare YY′, posse probari X′, *om* CHGN*cdα*′(F′ *implicite cf. var. praec.*)D′E′G′Z′*c′d′*. sit] possit (mala . . . . possunt X′) esse CDGH*bcd α*′D′E′G′X′Z′*b′c′d′*. praeter intentionem] naturae *add* B, in rebus *add* CDG*bcd*B′C′D′G′E′W′X′*b′c′d′*, in rebus (et *add* F′) solutio rationum praemissarum *add* HF′H′Z′, et (solutio EZ) solutiones earum *add* EFWXZ. Rationes contra determinatam veritatem PP′.
*Ad* Ut autem, 14 a 30, *novum cap. incipiunt* DEGsN*b*P*c cuius titulus*: Solutio rationum praemissarum (praedictarum *b ante* rat., ipsarum G) *adest in tabulis* B′C′D′E′G′X′P′*c′ distincto titulo et numero.* Y *novum cap. incipit ad* Ex quo, 15 b 7, *cum titulo* (YY′) *ut b.* C *tit. cap. 6 imponit capitulo 7 et sic deinceps, saepissime errat.*
Cap. 7. - Quod malum non est aliqua essentia.
essentia] natura PP′, esse X
Capp. 8 et 9. - Rationes quibus videtur probari quod malum sit natura vel res aliqua.
Rationes quibus videtur probari] *om* CDH *et tabulae exc.* Y′. res aliqua] et solutiones (solutio DE) earum (rationum praemissarum H) *add* BDEFHWX, ut probant aliquorum rationes (et *add* H) solutio rationum praemissarum *add* HF′, *etiam dd′ usque* solutio.
*Ad* Has autem, 21 a 16, *novum cap. incipiunt* EGNYZ*b*P*c, cuius titulus* Solutio rationum praemissarum (*variantes cf. l. c.*) *numero et titulo distincto adest in tabulis exc.* C′F′.
Cap. 10. - Quod causa mali est bonum.
Cap. 11. - Quod malum fundatur in bono.
malum] omne (esse G′) malum CDGNY*b et tabulae exc.* P′*c′*. bono] aliquo bono *qui supra et* PcP′*c′*. in] super CNY *et tabulae exc.* D′P′*c′*.
Cap. 12. - Quod malum non totaliter consumit bonum.
consumit] tollit GNG′X′, consumat Z.
Cap. 13. - Quod malum habet aliquo modo causam.
aliquo modo] ab aliquo Z′, aliquam W′.
Cap. 14. - Quod malum est causa per accidens.
Cap. 15. - Quod non est summum malum.
malum] quod sit omnium malorum principium *add* PP′. Quod non potest esse summum malum GG′.
Cap. 16. - Quod finis cuiuslibet rei est bonum.
bonum] bonus YY′.
Cap. 17. - Quod omnia ordinantur in unum finem, qui est Deus.
qui est Deus *om* GG′X′.
Cap. 18. - Quomodo Deus sit finis rerum.
Quomodo] Quod BCDGXC′D′G′W′.
Cap. 19. - Quod omnia intendunt assimilari Deo.
Quod ultimus finis rerum (rei F′H′, rerum finis EFWX*b*Y′*b′*) sit assimilari Deo (*vel* Deo assim.) EFHWXYZ*b*F′H′Y′*b′*.
Cap. 20. - Quomodo res imitentur divinam bonitatem.
divinam] primam CDGB′C′D′E′G′X′Z′.
Cap. 21. - Quod res intendunt naturaliter assimilari Deo in hoc quod est causa.
naturaliter *om* PP′. est] sunt PP′.
Cap. 22. - Quomodo diversimode res ordinantur in suos fines.
Cap. 23. - Quod motus caeli est a principio intellectivo.
caeli *om* BEFHZ. Quod caelum movetur (moveatur N) ex (ob GN*bc*′E′X′*b′*) aliqua (aliquo G) intellectuali substantia (subst. intell. *bb′, om* G) CGN*b*P*c et tabulae. Hunc tit. habet* Y *ad cap. 24, in princ. habet tit. nostrum, etiam* Y′ *habet utrumque; ad* Non differt, 58 b 30, *in marg.* Y: c. 24 Rubrica. In alio textu non est hic rubrica.
Cap. 24. - Quomodo appetunt bonum etiam quae cognitione carent.
Quomodo] quomodo omnia B′F′H′, quod omnia CDX*b*PcC′E′W′Z′*b′*P′*c′*, quod GYY′. Y *habet tit. ante* Sic igitur, 62 b 12 (cf. var. praec.), *in marg.*: in aliis libris est totum unum capitulum *si autem* usque *cum autem omnes.*
Cap. 25. - Quod intelligere Deum est finis omnis intellectualis substantiae.
substantiae] creaturae GNG′X′.
Cap. 26. - Utrum felicitas consistat in actu voluntatis.
*Tit. om* CB′C′H′Z′. voluntatis] intellectus vel in actu voluntatis F′, vel (*quidam* an, aut) in actu (*om* GZ′) intellectus *add ceteri*; PP′ *legunt* Quod felicitas in actu voluntatis non consistit.
Cap. 27. - Quod felicitas humana non consistit in delectationibus carnalibus.
humana] hominis ZW, *om* D. delectationibus] dilectionibus G. carnalibus] corporalibus PcP′*c′*.
Cap. 28. - Quod felicitas non consistit in honoribus.
felicitas] hominis (humana E) *add omnes exc.* DPcD′G′N′.
Cap. 29. - Quod felicitas hominis non consistit in gloria.
hominis] humana CE*bα*′D′E′W′Z′*b′*. gloria] mundana *add vel praem* CDY*bcd et tabulae exc.* X′G′, humana *add* P, mundana vel humana *add* sG′, vana *praem* Y.
Cap. 30. - Quod felicitas hominis non consistit in divitiis.
Quod divitiae non sunt summum bonum hominis B.
Cap. 31. - Quod felicitas non consistit in potentia mundana.
felicitas] hominis *add* GNXZ*b*G′X′, mundana *add* D′, humana *add* CD*cd et ceterae tabulae exc.* Y′*b′*. mundana] humana E′, mundi CE′.
Cap. 32. - Quod felicitas non consistit in bonis corporis.
felicitas] hominis *add* DGN*b*D′*b′*. corporis] corporeis C.
Cap. 33. - Quod felicitas humana non consistit in sensu.
humana] hominis G′X′, *om* CDEGXP*α*′E′W′Z′. sensu] etc. *add* Z, parte sensitiva CD*b*P*c et tabulae exc.* Y′.
Cap. 34. - Quod ultima hominis felicitas non consistit in actibus virtutum moralium.
ultima *om* DEGD′E′X′.
Cap. 35. - Quod ultima felicitas non sit in actu prudentiae.
ultima] *om* EG. felicitas] hominis *add* GZPG′X′*b′*. sit *ita* αDXY*cdα*′D′W′Y′Z′P′*c′*pG′, consistit (*vel* consistat) *ceteri.*
Cap. 36. - Quod felicitas non consistit in operatione artis.
felicitas] hominis *add* GX′*b′*.
Cap. 37. - Quod ultima felicitas hominis consistit in contemplatione Dei.
ultima *om* EG.
Cap. 38. - Quod felicitas humana non consistit in cognitione Dei quae communiter habetur a pluribus.
humana] hominis G, ultima (*ante* felic.) E. Dei *om* BEF HYY′. quae *etc. om* Z′. communiter *om* BX′.
Cap. 39. - Quod felicitas humana non consistit in cognitione Dei quae habetur per demonstrationem.
humana] hominis G*b′*.
Cap. 40. - Quod felicitas humana non consistit in cognitione Dei quae est per fidem.
humana] hominis BFGHWXYY′*b′*.
Cap. 41. - Utrum in hac vita homo possit intelligere substantias separatas per studium et inquisitionem scientiarum speculativarum.
intelligere] cognoscere PP′. ut voluit Avempace *add* PP′.
Cap. 42. - Quod non possumus in hac vita intelligere (*Cf. Corrigenda*) substantias separatas sicut ponit Alexander.
intelligere] cognoscere P.
Cap. 43. - Quod non possumus in hac vita intelligere substantias separatas sicut ponit Averroes.
*Ad* Huius, 111 a 21, *novum cap. incipit* N, *cum titulo addito et deleto a rubricatore.*

Cap. 44. - Quod ultima felicitas hominis non consistit in cognitione substantiarum separatarum qualem praedictae opiniones fingunt.

Cap. 45. - Quod non possumus in hac vita intelligere substantias separatas.

possumus] aliquo modo *add* PP′.

Cap. 46. - Quod anima in hac vita non intelligit seipsam per seipsam. A *truncus.*

per seipsam *om* CB′G′, per se B.

Cap. 47. - Quod non possumus in hac vita videre Deum per essentiam. A.

Cap. 48. - Quod ultima hominis felicitas non sit in hac vita. A.

Cap. 49. - Quod substantiae separatae non vident Deum per essentiam ex hoc quod cognoscunt eum per suam essentiam. A.

suam essentiam] suas (suas *om* CC′) essentias *traditio exc.* E.

Cap. 50. - Quod in naturali cognitione quam habent substantiae separatae de Deo non quiescit earum naturale desiderium.

in *om* BEFGHWXYZY′.

Cap. 51. - Quomodo Deus per essentiam videatur. A.

Cap. 52. - Quod nulla creata substantia potest sua naturali virtute pervenire ad videndum Deum per essentiam. A.

Cap. 53. - Quod intellectus creatus indiget aliqua influentia divini luminis ad hoc quod Deum per essentiam videat. A.

divini *om* BEFHWYZY′. quod] ut DNPD′N′W′X′. *Cf. p.* XXVIII b.

Cap. 54. - Rationes quibus videtur probari quod Deus non possit videri per essentiam, et solutiones earum. A.

per essentiam et solutiones] per suam essentiam et solutio BEFHWXYZ*b*Y′*b*′. Rationes probare volentium quod absque divini luminis influentia videri potest (*hic fin.* C) ab intellectu creato divina essentia (et solutio earum *add cdc′d′*) CDGN*cd et tabulae ceterae.* Rationes contra praedictam determinationem et earum solutiones PP′.

Cap. 55. - Quod intellectus creatus non comprehendit divinam substantiam. A.

substantiam] essentiam ENZPX′*b*′.

Cap. 56. - Quod nullus intellectus creatus, videndo Deum, videt omnia quae in eo videri possunt. A.

in eo] in Deo BYY′, in ipso CDG*bcd et ceterae tabulae exc.* N′X′, per divinam essentiam P.

*Ad* Potest autem, p. 156 a 16, *novum cap. inc.* EG, *cum titulo, etiam in* E′sG′X′: Obiectio (obiectiones E′) contra (circa GX′) praedicta (c. praed. *om* pG).

Cap. 57. - Quod omnis intellectus, cuiuscumque gradus, particeps esse potest divinae visionis. A.

Cap. 58. - Quod unus alio perfectius Deum videre potest. A.

Cap. 59. - Quomodo videntes divinam substantiam omnia videant. A.

Quomodo] Quod CDP*c*B′W′Z′P′*c*′. omnia] aliquo modo *add* PP′. videant] vident EWPX′, viderunt X. *Cf. p.* XXVIII b.

Cap. 60. - Quod videntes Deum omnia simul vident in ipso. A.

simul *om* CDGNα′D′G′X′. Quod intellectus in divina substantia videt omnia simul E′.

Cap. 61. - Quod per visionem Dei aliquis fit particeps vitae aeternae. A.

fit] sit CEFGWXZPcα′G′*b*′P′*c*′.

Cap. 62. - Quod videntes Deum in perpetuum eum videbunt. A.

Cap. 63. - Qualiter in illa ultima felicitate omne desiderium hominis completur. A.

Cap. 64. - Quod Deus sua providentia gubernat res. A.

res] universa PcP′*c*′.

Cap. 65. - Quod Deus conservat res in esse. A.

Cap. 66. - Quod nihil dat esse nisi inquantum agit in virtute divina. A.

agit] dirigitur X′.

Cap. 67. - Quod Deus est causa operandi omnibus operantibus. A.

omnibus] in omnibus GNZG′X′.

Cap. 68. - Quod Deus est ubique.

et in omnibus rebus *add* PP′.

Cap. 69. - De opinione eorum qui rebus naturalibus proprias subtrahunt actiones. A.

rebus] a rebus P, de rebus W′. actiones] operationes *b*′.

Cap. 70. - Quomodo idem effectus sit a Deo et a natura agente. A.

natura] naturali *omnes exc.* Cα′E′W′.

Cap. 71. - Quod divina providentia non excludit totaliter malum a rebus. A.

totaliter] corporaliter E, *om* W′.

Cap. 72. - Quod divina providentia non excludit contingentiam a rebus. A.

Cap. 73. - Quod divina providentia non excludit arbitrii libertatem.

Cap. 74. - Quod divina providentia non excludit fortunam et casum. A.

excludit *ita* α (*exc.* C) XYZPcsF′Y′P′*c*′, subtrahit (abstrahit N) a rebus *ceteri.*

Cap. 75. - Quod providentia Dei sit singularium contingentium. A.

Dei] divina EYZPcP′*c*′. contingentium] *om* CB′C′E′D′W′, N omnium *pro* singularium contingentium.

Cap. 76. - Quod providentia Dei sit omnium singularium immediate. A.

omnium *om* BDEFGHWYPcF′P′*c*′.

Cap. 77. - Quod exsecutio divinae providentiae fit mediantibus causis secundis. A.

Cap. 78. - Quod mediantibus creaturis intellectualibus aliae creaturae reguntur a Deo. A.

intellectualibus *om* BFWYZY′. aliae] aliquae NpG′.

Cap. 79. - Quod substantiae intellectivae inferiores reguntur per superiores. A.

intellectivae] intellectuales DZPcP′*c*′. Quod substantiae intellectivae superiores regunt inferiores N.

Cap. 80. - De ordinatione angelorum ad invicem. A.

Cap. 81. - De ordinatione hominum ad invicem et ad alia. A.

Cap. 82. - Quod inferiora corpora reguntur a Deo per corpora caelestia. A.

corpora caelestia] superiora pGYPY′P′.

Cap. 83. - Epilogus praedictorum. A.

Cap. 84. - Quod corpora caelestia non imprimant in intellectus nostros. A.

in *om* CEpGWYZW′X′Y′Z′.

Cap. 85. - Quod corpora caelestia non sunt causae voluntatum et electionum nostrarum. A.

Cap. 86. - Quod corporales effectus in istis inferioribus non sequuntur ex necessitate a corporibus caelestibus. A.

caelestibus] superioribus G, *om* C.

Cap. 87. - Quod motus caelestis corporis non sit causa electionum nostrarum ex virtute animae moventis, ut quidam dicunt. A.

sit causa] sunt causa (causae P) CWcD′H′Z′P′*c*′, est causa W′. moventis *om* C. ut quidam dicunt (volunt G) *om* CPP′.

Cap. 88. - Quod substantiae separatae creatae non possunt esse causa directe electionum et voluntatum nostrarum, sed solus Deus. A.

directe] directa E, *om* GNG′X′. sed solus Deus *om* EpG, NPP′. sed] nisi YY′.

Cap. 89. - Quod motus voluntatis causatur a Deo, et non solum potentia voluntatis. A.

*tit. om.* YY′, *cf. ad locum.* potentia voluntatis] a voluntate PP′.

Cap. 90. - Quod electiones et voluntates humanae subduntur divinae providentiae. A.

et voluntates] voluntatis CDGN *et tabulae exc.* X′Y′*b*′P′*c*′.

Cap. 91. - Quomodo res humanae ad superiores causas reducantur. A.

Cap. 92. - Quomodo dicitur aliquis bene fortunatus, et quomodo adiuvetur homo ex superioribus causis. A.

adiuvetur] adiuvatur CDN*b*Pcα′D′E′N′W′*b*′P′*c*′, iuvatur GG′, uniatur Z′, ordinatur W, *om* X′. *Cf. p.* XXVIII b.

Cap. 93. - De fato: an sit, et quid sit. A.

De fato, quid sit et an sit αNWXYZC′E′X′Y′.

Cap. 94. - De certitudine divinae providentiae. A.

certitudine] rectitudine Y′. providentiae] quod non excludit utilitatem orationis *add* G.

Capp. 95 et 96. - Quod immobilitas divinae providentiae utilitatem orationis non excludit. A.

*Ad* Non est, p. 295 a 23, *incipiebat novum cap.* pA *cuius titulus deletur; soli* DXY *non incipiunt novum cap. Ceteri:* Quod Deus non omnes orationes exaudit pA, Quod petitiones orationum (orantium *bcd*P′*c*′) non semper (quandoque non X′)

admittuntur a Deo N*b*PcX′P′*c*′, Quod non (quomodo E) est inconveniens (si deus semper orationes nostras non exaudit W) si petitiones orationum quandoque (si orationes aliquando E) non admittantur (exaudiuntur E) a Deo BEW, *in* B *ab alio manu*; FHZ *hic tit. 97, deinde bis tit. 98*; C *hic tit. 101*, G *98, antea omiserant tit. 96. Tit. 96 deest in omnibus tabulis exc.* X′P′*c*′.

Cap. 97. - Quomodo dispositio providentiae habeat rationem. A.

Quod ea quae sunt per divinam providentiam dispensata sequuntur aliquam rationem P.

Cap. 98. - Quomodo Deus possit facere praeter ordinem suae providentiae, et quomodo non. A.

possit] aut non possit *add* PP′. et quomodo non *om* PP′.

Cap. 99. - Quod Deus potest operari praeter ordinem rebus inditum, producendo effectus absque causis proximis A.

rebus inditum] in *praem.* CC′, naturae *praem.* X′. proximis] propriis PP′.

Cap. 100. - Quod ea quae Deus facit praeter naturae ordinem non sunt contra naturam. A.

Cap. 101. - De miraculis. A.

Cap. 102. - Quod solus Deus facit miracula. A.

facit miracula] potest miracula facere PP′, potest facere miracula (mirabilia H′) CDGNZ*b et tabulae exc.* Y′*c*′*d*′.

Cap. 103. - Quomodo substantiae spirituales aliqua mirabilia operantur, quae tamen non sunt vere miracula. A.

Quomodo] Quod CGYZ*b*PcC′W′X′Y′*b*′P′*c*′. *Cf. p.* XXVIII *b.* mirabilia *ita* DEB′D′F′H′W′, miracula *ceteri.*

Cap. 104. - Quod opera magorum non sunt solum ex impressione caelestium corporum. A.

Cap. 105. - Unde magorum operationes efficaciam habeant. A.

*Non habent titulum nec novum cap. incipiunt* HpF.

Cap. 106. - Quod substantia intellectualis quae praestat efficaciam magicis operibus, non est bona secundum virtutem. A.

operibus] operationibus BEFGHWXYZG′W′Y′Z′, artibus DN*b* D′X′*b*′, artibus operibus C. secundum virtutem] secundum voluntatem BEFHGXYZY′, secundum veritatem GE′G′, *om* CDWP*c et tabulae ceterae.*

Cap. 107. - Quod substantia intellectualis cuius auxilio magicae artes utuntur, non est mala secundum suam naturam. A.

Cap. 108. - Rationes quibus probari videtur quod in daemonibus non possit esse peccatum. A.

quibus probari videtur (potest Z′pF′) *om* PP′

Cap. 109. - Quod in daemonibus possit esse peccatum, et qualiter. A.

et qualiter *om* YZY′.

Cap. 110. - Solutio praemissarum rationum. A.

Cap. 111. - Quod speciali quadam ratione creaturae rationales divinae providentiae subduntur. A.

Cap. 112. - Quod creaturae rationales gubernantur propter seipsas, aliae vero in ordine ad eas. A.

Cap. 113. - Quod rationalis creatura dirigitur a Deo ad suos actus non solum secundum ordinem ad speciem, sed etiam secundum quod congruit individuo.

Cap. 114. - Quod divinitus hominibus leges dantur.

Cap. 115. - Quod lex divina principaliter hominem ordinat in Deum.

Cap. 116. - Quod finis legis divinae est dilectio Dei.

dilectio Dei] lectio B′F′H′, electio CC′, cognitio Dei BFHXY ZY′, dilectio DGN*b*D′E′G′N′W′*b*′, cognitio vel dilectio Dei W.

Cap. 117. - Quod divina lege ordinamur ad dilectionem proximi.

ordinamur] ordinatur homo E. proximi] Christi Cα′W′. Quod lex divina dilectionem proximi intendat BHW.

Cap. 118. - Quod per divinam legem homines ad rectam fidem obligantur.

Cap. 119. - Quod per quaedam sensibilia mens nostra dirigitur in Deum. A.

Cap. 120. - Quod latriae cultus soli Deo est exhibendus. A.

Cap. 121. - Quod divina lex ordinat hominem secundum rationem circa corporalia et sensibilia.

secundum (ad B) rationem *om* pGYC′X′Y′. et *om* YY′*b*′.

Cap. 122. - Qua ratione fornicatio simplex secundum legem divinam sit peccatum: et quod matrimonium sit naturale. A.

secundum legem divinam *om* B.

Cap. 123. - Quod matrimonium debet esse indivisibile. A.

debet esse] debeat esse αDWY*b*Pcα′E′W′*b*′P′*c*′, sit EGX′. indivisibile] perpetuum GX′.

Cap. 124. - Quod matrimonium debeat esse unius ad unam. A.

Cap. 125. - Quod matrimonium non debet fieri inter propinquos. A.

Cap. 126. - Quod non omnis carnalis commixtio est peccatum.

Cap. 127. - Quod nullius cibi usus est peccatum secundum se.

Cap. 128. - Quomodo secundum legem Dei homo ordinatur ad proximum.

Cap. 129. - Quod in actibus humanis sunt aliqua recta secundum naturam, et non solum quasi lege posita. A.

posita] positiva EZ.

Cap. 130. - De consiliis quae dantur in lege divina. A.

Cap. 131. - De errore impugnantium voluntariam paupertatem.

De errore] Rationes PP′.

Cap. 132. - De modis vivendi eorum qui voluntariam paupertatem sequuntur. A.

sequuntur] consequentur Z′, sectantur *cdc*′*d*′, assumant X. Rationes impugnantium particulares modos vivendi in paupertate PP′.

Cap. 133. - Quomodo paupertas sit bona. A.

Cap. 134. - Solutio rationum supra inductarum contra paupertatem. A.

rationum] omnium N. inductarum] dictorum N, dictarum DGD′, ductarum W, praemissarum Z. contra] circa N.

Cap. 135. - Solutio eorum quae obiiciebantur contra diversos modos vivendi eorum qui assumunt voluntariam paupertatem. A.

Solutiones obiectionum contra particulares modos vivendi in paupertate PP′.

Capp. 136 et 137. - De errore eorum qui perpetuam continentiam impugnant. A.

*Ad* Fuerunt, 413 b 22, *traditio novum cap. incipit cum titulo:* Contra eos qui matrimonium virginitati aequabant.

Cap. 138. - Contra eos qui vota impugnant. A.

Contra eos] De errore eorum *traditio.*

Cap. 139. - Quod neque merita neque peccata sint paria.

Quod merita et peccata non sunt paria *omnes.*

Cap. 140. - Quod actus hominis puniuntur vel praemiantur a Deo.

Cap. 141. - De differentia et ordine poenarum.

differentia] gratia G, gradu XX′. et ordine] ad ordinem FHZ, praemii ad ordinem BYY′, in ordinem CC′.

Cap. 142. - Quod non omnia praemia et poenae sunt aequales.

non *om* FNpEE′ (E′ *mox* inaequales).

Cap. 143. - De poena quae debetur peccato mortali et veniali per respectum ad ultimum finem.

Cap. 144. - Quod per peccatum mortale ultimo fine aliquis in aeternum privatur.

Quod pro peccato mortali (per pecc. m. D, per pecc. quod privat W) aliquis in (aliquis in *om* W) ultimo fine in aeternum puniatur (punitur XX′) DGWXX′.

Cap. 145. - Quod peccata puniuntur etiam per experientiam alicuius nocivi.

*Capitulum a praec. non dividunt* EX, *sed habent titulum in margine et in tabulis.*

Cap. 146. - Quod iudicibus licet poenas inferre.

licet] necesse est YY′.

Cap. 147. - Quod homo indiget divino auxilio ad beatitudinem consequendam.

Cap. 148. - Quod per auxilium divinae gratiae homo non cogitur ad virtutem.

ad virtutem *om* GX′, ad recte agendum X.

Cap. 149. - Quod divinum auxilium homo promereri non potest.

Quod] praedictum *add* DGNX*b*P*c et tabulae.* divinum] *om* XPX′*b*′. promereri] mereri DGXB′P′W′.

Cap. 150. - Quod praedictum divinum (*cf. Corrigenda*) auxilium gratia nominatur. Et quid sit gratia gratum faciens.

praedictum] *om* ENYD′Y′. divinum] Dei E′, *om* P.

Cap. 151. - Quod gratia gratum faciens causat in nobis dilectionem Dei.

Dei] *om* NW′.

Cap. 152. - Quod divina gratia causat in nobis fidem.
causat] creat XX′, causet G′. *In* G *titulus ponitur post* causetur, 446 a 4, *ubi et rubricatori spatium relictum erat.*

Cap. 153. - Quod divina gratia causat in nobis spem.
futurae beatitudinis *add* PcP′c′.

Cap. 154. - De donis gratiae gratis datae. In quo de divinationibus daemonum.
in quo] et XGG′b′, et *add* YbPcE′Y′b′P′c′, tangitur *add* W. in quo *etc om* F′H′.

Cap. 155. - Quod homo indiget auxilio gratiae ad perseverandum in bono. *Cf. Corrigenda.*
auxilio gratiae] divino auxilio P, divinae *post* aux. *add* X.

Cap. 156. - Quod ille qui decidit a gratia per peccatum, potest iterum per gratiam reparari.
decidit] cecidit YY′. per] ad N. per gratiam reparari] resurgere E.

Cap. 157. - Quod homo a peccato liberari non potest nisi per gratiam.

Cap. 158. - Qualiter homo a peccato liberatur.

Cap. 159. - Quod rationabiliter homini imputatur si ad Deum non convertatur, quamvis hoc sine gratia non possit.
non possit] esse *add* N, facere *praem.* W.

Cap. 160. - Quod homo in peccato existens sine gratia peccatum vitare non potest.
homo] *om* WZ. existens] consistens Z′.

Cap. 161. - Quod Deus aliquos a peccato liberat, et aliquos in peccato relinquit.
aliquos *utroque loco*] alios YY′.

Cap. 162. - Quod Deus nemini est causa peccandi.
nemini] non N.

Cap. 163. - De praedestinatione, reprobatione, et electione divina.
electione] dilectione c′d′. Quod distinctio hominum in bonis et (et *om* B) in malis a Deo sit ab aeterno ordinata BYY′, *in* B *videtur posterius additum.*

## LIBER QUARTUS.

Cap. 1. - Prooemium.
*Om* DpGZE′pG′.

Cap. 2. - Quod sit generatio, paternitas et filiatio in divinis.
paternitas] et paternitas αEYbY′b′.

Cap. 3. - Quod Filius Dei sit Deus.

Cap. 4. - Quid opinatus sit Photinus de Filio Dei, et eius improbatio.
Photinus] Fontinus EsXE′, Fortunatus GNG′N′, Fotinus *ceteri.* et eius improbatio *om* Z.
*Ad* Adducunt, p. 10 a 50, *novum capitulum incipiunt* EGX. GX *habent hic tit. 5 et ibi* De opinione Sabellii; E *hic* Improbatio eorum quae dicuntur.

Cap. 5. - Opinio Sabellii de Filio Dei, et eius improbatio.
Opinio] De opinione GNXbb′, De opinatione N′.

Cap. 6. - De opinione Arii circa Filium Dei.
circa] contra CEGXC′pG′. et eius improbatio *add* sG′, et improbatio opinionis eius *add* X′ *et om tit. seq.*

Cap. 7. - Improbatio opinionis (*cf. Corrigenda*) Arii de Filio Dei.
de Filio Dei *om* PP′, circa (contra CC′) Filium Dei CDsHW bcdα′D′. opinionis] positionis PP′. Quod (quomodo NG′) huic positioni (opinioni N) divinae Scripturae dicta repugnant GNXG′.

Cap. 8. - Solutio ad auctoritates quas Arius pro se inducebat.
auctoritates] rationes W.

Cap. 9. - Solutio ad auctoritates Photini et Sabellii.
auctoritates] rationes W.

Cap. 10. - Rationes contra generationem et processionem divinam.
Rationes *om* BEFHZ. et processionem divinam *om* Z′, et processum divinum W, et processionem C.

Cap. 11. - Quomodo accipienda sit generatio in divinis, et quae de Filio Dei dicuntur in Scripturis.
et *om* EFHZ (B *hic recisus*). quae *etc.*] quid de Filio dicunt Scripturae X. et quae *etc. om* GNG′N′.

Cap. 12. - Quomodo Filius Dei dicatur Dei Sapientia.
*Hoc capit. a praecedente non dividunt* GXpE, EsG *habent tit. in marg., in* N *spatium vac.*

Cap. 13. - Quod non est nisi unus Filius in divinis.
Quod una sit generatio in divinis et unus filius (solus *add* sGsG′) sit a patre genitus sGNG′N′ (et unus *etc. om* G). Filius] Dei *add* bsGb′.

Cap. 14. - Solutio ad rationes supra inductas contra generationem divinam.
rationes] auctoritates CC′. divinam *ita* PP′, aeternam *ceteri.* Solutio rationum contra generationem et processionem divinam (inductarum *add* sG′) GNG′N′.

Cap. 15. - De Spiritu Sancto, quod sit in divinis.
*Tit. om* GNXG′N′, *hic tit. cap.* 16 GN *et tit. cap.* 18 X; *capp.* 15 et 16 *non dividunt* EGNX, EX *tit.* 16 *in marg.*

Cap. 16. - Rationes ex quibus aliqui Spiritum Sanctum existimaverunt esse creaturam.
ex *om* GNZb (GN *ad cap. praec.*). Rationes quod S.S. sit creatura *scriptor* X (*in marg. cf. var. praec.*).

Cap. 17. - Quod Spiritus Sanctus sit verus Deus.

Cap. 18. - Quod Spiritus Sanctus sit subsistens persona.

Cap. 19. - Quomodo intelligenda sunt quae de Spiritu Sancto dicuntur.

Cap. 20. - De effectibus attributis Spiritui Sancto in Scripturis respectu totius creaturae.
*Capp.* 20, 21, 22 *unum erant in* EGNX, *cum tit.* in GNG′N′ *cap.* 21, sG′ *tit.* 20 *et* 22 *in marg.*, X′ *habet solum tit.* 22. in Scripturis .... creaturae *om* E. De effectibus Spiritus Sancti respectu totius creaturae X.

Cap. 21. - De effectibus attributis Spiritui Sancto in Sacra Scriptura respectu rationalis creaturae, quantum ad ea quae Deus nobis largitur.
*A cap. praec. non dividunt* pE, pG, NX. *Scriptor* E *ponit tit. in margine, corrector* G *tit. cap. praec. huc transferendum annotat.* attributis Spiritui Sancto] Spiritus Sancti GNbN′. in S. Scriptura *om* CGNPb *et tabulae exc.* Y′P′c′. largitur] dare dicitur Z′, elargitur P. quantum *etc. om* D. respectu *etc. om* YY′.

Cap. 22. - De effectibus attributis Spiritui Sancto secundum quod movet creaturam in Deum.
*Non dividunt* EGNX, *apponunt tit. in marg. scriptores* EX *et corrector* G. Quomodo per Sp. S. movemur in Deum X.

Cap. 23. - Solutio rationum supra inductarum contra divinitatem Spiritus Sancti.
supra *om* BFHWYZ. divinitatem] deitatem BHbb′.

Cap. 24. - Quod Spiritus Sanctus procedat a Filio.

Cap. 25. - Rationes ostendere volentium quod Spiritus Sanctus non procedat a Filio, et solutio ipsarum.
*Non dividunt a praec. cap.* pE, NG. *Scriptor* E *et* sG′ *addunt tit. in marg.*

Cap. 26. - Quod non sunt nisi tres personae in divinis, Pater, Filius et Spiritus Sanctus.
Pater ..... Sanctus *om* XYY′. Pater] Pater et αDEGWb α′E′G′X′, scilicet Pater PcP′c′, scilicet Pater et W′.

Cap. 27. - De incarnatione Verbi secundum traditionem Sacrae Scripturae.

Cap. 28. - De errore Photini circa Incarnationem.
circa] contra CEC′.

Cap. 29. - De errore Manichaeorum circa Incarnationem.
circa] contra CEC′.

Cap. 30. - De errore Valentini circa Incarnationem.
circa] contra CEGC′.

Cap. 31. - De errore Apollinaris circa corpus Christi.
circa] contra CEC′, extra N. corpus Christi] incarnationem EX.

Cap. 32. - De errore Arii et Apollinaris circa animam Christi.
circa] contra CENC′. animam] corpus X. G *hic tit.* 33.

Cap. 33. - De errore Apollinaris dicentis animam rationalem non fuisse in Christo, et de errore Origenis dicentis animam Christi ante mundum fuisse creatam (*Cf. Corrigenda*).
et de errore] et errore BEFZbb′, et CDHcd *et tabulae exc.* G′N′Y′b′. De errore Origenis et Apollinaris circa animam Christi X. Quid sentiendum sit circa unionem divinitatis et (et *om* N) animae humanae et veri (viri G) humani corporis in Christo *ita hic* G, *et verius ad* 34 N. *Huic immediate tit.* 34 *add* sG′. *Corrector* G *hic et ad* 32: Vacat hic ista rubrica *et addit titulos rectos in marg.*

Cap. 34. - De errore Theodori Mopsuesteni et Nestorii circa unionem Verbi ad hominem. *Cf. Corrigenda.*

et Nestorii *om* BEFHYZP*c*Y′Z′P′*c′*, sectatoris eius *add* sG′. Mopsuesteni *om* GWW′Z′. circa] contra CGB′C′Z′. *In* G *tit. videtur esse a manu correctoris, et* pG *spat. vac. Cf.* NG *ad* 33.

Cap. 35. - Contra errorem Eutychetis.

Cap. 36. - De errore Macarii Antiocheni ponentis unam tantum voluntatem in Christo.

Quod duae (divinae G) voluntates sunt in Christo secundum duplicem naturam suam pG,NG′N′.

Cap. 37. - Contra eos qui dixerunt ex anima et corpore non esse aliquid unum constitutum in Christo.

Cap. 38. - Contra eos qui ponunt duo supposita vel duas hypostases in una persona Christi.

duo supposita vel duas hypostases] duas hypostases vel duo supposita DEFHWP. esse (*post* supp. *vel* hyp.) *add* EFH. in una persona] et (in Z) unam personam WZ.

Cap. 39. - Quid Catholica fides sentiat de incarnatione Christi.

Cap. 40. - Obiectiones contra fidem Incarnationis.

Cap. 41. - Quomodo oporteat intelligere incarnationem Filii Dei.

Cap. 42. - Quod assumptio humanae naturae maxime competebat Verbo Dei.

maxime *om* BGN′, *ante* Verbo N.

Cap. 43. - Quod humana natura assumpta a Verbo non praeextitit assumptioni, sed in ipsa conceptione fuit assumpta.

conceptione] Filii *add* BYY′. assumpta *altero loco*] a (*om d*) Verbo Dei *add* P*d*.

Cap. 44. - Quod natura humana assumpta a Verbo in ipsa conceptione fuit perfecta quantum ad animam et corpus.

assumpta a Verbo] fuit assumpta a Verbo et *bb′*, Dei *add* D.

Cap. 45. - Quod Christum decuit nasci ex virgine.

*A praec. cap. non dividunt* BFHY. *marg.* Y: *Hic incipit aliud capitulum secundum alios. Tit. om etiam* H′Y′. Quod merito de virgine nasceretur Z.

Cap. 46. - Quod Christus natus est de Spiritu Sancto.

natus] vel conceptus *add* W.

Cap. 47. - Quod Christus non fuit filius Spiritus Sancti secundum carnem.

fuit *ita* DPD′Z′, sit *ceteri*. Quod Spiritus Sanctus non est pater Christi X.

Cap. 48. - Quod non sit dicendum Christum esse creaturam.

Christum esse creaturam] Christum esse incarnatum pN *rubro*, Christum esse creatum Z, Christus est creatura PP′.

Cap. 49. - Solutio rationum contra Incarnationem superius positarum.

Solutio earum rationum quae (supra contra B, circa YY′) Incarnationem opponebantur BYY′.

Cap. 50. - Quod peccatum originale traducatur a primo parente in posteros.

traducatur] radicatur N, indicatur G′. a primo parente *om* Z, parente *om* XX′.

Cap. 51. - Obiectiones contra peccatum originale.

contra] circa W′Z′.

Cap. 52. - Solutio obiectionum positarum.

positarum] propositarum NGG′, praemissarum E; supra positarum YY′.

Cap. 53. - Rationes quibus videtur probari quod non fuit conveniens Deum incarnari.

Cap. 54. - Quod conveniens fuit Deum incarnari.

Cap. 55. - Solutio rationum supra positarum contra convenientiam Incarnationis.

Cap. 56. - De necessitate Sacramentorum.

Cap. 57. - De distinctione Sacramentorum veteris et novae legis.

*Add* X: et de numero sacramentorum novae legis quae habent efficaciam a passione Christi. *Cf. var. seq.*

Cap. 58. - De numero Sacramentorum novae legis.

*A praec. cap. non dividunt* DNXpEG. EsG *tit. in marg. adest in* D′E′X′sG′.

Cap. 59. - De Baptismo.

Cap. 60. - De Confirmatione.

Cap. 61. - De Eucharistia.

Cap. 62. - De errore infidelium circa Sacramentum Eucharistiae.

circa] contra α (B *nigro* contra, *rubr.* circa) EGZα′pG′X′Z′. Obiectiones contra veritatem corporis Christi in altari et $\overline{\text{op}}$. (*opinio*?) quod est ibi tantum figuraliter X.

Cap. 63. - Solutio praemissarum difficultatum, et primo quoad conversionem panis in corpus Christi.

quoad conversionem] quidem de conversione BYY′. Declaratio modi existendi corpori Christi in altari X.

Cap. 64. - Solutio eorum quae obiiciebantur ex parte loci.

De Eucharistia quantum ad ea quae sunt ibi ex vi conversionis et ex naturali concomitantia. X.

Cap. 65. - Solutio eorum quae obiiciebantur ex parte accidentium.

Solutio] *hic et in seqq. titt.* resolutio B′, *tit. om* CX′Z′. Solutio tertiae difficultatis. X.

Cap. 66. - Solutio eorum quae obiiciebantur ex parte actionis et passionis.

*Hic tit.* 63 X.

Cap. 67. - Solutio eorum quae obiiciebantur ex parte fractionis.

fractionis] factionis pG, panis *add* X.

Cap. 68. - Solutio auctoritatis inductae.

auctoritatis inductae] auctoritatis supra inductae CDPcα′D′E′X′P′*c′*, auctoritatis supradictae W′, auctoritatum YY′ auctoritatis circa inductae Z′, eorum quae obiciebantur ex parte verborum Christi X. *Addunt* DGNG′ et quomodo (quod N) ex pane et vino debeat confici (fieri pGN) hoc sacramentum.

Cap. 69. - Ex quali pane et vino debet confici hoc sacramentum.

*A praec. cap. non dividunt* DGXpE, E *tit. in marg. Cf. var. praec.* Ex quali] quod E, quod ex C*cd*α′D′X′*c′d′*, ex Z′. confici] constitui W, consecrari H.

Cap. 70. - De sacramento Poenitentiae. Et primo, quod homines post gratiam sacramentalem acceptam peccare possunt.

sacramentalem *om* YY′. acceptam] perceptam EFWZ, susceptam *bb′*, *om* D′Z′.

Cap. 71. - Quod homo peccans post sacramentorum gratiam potest converti per gratiam.

sacramentorum gratiam] gratiam sacramentalem acceptam D, sacramentalem gratiam E′, sacramenta pGpG′. per gratiam] ad gratiam (*ante* converti) P, ad poenitentiam D, *om* YY′. Quod cadens a gratia iterum eam potest reparare X.

Cap. 72. - De necessitate Poenitentiae et partium eius.

Cap. 73. - De sacramento Extremae Unctionis.

Cap. 74. - De sacramento Ordinis.

Cap. 75. - De distinctione Ordinum.

Cap. 76. - De episcopali potestate (*Cf. Corrigenda*): et quod in ea unus sit summus.

potestate] dignitate P *solus*. et *om* BW*bb′*. sit] debet esse YY′. Quod unus sit summus G.

Cap. 77. - Quod per malos ministros sacramenta dispensari possunt.

Cap. 78. - De sacramento Matrimonii.

Cap. 79. - Quod per Christum resurrectio corporum sit futura.

De resurrectione et *praem.* X.

Cap. 80. - Obiectiones contra resurrectionem.

Cap. 81. - Solutio praemissarum obiectionum.

Cap. 82. - Quod homines resurgent immortales.

Cap. 83. - Quod in resurgentibus non erit usus ciborum neque venereorum.

in *om* GZ. resurgentibus] resurrectione PP′.

Cap. 84. - Quod corpora resurgentium erunt eiusdem naturae.

resurgentium] resurgentia DPF′H′. naturae] sicut prius *add* PP′.

Cap. 85. - Quod corpora resurgentium erunt alterius dispositionis (*Cf. Corrigenda*).

dispositionis] dispensationis G, quam ante *add* PP′. Quod corpora resurgent alterius dispositionis in equalitate corporum glorificatorum XX′.

Cap. 86. - De qualitate corporum glorificatorum.

Differentia in resurrectione inter bonos et malos X.

Cap. 87. - De loco corporum glorificatorum.

*A praec. cap. non dividit* X, *in* G *spatium vacat titulo, adest in* G; *titt.* 86 *et* 87 *om* X′.

Cap. 88. - De sexu et aetate resurgentium.

in damnatis *add* CC′, *cf. tit. seq.*

Cap. 89. - De qualitate corporum resurgentium in damnatis.

*tit. om* CC′.

Cap. 90. - Quomodo substantiae incorporeae patiantur ab igne corporeo.

incorporeae] corporeae GG′. corporeo] *om* N*cd*P′*c′*.

Cap. 91. - Quod animae statim post separationem a corpore poenam vel praemium consequuntur.

Cap. 92. - Quod animae sanctorum post mortem habent voluntatem immutabilem in bono.

*A praec. cap. non dividit* Z *sed in marg. scribit* Capitulum, *tit. adest in* Z'. immutabilem] immobilem E', mutabilem H. in bono] in bonum GE', *om* BFHWYZY'.

Cap. 93. - Quod animae malorum post mortem habent voluntatem immutabilem in malo.

post mortem *om* DGND'G'. in malo] in malum G, *om* ZY'. habent *etc.*] non habent immutabilem voluntatem Z.

Cap. 94. - De immutabilitate voluntatis in animabus in purgatorio detentis.

immutabilitate] mutabilitate Z, immobilitate P, immortalitate E. detentis *om* N. *In* G *tit. abrasus in capp.* 94, 95, 96; *spat. vac. in* 97.

Cap. 95. - De immutabilitate voluntatis (*Cf. Corrigenda*) communiter in omnibus animabus post separationem a corpore.

immutabilitate voluntatis] causa immutabilitatis PP', immortalitate voluntatis E.

Cap. 96. - De finali iudicio.

Cap. 97. - De statu mundi post iudicium.

*Conclusio. Apud omnes codices observantur multae differentiae inter textum titulorum in corpore libri et in tabula. Soli* YY' *semper concordant ad invicem. De deducendis ceteris conclusionibus particularibus necessitudinis titulorum codicum abstinemus. Peritus certe viderit ex necessitudine titulorum non semper concludi posse ad eandem necessitudinem ipsius textus codicum.*

---

# ELENCHUS LOCORUM CITATORUM IN PRAEFATIONIBUS

In tribus Praefationibus editionis nostrae Summae contra Gentiles citata sunt non pauca loca ex textu et variantibus decursu articulorum qui tractant diversarum traditionum conditionem, textus genealogiam huiusque restitutionem criticam. Horum omnium elenchum conficere voluimus ad utilitatem praesertim eorum qui recensionis nostrae methodis et principiis penitius studio critico incumbere velint. Sed theologo quoque et philosopho in dubio quandoque versato non displicebit ex elencho isto doceri facili negotio, quin opus sit longas percurrere Praefationes, utrum forte et ubinam alicuius loci mentio habita sit vel elucidatio et disquisitio specialis.

Extra indicem istum manent omnia quaecumque loca quae in Praefationibus obveniunt ut pars alicuius elenchi iam ordinate confecti. Haec sunt

1° Initia petiarum in Tom. XIII, p. XXIX, XV, p. XVI b.
2° Variantes singulares NZ pro cap. 1-33 libri I, in Tom. XIII, p. XXXII a, in nota.
3° Tabulae concordantiae Autographi ad Editionem Leoninam in Tom. XIII, p. XXXVIII, Tom. XIV, p. XIV.
4° Variantes Pianae ortae post annum 1480, in Tom. XIII, p. XXXIX, XIV, p. XLIII, XV, p. XXV.
5° Variantes codicis Erford. F 96, Tom. XIV, p. XXVI.
6° Variantes ex elenchis hic supra p. XII, XIV, XV, XVIII.
7° Loca indicata in elenchis corrigendorum Tom. XIII, p. LVIII, XV, p. XLIX.
8° Omnia quaecumque loca in ordine ad traditionem pA iam ordinatim exhibita in *Appendicibus* Tomi XIII et XIV.

Subdividimus indices sequentes hoc modo:

1° Loca citata in numeris 4–22 (i. e. §§ II, III, IV, p. XVII a–XXIV a) Praefationis Tomi XIII, qui specialius indagant conditionem et naturam traditionis α, sed recole dicta Praef. Tomi XIV, p. XXXI b 41-54.
2° Loca citata in cetera parte Praefationis Tomi XIII.
3° Loca citata in Praefationibus Tom. XIV et XV.

*Nota*: Nonnulla loca pluries occurrunt, in eodem vel in diversis elenchis.

## 1. Loca citata in nn. 4–22 Praefationis Tomi XIII.

*Ex Libro I.*

| Pagina in Libro | Numerus in Praefat. |
|---|---|
| 4 a 10 | 16 |
| b 3 | 13 |
| 11 a 41 | 16 |
| 17 a 22 | 6 |
| » » » | 13 |
| b 26 | 11 |
| 21 a 9 | 10 |
| 24 b 16 | 11 |
| 32 a 12 - 33 a 47 | » |
| 13 | » |
| 24 | » |
| 25 | » |
| 30 | » |
| 35-39 | 19 |
| 37 | 10 |
| 38 | 6 |
| 45 | 11 |
| b 10 | 13 |
| 17 | 19 |
| 33 a 4 | » |
| 9 | 11 |
| 28-31 | 19 |
| 44 | 12 |
| 51 b 2 | 16 |
| 53 a 32 | » |
| 35 | 14 |
| 54 b 43 | 19 |
| 45 | 9 |
| 53 | 14 |
| 64 b 8 | 12 |
| 76 a 13 | 19 |
| 81 b 3 | » |
| 82 b 8 | 14 |
| 9 | 13 |
| 85 b 18 | 15 |
| 86 b 3 | 13 |
| 87 a 13 | 9 |
| 90 a 15 | 19 |
| 92 a 11 | 14 |
| 95 b 18 | » |
| 97 b 20 | 11 |
| 102 b 18 | 12 |
| 111 b 13 | 10 |
| 17 | 19 |
| 114 a 9 | 7 |
| b 10 | 19 |
| 118 b 18 | 9 |
| 119 a 22 | 14 |
| b 45-58 | 19 |
| 124 b 27-33 | » |
| 125 a 18 | 12 |
| b 13 | 15 |
| 21 | » |
| 130 a 22 | 12 |
| 32 | 13 |
| b 16 | » |
| 18 | » |
| 136 a 9 | 12 |
| b 9 | 9 |
| 140 a 16 | 19 |
| » b 8 | » |
| 144 a 6 | 9 |
| 150 b 13 | » |
| 157 a 25 | 14 |
| 28 | 19 |
| 161 b 1 | 9 |
| 162 a 1 | » |
| 4 | » |
| 163 b 9 | 12 |
| 173 b 3 | 19 |
| 175 a 4 | 7 |
| b 20 | 14 |
| 177 b 21 | » |
| 179 a 36 | 12 |
| b 34 | 13 |
| 35 | » |
| 36 | » |
| 185 a 14 | 12 |
| 25 | 11 |
| 190 b 8 | 10 |
| 10 | 12 |
| 11 | 11 |
| 38 | 10 |
| 191 a 3 | » |
| 11 | » |
| 16 | 13 |
| 23 | 11 |
| 25 | 10 |
| 26 | » |
| 28 | 11 |
| b 2 | 10 |
| 4 | » |
| 8 | » |
| 16 | » |
| 17 | » |
| 22 | » |
| 198 b 7 | 19 |
| 199 b 7 | 13 |
| 200 a 30 | 11 |
| 201 a 1 | 14 |
| b 42 | 16 |
| 204 b 8 | 15 |
| 206 a 31 | 16 |
| 46 | 11 |
| 207 b 7 | 19 |
| 9 | 11 |
| 209 b 21 | 15 |
| 210 a 15 | 19 |
| 214 a 11 | » |
| 215 a 3 | 12 |
| 220 a 4 | 7 |

220 b 9 19
15 14
221 b 10 16
225 b 15 12
15-38 17
23 12
32 »
228 a 14 11
33 13
44 11
b 9 »
41 »
237 a 15 12
17 6
» » » 13
239 b 14 14
240 b 13 »
241 b 10 18
243 a 9 10
b 1 13
244 b 3 12
246 a 18 14
247 a 5 »
b 40 13
254 a 2 12
b 2-5 16
264 a 5 11
265 a 15 14

*Ex Libro II.*

271 b 7 16
274 a 7 13
278 a 16 11
281 a 21 16
290 a 19 13
293 a 8 »
28 »
294 b 5 7
» » » 18
295 b 4 11
39 »
45 13
299 a 12 11
300 a 35 9
308 a 5 14
12 »
310 a 25 »
313 b 29 13
314 b 4 11
5 9
320 a 19 14
23 13
324 a 20 14
b 22 16
325 a 22 9
b 30 14
329 a 18 9
21 16
b 1 12
331 b 14 13
332 a 5 11
b 16 »
335 a 3 »
b 11 »
13 13
40 »
338 a 14 14
b 47 - 339 a 2 17
339 a 9 14
42 12
339 a 52 13
b 30 »
32 »
340 b 10 14
346 b 5 12
33 11
348 b 7 14
349 a 7 11
21 14
351 a 11 11
13 14
352 a 5 13
12 11
355 a 26 12
28 13
356 a 8 11
358 a 26 »
360 b 15 15
30 12
361 a 8 13
19 »
b 16 11
364 a 7 13
8 11
10 13
16 »
25 9
b 9 13
13 »
a 22 9
365 a 6 »
30 13
b 25 19
28 12
367 a 29 9
368 b 20 - 369 a 2 7
369 b 2 15
377 a 27 13
381 a 4 11
6 12
382 b 3 14
384 b 20 9
386 b 15 12
392 a 29 »
393 a 23 9
b 32 16
395 a 23 13
32 14
b 9 11
16 13
17 »
29 11
403 a 45 12
b 1-5 10
404 a 19 11
410 a 1 13
b 28 14
42 13
420 a 17 14
431 b 32 11
440 a 5 »
441 a 12 13
442 a 29 19
447 a 8 11
» 17
450 a 20 13
457 a 5 17
b 19 11
459 a 19 16
27 9
461 a 14 15
461 a 34 12
b 48 10
469 a 12 »
20 9
470 a 13 13
29 9
474 a 11 11
36 12
42 »
48 13
52 12
481 a 17 13
b 2 »
7 »
16 »
45 12
482 a 1 13
4 »
12 12
34 13
494 a 17 »
b 14 »
498 a 32 11
499 a 33 13
504 a 14 15
505 a 31 11
b 48 »
506 a 13 »
54 13
513 b 17 11
514 a 6 10
30-36 17
520 b 24 13
37 »
521 b 37 »
522 a 52 10
523 a 5 13
42 »
b 29 15
41 13
530 a 7 12
533 a 28 14
534 a 1 16
541 a 10 13
543 a 31 11
549 a 21 13
550 b 21 16
552 b 51 11
563 b 7 19
571 a 40 13
580 b 41 16
582 b 16 12
596 b 12 13
600 a 8 11

*Ex Libro III.*

21 b 12 12
68 a 10 20
127 b 27 7
130 b 1 18
153 a 12 19
330 b 9 12

*Ex Libro IV.*

35 a 37 (nota) 9
» » » 12
» » » 19
239 a 11 12


## 2. Loca citata in cetera parte Praefationis Tomi XIII.


*Ex Libro I.*

3 a 10 30
b 7 »
4 a 1 43
b 10 30
6 b 19 »
21 »
22 »
7 a 2-6 49
14 b 21 30
17 a 21 47
b 9 30
21 a 5 p. XVI a *ante* 1
» 42
13 p. XVI a *ante* 1
21 b 9 44
14 »
22 b 27 p. XVI a *ante* 1
24 a 3 » » 1
15 47
30 b 10 - 31 a 34 50 sqq.
31 a 5 p. XV a *ante* 1
» » » p. XVI a *ante* »
» » » 50
31 a 26-29 59
b 3 42
32 a 24 46
35-39 26
b 36-39 61
33 a 28-31 26
b 10-19 60
33 b 31 p. XVI a *ante* 1
42 b 10 42
51 a 1 »
52 a 14 58
53 a 27 39
11 51
25 »
70 a 8 p. XVI a *ante* 1
74 b 21 58
76 a 9 »
13 28
a 14-16 27
77 b 15 42
85 b 21 46
22 »
89 b 7 46

92 a 12 39
95 b 14 »
97 b 10 »
118 a 32 23
b 18 39
119 a 7 47
b 1 23
» 45-48 24
» » » 27
120 a 17 31
125 a 22-31 61
b 22 47
140 a 14 58
21 »
142 b 9 39
144 a 9 p. XVI a *ante* 1
145 b 1 58
148 a 29 3
32 »
150 a 14 p. XVI a *ante* 1
15 » » 1
173 b 5 1
» » » 3
10 »
179 b 32 p. XVI a *ante* 1
47 » » »
» » » 47
184 b 2 31
201 b 37 1
204 b 8 39
206 b 48 40
207 b 8 27
210 a 16 31
222 a 22 42
225 b 23 28
228 a 37 39
237 a 17 25

240 a 18 p. XVI a *ante* 1
243 b 6-9 40
267 a 12 31

*Ex Libro II.*

271 b 7 42
275 b 8 »
278 a 16 »
b 5 »
14 »
279 a 25 »
b 24 »
281 a 14 »
284 a 1 »
b 7 »
286 b 10 »
287 a 1 »
293 b 25 »
294 b 4 »
295 a 4 3
40 42
48 »
b 21 »
22 »
23 »
299 a 26 »
b 19 »
39 »
300 b 8 »
b 13 »
305 b 11 »
308 a 5 »
12 »
23 »
b 18 31
320 b 7-9 40

325 a 18-20 39
331 b 7-10 40
365 a 27 1
b 5-6 40
366 a 4 1
367 b 45 »
377 a 2 39
387 a 31-33 40
403 b 40-44 »
410 b 52 2
430 a 8-10 40
450 a 20 44
470 b 32 »
474 a 45-48 »
549 b 2 47

*Ex Libro III.*

5 a 28-b 10 1
14 b 1-3 »
13 »
15 b 26-30 »
19 a 18-20 »
183 b 22 »
232 b 24 29
233 a 25 »
b 5 »
11 »
46-47 »
234 a 40 »

*Ex Libro IV.*

132 b 5 p. XVI a *ante* 1
164 a 22 25
175 a 21-22 »


## 3. Loca citata in Praefationibus Tom. XIV et XV.

*Ex Libro I et II*

| | In Tomo | pagina |
|---|---|---|
| 42 b 10 | XIV | XXXIII a |
| 77 b 15 | » | » » |
| 118 a 46 | » | nota XXX a |
| 148 a 24 | » | » » » |
| 173 b 5 | » | » » » |
| 10 | » | » » » |
| 237 a 17 | » | » XXVIII b |

*Ex Libro III.*

| | In Tomo | pagina |
|---|---|---|
| 3 text. S. Script. | XIV | XXII b |
| 3 a 6 | » | » » |
| 10 | » | » » |
| 4 a 3 | » | » » |
| b 2 | » | » » |
| 10 | » | » » |
| 6 a 22 | » | XXIII a |
| 11 a 28 | » | » » |
| 14 a 20 | » | » » |
| 17 a 27 | » | » » |
| b 9 | » | » » |

*Ex Libro IV.*

| | In Tomo | pagina |
|---|---|---|
| 35 a 37 | XV | XXIV |
| 158 b 19 | XIV | XXIX b |
| » | XV | XXI a |
| 174 a 21 | » | » » |
| b 49 | » | » » |
| 175 a 22 | » | XXV a |
| 183 b 3 | » | » b |

# VARIAE LECTIONES IN COMMENTARIIS FERRARIENSIS
## IN LIBRUM QUARTUM SUMMAE CONTRA GENTILES S. THOMAE DE AQUINO

*A: Editio primaria, Venetiis 1524 – P: Editio Piana, Romae 1570 – S: Editio ultima, Romae 1901.*

De his Editionibus cfr. dicta in Praefatione Tomi XIII, pag. XLI seqq. Textus nostri recensio iisdem criteriis facta est quibus in Libris I–III usi sumus: i. e. fundamentum textus assumptus est editio primaria A, in hunc finem collata verbotenus a capite ad calcem cum Piana. Sicut antea, ita et nunc corrigendo textui A nec editio Piana aliquam seriam utilitatem afferebat, nec ceterae editiones. In omnibus enim paucas correctiones peractas fere semper comitabatur maior numerus errorum noviter introductorum.

Cum compositio sequentis apparatus variantium et etiam, pro parte valde maiore huius Libri IV, collatio antecedens verbalis editionis A ad P ab alio collaboratore confectae sint, ab aliorum igitur oculorum aliusque mentis dispositione aliqualiter regantur, lectoribus criticis forte non displicebit audire nos plene confirmare posse hoc iudicium de editionibus A, P et S prolatum in Tomo XIII l. c., nisi quod nunc, in hoc saltem Libro IV, rem ipsi experti, editionem A invenimus erroribus typographicis minus imperfectam, editionem autem S *pro textus sui correctione ex* A (de ceteris eius meritis, praecipue in textus clara divisione, hic non agitur) magis imperfectam quam nobis prius, solam descriptionem Praefationis Tomi XIII cognoscentibus, visum fuerat. Multum enim abest ut editio S, prout praefatur, ad fidem potissimum editionis A exacta sit, cf. e. g. infra summam frequentiam siglorum PS. Eam consuluit quidem sed potius rarius nec sufficienter ad corrigendos multos sui exemplaris errores saepe obvios, quandoque mere typographis debitos, (cf. e. g. iam plures in uno cap. LXXXII), quos fideliter transmittit, tantum eos corrigens idque sat diligenter quoties ex laesis sensu et regulis grammaticis sponte aut facili negotio legenti patebant.

Sequens elenchus noster varietatem exhibet editionum A et P ad textum nostrum, item editionis S, pro hac limitatam tamen ad illa loca iam propter A vel P indagata. Fere ubique S valde fideliter editioni P adhaerere videbis contra A. Ubi a P dissociatur raro ad A revertitur, sed plerumque alia, haud meliore, lectione ab utraque discordat. Non omnes quascunque lectiones variantes in schedulis nostris collectas huc transtulimus; omittimus enim, utpote nullam habentes utilitatem, plurimas illas easdemque levissimas, uti sunt lectiones PS *his, advertendum est, attendendum est, ad Romanos, in* (*Libro*) *Quarto Sent., de Malo, de Veritate, in Psalmo,* etc. ubi A passim legere solet: *iis, advertendum, attendendum, Romanos, Quarto Sent., Malo, Veritate, in Psalmis,* etc. Non dantur variantes PS ortae ex additis numeris quaestionis, capitis, articuli, quaestiunculae, obiectionis, etc., quibus PS saepe complent indicationes generaliores A; notantur illae tantum ubi PS erronee compleverunt A. Neque hic locum damus illis variantibus quae, nullum sensum aut falsam verbi coniugationem vel declinationem habentes, illico ut mere typographorum erroribus debitas sese manifestant; recitantur quandoque huiusmodi errores communes, in testimonium neglectae correctionis. Recolimus editionem S, cum sine textu S. Thomae prodierit, integre ubique exscribere loca S. Scripturae (ad fidem Vulgatae restituta) et testimonia SS. Patrum.

Apparatus noster sequens *positive* ut aiunt redactus est (cfr. Praef. Tomi Praec. pag. XLI, num. 21 in fine); in variantibus oblatis igitur ex dictis tribus editionibus hic admissis semper non nominatae cum textu nostro legere censendae sunt.

Dispositionem externam technicam typographicam et descriptionem materialem variantium, si quis rerum criticarum amator et minimorum indagator eas comparare velit ad apparatus anteriores in praecedentibus Tomis, paululum nunc mutatas inveniet, et perspectu credimus faciliores.

### LIBER IV.

#### Cap. I.

Init. Cap. . . . . (adversus) Gentes – Gentiles PS.
Num. III § *Notat tertio* . inchoatarum et terminatarum – inchoatorum et terminatorum APS; *cf. text. s. Thom.*
» IV 1 med. . . . intellectus nostri cognitio – intellectus nostra cognitio A, intellectiva nostra cognitio PS.
» » » » . . . ascendat – accedat APS.
» » 4 » . . . sub sensu – sub sensum PS.
» V fin. . . . . Deum vias – vias Deum PS.
» VII 1 med. . . . Secundam – secunda AP.
» » » » . . . cognoscetur – cognoscitur PS.
» VIII § *Secundum*,fin. etc. – et etc. A.
» » § *Ad huius* . . conveniunt – convenit A.
» » » » » . . quae in ipso – quae de ipso PS.
» IX med. . . . . quae in ipso – quae de ipso PS.
» » § *Respondetur* . sit prius – fit prius P.
» » » » . in ipsis – ipsis A.
» » » » . consideratam – consideratum P, consideratus S.

#### Cap. II.

Init. Cap. . . . . Cap. LXXIX – 29 P.
Num. I § *Si autem* . . David non – Davidi non PS.
» » » » » . . sedem eius – semen eius PS; *cf. text. et var.*
» » » » » . . David vel – Davidi vel PS.
» II . . . . . qui alios – parere facio, ipse *add.* P.
» » . . . . . ut, si – ut scilicet, si APS.
» » . . . . . gloriam eius – gloriam quasi unigeniti a patre *add.* P.

#### Cap. III.

Med. Cap. § *Quantum* . Idem ex – Item ex PS.

#### Cap. IV.

Init. Cap. . . . . qui huius – quibus PS.
» » . . . . . Sabellii – Sabelli P.
Num. I . . . . . Dedit eis – Dedit eis, et PS.
» » . . . . . item eisdem – item eiusdem AP.
» » . . . . . (per) adoptionis – adoptiones A.
» IV § *Confirmatur* . sicut in – sicut quando in PS.
» V fin. . . . . ad humanam naturam – humanam *om.* A.

#### Cap. V.

Num. II 1 § *Quarto* . . a Patre ante – ante *om.* P.

#### Cap. VI.

Num. I princ. . . . . (sed) aestimaverunt – existimaverunt PS.
» » fin. . . . . Psalmis – Psalmo PS.
» II med. . . . . Ioan. XIV – Ioan. 13 A.

#### Cap. VII.

Num. I princ. . . . . Et primo sic – Et sic, Primo PS.
» » § *Quarto, Advert.* et verus Deus – et vere verus Deus A.
» II § *Quinto,* fin. . verus Deus – Deus *om.* PS.

Num. II § *Septimo* . . . Coloss. I – Coloss. 7 A, Coloss. II PS.
» III § *Undec.* . . . Ioan. V – cap. V PS.
» » » *Advert.* esse dubium – est dubium PS.
» IV 2 . . . . . accidens eius – eius *om.* PS.
» V princ. . . . . Proverb. – Sapient. A.
» VI 1 princ. . . . Quia nulli – Quia *om.* PS.
» » » med. . . . (una virtute) conveniant – conveniat APS.
» VII 1 fin. . . . . Hebr. I – Hebr. ult. A.
» » » » . . . . introducitur – introducuntur A.
» IX § *Ex quo* . . . indicium – iudicium APS.
» » » » . . . ad invicem – ab invicem PS.

Cap. VIII.

Num. I 4 init. . . . . q. 2 – ad 2 *add.* PS.
» II princ. . . . . temporibus – operibus AP.
» » § *Dicitur sec.*, fin. Manifestum – Manifeste P, *cf. text.*
» IV § *Si instetur* . . discipulis dicit – etc. *add.* AP.
» V 2 . . . . . d. XXXII – d. XXXIII PS.
» VIII § *Dic. secundo* . (quam quidem) praedestinationem – praeparationem APS.
» IX 2 fin. . . . . ratione partis – ratione patris PS.

Cap. IX.

Num. II princ. . . . . (cath. fidei) ponenti – ponentis AP, sententiae (cath. fidei) ponentis S.
» IV 1 princ. . . . quaecumque – quacumque PS.
» » 2 » . . . (nisi sec.) rationem – *om.* PS.
» » » fin. . . . . (per istam) praepositionem – propositionem PS.
» » » » . . . . realitas sit – realitas fit P.

Cap. X.

In *Tertio* . . . . . (Si vero) acceperit – accepit PS.

Cap. XI.

Num. II § *Augetur* . . (etiam) inanimatorum – inanimatarum AP.
» III § *Si dicatur* . . pertinent – pertineant PS.
» IV 1, in l. c. s. Th. in sensum – in sensu APS, cf. l. c.
» V 1 med. . . . (Et cum) ipsa – ipse AP.
» » 2 init. . . . . Ideo ratio – Ideo responsio APS.
» VII 1 § *Ne autem* . Ipsam etiam – Ipsum etiam AP.
» VIII § *Quarta concl.* divisione supra positam – divisionem suprapositam A, divisione suprapositam PS.
» IX med. . . . . consequentia – *om.* APS.
» » fin. . . . . ex illa – ex illo APS.
» XII 1 med. . . . Secundum est. Si, quia – Secundum est quia si PS.
» XIV 2 fin. . . . . referetur – refertur PS.
» » 3 . . . . . a. 2 – a. 23 A.
» XVI 2 princ. . . . fides ponit – fidem ponit A.
» XVII princ. . . . . Quomodo – autem *add.* PS.
» » med. . . . . Una (secundum) – Unam PS.
» » » . . . . Alia vero – Aliam vero PS.
» » » . . . . Hic ergo – Hic vero PS.
» » fin. . . . . (specie) intelligibilis (informato) – intelligibili PS.
» XVIII § *Nona concl.* . in natura cum – in materia APS.
» XX 2 med. . . . (actum) assensus – ascensus A.
» XXI 1 med. . . . vere generationis – verae generationis PS (*cf. paulo infra*).
» XXII 1 fin. . . . . cum lapide intellecto – cum lapide intell'e A; cum lapide intellecti P.
» XXIV 2 med. . . . minor patre – minor parte AS.
» » 3 circa fin. 1° §. minor – maior APS.
» XXV 2 princ. . . . requirit – acquirit APS.
» » 3 » . . . Ergo – *om.* PS.
» » » fin. . . . . ut sic – sic *om.* PS.
» XXIV 5 fin. . . . . distinguantur – distinguatur PS.

Cap. XII.

Num. I 3 fin. . . . . sit Patris essentia – essentia *om.* APS, *cf. text.*
» III med. . . . . id ex quo – idest, quo PS.

Cap. XIII.

Num. II princ. . . . . Quolib. II, q. II – Quol. q. 2 A, Quol. q. 2, dist. 2 PS.
» III 1 princ. . . . a sancto Doctore – a. s. d. A, a Scoto PS.
» » 2 § *Alius*, fin. . non est per dicere – per *om.* PS.
» VI § *Super* . . . iudicabit *bis* – indicabit AP.
» » » . . . . eum *pr. loco* – vobis AP.
» VII 2 § *Ad huius*, fin. simul – similiter PS.
» » 4 . . . . . d. XXVII – q. 2 contra Scoti conclusionem *add.* PS.
» X 3 princ. . . . (respectum illum) qui – quia PS.
» XIII 2 fin. . . . . q. IV – q. 5 A.

Cap. XIV.

Init. . . . . respondere – correspondere AP.
Num. II 2 init. . . . Attendendum – Advertendum PS.
» III 3 med. . . . naturam quam – naturam qua P.
» » » § *Cons.*, med. (Cum ...) dicitur – dicatur PS.
» V 1 princ. . . . (Verbum quam) Deus – *om.* PS.
» » med. . . . Propter unam – enim *add.* PS.
» » 2 princ. . . . Ergo et in persona: si – Ergo in persona; et si PS.
» VII 1 med. . . . Dicit (secundo) – Dicitur PS.
» » 3 fin. . . . . (sicut in) divinis – diversis *plene* A.
» VIII 2 med. . . . (bene quod) dicens – *om.* PS.
» » 4 § *Secundo* . (operatio) sit sua – sua sit PS.
» » » » fin. d. XXVI – d. XX PS.
» IX 1 med. . . . (cum) propria (ratio) - proprie PS.
» XII 1 fin. . . . . c. XIV – in hoc cap. 14 PS.
» » » » . . . . Prima (*sc. Summae Theol.*) – Prima Sent. PS.
» » 3 » . . . . Prima (*sc. Summae Theol.*) – Prima Sent. PS.
» » 4 princ. . . . accidens, et secundum – accidens ad secundum APS.
» » » » . . . prout – et prout APS *cf. var. praec.*
» XIII 2 § *Non etiam* . I Sent. – 2 Sent. PS.
» » » » » . motus – motas A.
» » 3 fin. . . . . est prius – ut prius A.
» XIV 1 princ. . . . Phys. lect. 3 – in fine text. com. 10 *add.* PS.
» » » fin. . . . . contra Avicennam – com. (cō A) Avic. P.
» » » » . . . . arguitur – arguit PS.
» XV fin. . . . . et (propterea Phil.) – quia APS.
» XVI 4 § 1 med. . . fundatum super – fundamentum super PS.
» XVII 2 § *Potest* . . xxx d. – 3 d. PS.
» XVIII 1 princ. . . . I Sent. – et I Sent. PS.
» XIX § *Ad evidentiam* cum sint – cum sit PS.
» » » » » earum (pluralitate) – eorum A.
» » » » » inveniri – eveniri A, evenire PS.
» » » *Advertendum*. et in concreto – et in concepto P.

Cap. XVI.

Introd. . . . . cap. XXIV – cap. 34 S.
In § *Secundo* . . . . XVI – 17 A.
» » *Quarto* . . . . non facit – non *om.* P.
» » *Nono* . . . . . Pater vester – Pater noster AP.

Cap. XVII.

Num. I princ. . . . . Cor. VI – Cor. VII AP.
» II § *Octavo* . . . Cor. II – Rom. XI AP.
» » » *Undecimo* . . Matth. XII – Matth. XXII S.
» III § *Advert.* . . . q. CXVII – q. CXIX A.
» » » » med. . per quae – per quem A.
» IV § *Decimoseptimo*. Cor. XIV – Cor. 4 A.

Cap. XVIII.

Introd. . . . . caritatem – claritatem AP, charitatem S.

Cap. XIX.

Num. I 3, lin. 4 . . . natura intelligibilis – int.lis A *anceps*, natura intellectualis PS.
» » » » 9 . . . natura intelligibilis – natura intellectualis A (*plene*), PS.
» » » » 11 et 13 . natura intelligibilis (-li 13) – A *anceps*, natura intellectualis (-li) PS.
» II 1, lin. 4 et 13 . natura intelligibili – A *anceps*, natura intellectuali PS.
» » » » 9 . . . naturae intelligibili – A *anceps*, naturae intellectuali PS.
» » » » 32 . . . naturae intelligibilis – A *anceps*, naturae intellectualis PS.
» » 3 » 2 et 5 . . natura intelligibili – A *anceps*, natura intellectuali PS.
» III 2 . . . . . q. XXVI – q. 21 A, et q. 21 PS.
» V § *Advert.*, med. . Et Filius est Dei essentia – *hoc bis habet* P.
» VI 1 § *Ad huius*, med. (Si etiam) comparemus – comparamus A.
» VII § *Adverte*, fin. . in qua – in quo APS, *cf. cap. 23*, princ.
» VIII princ. . . . . (Ex hoc enim) processu – progressu APS.
» X 3 § *Haec* . . . intellectus (terminatur) – intellectum A.

Cap. XX.

Num. I 1 . . . . . est ei ratio (volendi) – est ei rei ratio PS.
» » 3 . . . . . ad Spiritum Sanctum – Spiritui Sancto PS.
» II . . . . . ad modum – ad motum P.

Cap. XXI.

Num. III-VI . . . . . *auctoritates S. Scripturae fere semper integras exhibet* P. (S *per totum Commentum, cf. notam introductoriam*).
» V § *Ost. sexto* . . Unxit nos Deus – nos Deus *om.* P.
» » » » fin. pervenientis – perveniens PS.
» » » *octavo* . . Matth. XII – Matth. XI A.
» » » » . . Ephes. IV – Eph. 3 A.

Cap. XXII.

Num. I fin. . . . . Rom. XIV – Rom. 4 A.
» II 3 § *Cons. secundo* (per violentiam) ad motum (alium impellit) – motus APS, *cf. text.*
» » » » *tertio* . (violentante) ipsum – ipsam APS.
» IV § *Vult* med. . . (in aliquid non a recta ratione) quae – quod APS.
» » » fin. . . non solum [non] – *alterum* non *om.* APS.

Cap. XXIII.

Num. III 3 § *Respondetur* secundo modo – modo *om.* PS.
» IV fin. . . . . cognoscat – cognoscant PS.
» V 2 med. . . . q. XXXI, 4 – q. 31, 2, ad 3 PS.
» » » » . . . d. XXI, q. 1, 2 – d. 21, q. 1, a. 1, ad 2. PS.
» VI § *Dicit* . . . Ioelis – Io. A, Ioannes P.
» » » » . . . deveniet – deveniat PS.
» VII princ. . . . . Numerorum – Numeri APS.
» » fin. § *Dicit* . . effectuum – effectibus PS.

Cap. XXIV.

Num. III 1 . . . . . (hoc est) quia – quod PS.
» IV § *Sed quia*, fin. . Spiritus Sanctus – Spiritus Sancti P, Spiritui Sancti S.

Num. V § *Minor*, med. . (aliquae) earum – eorum A.
» VI § *Utroque*, princ. Spiritus Sanctus – Spiritus Sancti A.
» VII § *Adverte* . . sunt imposita – sunt *om.* A.
» IX 1 princ. . . . (et de) eorum – earum A.
» » » » . . . distinguuntur – non *praem.* PS.
» » 3 post princ. . (ordinem) dicit – dicitur APS.
» » » med. . . . Quol. IV – Quol. 5 A.
» » » § *Cum* . . . per solam – solum PS.
» X 5 princ. . . . [Sanctus] – *om.* APS.
» » » § *Si instetur* . cap. 1 – cap. XI APS.
» » » » » . (a) Filio (procedere) - Patre APS.
» » 6 princ. . . . earum (rationibus) – eorum APS.
» XII med. . . . . (oportet ut) distinguantur – distinguatur A.
» XIII 2 . . . . . (contra) arguitur – arguit PS.

Cap. XXV.

Num. II § *Dicitur secundo* divinis personis communia – personis *om.* APS.
» » 2 fin. . . . . (a filiatione) distinguitur – distinguit A.
» IV § *Respondet* . . propter (unitatem) – per PS.

Cap. XXVI.

Num. IV 2 med. . . . luminosis – illuminosis APS.
» VI 2 . . . . . art. 4 – art. 3 A.
» I*bis* § *Tertio* . . qu. XL – qu. 46 PS.
» » » » . . qu. VIII – qu. 10 APS.
» II*bis* 1 med. . . . (et non per) aliquid (aliud) – aliquod PS.
» » » » . . . a. 2, ad 1 – a. 2, ad 2 APS.
» IV*bis* 1 § *Att. secundo* Et ideo oportet – Et *om.* PS.
» » » » *tertio* . (in se) habeat » habet PS.
» » 2 princ. . . . de ratione personae – de *om.* A.
» » 4 » . . . ex se subsistere – ex *om.* PS.
» » » » . . . habet ab essentia » ab *om.* PS.
» VI*bis* 2 . . . . . sibi (*ter*) – illi (*ter*) PS.
» » 3 fin. . . . (ut dicit) scilicet (actum) – sed APS.
» VII*bis* 4 § *Potest* . . (in esse distincto) relative – relativo APS.

Cap. XXVII.

Introd., fin. . . . . Cap. XL – Cap. 49 APS.

Cap. XXVIII.

Ante med. . . . . Ebion, Cerinthus – Ebion et Cherintus PS.
Med. . . . . (Contra hunc) errorem autem – autem errorem PS.
Fin. . . . . (Ioan.) XVI – 17 A.

Cap. XXIX.

Num. I post princ. . . (fuisse) consequitur (*cf. text.*) – consecutus APS.
» II 1 fin. . . . . II ad Tim. – II *om.* A.
» » » » . . . . (Omnis) scriptura (*cf. text.*) – doctrina AP.
» » 2 princ. . . . (Gen.) XVIII – 28 AP.
» III § *Sexto. Advert.* . inveniatur – inveniantur PS.
» » » » Metaph. – text. 34 *add.* PS.

Cap. XXX.

Num. I princ. . . . . (sed de coelo) portavit – apportavit PS.
» II § *Contra*, fin. . cum ignis, ..... materia – *om.* PS.

Cap. XXXII.

Num. II princ. . . . . etiam (contra Arium) – esse A.
» » § *Advert.*, fin. . (ratio) singularum (partium) – singularium A.

Cap. XXXIV.

Num. II § *Secundo* . . (huiusmodi) modis – *om.* PS.
» III § *Adv. quod,* fin. quod (originem habet) - qui APS.
» IV § *Decimo* . . . per quem sunt omnia – *hom. om.* PS.
» V § *Tertiodec.,* fin. (scilicet) a Deo – ex Deo PS.
» VI § *Vigesimo* . . Act. X – Act. 3 AP.

Cap. XXXV.

Num. II fin. . . . . (anima fuit) aliud – alia APS.
» III 2 med. . . . (talis naturae ex) hoc – eo PS.
» IV 1 § *Tunc,* fin. . neutra (remaneret) – natura APS.
» » » » » » . (remaneret) salva – salvata A.
» » » » » » . (non) salvantur (miscibilia) – solvantur PS.
» » 4 princ. . . . quod ideo addidit – ideo *om.* PS.
» VII princ.. . . . (Coloss.) II – 3 AP.
» VIII 3 fin. . . . . (forma) ipsam (formaliter actuans) – ipsas AP.

Cap. XXXVI.

Num. II § *Adv. etiam,* med. (sicut quod) ambulat (Sed) – ambulabat PS.
» » » » » . (moventis) ipsam – ipsum AP.
» III princ. . . . . disposuit – disponit A.
» » » . . . . quod ego volo – ego *om.* AP.

Cap. XXXVIII.

Introd. princ. . . . . dixerunt – in Christo *add.* A.
Num. II § *Attendendum* . a. 1 – a. 2 A.
» » » *Septimo* . . in Scripturis divinis – scripturis *om.* AP, divinis *om.* S.

Cap. XXXIX.

Introd. princ. . . . . concludit – ostendit PS.
Num. IV § *Advert.*. . . (asinus) specificis (differentiis) – specificus A.
» V 1 fin. . . . . (in) quodam (perfectiori) – quoddam A.

Cap. XL.

§ *Undecimo* . . . . . dicetur – dicitur PS.

Cap. XLI.

Num. I § *Dicit sec.,* fin. . (aliqua non) unita – esse unita A.
» IV § *Responderi* . . in eis existentem – in *om.* AP.
» » » » . . Christi – *om.* APS.

Cap. XLII.

In princ.. . . . . quin et Pater – et *om.* PS.

Cap. XLIII.

Num. I 3 fin. . . . . non potuisset – non *om.* AP.
» III § *Ad evid.,* fin. . Et hoc est – Et *om.* PS.

Cap. XLIV.

Num. III princ. . . . . III, qu. II, a 1 – qu. V, a 2 APS.
» » § *In aliorum* . dicitur res esse concepta – esse *om.* PS.

Cap. XLV.

Num. III § *Respondet* . . (potest) effectus (illius virtutis) – effectum APS.
» V § *Respondet* . . hoc (nihil obstat) – hec A.
» VI 2 § *Assumpt.,* fin. importatam – importatum AP.
» » 3 . . . . . Tum (quia ista) – Tum *om.* APS.
» VII 1 princ. . . . exigentiam – existentiam PS.
» » 2 post princ. . (secundum) naturarum (diversitatem) – naturae PS.
» » » » » . . una (dumtaxat) – unum AP.

Cap. XLVII.

Num. II 2 princ. . . . et ideo ubi – ideo *om.* PS.

Cap. XLVIII.

Num. III 1 post med.. . albus secundum dentes – secundum *om.* A.
» » 2 fin. . . . . (homo) est (albus) – esse A.
» IV § *Unde,* fin.. . habere respectum – hr̄e r$^{u}$ *err. typ.* A; habere, respectu PS.
» » § *Cum dic. sec.* (Sed) mortale – immortale APS.

Cap. XLIX.

Num. I § *Ad secund.,* fin. temporaliter – naturaliter APS.
» » § *Advertendum* . d. 1 – d. 5 PS.
» III § *Ad sextum,* fin. (inquantum) Verbum est – est Verbum PS.
» V 1 § *Dicitur tertio* (iuxta) definitionem (Philosophi) – divisionem APS.

Cap. L.

Num. II 2 fin. . . . . contrahitur – *om.* A.
» IV 1 fin. § *Tum* . etc. – *om.* P.
» V med. . . . . ad hominem – in homine A.
» VI 3 med. . . . (sicut pecc. orig. est) privatio – ipsa privatio AP.
» » 4 princ. . . . ad hominem – ad homines APS.
» » » » . . . (ad hominem ex ipso) conceptum – conceptu PS.
» » 5 med. . . . nec – neque APS.
» VII § *Si,* med. . . Ioan. – Ioan. 3 A.

Cap. LI.

In princ.. . . . . Ezech. XVIII – Ez. 12 A.
§ *Octava est* . . . . rationem (culpae) – ratione A.
§ *Duodecima est* . . . sequitur – sequatur A.

Cap. LII.

In princ.. . . . . quoddam – quodam A.
Num. III princ. . . . conveniunt – conveniant A.
» IV 2 § *Resp.* princ. voluntaria – voluntarius APS.
» » » » » » volita – volitus APS.
» » » » » med.. voluntaria – voluntarius APS.
» » » » » fin. . reputantur – reputatur AP.
» » » § *Dicitur,* fin. d. XXXI – d. 33 PS.
» » 3 med. . . . (quae erat) gratia gratis (data) – gratia, et gratis PS.
» V 2 fin.. . . . (sicut et) ipsa – in ipsa A.
» VII § *Advert.,* med. (convenientis et) proportionatae – proportionati AP.
» VIII princ. . . . Ad quartam – Ad quartum P.
» X § *Advert. quod.* vitiata (vitio) – unita PS.
» » » » » . [et] sic – sic APS.
» XIV 2 § *Advert. sec.* (Sent. d. 1, q. 1,) a. 2 – a. 1 AP.
» XVI 1 princ. . . . Ex his – ex iis A.
» » 2 » . . . (privatio illius doni supernaturalis) quod – quae APS.
» » » » . . . proprie dicitur – intelligitur PS.
» » » § *Primum* . omnis alia ordinatio – alia *om.* PS.
» XVII 3 § *Quod vero* . (habilitas quaedam ad) concupiscendum – concupiscentiam PS.
» » » » » » . carentium – carentiam A.

Cap. LIII.

In princ.. . . . . tria facit – tria dicit PS.
§ *Si dicatur* post *Vigesimo tertio* (contra arguitur) vigesimo quarto – *om.* APS. *Correximus errorem Ferrariensis in enumeratione obiectionum. Error patet, vide in cap.* LV *responsiones S. Thomae et ipsius Ferrariensis.*
Prope finem . . . . (Vigesimo) quinto – quarto APS.
» » . . . . (Vigesimo) sexto – quinto APS.

Cap. LIV.

Num. II fin.. . . . . cum etiam – cum et etiam A.
» III § *Probatur* . . quae – qua AP.

Num. v 2 § *Ad evid.*, fin. mortaliter – mortale A.
» » » » *Attendendum* [de remissione] – *om.* APS.
» vi 1 fin. . . . . ab eodem – eodem A.
» » 2 med. . . . ad 3 – ad ult. A.
» vii » princ. . . . d. xv – d. 14 APS.
» » » » . . . a. 2 – a. 3 APS.
» » » » . . . d. xv – d. 14 A.
» » 3 fin. . . . . aequivaleat – aequivalet A.

Cap. lv.

Num. ii 2. . . . . ipsa – ipsam APS.
» » ». . . . . derelicta – derelictam APS.
» » ». . . . . nata – natam APS.
» iii 3. . . . . a. 1, ad 3 – ar. 3 A.
» iv . . . . . Ad quintum, – Ad quintam APS.
» » . . . . . Ad sextum, – Ad sextam APS.
» » . . . . . (Ad) septimum, – septimam APS.
» vi 4 princ.. . . inquit – ait PS.
» vii 2 princ.. . . (Quia scilicet) ea – et PS.
» ix med.. . . . (Ad) undecimum - undecimam A.
» xiv princ. . . . obnoxio remanente – remanente obnoxio A.
» » § *Ad vig. quint.* Heredes – quidem Dei, coheredes autem Christi: si tamen *add.* P.
» xviii 3 med. . . . q. ii – q. iii A.

Cap. lvi.

Num. ii 2 princ. . . . q. lx – 61 PS.
» » 3 » . . . a sensibus – a sensibilibus PS.
» iii princ. . . . . opinantium – opinantes APS.
» » § *Advert.* med. . (est talis) natura – naturae PS.
» iv § *Tertio* . . . causatio – creatio APS.
» v § *Ad tertium*. . causatio, *cf. var. praec.* – creatio APS.

Cap. lvii.

Num. i 2 § *Secundus* . Ebionitar. – Helonitarum APS.
» ii 1 . . . . . conferebant – inferebant PS.
» » 2 . . . . . Act. xxi – Act. 12 A.
» iii princ.. . . . (in qua) gratia – *om.* PS.
» » » . . . . conferebatur – conferebat A.
» » » . . . . (quod) nondum (est) – non PS.
» » med. . . . . (et non solum) significant – significabant A.
» iv princ.. . . . 1 dist. Quarti *alt. loco* – 1 d. 1 P.
» » § *Unde*, fin. . . (Pot.) q. iv – q. iii APS.
» v med. . . . . (I II) q. cx – q. 10x A, q. 101 PS.
» » » . . . . (exponenda) sunt – *om.* A.
» vi § *Dici potest* . (produci) habet – habetur APS.
» vii princ.. . . . responsio – *om.* A.
» » § *Ad secundam*. dignius – dignus A.
» viii princ.. . . . q. cm – q. 104 P.

Cap. lviii.

Num. i princ. . . . . cum – *om.* A.
» » » . . . . Dicit (secundo) – dicitur PS.
» » med. . . . . Dicit (tertio) – dicitur S.

Cap. lix.

Num. iii § *Advert.* . . imponenda – imponendo A.
» » § *Addit.* . . . a. 2 – a. 1 PS.
» » » » . . . ad 3 – ad 8 A.
» iv princ.. . . . qui (est beatitudo) – quae PS.
» » » . . . . assumptum – assumpta A.
» v § *Advert.*, fin. . enim – *om.* PS.
» vi 1 princ. . . . , Attendendum – Advertendum S.
» » 1 med. . . . d. iv – d. 41 PS.
» » 2 § *Dic. secundo* cum vitam – cum vita PS.

Cap. lx.

Num. i princ. . . . . in fronte – *post* crucis APS.
» iii § *Advert.* . . . Cap. *ita* A – Can. PS. *Ergo explicatio erroris Ferrariensis in* S *erronea est. Ferr. bene scripsit et intendebat hoc* cap. (*non* can.) Quanto *sed erronee addidit* De Consecr.
Num. iii § *Advert.* . . . Apostolorum – Apostoli AP.
» iv princ. . . . . q. iii – q. ii APS.
» » § *Si primo* . . ei (operatio) – sibi A.
» » § *Si vero*, fin. . dist. xcv *ita nos soli* – lxxxv APS. *Hic etiam* S *male explicat errorem Ferrariensis, et corrigit in nota. Erat simplex error* 85 *pro* 95.
» v 2 . . . . . alteri imponit – *post sequens* ex officio PS.

Cap. lxii.

Num. i § *Dicit secundo* . qui – quod S.

Cap. lxiii.

Num. i princ. . . . (agi simul) nisi in – in PS.
» » § *Dic. secundo* . substantiae (vini in) – substantiam A, substantia PS.
» » § *Dic. tertio* fin. (necesse) esset – *om.* P.
» » § *Alia est* . . invisibilius, *cf. text et var.* – invisibilibus PS.
» ii fin. . . . . a. 3 – a. 2 A.
» vi 7 . . . . . remanent – remanerent PS.
» vii princ. . . . Sent. – loco praealleg. *add.* PS.
» » 2 princ. . . . V Quol – VI Quol. APS.
» viii § *Respond.* . . et (ut idem) – *om.* PS.
» ix 3 princ. . . . orationis – creationis AP.
» » » » . . . significationes – significatione S.
» » » » . . . comparantur (*cf. Corrigenda*) – comparatur S (*cf. var. praec.*).
» » 3 med. . . . prolationis, (in quo) – probationis A.
» » » » . . . sub his, *bis* – sub iis, *bis* A.
» » » § *Contra* . . ex significato – ex significatio P, ex significatione S.
» x § *Consid.* . . illis – illi PS.
» » » » . . inhaeret – inhaereret A.
» xi princ.. . . . alio (et alio) – *om.* PS.
» xii fin. . . . . non – *om.* P.

Cap. lxiv.

Num. i princ. . . . . (ratione) dimensionum – dimensionis P.
» ii § *Consid.* . . . lxxvi, a. 1 – 71, a 6 A, 76, a. 1, ad 1, PS.
» » § *Advert.*, fin. . animatum – animam PS.
» iii fin. . . . . qu. l – qu. 58 APS.
» » » . . . . . qu. ii – i A, i ar. 2 PS.
» v § *Adv. primo*, fin. alienarum – propriarum P.
» » § *Adv. secundo* . scilicet – *om.* PS.
» » » » . etiam (sola) – etiam si PS.
» » fin. . . . . et in (dimensiones) – et PS.
» vi § *Adv. secundo* . a. 3 – a. 2 A.
» » § *Adv. quarto* fin. in indivisibili – indivisibiliter PS.

Cap. lxv.

Num. i § *Dic., tert.*, fin. . conservabat – conservabit A.
» ii § *Tertio* . . . a. 10 – qu. 4, a. 3 P, qu. 4, a. 2 S.
» iv fin. . . . . fornace – fornacem A.
» v 2 § *Non denique* . illi – isti S.
» » » » » . apud Dan. – in Danielem A.
» » » » » . fit mentio – cap. 3 *add.* PS.
» » 4 § *Sed circa* . . Ergo – *om.* APS.
» » » § *Resp.* . . . d. xii – d. xiii A.
» » » » . . . in resp. ad arg. – ad quartum PS.
» » » § *Moveor postr.* eodem – *om.* A.
» xi § *Ad primam* . . $II^a II^{ae}$ - loco praeallegato *add.* PS.

Cap. lxvi.

Num. ii 2 § *Tum quia de* in illa – *om.* PS.
» iii 2 § *Utrum*, med. sic (videtur) – et sic PS.
» v 1 med. . . . . $qu^a$ 4 – $qu^a$ 3 APS.
» » » fin. . . . . substantium – substantivum PS.

Num. v 4 § *Et tunc* . . fit (dimensionata) – sit PS.
» vi 2 . . . . . determinatam (figuram) – determinatum A.

Cap. lxix.

Num. i § *Probatur* . . quod (ex uvis) – qui A.
» iii fin. . . . . etc. – immolatus est Christus Ergo etc. PS.
» iv princ. . . . . Luc. xxii – Luc. 12 AP.
» » 3 fin. . . . . erat (ante diem) – *om.* A.
» v 2 . . . . . cap. Litteras – cap. Per litteras APS.

Cap. lxx.

Num. ii § *Secundo*, fin. . convenit – conveniat A.
» » § *Advert.*, princ. existentis – *om.* P.
» iv § *Circa*, med. . (intercipi potest et) impediri – impedire PS.
» vi § *Ad auctor.* . . dona – bona APS.

Cap. lxxi.

Num. i § *Quinto* . . . et (consequenter) – *om.* PS.
» » § *Advert. fund.* . si non posset .... resurgere – si non .... resurgeret PS.
» » § *Confirmatur* . cap. vii – infra cap. vii PS.
» ii princ. . . . . ex eo – in ex P.
» » fin. . . . . iuxta illud – Apost. *add.* P.
» iii princ. . . . . attendenda – attendendum PS.

Cap. lxxii.

Num. i princ. . . . et – est PS.
» » » . . . Christi – Christi quae PS, *cf. var. praec.*
» » » . . . sacramentale – sacrificiale A.
» iv 3 . . . . . (Christo) et (perfecte) – *om.* P.
» » » § *Secunda* . remissionem peccati – peccati remissionem PS.
» vi 1 § *Secundum* . operantur – operatur P.
» » 2 § *Ad dubium* q. lxxxiv – q. 83 PS.
» » 3 § *Advert.* . (Unde) causa proxima – causa propria APS.
» vii § *Probatur* . . cum Christus – Chr. cum APS.
» » § *Advert.* . . peccata – sua *add.* PS.
» ix § *Advert.* . . pro facto – profecto PS.
» x 1 . . . . . frustrentur Ecclesiae – Ecclesiae frustentur PS.
» » 2 med. . . . (Christi virtutem) habente – habentem AP.
» » » » . . . possent – posset P.
» xi 2 § *Adv. etiam* impuritate – imputabilitate APS.
» xii § *Ad rationem* ad 2 – ad 3 A.
» xiii 1 § *Hanc* . . ponit – potuit P.
» xiv 2 med. . . . Et hoc – Et hic P.
» xv princ. . . . huiusce – huiusque PS.
» » » . . . (eius partes) sint – *om.* PS.
» xvii 1 fin. . . . aptitudine – aptitudinem P.
» » 2 med. . . . q. 1 – 3 A.
» » 3 princ. . . . a. 7 – 2 APS.
» » 4 » . . . d. xvii – d. 27 APS.
» » 5 fin. . . . transiit – transit PS.
» xviii 1 § *Ad* . . . (habet quod) sit – fit P.
» » 3 princ. . differt – differet PS.
» » » » . . . d. xxii, q. ii, a. 1 qua 1, ad 2 et 3 – d. 221, a. 1, qa 1, 2m et 3m A, d. 14, q. 1, a. 1, qua. 1, ad 1 et ad 2 PS.
» » 4 . . . . . art. alleg. qua 2 – a. 14, q. 2, a. 1 PS. *cf. var. praec.*
» xix 3 med. . . . cum virtutem – cum virtute APS.

Cap. lxxiii.

Num. i princ. . . . . (prout eam) quis – qui PS.
» vi fin. . . . . (oleum sit) materia, (et tamen) – eius materia PS.

Num. viii 3 . . . . . excellentia, *ita nos hic quinquies* – existentia APS *plene prima vice*; A *in 4 ceteris* exn̄tia, PS *semper plene.*
» » » § *Respond.* . et d. xxiii – *om.* PS.

Cap. lxxiv.

Num. ii 2 princ. . . . Secundo sic. – Tertio sic PS; *unde nota addita in* S *superflua est, utpote occasionata ab erronea lectione. Suffecisset consultasse* A.

Cap. lxxv.

Num. iv 3 med. . . . post Capreolum, Quarto – ex 4 Sent. PS.

Cap. lxxvi.

Num. i 2 med. . . . . arduum, *cf. text. s. Th.* – ordinum APS.
» » » fin. . . . . pallis – palliis A.
» » 3 princ. . . . Prima – q. 45, a. 5, ad 1 et *add.* PS.
» ii 1 med. . . . . d. xxiv – 25 A, q. 3, a. 2, qua 2, ad 2 *add.* PS.
» » 3 princ. . . . q. iii, a. 2, qua 2, ad 2 – *om.* PS, *cf. var. praec.*
» iv § *Adv. ex* . . . q. 1 – q. 2 APS
» » fin. . . . . (congregabuntur) etc. – *om.* A.
» v med. . . . . (etc. ut) ostenderetur – ostenderet A.
» vi fin. . . . . (me plus) his – iis A.

Cap. lxxvii.

Num. i § *Secundo* . . . accepit – accipit PS.
» » § *Tertio*, fin. . . qui – quae PS.
» » § *Advert. ex* . . hic – hinc P.

Cap. lxxviii.

Num. i princ. . . . . quinque – quatuor A.
» ii 1 § *Ad*, fin. . . naturae (officium) – quod naturae P, quod est naturae S.
» iii princ. . . . . Tertia – Secunda A.
» » 1 § *Advert.* . . d. xxvi – d. 2, 26a A, d. 2, q. 1, a. 2, et 26 PS.
» » » » » . . . in se (invicem) – se PS.
» iv princ. . . . . Quarta – Tertia A.
» v 3 . . . . . (pactum) pecuniarium – pecuniarum PS.
» vi princ. . . . . Quinta – Quarta A.
» vii § *Advert. ex* . . quae (idem) – qua PS.

Cap. lxxix.

Num. iii 1 § *Secundo* . . appetit (*ita et Scotus l. c.*) – appetiit A.
» vii § *Sed*, fin. . . Qui (cum actu) – Quod A.

Cap. lxxxi.

Num. ii 1 § *Respond.*, fin. incorruptibilis (servari) – incorruptibile A.
» » » § *Advert.* . . (ab) intrinseca (corruptione) – extrinseca PS.
» » » » . . Prima parte – loco praeallegato *add.* PS (*non recte*).
» » 3 med. . . . in (institutione) – ex PS.
» » » » . . . contigit – contingit PS
» iii 2 § *Utrum* . . IV, q. iii, art. 5 – 5 qu. 5 A; *pro* a. 5 *habent* a. 2 PS.
» » 3 § *Dicitur*, fin . producatur – producitur PS.
» iv 3 fin. . . . . tamen (similem) – talem PS.
» » 4 § *Dic. secundo* recuperari – recuperare APS.
» v 2 § *Sed* . . . a. 2, qua 2 – a. 2 A, a. 1 PS.
» vi 5 § *Dicit*, fin. . (scilicet) et (essentialia) – ut PS.
» » » » » . Ex (hoc patet) – Et PS.

Num. VII § *Circa* . . . de Anima (*Sc. Qu. Disp.*) – arti. *add.* A, lib. 2, lect. 1 super 4 text. *add.* PS (*erronee, non agitur de Comm. in Arist.*).
» IX § *Alio*, med. . propriae, (licet remisse) – proprie A.
» X . . . . . q. LXXVII, a. ult. – q. 76, a. ult. A, q. 77, a. 8 PS.
» XI 2 princ. . . . (et tamen) illa – alia PS.
» » 5 princ. . . . essentialia – essentia P.
» XII *Advert.* . . . Cum (enim) – Dum P.
» XIII 1 § *Ad qu.*, med. Declaratur – Declarat A.
» » 2 § *Ad evid.*, med. (formale in) ipsa – ipso A.
» XIV § *Dic. sec.*, princ. (anima) rationali – rationalis S, *cf. text. et var.*
» » » » » med.. (solis) humanis – humanibus PS.
» » » *Dic. tertio*, fin. primitus – prim⁹. A.
» XVI 3 § *Ad sec.*, princ. (dicitur) quod – quod *post* sequenti PS.

Cap. LXXXII.

Ante num. I . . . . . (Circa hoc) autem – *om.* PS.
Num. I § *Quinto*, princ. (Sed resurrectio) non – *om.* PS.
» II § *Respond.*, med. speciei tantum per huiusmodi actionem, sed esse perpetuum – *hom. om.* PS.
» III § *Adverte* . . (in rebus) creatis (inventi) – creati PS.
» IV § *Octavo*, fin. . motui (caeli) – motu AP.

Cap. LXXXIII.

Num. I § *Quantum* . . primo sic. – sic: primo PS.
» » » » med. ista (autem) – iste APS.
» » § *Ex hoc* . . (Tum quia a) substantia – subiecto APS, *cf. textum s. Thom.*
» II 2 med. . . . (quod scilicet) semen – *om.* PS.
» III § *Circa*, med. . ob (hanc rationem) – propter PS.
» » § *Advert.*. . . Advert. – Attentendum est PS.
» IV § *Tertio*, med. . (ut) postmodum (iis) – postmostum (*sic*) PS.
» V prope fin. . . (enim) iudicat – indicat PS.
» VI 2 § *Tertio* . . exercituum – omnibus populis in monte hoc convivium pinguium medullatorum *add.* P.
» » » » . . mei – comedent et vos esurietis, ecce servi mei bibent et vos sitietis *add.* P.
» » » *Quinto* . . XXII – 21 AP.
» VII 3 § *Ad secund.* . demonstrandum – demonstrandam PS, *cf. text. et var.*
» » 3 § *Ad auct.*. . Eccli. – Eccl' A, Eccle P, Eccl. S.
» » 4 § *Dicitur*, fin. solet – solent A.
» » » § *Advert.* . . replicato – replicatio A
» VIII § *Probatur* . . sunt necessaria – necess. sunt PS.

Cap. LXXXIV.

Num. III 1 § *Adv. quod* . humanum corpus – corpus humanum PS.
» » 2 § *Contra* . . (cuiuslibet) animalis – *om.* PS.

Cap. LXXXV.

Num. I 2 § *Sed vid.* . . (principio) debebat – debeat P.
» III § *Licet* . . . et ad virtutis – et *om.* PS.
» » » . . . q. 1 – q. 2, A.
» IV 1 § *Sed* . . . non negat – non *om.* P.

Cap. LXXXVI.

Num. I 1 § *Confirm.* . Seminatur – corpus in ignobilitate, surget *add.* P.
» » » » . Fulgebunt – iusti sicut sol in regno Patris mei *add.* P.
» II 2 § *Circa*, med. resistentiae – resistentis APS.
» III § *Confirmatur* . in incorruptione – in corrupt. A.
» IV 2 § *Ad*, princ. . a 5 – a. 1 et 5 A.

Num. IV 2 § *Ad*, ante med. Delectationes (autem) – Delectationem PS.
» » » » med. . (in) earum (genus) – eorum A.
» V § *Sed* . . . . q. IV – art. 2 PS.
» » » . . . . (ex quibus) corpus – *om.* PS.
» » . fin. . . animae (dotes) – animi PS.
» VI 2 . . . . . (Tum quia) composito – compositio P.
» VIII 2 . . . . . (composito) ex (elementis) – et APS, (*cf. obiect. num.* VI, 2).
» IX princ.. . . . Ad Durandum – Ad 2ᵐ A, secundum P.
» » med. . . . . Ideo et – Et ideo PS.
» X 1 § *Confirm.*, fin. quia animalis – animalibus PS.
» » 2 fin. . . . . substant (formae) – subsistant A, subsistunt PS.
» XI § *Adverte*, med. perfectiorem – perfectionem P.

Cap. LXXXVII.

Num. VI 1 med. . . . concurrant – concurrent PS.

Cap. LXXXIX.

Num. I § *Quinta* . . . Quinta – Quarta P.
» » » » . . . a lumine – et luminae A
» II § *Dic. tertio* . . quantum ad – ad *om.* A.
» » » » » . . secundum (sensum) – in secundum PS.
» » » » . . (licet) eam (solvere) – etiam PS.
» III § *Ad huius* . . VIII, qu. VIII – p°, q. 16 A.
» » § *Consid.* fin. . vel corrumpendo, *ita in texto citato s. Th.* – *om.* APS.

Cap. XC.

Num. II 2 § *Ad* . . . Quolib. II – Quol. III APS.
» » » » . . . (motu) habeant – habeat PS.
» III 1 § *Prob. primo*, in (contrario) – de PS.
» IV 4 § *Circa*, fin. . error (naturae) – errore A.
» VI 1 § *Consid. tertio* apprehenditur – apprenditur PS.
» » 2 § *Ad sec.* . . q. II, a. 2 – qu. 3, a. 1 PS.

Cap. XCI.

Num. II 3 princ. . . . quod (purgatorium) – *om.* A.
» » » med. . . . et est de mente – est *om.* PS.
» III 1 . . . . . in bonis – dies suos, et in puncto ad inferna descendunt *add.* P.
» » » . . . . . dives – et sepultus est in inferno *add.* P.
» » 3 . . . . . Rom. VIII Spe – enim salvi *add.* P.
» » » . . . . . Tum quia subdit, Scientes quoniam dum sumus, etc. – *hom. om.* PS.
» » 4 . . . . . ascendere – descendere APS.

Cap. XCII.

Princ. . . . . voluntatis – voluptatis P.
Num. I § *Secundo* . . cum desinat anima esse recta per aversionem a fine, recta vero – *om.* PS.
» » » » . . (Non) potest – possit APS.
» II § *Circa* . . . Item (intelligitur) – Idem PS.
» » § *Adv. secundo* . VI ac – *om.* PS.
» IV princ.. . . . de Verit. – *om.* A.
» » § *Consid.* . . sibi (naturale) – *om.* PS.
» » » . . . et ut eius – et *om.* PS.

Cap. XCIII.

Princ. § *Et* . . . . . primo sic. – sic. Primo PS.
» » » fin. . . . . punirentur – puniuntur PS.
Med. § *Propter*, fin. . . Prima, q. LXIV, 2, ad 5 – *om.* PS.

Cap. XCV.

Num. II 1 § *Ad evid.*, med. (affectionem) ad aliquid – ad aliud PS.
» » 2 § *Quod*, med. ipsis (est magis) – ipso APS.
» VI 1 . . . . . (nullus) habitus – habituata P.
» VII 3 § *Cum* . . . (falsum est) animam – animal PS.

Num. VII 3 § *Attend.* . . non tamen – non *om.* PS.
» » » . . . . . (primo) punitur – ponitur PS.
» VIII 3 prope fin. . . (Anima autem) rationalis – rō naturalis A.
» » » » » . . (in) earum (cognitionem) – eorum APS.
» » » princ. . . . (de) una (cognitione) – illa PS.
» » » § *Adv. tamen* . cum (dicimus) – quod cum PS.
» X 2 prope fin. . . potuerint (peccare) – poterint A.
» » 3 § *Nec obstat* . q. LXIII – 64 APS.
» XII § *Quantum* . . (dictum est) animam – anima A.

Cap. XCVI.

Num. I § *Quant.*, med. . (Alia vero erit in) resumptione – reassumptione PS.
» III § *Advert.* . . sententiatur – sentiatur PS.
» IV § *Considerand.* . (sed) quia (sententiam) – qui P.

Cap. XCVII.

Num. VI § *Advertendum.* [divina] – *om.* APS.
» VII 1 § *Ex praed.* . (I Cor.) VII – 3 AP.
» 2 § *De hac* . . . q. V – loco praeallegato *add.* PS.

# CORRIGENDA ET ADDENDA

## In Tomo XIII

*(ibi nondum indicata pag.* LVIII)

v 9 *ab infra,* angelici *lege* angelicae.
IX b 15 Antonii, *lege* Aloysii.
20 *adde* Uccellius mortuus est 6 Aprilis 1880.
XIII b 16 Urbinas, *lege* Latinus.
XVI a 22 *ab infra* convenit *primo loco, lege* provenit.
XIX a 10 folii, *adde* supra marginem.
8 *ab infra, in non tempore* pro *non in tempore, lege: non in tempore* pro *in non tempore.*
b 46 inter A et α, *pro* α *lege* nostram traditionem.
XXIV b 32 87, *lege* 86.
4 et 10 *ab infra,* hoc, *lege* hic (hic *erat lectio primi apographi*).
XXXII a 3 *ab infra in nota,* 85, *lege* 87.
XXXIII a 32 *nalez* pro *rolez, lege: rolez* pro *nalez.*
XXXIV b 4 *ab infra in nota,* editione, *lege* traditione.
LIX 15 Urbin., *lege* »
16 » , *lege* Urbin.
19 a 7 *in nota,* αNZ*b*Pc, *lege* DENGWY*b*P*c*.
24 a 15 » » *adde*: Z *legit* maius est sua parte.
29 a 6 qua, *lege* quae.
68 a 7 *in nota,* est *adde: altero loco.*
a 48 ... b 29 *in nota, adde* Cf. 87 a 34.
87 a 34 *in nota, exemplo, adde: autographico, similes casus extra Autographum cf.* 68 a 48 ... b 29, 369 b 27 ... 40, Lib. III cap. 129.
95 b 27 *in nota,* lac. α, *adde* Cf. 260 a 10.
154 cap. 54 *in titulo dele* existens. *Cf. supra p.* XXX a.
215 a 12 *in nota,* αEc, *adde* X.
220 cap. 78 *in titulo* singularia bona, *lege* singula bonorum. *Cf. p.* XXX a.
260 a 10 *in nota,* lac. α, *adde* Cf. 95 b 27.
281 a 9 » » αPc, *lege* Pc.
b 3 » » X, *lege* αX.
345 b 17 » » bonitas, *adde: ceteri.*
369 b 27 » » *adde* Cf. 87 a 34.
384 a 23 caloris, *lege* coloris.
» » » *in nota, adde* coloris EY, caloris.
*De titulis capp. 27, 56 Libri II cf. supra p.* XXVIII b.

## In Tomo XIV.

VII 17 presentia, *lege* praesentia.
XV a 23 omitens, *lege* omittens.
XXVII a 7 a 14, *lege* b 14.
XXVIII a 9 *ab infra in nota,* aestiva, *lege* aestivae.
XXXIII b 11-13 *locis citatis adde* 183 b 22 ex cap. 65 in pag. XVI a.
XXXVI b 45 hac, *lege* hoc.
XXXVII b 34 hoc, *lege* hac.
XLI a 5 *ab infra in nota,* quas, *lege* quae.
b 36 casis, *lege* casibus.
XLIII a 16 variantes, *lege* variantibus.
b 12 ductus, *lege* ducti.
LI 19 Urbin., *lege* »
LI 20 » , *lege* Urbin.
106 cap. 42 *in titulo* cognoscere, *lege* intelligere. *Cf. p.* XXXIII b.
394 a 11 *in nota adde:* Cf. Lib. I pag. 87 a 34 notam.
441 cap. 150 *in titulo* auxilium, *praemitte* divinum. *Cf. p.* XXXV b.
457 cap. 155 » » divino auxilio, *lege* auxilio gratiae. *Cf. p.* XXXVI a.
Appendix 41* a 3-27. *Transferendum ad* 49* a 23.
» 43* a (sub II) 5-6 Exponendus ... processit, *ad hoc adnotandum:* Potius hic mere enumerantur, secundum ordinem successivum foliorum Autographi, partes revisioni subiectae et revisiones partiales factae quam quod exponitur ipse modus et ordo revisionis iuxta Auctoris intentionem. De ista cf. Praef. pagg. XII b, XIII a et XVII-XVIII.
11 Simul, *adde* Cf. Praef. p. XIII b 38-43.
18 Capitulum, *lege* Pars capituli.
21 Capitulum, *lege* Pars capituli.
38 Loco istorum, *omittendum, vel corrigendum (iuxta dicta in Praef.* p. XIII b 38-43 *et* p. XVII a 24-41) *in:* Loco §§ 3-5 capituli (dicti anecdoti) de regimine paterno.
» 44* a 10 bonae, *lege* bona.
» 49* 3 *ab infra,* inadvertenter, *subintellige* ante compositam Praefationem, cf. ibid. p. XIII a 12 *ab infra,* XVII a 9 *ab infra.*
2 *ab infra,* Eadem .... mentio (*quod lege pro* mentis), p. 44* b 3, *supprimendum, non enim erat ibi facienda mentio huius passus quia non est capitulum sed pars capituli, et insuper revera deletus est, ergo non in utraque redactione adest, cf.* 44* a 5.
*De titulis capp. 53, 59, 92, 103 cf. supra* XXVIII b.

## In hoc Tomo XV.

v 24 dicens, *lege* dicentis.
VII a 34 discernandam, *lege* discernendam.
b 19 *ab infra,* Arragoniae, *lege* Aragoniae.
VIII a 34 omnes, *lege* omnia.
4 *In sola editione minore (in 4° max.) numeri intra columnas male appositi sunt, unam lineam inferius admoveantur. Qui variantes quaerit ad hoc attentus sit.*
8 b 1 *in nota,* plene, *lege: plene.*
10 a 46 » » DFHWY*c, omitte* D, *b lege* B*b*.
50 » » EHX, *lege* EGX.
11 a 32 nominans, *lege* nominat (*cf. Variantes Pianae* p. XXV).
17 cap. 7 *in titulo* positionis, *lege* opinionis. *Cf. p.* XXXVI a.
25 b 2 *notam adde*: huiusmodi] huius CFHYZsX.
117 cap. 33 *in titulo* fuisse, *adde* creatam. *Cf. p.* XXXVI b.
118 cap. 34 » » incarnationem Verbi, *lege* unionem Verbi ad hominem. *Cf. p.* XXXVII a.
119 a 5 scientiam, *lege* sententiam (*cf.* p. XXV *et Tom.* XIII, 278 b 14).
170 b 4 *in Comment.* subiectione, *lege* subiectio.
191 a 1 *in nota,* Hoc capitulum ... X. *supprimendum, cf. cap. seq.*
193 a 1 » » DNXpEG, *dele* D.
205 b 5 comparatur, *lege* comparantur.
216 b 32 *asteriscus ad* superius *ponatur supra ad* d. XLIV.
220 b 12 *in Comment.* IV, *lege* V.
26 » » *in nota marg.* Hoc. *omitte punctum.*
241 cap. 76 *in titulo* dignitate, *lege* potestate. *Cf. p.* XXXVII b.
271 cap. 85 » » conditionis, *lege* dispositionis.
291 cap. 95 » » immutabilitate, *adde* voluntatis. *Cf. p.* XXXVIII b.

# CODICUM APPARATUS CRITICI
## SIGLORUM INTERPRETATIO

*Nota.* – De horum valore absoluto et virtuali cfr. Tom. XIII, p. XXXIII b, XIV, p. XLI b, et hic p. XIX b.

| | |
|---|---|
| A . . . . | Textus definitivus Autogr. Vat. Lat. 9850. |
| pA . . . . | Eiusdem aliqua anterior forma. |
| α . . . . | Consensus codicum BCFH. |
| B . . . . | Cod. Vat. Ottob. Lat. 186. |
| C . . . . | » » » » 211. |
| D . . . . | » » Lat. 789. |
| E . . . . | » » » 790. |
| F . . . . | » » » 10139. |
| G . . . . | » » » 791. |
| H . . . . | » » Borghes. 112. |
| N . . . . | » Norimb. Bibl. Civit. Cent. II 26. |
| W . . . . | » Vat. Lat. 792. |
| X . . . . | » » » 788. |
| Y . . . . | » » Urbin. 135. |
| Z . . . . | » » Palat. 356. |

| | |
|---|---|
| P . . . . | Editio Piana, Romae 1570. |
| *b* . . . . | » Romae 1475. |
| *c* . . . . | » Venetiis per Franc. Hailbrun et Nic. de Francf. socios. |
| *d* . . . . | » Venetiis 1480. |
| P*c* . . . . | Lectio Piana incoepit a *c*. |
| P*d* . . . . | » » » a *d*. |

**Commentaria Ferrariensis.**

| | |
|---|---|
| A . . . . | Editio princeps, Venetiis 1524. |
| P . . . . | » Piana, Romae 1570. |
| S . . . . | » Romae 1897–1901. |

# SUMMA CONTRA GENTILES

## SANCTI THOMAE AQUINATIS

CUM COMMENTARIIS

FRATRIS FRANCISCI DE SYLVESTRIS FERRARIENSIS

**LIBER QUARTUS**

# D. THOMAE AQUINATIS

## SUMMA CONTRA GENTILES

CUM COMMENTARIIS

## FRATRIS FRANCISCI DE SYLVESTRIS FERRARIENSIS

# LIBER QUARTUS

## CAPITULUM PRIMUM

### PROOEMIUM

ECCE, HAEC EX PARTE DICTA SUNT VIARUM EIUS, ET CUM VIX PARVAM STILLAM SERMONUM EIUS AUDIVERIMUS, QUIS POTERIT TONITRUUM MAGNITUDINIS EIUS INTUERI. (IOB XXVI, 14)

Intellectus humanus, a rebus sensibilibus connaturaliter sibi scientiam capiens, ad intuendam divinam substantiam in seipsa, quae super omnia sensibilia, immo super omnia alia entia improportionaliter elevatur, pertingere per seipsum non valet. Sed quia perfectum hominis bonum est ut quoquo modo Deum cognoscat, ne tam nobilis creatura omnino in vanum esse videretur, velut finem proprium attingere non valens, datur homini quaedam via per quam in Dei cognitionem ascendere possit: ut scilicet, quia omnes rerum perfectiones quodam ordine a summo rerum vertice Deo descendunt, ipse, ab inferioribus incipiens et gradatim ascendens, in Dei cognitionem proficiat; nam et in corporalibus motibus eadem est via qua descenditur et ascenditur, ratione principii et finis distincta.

Praedicti autem descensus perfectionum a Deo duplex est ratio. Una quidem ex parte primae rerum originis: nam divina sapientia, ut perfectio esset in rebus, res produxit in ordine, ut creaturarum universitas ex summis rerum et infimis compleretur. Alia vero ratio ex ipsis rebus procedit. Nam cum causae sint nobiliores effectibus, prima quidem causata deficiunt a prima causa, quae Deus est, quae tamen suis effectibus praeminent; et sic deinceps quousque ad ultima rerum perveniatur. Et quia in summo rerum vertice Deo perfectissima unitas invenitur; et unumquodque, quanto est magis unum, tanto est magis virtuosum et dignius: consequens est ut quantum a primo principio receditur, tanto maior diversitas et variatio inveniatur in rebus. Oportet igitur processum emanationis a Deo uniri quidem in ipso principio, multiplicari autem secundum res infimas, ad quas terminatur. Et ita, secundum diversitatem rerum, apparet viarum diversitas, quasi ab uno principio inchoatarum, et terminatarum ad diversa.

Per has igitur vias intellectus noster in Dei cognitionem ascendere potest, sed propter debilitatem intellectus nostri, nec ipsas vias perfecte cognoscere possumus. Nam cum sensus, unde nostra cognitio incipit, circa exteriora accidentia versetur, quae sunt secundum se sensibilia, ut color et odor et huiusmodi; intellectus vix per huiusmodi exteriora potest ad perfectam notitiam inferioris naturae pervenire, etiam illarum rerum quarum accidentia sensu perfecte comprehendit. Multo igitur minus pertingere poterit ad comprehendendum naturas illarum rerum quarum pauca accidentia capimus sensu; et adhuc minus illorum quorum accidentia sensu capi non possunt, etsi per quosdam deficientes effectus percipiantur. Sed etsi ipsae naturae rerum essent

---

2 connaturaliter] qualiter α, aliqualiter DWZ, *om* Y. 5 improportionaliter] non proportionaliter FH, improportionabiliter CP. 8 ne *Ita* DGNXZsHP; *ante* in vanum *b*, *om ceteri*. 15 gradatim] gradatio α. 16 et] cum αWYZ, *om* D. 20 duplex *om* αWYZ. quidem] quod α, quae est YsH, quasi Z, *om* W. primae *om* BD, *post* rerum EGN*b*, *post* originis XZ. 22 esset *post* in rebus EGN*b*, rebus inesset D. 23 infimis] intimis αY, infinitis GN. 26 prima] primo α*Pc*. 27 praeminent] praeeminent EXYZP*d*, praeminet NW*b*. 3 unum] propinquum primo E*b*, *om* G. 4 quantum] quanto NXY, quanto magis DsG. 6 et variatio *om* EGN*b*. 11 terminatarum] conterminatarum αWY. 14 cognitionem *Ita* DWXYP*c*; cognitione *ceteri*. 21 inferioris *Ita* EGNZ; interioris αDWXY*b*, exterioris *d*; P *legit*: ad interiorem notitiam pervenire. 23 igitur *om* EGN*b*. 26 sensu *om* EGZP*c*. 27 percipiantur] participantur ENZ*d* participetur P. 28 naturae *post* rerum EX; *pro* essent nobis, essent in nobis EGN*b*.

nobis cognitae, ordo tamen earum, secundum quod a divina providentia et ad invicem disponuntur et diriguntur in finem, tenuiter nobis notus esse potest: cum ad cognoscendam rationem divinae providentiae non pertingamus. Si igitur ipsae viae imperfecte cognoscuntur a nobis, quomodo per eas ad perfecte cognoscendum ipsarum viarum principium poterimus pervenire? Quod quia sine proportione excedit vias praedictas, etiam si vias ipsas cognosceremus perfecte, nondum tamen perfecta principii cognitio nobis adesset.

Quia igitur debilis erat Dei cognitio ad quam homo per vias praedictas intellectuali quodam quasi intuitu pertingere poterat, ex superabundanti bonitate, ut firmior esset hominis de Deo cognitio, quaedam de seipso hominibus revelavit quae intellectum humanum excedunt. In qua quidem revelatione, secundum congruentiam hominis, quidam ordo servatur, ut paulatim de imperfecto veniat ad perfectum: sicut in ceteris rebus mobilibus accidit. Primo igitur sic homini revelantur ut tamen non intelligantur, sed solum quasi audita credantur: quia intellectus hominis secundum hunc statum, quo sensibilibus est connexus, ad ea intuenda quae omnes proportiones sensus excedunt, omnino elevari non potest. Sed cum a sensibilium connexione fuerit liberatus, tunc elevabitur ad ea quae revelantur intuenda.

Est igitur triplex cognitio hominis de divinis. Quarum prima est secundum quod homo naturali lumine rationis, per creaturas in Dei cognitionem ascendit. – Secunda est prout divina veritas, intellectum humanum excedens, per modum revelationis in nos descendit, non tamen quasi demonstrata ad videndum, sed quasi sermone prolata ad credendum. – Tertia est secundum quod mens humana elevabitur ad ea quae sunt revelata perfecte intuenda.

Hanc igitur triplicem cognitionem Iob in verbis propositis insinuat. Quod enim dicit, *Ecce, haec ex parte dicta sunt viarum eius,* ad illam cognitionem pertinet qua per vias creaturarum in Dei cognitionem noster intellectus ascendit. Et quia has vias imperfecte cognoscimus, recte adiunxit, *ex parte. Ex parte enim cognoscimus:* sicut Apostolus dicit, I *Cor.* XIII[9].

Quod vero subdit, *et cum vix parvam stillam sermonum eius audiverimus,* ad secundam cognitionem pertinet, prout divina nobis credenda per modum locutionis revelantur: *fides enim,* ut dicitur *Rom.* X[17], *est ex auditu, auditus autem per verbum Dei;* de quo etiam dicitur *Ioan.* XVII[17], *Sanctifica eos in veritate: sermo tuus veritas est.* Sic igitur, quia revelata veritas de divinis non videnda, sed credenda proponitur, recte dicit, *audiverimus.* – Quia vero haec imperfecta cognitio effluit ab illa perfecta cognitione qua divina veritas in seipsa videtur, dum a Deo nobis mediantibus angelis revelatur, *qui vident faciem Patris**, recte nominat *stillam.* Unde et *Ioel* III[18] dicitur: *In die illa stillabunt montes dulcedinem.* – Sed quia non omnia mysteria quae in Prima Veritate visa angeli et alii beati cognoscunt, sed quaedam pauca nobis revelantur, signanter addit, *parvam.* Dicitur enim *Eccli.* XLIII[35, 36]: *Quis magnificabit eum sicut est ab initio? Multa abscondita sunt maiora his: pauca enim vidimus operum eius.* Et Dominus discipulis dicit, *Ioan.* XVI[12]: *Multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo.* – Haec etiam pauca quae nobis revelantur, sub quibusdam similitudinibus et obscuritatibus verborum nobis proponuntur: ut ad ea quomodocumque capienda soli studiosi perveniant, alii vero quasi occulta venerentur, et increduli lacerare non possint; unde dicit Apostolus, I *ad Cor.* XIII[12]: *Videmus nunc per speculum in aenigmate.* Signanter igitur addit, *vix,* ut difficultas ostenderetur.

* Matth. XVIII, 10.

Quod vero subdit, *Quis poterit tonitruum magnitudinis eius intueri?* ad tertiam cognitionem pertinet, qua Prima Veritas cognoscetur, non sicut credita, sed sicut visa: *videbimus enim eum sicuti est,* ut dicitur I *Ioan.* III[2]. Unde dicit, *intueri.* – Nec aliquid modicum de divinis mysteriis percipietur, sed ipsa maiestas divina videbitur, et omnis bonorum perfectio: unde Dominus ad Moysen dixit, *Exodi* XXXIII[19]: *Ego ostendam tibi omne bonum.* Recte ergo dicit, *magnitudinis.* – Non autem proponetur veritas homini aliquibus velaminibus occultata, sed omnino manifesta: unde Dominus discipulis suis dicit, *Ioan.* XVI[25]: *Venit hora cum iam non in proverbiis loquar vobis, sed palam de Patre annuntiabo vobis.* Signanter ergo dicit, *tonitruum,* ad manifestationem insinuandam.

Competunt autem verba praemissa nostro proposito. Nam in praecedentibus de divinis sermo est habitus secundum quod ad cognitionem divinorum naturalis ratio per creaturas pervenire potest: imperfecte tamen, et secundum proprii possibilitatem ingenii, ut sic possimus dicere cum Iob, *Ecce, haec ex parte dicta sunt viarum eius.* Restat autem sermo habendus de his quae nobis revelata sunt divinitus ut credenda, excedentia intellectum humanum.

Circa quae qualiter procedendum sit, praemissa verba nos docent. Cum enim huiusmodi veritatem vix audiverimus in sermonibus Sacrae Scripturae quasi stillam parvam ad nos descendentem; nec possit aliquis in huius vitae statu tonitruum magnitudinis intueri; erit hic modus

---

2 et *pr. loco om* CEW. 3 nobis notus] notum nobis EGN. 8 Quod quia] quia N*bd*, quod P. 9 etiam] et BFHW, *om* EGX. 11 principii *post* cognitio DE. 24 connexus] annexum E, connexum GN. 29 triplex] duplex E. 32 veritas *om* EG. 35 videndum] intuendum EX. 37 elevabitur] elevatur XYP*c*. 42 vias] viam P*c*. 44 recte ... cognoscimus *hom om* EG. 48 sermonum *Ita* GXZ*b*P*c*; ser. E, sermonis *ceteri*. 49 nobis credenda *om* EG. 50 fides enim *om* G, fides *post* Rom. X EX*b*. 52 Dei *om* D, Christi E. etiam *om* EGN*b*.

4 revelatur] revelantur CEGX*b*. 8 beati *Ita* DNXYZsGP*c*; undique W, bene *ceteri*. 9 addit *Ita* EGN*b*; addidit *ceteri*. 17 quomodocumque *Ita* X; quocumque EG, quoque *ceteri*. 18 soli studiosi] solis studiosis αE, solum studiosis G. *Pro* perveniant, pervenient EG*b*. 20 possint] possunt EFpGH*b*. 22 addit *Ita* CEG; addidit *ceteri*. 23 subdit *Ita* XZ*b*; subdidit *ceteri*. 24 cognitionem] cognitionem eius EN*b*, eius cognitionem GX. 25 cognoscetur] (eius E) cognoscitur EGNX*b*. 31 tibi *post* omne bonum αG. 37 Patre] meo *addunt* P*c*. 45 possibilitatem] impossibilitatem EZ. 51 huiusmodi *om* BZP*c*; vix *om* EX.

servandus, ut ea quae in sermonibus Sacrae Scripturae sunt tradita, quasi principia sumantur; et sic ea quae in sermonibus praedictis occulte nobis traduntur, studeamus utcumque mente capere, a laceratione infidelium defendendo; ut tamen praesumptio perfecte cognoscendi non adsit; probanda enim sunt huiusmodi auctoritate Sacrae Scripturae, non autem ratione naturali. Sed tamen ostendendum est quod rationi naturali non sunt opposita, ut ab impugnatione infidelium defendantur. Qui etiam modus in principio huius operis* praedeterminatus est.

Lib. I, cap. IX.

Quia vero naturalis ratio per creaturas in Dei cognitionem ascendit, fidei vero cognitio a Deo in nos e converso divina revelatione descendit; est autem eadem via ascensus et descensus: oportet eadem via procedere in his quae supra rationem creduntur, qua in superioribus processum est circa ea quae ratione investigantur de Deo*: ut primo scilicet ea tractentur quae de ipso Deo supra rationem credenda proponuntur, sicut est confessio Trinitatis; secundo autem, de his quae supra rationem a Deo sunt facta, sicut opus Incarnationis, et quae consequuntur ad ipsam*; tertio vero, ea quae supra rationem in ultimo hominum fine expectantur, sicut resurrectio et glorificatio corporum, perpetua beatitudo animarum, et quae his connectuntur*.

* Cf. ibid. fin.

* Cap. XXVII sqq.

* Cap. LXXIX sqq.

---

9 quod *ante et post* rationi naturali BH. 10 ab] nobis EGX, ex hoc ab *b*. 14 a Deo *post* in nos EGNX.
4 qua in] quam EG, quam in NsG, qua (superius) X. 6 ea] et ea BFHWZPc. 8 confessio] confirmatio EG*b*. 10 consequuntur] sequuntur Pc. 12 hominum fine *Ita* Pc; fine homini αDW, fine hominis Z, fine ab homine Y, hominum fine homini EGNX*b*.

## Commentaria Ferrariensis

EXPEDITIS tribus primis Libris *adversus Gentes*, accedendum nobis est ad quarti Libri interpretationem.

Dividitur autem in duas partes: scilicet in prooemium; et tractatum*.

Cap. II sqq.

Circa primum duo facit Sanctus Thomas: primo, ostendit circa quae versari hic Liber quartus debeat; secundo, ostendit qualiter in ipso sit procedendum*.

Num. VIII.

Circa primum duo facit: primo, ostendit triplicem esse hominis cognitionem de divinis; secundo, infert propositum*.

Num. VII, 2.

Cf. nn. II, V, VI.

I. Quantum ad primum, ponit quatuor conclusiones*. Quarum prima est: *Intellectus humanus ad intuendam divinam substantiam in seipsa pertingere per seipsum (idest, propria virtute) non valet.*

Probatur. Intellectus humanus a rebus sensibilibus connaturaliter sibi scientiam accipit. Ergo etc. – Probatur consequentia. Quia divina substantia super omnia sensibilia, immo super omnia alia entia improportionabiliter* elevatur.

Cf. text. et var.

2. Circa ipsam conclusionem, advertendum est quod supponit Sanctus Thomas, ex praecedentibus, distinctionem illam de cognitione: quod scilicet aliquid dupliciter cognosci potest, uno modo in alio, alio modo in seipso. In alio dicitur aliquid cognosci, quando non per propriam et adaequatam speciem, sed per speciem eius in quo continetur, cognoscitur: sicut Sortes videtur in speculo. In seipso autem dicitur cognosci, quando per propriam et adaequatam speciem cognoscitur: sicut Sortes quando praesentialiter per seipsum videtur. Dicitur ergo intellectus humanus non posse virtute propriae naturae elevari ad intuendam divinam substantiam in seipsa, ut excludat illam cognitionem qua Deus in creaturis cognitis per ipsarum creaturarum similitudinem cognoscitur. In hanc enim intellectus propria virtute potest.

3. Circa probationem autem conclusionis, attendendum est quod, cum via sensuum intellectus suam cognitionem capiat, non potest intellectus in aliam cognitionem naturaliter pervenire quam in eam ad quam ipsa sensibilia, et eorum similitudines intellectuales, perducere possunt. Sensibilia autem, quia sunt effectus inadaequati et improportionati divinae naturae, utpote ab eius perfectione in infinitum distantes, inquantum quidem sunt divini effectus, possunt ducere in cognitionem aliquam Dei: sed quia sunt inadaequati effectus et improportionati, non possunt ducere in talem cognitionem eius quae sit perfecta, qua scilicet videatur divina substantia in seipsa; nam omnis similitudo in intellectu ex sensibilibus impressa est alicui creaturae adaequata, et nulla divinam substantiam, secundum quod in se est, repraesentat.

II. Secunda conclusio est: *Datur homini via quaedam per quam in Dei cognitionem ascendere possit.* – Probatur. Quia aliter tam nobilis creatura in vanum esse videretur, si finem proprium attingere non valeret: nam perfectum hominis bonum est ut quoquo modo Deum cognoscat.

Advertendum est quod *perfectum hominis bonum* vocat Sanctus Thomas ultimum complementum suae naturalis perfectionis, quod quidem in finis adeptione consistit: hoc enim est Deum aliquo modo cognoscere. Unde Philosophus, X *Eth.**, felicitatem ponit in cognitione optimi intelligibilis. Propter hoc infert quod, si non esset homini data aliqua via perveniendi in Dei cognitionem, finem suum attingere non posset, et sic in vanum esset.

* DIDOT cap. VII, 1, 2.-S.Th. l. 10.

III. Ad huius autem conclusionis declarationem, notat primo, quod ista via est processus rerum a Deo ordine quodam, a cuius processus inferioribus homo incipiens, et gradatim ascendens, in Dei cognitionem proficit. Identitas autem huius viae ostenditur ex corporalibus motibus, in quibus eadem est via qua ascenditur et descenditur, ratione principii et finis distincta.

Notat secundo, quod duplex est ratio descensus perfectionum a Deo. Prima, ex parte primae originis rerum: secundum quod divina sapientia res produxit in ordine, ut creaturarum universitas ex summis rerum et infimis compleretur. Secunda est ex ipsis rebus: inquantum primo* causata a prima causa, quae est Deus, deficiunt, et ipsa suis effectibus praeeminent, et sic deinceps quousque ad ultima rerum perveniatur.

* Vid. text. et var.

Notat tertio quod, quia in Deo perfectissima unitas invenitur; et unumquodque, quanto est magis unum, tanto est magis virtuosum et dignius: quantum a primo principio receditur, tanto maior diversitas et variatio invenitur in rebus. Et sic secundum diversitatem rerum apparet viarum diversitas, quasi ab uno principio inchoatarum, et terminatarum ad diversa.

Notat quarto, quod per has quidem vias intellectus noster in Dei cognitionem ascendere potest, sed propter eius debilitatem nec vias ipsas perfecte cognoscere possumus. Tum quia, cum vix intellectus per exteriora accidentia possit ad interiorem notitiam pervenire* etiam illarum rerum quarum accidentia sensu perfecte comprehendit, multo minus comprehendere poterit naturas illarum rerum quarum pauca accidentia capimus sensu; et adhuc minus illarum quarum accidentia capi non possunt. – Tum quia, etiam si rerum naturae cognoscerentur, ordo tamen earum secundum quod a divina providentia disponuntur et diriguntur in finem, tenuiter nobis notus esse potest.

* Cf. text. et var.

IV. Ad evidentiam eius quod primo notat Sanctus Thomas*, considerandum est quod, cum processus perfectionum a Deo duos habeat terminos, scilicet ipsum primum principium, qui est Deus, a quo omnis originatur perfectio, et ultimas rerum perfectiones, non potest intellectus huma-

* Num. praec.

nus hunc rerum et perfectionum ordinatarum processum cognoscere incipiendo a summo vertice Deo, descendendoque ad inferiora, cum Deus omnem sensus cognitionem effugiat, a qua intellectus nostri cognitio originem habet; sed necesse est ut ab inferioribus perfectionibus incipiat, gradatimque ad superiorum cognitionem ascendat, quousque ad cognitionem Dei perveniat. Quia vero eadem via est descensus et ascensus secundum rem, sicut est eadem scala per quam quis ascendit et descendit, distincta tantum ratione, – inquantum, cum motus in ipsa a supremo incipit et terminatur ad infimum, vocatur via descensus; inquantum vero ab infimo incipit et terminatur ad supremum, dicitur ascensus – ideo dici potest quod via per quam potest intellectus humanus in Dei cognitionem ascendere, est *processus perfectionum a Deo ordine quodam;* sicut enim ordine quodam illae a summo vertice descendunt, ita per illas ordine quodam, incipiendo ab inferioribus, scilicet a corruptibilibus, humanus intellectus ascendit ad Deum.

2. Circa id quod secundo notatur, attendendum quod illa duplex ratio descensus perfectionum a Deo sic intelligitur quod prima ratio est divina sapientia, statuens ordinem huiusmodi perfectionum in rebus, ut scilicet quaedam sint supremae, quaedam vero infimae. Nam ipsa divina sapientia dicitur prima rerum origo, inquantum prius in mente divina rerum omnium ordo est constitutus quam sint res ordine quodam in esse productae. Et sic, dum res producuntur in esse secundum illum ordinem quem divina sapientia statuit, ipsa divina sapientia est primum principium unde rerum ordo originatur.

Secunda vero est ipsarum rerum productarum natura. Nam cum omnia sint a Deo causata, constat quod ipsis convenit ut ab ipso Deo in perfectione deficiant. Cum vero inter ipsa causata a Deo unum sit causa alterius, – intellige, non tantum sicut unum individuum est alterius individui causa in eadem specie, sed sicut unum est causa alterius secundum totam suam speciem, quemadmodum caelum est causa specierum corruptibilium omnino materialium – oportet unum esse altero praestantius et perfectius: nam causa alicuius totius speciei est perfectior illa specie. Et sic, descendendo usque ad infimas species, ex ipsa rerum natura, secundum quod quaedam res aliarum rerum sunt causa, constat creaturarum perfectiones ordine quodam a Deo descendere: quia videlicet quaedam secundum naturam suam sunt Deo secundum perfectionem proximiores, quaedam vero sunt ab eo remotiores.

3. Circa id quod tertio notatur, attendendum est quod, cum in Deo sit perfectissima unitas, eo quod simplicissimus sit, nullamque rerum in se multiplicitatem habeat, ut superius * est ostensum, sitque Deus et virtuosissimus et dignissimus: cum, ut hic dicitur, unumquodque, quanto magis est unum, secundum scilicet suam naturam, tanto sit magis virtuosum et dignius, utpote tanto magis de ratione entis participans; necesse est ut, quanto aliquid magis ab ipso Deo recedit (non quidem secundum localem distantiam, sed secundum distantiam perfectionalem), tanto sit minus unum, et minus perfectum, atque minus dignum. Propterea optime infert Sanctus Thomas multiplicari processus perfectionum a Deo secundum rerum infimarum multiplicitatem. Ista enim maxime a divina perfectione elongantur, et ideo in eis maxima multiplicitas et varietas atque imperfectio invenitur.

*Lib. I, cap. XVIII.

4. Circa id quod quarto notatur, advertendum est quod in processu creaturarum a Deo duo considerari possunt: scilicet ipsae res, ordine quodam a Deo procedentes; et ordo ipsarum rerum ad invicem et ad finem ipsis a divina sapientia praestitutus. Si consideretur iste processus, secundum quem diversae viae ascendendi ad Deum constituuntur, quantum ad ipsas res, sic inquit Sanctus Thomas quod imperfecte a nobis cognoscitur: inquantum sunt quaedam res quarum pauca accidentia sensu cognoscimus, sicut sunt corpora caelestia, maxime ea quae magis a mundo inferiori distant; quaedam vero sunt, sicut substantiae separatae, quarum accidentia sensu capi non possunt, quamvis per quosdam deficientes effectus participentur; effectus enim a substantiis separatis in istis inferioribus causati deficiunt ab ipsarum repraesentatione, inquantum materialia haec, quae sub sensu cadunt, illis sunt inadaequata. – Si vero consideretur iste processus quantum ad ipsum rerum ordinem, sic addit Sanctus Thomas quod etiam praedictae viae imperfecte a nobis cognoscuntur: inquantum, etiam si res ipsas cognosceremus perfecte quantum ad earum substantiam, non tamen perfecte cognoscimus ordinem eis impositum a divina sapientia; eo quod ipsam divinae sapientiae rationem, idest, ipsam divini intellectus conceptionem qua res ordinat et disponit, non cognoscamus.

V. Tertia conclusio est: *Per istas vias non possumus pervenire ad perfecte cognoscendum ipsarum viarum principium, scilicet Deum.* – Probatur primo. Ipsae viae imperfecte a nobis cognoscuntur. Ergo etc. – Secundo. Deus sine proportione excedit vias praedictas. Ergo etc.

Adverte quod ex hac secunda ratione datur intelligi praedictas vias, praedictosque creaturarum processus, licet in Deo uniantur, non tamen includere ipsum Deum tanquam principium intrinsecum earum, sed tanquam extrinsecum principium, quod est omnium istarum viarum principium productivum. Nam si intrinsece pertineret ad istas vias, falsum esset quod hic dicitur, scilicet Deum vias praedictas sine proportione excedere. Unde, cum dictum est superius *processum emanationis a Deo uniri in ipso principio,* intelligendum est de extrinseco principio, non de intrinseco.

VI. Quarta conclusio est: *Convenienter Deus, ex superabundanti bonitate, quaedam de seipso hominibus revelavit.* – Probatur. Dei cognitio, ad quam per vias praedictas, intellectuali quodam quasi intuitu, homo pertingere poterat, debilis erat. Ergo conveniens erat ut Deus aliqua de seipso revelaret, quo talis cognitio firmior esset.

2. Ad horum evidentiam, duo sunt attendenda. Primum est, quod intuitus intellectualis proprie ad illam cognitionem qua res videtur in seipsa per speciem propriam, pertinet. Quia ergo homo non potest Deum per seipsum et per propriam eius speciem in hac vita cognoscere, sed tantum per speciem creaturarum, ideo eius cognitio non proprie dicitur intellectualis intuitus. Propter hoc ipsam vocavit Sanctus Thomas non simpliciter *intellectualem intuitum,* sed *quasi.* Nam proprie quidem, per praedictas vias homo in Dei cognitionem ascendens, Deum non intuetur: potest tamen dici *quasi intueri,* quando ad eam cognitionem pervenit quae perfectissima est inter cognitiones habitas de Deo ex creaturis; propter excessum enim eius ad alias imperfectas cognitiones, quasi intuitiva cognitio dici potest.

Alterum est quod, licet Deus ex sua bonitate communicet creaturae quicquid illi communicat, aliqua tamen dicitur *ex superabundanti bonitate* communicare, inquantum illa non exiguntur ad naturae cui communicantur integritatem, quasi talia sibi debeantur, supposito quod Deus illam creaturam velit producere: sed Deus, absque ullo simpliciter debito ex parte creaturae se tenente, ea creaturae communicat. Et ista sunt quae naturali perfectioni superadduntur. Quia ergo ad naturalem hominis perfectionem non pertinet quod a Deo aliquam de divinis cognitionem per revelationem accipiat, sed tantum quod ex creaturis in Deum ascendat; ideo convenienter hic dicitur quod *ex superabundanti bonitate quaedam hominibus de seipso Deus revelavit, ut firmior esset cognitio,* dum scilicet homo scit divinam revelationem infallibilem esse.

3. Ad huius autem manifestationem conclusionis, notat Sanctus Thomas quod huiusmodi, secundum hominis congruentiam, sic ei primo revelantur ut tamen non intelligantur, sed solum quasi audita credantur: quia, secundum hunc statum, intellectus elevari non potest ad ea intuenda quae omnes sensus proportiones excedunt. Cum autem a sensibilium connexione fuerit liberatus, tunc elevabitur ad ea quae revelantur intuenda.

Advertendum quod loquitur Sanctus Thomas secundum communem et consuetum modum revelationis divinae, qui est ut in hac vita divina nobis revelata credantur, magis quam videantur. Sed aliquando, praeter consuetum modum,

Cf. II$^{am}$ II$^{ae}$, q. CLXXV, 3.

Deus aliquos etiam ad intuendam ipsam divinam essentiam elevat, ut de Moyse et Paulo creditur*. Quamvis etiam possit dici quod isti erant quodammodo a sensibilium connexione liberati, inquantum tunc sensibus non utebantur.

VII. Ex istis infert Sanctus Thomas quod *triplex est cognitio hominis de divinis:* scilicet naturalis, quae est per creaturas; ea quae per revelationem est habita, non quasi sit divina veritas demonstrata ad videndum, sed quasi sit sermone prolata ad credendum; et ea secundum quam elevatur mens humana ad perfecte intuendum ea quae sunt revelata.

Vid. textum in capite Prooemii.

Confirmatur haec principalis conclusio auctoritate *Iob* XXVI*. Primam enim cognitionem tangit inquiens: *Ecce, haec ex parte dicta sunt viarum eius.* – Secundam vero cum inquit: *et cum vix parvam stillam sermonum eius audiverimus.* Nam *fides est ex auditu,* ut habetur *Rom.* X, *auditus autem per verbum Dei,* de quo *Ioan.* XVII. – Tertiam vero cum inquit: *Quis poterit tonitruum magnitudinis eius intueri?* Nam quia per ipsam cognoscetur clare et manifeste divina maiestas, ut habetur I *Ioan.* III, et *Exod.* XXXIII, et *Ioan.* XVI, convenienter dicitur res per illam cognitionem cognita *tonitruum:* est enim tonitruum res manifestissima. Quomodo autem ista auctoritas proposito conveniat, clare ostenditur in littera.

Cf. init. Comm.

2. Istis praemissis, infert Sanctus Thomas principale propositum huius partis*, inquiens quod, cum in praecedentibus habitus sermo sit de divinis secundum quod ad ipsa naturalis ratio per creaturas pervenire potest, imperfecte tamen, restat sermo habendus de iis quae nobis divinitus revelata sunt ut credenda, excedentia humanum intellectum.

Cf. ibid.

VIII. Quantum ad secundum principale, ostendit qualiter in hoc libro sit procedendum*. Et duo dicit. Primum est, quod iste modus servandus est, ut ea quae in sermonibus Sacrae Scripturae sunt tradita, quasi principia sumantur; et sic ea quae in sermonibus praedictis nobis occulte traduntur, studeamus utcumque mente capere, a laceratione infidelium defendendo; remota tamen praesumptione perfecte cognoscendi, quia huiusmodi probanda sunt auctoritate Sacrae Scripturae, non autem ratione naturali. Ostendendum tamen est quod rationi naturali non sunt opposita.

Secundum est quod, cum naturalis ratio per creaturas in Dei cognitionem ascendat, fidei vero cognitio e converso a Deo in nos divina revelatione descendat; sitque eadem via ascensus et descensus: oportet eadem via procedere in iis quae supra rationem creduntur, qua in superioribus processum est circa ea quae ratione investigantur de Deo; ut primo scilicet tradantur quae in ipso Deo credenda proponuntur, ut est confessio Trinitatis; secundo, ea quae supra rationem a Deo sunt facta, ut opus Incarnationis; tertio, ea quae supra rationem in ultimo hominum fine expectantur, sicut resurrectio, etc. Huic processui adaptatur etiam auctoritas praedicta.

Ad huius evidentiam, attendendum est quod in processu circa ea quae naturali ratione de Deo investigata sunt, talis ordo servatus est, ut in superioribus patuit, quod primo habita est consideratio de iis quae Deo secundum seipsum conveniunt; secundo, de processu creaturarum ab ipso; tertio, de ordine creaturarum in ipsum sicut in finem. Quia ergo eadem via procedendum est circa ea quae per revelationem divinam cognoscuntur de Deo, inquit Sanctus Thomas, correspondenter ad praedictum ordinem, oportere primo tractari de iis quae in ipso Deo supra rationem credenda proponuntur; deinde de iis quae supra rationem a Deo sunt facta; tertio, de iis quae in ultimo fine expectantur.

IX. Sed occurrit dubium. Nam licet eadem via sit ascensus et descensus materialiter, distinguuntur tamen formaliter ratione principii et finis, ut superius* dicebatur: quia videlicet quod est principium in ascensu, est finis in descensu; et quod in ipso est finis, in alio est principium. Ideo, si naturalis ratio per creaturas in Dei cognitionem ascendit, divina vero revelatio descendit ad nos a Deo; licet per eosdem gradus cognitionis debeat procedi in utroque processu; non tamen eodem ordine procedendum est, sed e contrario. Nam si ultimus gradus considerationis divinorum quae naturali ratione cognoscuntur ascendendo, fuit consideratio ordinis creaturarum in Deum sicut in finem, prima consideratio in processu ad ea quae supra rationem sunt revelata, debet esse de iis quae in ultimo fine expectantur, non autem de iis quae in ipso Deo proponuntur credenda. Et sic ex identitate ascensus et descensus videtur male concludi oportere eundem esse processum in iis quae ratione naturali cognoscuntur de Deo, et in iis quae supra rationem proponuntur credenda.

* In principio textus.

Respondetur quod optime procedit ratio, si diligenter eius intentum inspiciatur. Considerat enim Sanctus Thomas ascensum et descensum hoc loco secundum quod materialiter idem sunt, non autem secundum quod formaliter distinguuntur: inquantum videlicet in cognitione habita de Deo per rationem naturalem, et in cognitione habita per revelationem, iidem gradus proportionaliter inveniuntur. Hoc enim stante, habet suum intentum. Cum enim in traditione doctrinae, de quo processu loquitur Sanctus Thomas, de prioribus sit prius determinandum; et in ipsis gradibus eorum quae de Deo cognoscuntur sive via ascensus sive via descensus, idest, sive per rationem naturalem sive per revelationem cognoscantur, sit ordo quidam secundum rerum naturam absolute consideratam; et iste ordo secundum naturam sit idem in utroque modo cognoscendi, modus enim cognoscendi rei naturam non variat: necesse est secundum eundem ordinem in utroque processu doctrinam tradi. Cum enim secundum naturam, vel secundum nostrum modum intelligendi, prius sint ea quae Deo conveniunt secundum seipsum, quam ea quae important processum creaturarum ab ipso; et haec prius sint quam ordo ipsarum creaturarum ad Deum tanquam ad finem: conveniens est ut in utroque processu prius determinetur de iis quae Deo secundum seipsum conveniunt; tum de iis quae ab ipso fiunt; deinde de iis quae ad creaturarum ordinem in finem spectant.

# CAPITULUM SECUNDUM

## QUOD SIT GENERATIO, PATERNITAS ET FILIATIO IN DIVINIS.

PRINCIPIUM autem considerationis a secreto divinae generationis sumentes, quid de ea secundum Sacrae Scripturae documenta teneri debeat, praemittamus. Dehinc vero ea quae contra veritatem fidei infidelitas adinvenit argumenta ponamus*: quorum solutione subiecta*, huius considerationis propositum consequemur.

* Cap. x.

* Cap. XI-XIV.

Tradit igitur nobis Sacra Scriptura in divinis *paternitatis* et *filiationis* nomina, Iesum Christum *Filium Dei* contestans. Quod in scriptura Novi Testamenti frequentissime invenitur. Dicitur enim

4 praemittamus *Ita* DXYZsGHWP*c*; praetermittamus. 6 quorum] quarum α D.
5 scriptura] sacra scriptura EGNX*b*.

*Matth.* XI[27]: *Nemo novit Filium nisi Pater: neque Patrem quis novit nisi Filius.* – Ab hoc Marcus suum Evangelium coepit, dicens: *Initium Evangelii Iesu Christi, Filii Dei.* – Ioannes etiam Evangelista hoc frequenter ostendit: dicitur enim *Ioan.* III[35]: *Pater diligit Filium, et omnia dedit in manu eius;* et *Ioan.* V[21]: *Sicut Pater suscitat mortuos et vivificat, sic et Filius quos vult vivificat.* – Paulus etiam Apostolus haec verba frequenter interserit: dicit enim, *Rom.* I[1-3], se *segregatum in Evangelium Dei, quod ante promiserat per prophetas suos in Scripturis Sanctis de Filio suo;* et *ad Heb.* I[1]: *Multifariam multisque modis olim Deus loquens Patribus in prophetis, novissime diebus istis locutus est nobis in Filio.*

Hoc etiam traditur, licet rarius, in scriptura Veteris Testamenti. Dicitur enim *Proverb.* XXX[4]: *Quod nomen eius? Et quod nomen Filii eius, si nosti?* In Psalmo etiam legitur*: *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu.* Et iterum*: *Ipse invocavit me, Pater meus es tu.*

Et quamvis haec duo ultima verba aliqui vellent ad sensum alium retorquere, ut quod dicitur, *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu,* ad ipsum David referatur; quod vero dicitur, *Ipse invocavit me, Pater meus es tu,* Salomoni attribuatur: tamen ea quae coniunguntur utrique, hoc non omnino ita esse ostendunt. Neque enim David potest competere quod additur, *Ego hodie genui te;* et quod subditur, *Dabo tibi gentes hereditatem tuam, et possessionem tuam terminos terrae,* cum eius regnum usque ad terminos terrae non fuerit dilatatum, ut historia Libri *Regum* declarat. Neque etiam Salomoni potest omnino competere quod dicitur, *Ipse invocavit me, Pater meus es tu:* cum subdatur*, *Ponam in saeculum saeculi sedem eius, et thronum eius sicut dies caeli.* Unde datur intelligi quod, quia quaedam praemissis verbis annexa David vel Salomoni possint congruere, quaedam vero nequaquam, quod de David et Salomone haec verba dicantur, secundum morem Scripturae, in alterius figuram, in quo universa compleantur.

Quia vero nomina *patris* et *filii* generationem aliquam consequuntur, ipsum etiam *divinae generationis* nomen Scriptura non tacuit. Nam in Psalmo, ut dictum est, legitur: *Ego hodie genui te.* – Et *Proverb.* VIII[24,25], dicitur: *Nondum erant abyssi et ego iam concepta eram: ante omnes colles ego parturiebar:* vel, secundum aliam litteram*: *Ante omnes colles generavit me Dominus.* – Dicitur etiam *Isaiae ult.**: *Numquid ego, qui alios parere facio, ipse non pariam? dicit Dominus: Si ego, qui generationem ceteris tribuo, sterilis ero? ait Dominus Deus.* Et licet dici possit hoc esse referendum ad multiplicationem filiorum Israel de captivitate revertentium in terram suam, quia praemittitur*, *Parturivit et peperit Sion filios suos,* tamen hoc proposito non obsistit. Ad quodcumque enim ratio aptetur, ipsa tamen ratio, quae ex Dei ore inducitur, firma et stabilis manet: ut, si ipse aliis generationem tribuat, sterilis non sit. Nec esset conveniens ut qui alios vere generare facit, ipse non vere, sed per similitudinem generet: cum oporteat nobilius esse aliquid in causa quam in causatis, ut ostensum est*. – *Ioan.* etiam I dicitur*: *Vidimus gloriam eius quasi Unigeniti a Patre;* et iterum*: *Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit.* – Et Paulus dicit, *Heb.* I[6]: *Et cum iterum introducit Primogenitum in orbem terrae, dicit: Et adorent eum omnes angeli Dei.*

*Ps. II, 7. *Ps. LXXXVIII, 27. *Vers. 30. *LXX *Interpr.* *Cap. LXVI, 9. *Vers. 8. *Cap. I, *Praedicti.* *Vers. 14. *Vers. 18.

---

2 Ab hoc] Ad hoc BE*d*, Adhuc P. 3 coepit] incipit NP, incoepit *cd.* 5 frequenter *om* EG. dicitur enim *Ita* NWXZ*b*P*c*; et dicitur in EsG, et dicitur enim *ceteri.* 6 Ioan. III ... et vivificat] Ioan. Pater mortuos vivificat E *et sine* Pater G. 10 se segregatum in] segregatum in *Gcd*, segregatus est CDZ, segregatus P. 13 modis ... in prophetis] modis et sequitur E *et sine* modis X. 16 Hoc] Et hoc EGNX*b*. scriptura] scripturis YP. 18 eius] eius est D, est eius P*d*. 28 non omnino] omnino non DP. 32 usque ... non fuerit] non usque ... fuerit *α*. 34 etiam *om* EGNX*b*.

1 sedem plene Y, semen DP, se. *ceteri.* 6 morem] maiorem EGX. 8 generationem aliquam *Ita* DYZsHP*c*; (de NsG, ex W) generatione aliqua *ceteri.* 9 consequuntur] consequantur EGN. 10 non *om* EG. 14 vel] et EGX*b*. 16 Dicitur ... Dominus *hom om* EGX. 17 Si *om* EGX. 19 possit] posset EGNX*b*. 23 proposito] propositioni EGX. 24 aptetur] adaptetur EGXY*b*, adeptetur N. quasi] gloriam quasi DXZP*c*.

## Commentaria Ferrariensis

Positio prooemio, accedit Sanctus Thomas ad determinationem eorum quae de Deo per revelationem a nobis cognoscuntur, secundum ordinem propositum*: nam primo determinat de pertinentibus ad Trinitatem; secundo, de pertinentibus ad Incarnationem, cap. XXVII; tertio, de iis quae ad futuram resurrectionem spectant, cap. LXXIX.

*Procem., fin.

Circa primum duo facit: primo, ostendit esse in divinis generationem, paternitatem et filiationem; secundo, ostendit etiam Spiritum Sanctum in divinis esse, cap. XV.

Circa primum duo facit: primo, ostendit ex auctoritate Sacrae Scripturae ista in divinis esse; secundo, ponit rationes contra divinam generationem, et solvit, cap. X sqq.

Circa primum duo facit: primo, ostendit quod dictum est; secundo, quod Filius Dei sit Deus, capite sequenti probat.

I. Quantum ad primum, ponitur haec conclusio: *Sacra Scriptura tradit nobis in divinis paternitatis et filiationis ac generationis nomina, Iesum Christum Filium Dei contestans.*

De *paternitate* et *filiatione* probatur primo auctoritate Novi Testamenti: scilicet, *Matth.* XI, *Nemo novit Filium* etc.; *Marci* I, *Initium Evangelii* etc.; *Ioan.* III, *Pater diligit Filium* etc.; *Ioan.* V, *Sicut Pater* etc.; Pauli *ad Rom.* I, *segregatum* etc.; *ad Heb.* I, *Multifarie* etc.

Secundo probatur auctoritate Veteris Testamenti: scilicet, *Proverb.* XXX, *Quod nomen est eius* etc.; Psalmi II, *Dominus dixit ad me* etc.; et Psalmi LXXXVIII, *Ipse invocavit me* etc.

Si autem dicatur prima verba Psalm. ad David referri, ultima autem ad Salomonem: – primum quidem constat esse falsum, quia subditur ibidem, *Ego hodie genui te,* et, *Dabo tibi gentes hereditatem tuam, et possessionem tuam terminos terrae:* quod David non convenire historia Libri *Regum* declarat, ex qua apparet regnum eius non fuisse usque ad terminos terrae dilatatum. Secundum etiam constat esse falsum, quia subditur, *Ponam in saeculum saeculi sedem eius* etc.: quod Salomoni convenire non potest. Ex quo infert Sanctus Thomas quod, cum quaedam praedictis verbis annexa David vel Salomoni possint congruere, quaedam vero nequaquam, de ipsis dicuntur, secundum morem Scripturae, in alterius figuram, in quo universa compleantur.

II. De *generationis* vero nomine, quam nomina *patris* et *filii* consequuntur, mentionem facit Scriptura in Psalmo, *Ego hodie* etc.; *Proverb.* VIII, *Nondum erant abyssi* etc.; *Isaiae* ult., *Numquid ego qui alios* etc.

Si dicatur noc dictum referendum esse ad multiplicationem filiorum Israel, ut antecedentia verba videntur innuere: hoc proposito non obsistit. Quia ipsa ratio, ex ore Dei inducta, firma et stabilis manet ad quodcumque adaptetur: ut, si ipse aliis generationem tribuit, sterilis non sit. – Nec esset conveniens ipsum, qui alios vere generare facit, non vere, sed similitudinarie generare.

Probatur etiam auctoritate Novi Testamenti. *Ioan.* I, *Vidimus gloriam eius* etc.; item, *Unigenitus* etc.; et Pauli, *ad Heb.* I, *Et iterum cum introducit primogenitum* etc.

# CAPITULUM TERTIUM

## QUOD FILIUS DEI SIT DEUS.

CONSIDERANDUM tamen quod praedictis nominibus Divina Scriptura utitur etiam ad creationem rerum ostendendam: dicitur enim *Iob* XXXVIII[28,29]: *Quis est pluviae pater? Vel quis genuit stillas roris? De cuius utero egressa est glacies? Et gelu de caelo quis genuit?* Ne igitur nihil aliud ex *paternitatis, filiationis* et *generationis* vocabulis intelligeretur quam creationis efficacia, addidit Scripturae auctoritas ut eum quem *filium* et *genitum* nominabat, etiam Deum esse non taceret, ut sic praedicta generatio aliquid amplius quam creatio intelligeretur. Dicitur enim *Ioan.* I[1]: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum.* Et quod *Verbi* nomine Filius intelligatur, ex consequentibus ostenditur: nam subdit*: *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis, et vidimus gloriam eius, gloriam quasi Unigeniti a Patre.* – Et Paulus dicit, *Tit.* III[4]: *Apparuit benignitas et humanitas Salvatoris nostri Dei.*

Vers. 14.

Hoc etiam Veteris Testamenti scriptura non tacuit, Christum Deum nominans. Dicitur enim in Psalmo*: *Sedes tua, Deus, in saeculum saeculi, virga directionis virga regni tui: dilexisti iustitiam, et odisti iniquitatem.* Et quod ad Christum dicatur, patet per id quod subditur: *Propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo laetitiae prae consortibus tuis.* – Et *Isaiae* IX[6] dicitur: *Parvulus natus est nobis, et filius datus est nobis, et factus est principatus super humerum eius; et vocabitur nomen eius Admirabilis, Consiliarius, Deus fortis, Pater futuri saeculi, Princeps pacis.*

* Ps. XLIV, 7, 8.

Sic igitur ex Sacra Scriptura docemur Filium Dei, a Deo genitum, Deum esse. Filium autem Dei Iesum Christum Petrus confessus est, ei dicens*: *Tu es Christus, Filius Dei vivi.* Ipse igitur et Unigenitus est, et Deus est.

* Matth. XVI, 16.

2 utitur *om* pEGH, *ante* Divina X. 9 efficacia] efficientia EGN*b*. 10 etiam Deum esse] esse E, esse Deum esse G, Deum esse sE, etiam esse Deum *b*. 18 Et Paulus *om* E, Et postea X; Tit. III ... nostri Dei *om* EGX.
3 Veteris] ex veteris EGNX. 7 per id] propter hoc EGNX*b*. 10 dicitur *om* EGNX 14 Filium Dei] Christum Filium Dei ENXsG.

### Commentaria Ferrariensis

QUIA praedictis nominibus Sacra Scriptura utitur etiam ad creationem rerum ostendendam, ut patet *Iob* XXXVIII, *Quis est pluviae pater* etc.; ne nihil aliud ex praedictis nominibus credatur intelligi quam creationis efficientia*, ostendit Sanctus Thomas, ex Sacrae Scripturae locis, *generationem* aliquid amplius quam creationem dare intelligere: ex eo videlicet quod quem *filium* et *genitum* nominabat, Deum etiam esse non tacet*.

Cf. text. et var.

Cfr. init. Com. cap. praec.

Circa hoc autem duo facit: primo, ostendit propositum; secundo, opiniones haereticorum narrat, capitulis sequentibus.

Quantum ad primum, arguit auctoritate *Ioan.* I; *In principio erat Verbum* etc. *Verbi* enim nomine Filium intelligi ex sequentibus ostenditur, cum dicitur, *Verbum caro* etc. Item Pauli, *ad Titum* III, *Apparuit benignitas* etc. – Idem ex Veteri Testamento ostenditur, in quo Christus Deus nominatur, ut in Psalmo, *Sedes tua Deus* etc. Quod de Christo dici apparet ex eo quod subditur, *Propterea unxit te* etc.

Adverte quod, quia Christus *unctus* dicitur, ex eo quod Scriptura eum quem dicit Deum esse, unctum quoque a Deo subiungit, convenienter ostenditur de Christo illud esse dictum.

Confirmatur etiam autoritate *Isaiae* IX, *Parvulus datus est* etc.

Ex istis infert Sanctus Thomas quod, cum ex Sacra Scriptura Filium Dei, a Deo genitum, Deum esse doceamur; Filium autem Dei Iesum Christum Petrus confessus sit, dicens, *Tu es Christus Filius Dei vivi:* sequitur Christum et Unigenitum esse et Deum.

# CAPITULUM QUARTUM

## QUID OPINATUS SIT PHOTINUS DE FILIO DEI, ET EIUS IMPROBATIO.

EIUS autem Doctrinae veritatem quidam perversi homines suo sensu metiri praesumentes, de praemissis vanas et varias opiniones conceperunt.

Quorum quidam consideraverunt hanc esse Scripturae consuetudinem, eos qui divina gratia iustificantur, *filios Dei* dici: secundum illud *Ioan.* I[12], *Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui cre-*

3 vanas et varias *Ita* Pc; varias et varios αEGXZ, (et N) varias et vanas DNZsEGH, varias et falsas *b*, varias Y.

*dunt in nomine eius.* Et *Rom.* VIII[16], dicitur: *Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro quod sumus filii Dei.* Et I *Ioan.* III[1]: *Videte qualem caritatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur et simus.* – Quos etiam *a Deo genitos esse* Scriptura non tacet. Dicitur enim *Iac.* I[18]: *Voluntarie genuit nos verbo veritatis.* Et I *Ioan.* III[9], dicitur: *Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet.* – Et, quod est mirabilius, eisdem nomen *divinitatis* adscribitur. Dominus enim dixit ad Moysen*: *Ego constitui te deum Pharaonis.* Et in Psalmo*: *Ego dixi, Dii estis, et filii Excelsi omnes;* et, sicut Dominus dicit, *Ioan.* X[35]: *Illos dixit deos ad quos sermo Dei factus est.*

Per hunc ergo modum, opinantes Iesum Christum purum hominem esse, et ex Maria Virgine initium sumpsisse, et per beatae vitae meritum divinitatis honorem prae ceteris fuisse adeptum, aestimaverunt eum, similiter aliis hominibus, per adoptionis spiritum Dei filium; et per gratiam ab eo genitum; et per quandam assimilationem ad Deum in Scripturis dici Deum, non per naturam, sed per consortium quoddam divinae bonitatis, sicut et de sanctis dicitur II *Pet.* I[4]: *ut efficiamini divinae consortes naturae, fugientes eius quae in mundo est concupiscentiae corruptionem.*

Hanc autem positionem Sacrae Scripturae auctoritate confirmare nitebantur. Dicit enim Dominus, *Matth.* ult.*: *Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra.* Quod si ante tempora Deus esset, potestatem ex tempore non accepisset.

Item, *Rom.* I[3,4], dicitur de Filio quod *factus est ei,* scilicet Deo, *ex semine David secundum carnem;* et quod *praedestinatus est Filius Dei in virtute.* Quod autem praedestinatur et factum est, videtur non esse aeternum.

Item. Apostolus dicit, *ad Philipp.* II[8]: *Factus est obediens usque ad mortem, mortem autem crucis: propter quod Deus exaltavit illum, et dedit illi nomen quod est super omne nomen.* Ex quo videtur ostendi quod propter obedientiae et passionis meritum divino sit honore donatus, et super omnia exaltatus.

Petrus etiam dicit, *Act.* II[36]: *Certissime ergo sciat omnis domus Israel quia Dominum eum et Christum Deus fecit hunc Iesum, quem vos crucifixistis.* Videtur igitur ex tempore Deus esse factus, non ante tempora natus.

Adducunt etiam in fulcimentum suae opinionis ea quae in Scripturis de Christo ad defectum pertinere videntur: sicut quod femineo portatur utero, et profectum aetatis accepit, esuriem passus est, et lassitudine fatigatus, et morti subiectus; quod sapientia profecit, iudicii se nescire diem confessus est, et mortis terrore concussus est; et alia huiusmodi, quae Deo per naturam existenti convenire non possent. Unde concludunt quod per meritum honorem divinum adeptus est per gratiam, non quod esset naturae divinae.

Hanc autem positionem primo adinvenerunt quidam antiqui haeretici, Cerinthus et Ebion*; quam postea Paulus Samosatenus instauravit*; et postea a Photino est confirmata*, ut qui hoc dogmatizant, Photiniani nuncupentur.

Diligenter autem verba Sacrae Scripturae considerantibus apparet non hunc sensum in ea contineri quem praedicti homines sua opinione conceperunt. Nam cum Salomon dicat, *Nondum erant abyssi et ego iam concepta eram**, satis ostendit hanc generationem ante omnia corporalia extitisse. Unde relinquitur quod Filius a Deo genitus initium essendi a Maria non sumpsit. – Et licet haec, et alia similia testimonia depravare conati fuerint perversa expositione, dicentes haec secundum praedestinationem debere intelligi, quia scilicet ante mundi conditionem dispositum fuit ut ex Maria Virgine Dei Filius nasceretur, non quod Dei Filius fuerit ante mundum; convincantur quod non solum in praedestinatione, sed etiam realiter fuerit ante Mariam. Nam post praemissa verba Salomonis subiungitur*: *Quando appendebat fundamenta terrae, cum eo eram cuncta componens:* si autem in sola praedestinatione fuisset, nihil agere potuisset. Hoc etiam ex verbis Ioannis Evangelistae habetur: nam cum praemisisset*, *In principio erat Verbum,* quo nomine Filius intelligitur, ut ostensum est*; ne quis hoc secundum praedestinationem accipere possit, subdit*: *Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil,* quod verum esse non posset nisi realiter ante mundum extitisset. – Item, Filius Dei dicit, *Ioan.* III[13]: *Nemo ascendit in caelum nisi qui descendit de caelo, filius hominis, qui est in caelo;* et iterum, *Ioan.* VI[38]: *Descendi de caelo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me.* Apparet ergo eum fuisse antequam de caelo descenderet.

Praeterea. Secundum praedictam positionem, homo per vitae meritum profecit in Deum. Apostolus autem e converso ostendit quod, cum Deus

*Exod. VII, 1. *Ps. LXXXI, 6. *Cap. XXVIII, 18. *Aug. *de Haeres.*, LVIII. *Ibid., XLIV. *Ibid., XLV. *Prov. VIII, 4. *Vers. 29, 30. *Cap. I, vers. 1. *Cap. praec. *Vers. 3.

1 dicitur *om* GP. 2 reddit] reddidit EGN*b*. 7 Voluntarie] enim *addunt* P*c*. 16 ergo *om* P*c*. 18 per beatae] per probatae N. 20 aestimaverunt] aestimans EG, aestimantes X. 25 sicut et] sicut CEGNXZ*b*. 26 consortes *post* naturae EGNX*b*. 26 eius *om* EGX*b*. 27 concupiscentiae *Ita* DNXP*d*; *om* Z, corporalem *b*, communem *ceteri*. 31 Quod] Idem B, qui FH, quidem C. 38 Phil.] Eph. EGNX. 40 Deus] et Deus CGXP*c*. exaltavit *post* illum αDW*b*. 46 Dominum] et Dominum DFHWY*c*, et Dominus *b*. 50 Adducunt. *Novum capitulum incipiunt* EHX; E *inscribit:* Improbatio eorum quae dicuntur; GX *adscribunt titulum capituli sequentis, sed* X *supra marginem* Sabellii *in* fontini *corrigit*. 51 ea quae] quae EGNX.

2 profectum *Ita* NX*b*P; perfectionem WZ, perfectum *ceteri*. aetatis accepit] accepit aetatis EGNX*b*, aetatis accipit P. 4 sapientia] semper αDWYZP*c*. 7 existenti] exercita EG, exhibita X, aeternam *b*. 8 divinum *om* EG, *ante* honorem *b*, *post* adeptus est X; est *om* EG. 12 Ebion] Ebeon EGNX. 13 Samosatenus *Ita* P, semosetanus BCY, samosetanus DHWXZ*bcd*, sandosecanus E, sanctasedarius G, sanctosecanus N. 14 Photino *Ita* DWYZsH*b*P*c*; fantino BF, fontino CEGHXsY, fentino N. ut] et Y; *cf.* 15. *Pro* hoc, haec NP*c*, *multi ancipites*. 15 dogmatizant] damaticant α. Photiniani] fontiniā EsG, fontinā GN, (ex eo *b*) fontiniani X*b*. nuncupentur] nuncupantur αY. 23 Maria *Ita certe* BEGYP*c*; materia X *et compendio* CDFHNW, a natura Z*b*. 24 Et *om* EGNX*b*. 27 conditionem] constitutionem DEGXYP*d*. 28 non] nam EGNX, sed sW. 29 Dei] eius P. convincantur *Ita* ENsGH*c*; communicantur αG, convincuntur DWXZ*b*, *lac.* Y, per ea tamen quae sequuntur patet P*d*. 30 praedestinatione] praedestinationem EGX*b*. 38 Filius] Dei *addunt* EGNXP*c*. 39 possit] posset XYP*c*. 43 dicit] dicitur EG, dicit etiam D; P*d legunt* Item de Dei Filio dicit (dicitur P). 44 descendit *post* de caelo BHNWYZ*b*.

esset, factus est homo. Dicit enim, *ad Philipp.* II[6]: *Cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo: sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo.* Repugnat igitur praedicta positio Apostolicae sententiae.

Adhuc. Inter ceteros qui Dei gratiam habuerunt, Moyses eam habuit copiose, de quo dicitur *Exod.* XXXIII[11], quod *loquebatur ei Dominus facie ad faciem, sicut loqui solet homo ad amicum suum.* Si igitur Iesus Christus non diceretur Dei Filius nisi propter gratiam adoptionis, sicut alii sancti, eadem ratione Moyses filius diceretur et Christus, licet etiam abundantiori gratia Christus fuerit dotatus: nam et inter alios sanctos, unus alio maiori gratia repletur, et tamen omnes eadem ratione filii Dei dicuntur. Moyses autem non eadem ratione dicitur filius qua Christus. Distinguit enim Apostolus Christum a Moyse sicut filium a servo: dicitur enim *ad Heb.* III[5]: *Moyses quidem fidelis erat in tota domo eius tanquam famulus, in testimonium eorum quae dicenda erant: Christus autem tanquam filius in domo sua.* Manifestum est ergo quod Christus non dicitur Dei Filius per adoptionis gratiam, sicut alii sancti.

Similis etiam ratio ex pluribus aliis Scripturae locis colligi potest, quae quodam singulari modo Christum prae aliis Dei Filium nominat. Quandoque quidem, absque aliis, singulariter eum *Filium* nominans: sicut vox Patris intonuit in baptismo*, *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* – Quandoque eum *Unigenitum* nominans: sicut *Ioan.* I[14], *Vidimus eum quasi Unigenitum a Patre;* et iterum*, *Unigenitus, qui est in sinu Patris, ipse enarravit.* Si autem communi modo, sicut et alii, filius diceretur, unigenitus dici non posset. – Quandoque etiam et *Primogenitus* nominatur, ut quaedam derivatio filiationis ab eo in alios ostendatur: secundum illud *Rom.* VIII[29]: *Quos praescivit, et praedestinavit fieri conformes imagini Filii eius, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus;* et *Gal.* IV[4] dicitur: *Misit Deus Filium suum ut adoptionem filiorum reciperemus.* Alia ergo ratione ipse est Filius, per cuius filiationis similitudinem alii filii dicuntur.

Amplius. Quaedam opera in Scripturis Sacris ita Deo proprie attribuuntur quod alteri convenire non possunt, sicut sanctificatio animarum, et remissio peccatorum: dicitur enim *Levit.* XX[8]: *Ego Dominus, qui sanctifico vos;* et *Isaiae* XLIII[25]: *Ego sum qui deleo iniquitates vestras propter me.* Utrumque autem horum Christo Scriptura attribuit. Dicitur enim *ad Hebr.* II[11]: *Qui sanctificat et qui sanctificantur, ex uno omnes;* et *ad Hebr.* ult.*: *Iesus, ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est.* Ipse etiam Dominus de se protestatus est *quod haberet potestatem remittendi peccata,* et miraculo confirmavit, ut habetur *Matth.* IX[6]. Hoc etiam angelus de ipso praenuntiavit, *Ipse,* inquiens, *salvum faciet populum suum a peccatis eorum**. Non igitur Christus, et sanctificans et peccata remittens, sic dicitur Deus sicut dicuntur dii hi qui sanctificantur, et quorum peccata remittuntur: sed sicut virtutem et naturam divinitatis habens.

Illa vero Scripturae testimonia quibus ostendere nitebantur quod Christus non esset Deus per naturam, efficacia non sunt ad eorum propositum ostendendum. Confitemur enim in Christo Dei Filio, post Incarnationis mysterium, duas naturas, humanam scilicet et divinam. Unde de eo dicuntur et quae Dei sunt propria, ratione divinae naturae; et quae ad defectum pertinere videntur, ratione humanae naturae, ut infra* plenius explanabitur. Nunc autem, ad praesentem considerationem de divina generatione, hoc sufficiat monstratum esse secundum Scripturas quod Christus Dei Filius et Deus dicitur non solum sicut purus homo per gratiam adoptionis, sed propter divinitatis naturam.

* Cap. XIII, 12.

* Matth. I, 21.

* Matth. III, 17.

* Vers. 18.

* Cap. IX, XXVII.

---

13 filius diceretur et Christus] filius et Christus diceretur EGN, Christus et filius diceretur X, filius Dei diceretur et Christus, filius Dei diceretur supra qua et Christus *d et sine* supra P. 18 qua Christus] qui Christus BFH, qui Christus est C, qua Christus est WZ, qua et Christus P*d*. 19 enim] autem EG*b*, *om* X. 22 in testimonium] et Deum GN, *om* E; *pro* dicenda, danda E. 23 sua] propria EN*b*; in domo ... Filius *hom om* G. Manifestum est *om* E. 24 Dei *om* E*b*. 25 per] propter EGNX. 26 aliis] aliae BCFGN*bc*, sacrae D, *om* W. 29 quidem] autem EGNX. 30 sicut] sicut quando W, sicut cum P. 32 complacui] (bene F) complacuit BDF, compla. CHZ. eum] enim GNX*b*. 39 in alios *Ita* EGNX; aliis Y, in aliis *ceteri*.

2 dicitur] dicit P*d*, *om* W. 4 ergo *om* EG. 12 Christo Scriptura] Scriptura B, Christo H, scriptū Deo EG, Scriptura Christo NXsGH*b*. 14 sanctificantur *Ita* EGXP*c*; sanctificatur *ceteri*. 16 etiam] enim EGX*b*. 19 Hoc *Ita* EGNX; Et hoc *ceteri*. 24 virtutem et naturam] naturam et virtutem EGNX. 31 Unde] Unde et BCDHWY, *sequens* et *om* D.

## Commentaria Ferrariensis

Posita veritate fidei de Filio Dei, vult Sanctus Thomas refellere haereticorum positiones, qui huius doctrinae, Sacrae scilicet Scripturae, veritatem *suo sensu,* idest suo ingenio, metiri praesumpserunt*.

* Cf. Comment. cap. praec.

Circa quod tria facit: primo, ipsas falsas opiniones, cum suis fundamentis, adducit et improbat; secundo, ad eorum fundamenta respondet, cap. VIII.

Circa primum tria facit: primo, agit de opinione Photini; secundo, de opinione Sabellii, cap. seq.; tertio, de Arii opinione, cap. VI.

Circa primum tria facit: primo, recitat Photini opinionem, cum suis fundamentis; secundo, eam improbat*; tertio, ad eius fundamenta in generali respondet*.

* Num. II.

* Num. V.

I. Quantum ad primum, ait quod Photinus, et ante eum Paulus Samosatenus, et Cerinthus atque Ebion ante Paulum Samosatenum, considerantes hanc esse Scripturae consuetudinem, ut eos qui divina gratia iustificantur, *filios Dei* dicat, ut patet *Ioann.* I, *Dedit eis* etc.; *ad Rom.* VIII, *Ipse enim Spiritus* etc.; I *Ioann.* III, *Videte qualem* etc.; – et hos quoque a Deo genitos non tacet, ut patet *Iac.* I, *Voluntarie enim* etc.; I *Ioan.* III, *Omnis qui natus est* etc.; – item eisdem nomen *divinitatis* adscribat, ut patet cum dixit Dominus ad Moysen, *Ego constitui te deum Pharaonis;* in Psalmo quoque, *Ego dixi, dii estis,* et *Ioan.* X, *Illos dixit deos* etc.: – existimaverunt Iesum Christum purum hominem esse; et ex Maria Virgine sumpsisse initium; perque beatae vitae

meritum, divinitatis honorem prae ceteris fuisse adeptum. – Existimaverunt quoque ipsum similiter prae aliis hominibus filium Dei per adoptionis spiritum dici: per gratiam scilicet, secundum quam homo fit idoneus ad hereditatem caelestem percipiendam, quae sibi per naturam non convenit. – Item, existimaverunt ipsum ab eo genitum per gratiam; et per quandam ad Deum assimilationem dici Deum, non per naturam, sed per consortium quoddam divinae bonitatis; sicut et de sanctis dicitur II *Petri* I, *Ut efficiamini* etc.

Confirmare autem nituntur hanc positionem, primo, quia dicitur *Matth.* ult., *Data est mihi* etc. Hoc enim non esset si ante tempora Deus esset. – Secundo, quia *ad Rom.* I dicitur *factus* et *praedestinatus*. Quod autem praedestinatur et est factum, non videtur esse aeternum. – Tertio, quia ex eo quod *ad Philipp.* dicitur, *Factus est obediens* etc., videtur quod propter obedientiae et passionis meritum divino sit honore donatus, et super omnia exaltatus. – Quarto, quia ex eo quod dicitur *Act.* II, *Certissime ergo sciat* etc., videtur Christus ex tempore Deus esse factus, non natus ante tempora. – Quinto, quia multa ad defectum pertinentia in Scripturis dicuntur de Christo, quae Deo per naturam existenti convenire non possunt.

II. Secundo loco, improbat hanc positionem Sanctus Thomas*, inquiens non eum sensum in verbis Sacrae Scripturae contineri quem praedicti sua opinione conceperunt.

* Cf. init. Comm.

*Et arguit primo.* Inquit Salomon, *Proverb.* VIII: *Nondum erant abyssi, et ego iam concepta eram.* Ergo generatio praedicta ante omnia corporalia extitit. Ergo Filius a Deo genitus initium essendi a Maria non sumpsit.

Si dicatur hoc debere intelligi secundum praedestinationem tantum, quia scilicet ante mundi constitutionem* dispositum fuit ut ex Maria Virgine filius Dei nasceretur: – constat hoc falsum esse ex sequentibus verbis. Subditur enim, *Quando appendebat fundamenta terrae, cum eo eram cuncta componens:* ex quibus patet quod etiam realiter fuerit ante Mariam, nam si in sola praedestinatione fuissset, nihil agere potuisset. – Constat etiam hoc falsum esse ex verbis Ioannis Evangelistae. Nam cum praemisisset, *In principio erat Verbum,* ne secundum praedestinationem acciperetur, subiungit, *Omnia per ipsum facta sunt* etc.: quod verum non esset nisi realiter ante mundum extitisset.

* Cf. text. et var.

2. Ad horum evidentiam, duo sunt notanda. Primum est, quod hic non accipitur *praedestinatio* secundum proprium suum significatum, inquantum est ratio ordinis creaturae rationalis in vitam aeternam: sed accipitur pro *praeordinatione alicuius a Deo producendi,* secundum videlicet quod Deus ab aeterno in sua mente praeordinavit aliquid efficere.

3. Alterum est quod, cum dupliciter res habeat esse, scilicet in sua causa, antequam producatur in esse; et in seipsa, quando iam producta est: secundum quod est in sua causa, non est aliud ab ipsa, aut ab eius virtute; secundum vero quod est in seipsa, iam est aliud a causa. Ubi ergo importatur aliquid rei convenire ut a sua causa distinguitur, oportet illud sibi convenire secundum quod est in seipsa, non autem secundum quod est in causa tantum.

Quia igitur Filium Dei *adesse Deo* in creatione rerum, et *cum eo* cuncta componere, similiter omnia *per ipsum* fieri, sibi convenit ut distinguitur a suo principio, id quod per illas praepositiones significatur; non potest dici illud sibi convenire tanquam creaturae existenti solum in praeordinatione divina, sed etiam tanquam habenti realem distinctionem a suo principio, et habenti esse in seipso; licet habitudo inter ipsum Patrem et Filium non sit, proprie loquendo, habitudo inter causam et causatum; et nec etiam habeant distincta esse existentiae, sed tantum personaliter distinguantur, sicut principium et id quod est a principio. Propterea bene inquit Sanctus Thomas praedicta verba de Filio Dei dici non posse nisi ponatur ipsum habere esse ante Mariam Virginem et ante mundum.

III. *Secundo.* De Filio Dei dicitur *Ioan.* III, *Nemo ascendit in caelum* etc.; item *Ioan.* VI, *Descendi de caelo* etc. Ergo apparet eum fuisse antequam de caelo descenderet.

Si dicatur quod ex istis auctoritatibus non habetur filium Dei fuisse antequam descenderet de caelo, sed descendisse de caelo per novam sui creationem a Deo, cuius virtus maxime manifestatur in caelo: – contra hoc instari potest, primo, quia descendere de caelo per novam creationem commune est non solum omnibus hominibus, sed etiam omnibus creaturis. Illa autem verba dixit Christus de seipso tanquam exprimentia particularem quendam sui descensum de caelo. – Secundo, quia de ipsomet Filio qui descendit, dixit quod *est in caelo.* In hoc enim significatur, cum ipse esset tunc simul in caelo et in terra, quod per suum descensum non reliquerat caelum, quantum videlicet ad personam divinam; et sic quod antequam descenderat, habebat esse, non autem esse incoepit per creationem in Maria. – Confirmatur quoque hunc oportere sensum in praedictis verbis esse, ex eo quod dicitur *Ioan.* VI*: *Si ergo videritis filium hominis ascendentem ubi erat prius,* scilicet secundum divinitatem.

* Vers. 62.

IV. *Tertio.* Secundum praedictam positionem, homo per vitae meritum proficit in Deum. Sed e converso ostendit Apostolus, *ad Philipp.* II, quod, cum Filius Dei Deus esset, factus est homo, ubi ait, *Cum in forma Dei esset* etc. Ergo etc.

*Quarto.* Eadem ratione Moyses diceretur filius Dei qua et Christus, licet Christus abundantiori gratia fuerit dotatus. Hoc est falsum. Ergo etc. – Probatur consequentia. Quia Moyses gratiam Dei habuit copiose, ut patet *Exodi* XXXIII. – Falsitas vero consequentis probatur ex eo quod, *ad Heb.* III, dicitur, *Moyses quidem fidelis* etc.

*Confirmatur**. Quia Scriptura quodam singulari modo Christum prae aliis Dei Filium nominat: quandoque quidem, absque aliis, singulariter eum *Filium* nominans, sicut in baptismo, *vox Patris intonuit* etc.; quandoque vero *Unigenitum,* ut *Ioan.* I, quod non esset si communi modo filius diceretur sicut et alii; quandoque etiam *Primogenitum,* ut quaedam filiationis derivatio ab eo in alios ostendatur, ut *ad Rom.* VIII, et *ad Galat.* IV.

* Sume pro *Quinto:* cf. infra *Sexto.*

Attendendum est quod, licet in Sacra Scriptura aliqui pluraliter *filii Dei* dicantur; et ipse etiam populus sit dictus *filius Dei**: nunquam tamen invenitur in ipsa quod aliqua singularis persona dicatur filius Dei, a Deo genitus, nisi quando de filiatione naturali, qua Deus est Dei Filius, agitur. Ideo bene inquit Sanctus Thomas quod Sacra Scriptura quodam singulari modo Christum prae aliis *Dei Filium* nominat. Hoc enim verum est non solum de Novo Testamento, sed etiam de Veteri.

* Cf. Osee, XI, 1.

*Sexto.* Christo attribuit Scriptura sanctificationem animarum, et remissionem peccatorum: primum quidem *ad Heb.* II, *Qui Sanctificat* etc., et ult., *Iesus ut sanctificaret* etc.; secundum vero *Matth.*, IX. Sed haec ita Deo proprie attribuuntur quod alteri convenire non possunt: ut patet *Levit.* XX, et *Isaiae* XLIII. Ergo non sic Christus dicitur Deus sicut qui sanctificantur et quorum peccata remittuntur: sed sicut virtutem et naturam divinitatis habens.

V. Tertio loco, datur quaedam communis responsio ad auctoritates quibus praedicti suum propositum confirmabant*: – nam inferius ad singulas particulariter respondebitur*. Dicitur ergo quod propositum eorum non confirmant: quia, cum in Christo Dei Filio, post incarnationem, duas naturas confiteamur, humanam scilicet et divinam, de eo dicuntur et quae Dei sunt propria, ratione divinae naturae; et quae ad defectum pertinere videntur, ratione naturae humanae.

* Cf. init. Comm.
* Cap. IX.

Ad huius evidentiam, considerandum est quod, cum in Christo unicum suppositum sit in divina et in humana natura subsistens, ideo quae de supposito humanae naturae dicuntur, de ipso quoque Christo inquantum in humana natura subsistit, dici possunt, loquendo videlicet de iis quae pertinent ad humanam naturam. Similiter de ipso dici necesse est ea quae de supposito in divina natura subsistenti dicuntur. Propter hoc bene hic dicitur quod de Christo dicuntur ea quae Dei sunt propria, ratione divinae naturae; et quae ad defectum pertinere videntur, ratione humanae.

# CAPITULUM QUINTUM

## OPINIO SABELLII DE FILIO DEI, ET EIUS IMPROBATIO.

QUIA vero omnium de Deo recte sentientium haec est fixa mentis conceptio, quod non possit esse nisi unus Deus, quidam, ex Scripturis concipientes quod Christus sit vere et naturaliter Deus ac Dei Filius, unum Deum esse confessi sunt Christum Dei Filium et Deum Patrem: nec tamen quod Deus Filius dicatur secundum suam naturam aut ab aeterno, sed ex tunc filiationis nomen accepit ex quo de Maria Virgine natus est per Incarnationis mysterium. Et sic omnia quae Christus secundum carnem sustinuit, Deo Patri attribuebant: puta esse filium Virginis, conceptum et natum esse ex ipsa, passum, mortuum et resurrexisse, et alia omnia quae Scripturae de Christo secundum carnem loquuntur.

Vers. 2, 3. - Deut. VI, 4.

Hanc autem positionem confirmare nitebantur Scripturae auctoritatibus. Dicitur enim *Exod.* XX*: *Audi, Israel, Dominus Deus tuus Deus unus est.* – Et *Deut.* XXXII[39]: *Videte quod ego sum solus, et non est alius praeter me.* – Et *Ioan.* V*: *Pater in me manens, ipse facit opera;* et XIV[9,11]: *Qui videt me, videt et Patrem;* et, *Ego in Patre, et Pater in me est.* Ex quibus omnibus concipiebant Deum Patrem ipsum Filium dici ex Virgine incarnatum.

Vers. 19. - Cap. XIV, 10.

Haec autem fuit opinio Sabellianorum, qui et Patripassiani sunt dicti, eo quod Patrem passum esse confitentur, asserentes ipsum Patrem esse Christum*.

ug. *de Haeres.* XLI. Cap. prace.

Haec autem positio, etsi a praedicta* differat quantum ad Christi divinitatem, nam haec Christum verum et naturalem Deum esse confitetur, quod prima negabat; tamen quantum ad generationem et filiationem, utraque est conformis opinio: nam sicut prima positio asserit filiationem et generationem qua Christus Filius dicitur, non fuisse ante Mariam, ita et haec opinio confitetur. Neutra igitur positio generationem et filiationem ad divinam naturam refert, sed solum ad naturam humanam. – Habet etiam et hoc proprium ista positio, quod, cum dicitur *Filius Dei,* non designatur aliqua subsistens persona, sed quaedam proprietas superveniens praeexistenti personae: nam ipse Pater, secundum quod carnem sumpsit ex Virgine, Filii nomen accepit; non quasi Filius sit aliqua subsistens persona a persona Patris distincta.

Huius autem positionis falsitas manifeste ostenditur auctoritate Scripturae. Nam Christus non solum Virginis filius dicitur in Scripturis, sed etiam Filius Dei: ut ex superioribus* patet. Hoc autem esse non potest, ut idem sit filius sui ipsius: cum enim filius generetur a patre, generans autem det esse genito, sequeretur quod idem esset dans et accipiens esse; quod omnino esse non potest. Non est igitur Deus Pater ipse Filius, sed alius est Filius et alius Pater.

* Cap. II.

Item. Dominus dicit: *Descendi de caelo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me, Ioan.* VI[38]; et XVII[5]: *Clarifica me, Pater, apud temetipsum.* Ex quibus omnibus, et similibus, ostenditur Filius esse alius a Patre.

Potest autem dici, secundum hanc positionem, quod Christus dicitur Filius Dei Patris solum secundum humanam naturam: quia scilicet ipse Deus Pater humanam naturam quam assumpsit, creavit et sanctificavit. Sic igitur ipse secundum divinitatem sui ipsius secundum humanitatem dicitur pater. Et ita etiam nihil prohibet eundem secundum humanitatem distinctum esse a seipso secundum divinitatem.

Sed secundum hoc sequetur quod Christus dicatur filius Dei sicut et alii homines, vel ratione creationis, vel ratione sanctificationis. Ostensum est autem* quod alia ratione Christus dicitur Dei Filius quam alii sancti. Non igitur modo praedicto potest intelligi quod ipse Pater sit Christus et filius sui ipsius.

* Cap. prace.

Praeterea. Ubi est unum suppositum subsistens, pluralis praedicatio non recipitur. Christus autem de se et de Patre pluraliter loquitur, dicens*: *Ego et pater unum sumus.* Non est ergo Filius ipse Pater.

* Ioan. X, 30.

Adhuc. Si Filius a Patre non distinguitur nisi per Incarnationis mysterium, ante incarnationem omnino nulla distinctio erat. Invenitur autem ex Sacra Scriptura etiam ante incarnationem Filius a Patre fuisse distinctus. Dicitur enim *Ioan.* I[1]: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum.* Verbum igitur, quod apud Deum erat, aliquam distinctionem ab ipso habebat: habet enim hoc consuetudo loquendi, ut *alius apud alium esse* dicatur. – Similiter etiam *Proverb.* VIII[30], genitus a Deo dicit: *Cum eo eram componens omnia.* In quo rursus associatio et quaedam distinctio designatur. – Dicitur etiam *Osee* I[7]: *Domui Iuda miserebor, et salvabo eos in Domino Deo suo:* ubi Deus Pater de salvandis

---

3 unus Deus] unus naturaliter Deus EGNX*b*Pc. 9 ex tunc] tunc EGX. 11 Et sic] Sic EG. 14 esse *om* EGNX*b*. 18 Exodi xx] Deut. LXVI *d*, Deut. VI Pc. 20 Deut.] infra *c*. sum] sim D*b*Pc. 21 est alius] est (sit DPc) alius Deus DEZPc. v] XIV P. 22 XIV *om* P. 23 Patrem] meum *addunt* CENX. 25 dici] Dei EGXZ*b*. 27 sunt dicti] tradunt W, traduntur sW, dicuntur *b*, dicti sunt Pc. 33 quantum ... opinio] quantum ad aliquid est conformis opinio DZc, quantum ... opinio vel (vel ad F, ad C) aliquid est conformis opinio α, quantum ... opinio ad aliquid W, quantum ad generationem et filiationem et generationem utraque est conformis opinio *d*. 35 asserit *Ita* Pc; *ante* non fuisse D, ponit sH, *om ceteri.*

6 esse *pr. loco om* GNY*b*. 8 et alius Pater] et alius Pater est BCGNXY, alius Pater D; *b legit:* sed alius est Pater et alius est Filius. 23 sequetur] sequitur EGHX*b*, sequeretur. 31 pluralis praedicatio non recipitur] pluraliter praedicando EG. *Pro* Christus autem, nam Christus E. 38 Filius] et Filius GX*b*. 42 ab ipso *om* DW, *post* habebat EGNX.

in Deo Filio populis loquitur quasi de persona a se distincta, quae Dei nomine digna habeatur. – Dicitur etiam *Gen.* I[26]: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram:* in quo expresse pluralitas et distinctio facientium hominem designatur. Homo autem per Scripturas a solo Deo conditus esse docetur. – Et sic Dei Patris et Dei Filii pluralitas et distinctio fuit etiam ante Christi incarnationem. Non igitur ipse Pater Filius dicitur propter Incarnationis mysterium.

Amplius. Vera filiatio ad ipsum suppositum pertinet eius qui dicitur filius: non enim manus vel pes hominis filiationis nomen proprie accipit, sed ipse homo, cuius ista sunt partes. *Paternitatis* autem et *filiationis* nomina distinctionem requirunt in illis de quibus dicuntur: sicut et *generans* et *genitum.* Oportet igitur, si aliquis vere dicitur filius, quod supposito a patre distinguatur. Christus autem vere est Dei Filius: dicitur enim I *Ioan.* ult.*: *Ut simus in vero Filio eius Iesu Christo.* Oportet igitur quod Christus sit supposito distinctus a Patre. Non igitur ipse Pater est Filius. – Adhuc. Post Incarnationis mysterium Pater de Filio protestatur*: *Hic est Filius meus dilectus.* Haec autem demonstratio ad suppositum refertur. Christus igitur secundum suppositum est alius a Patre.

* Cap. v, 20.

* Matth. III, 17.

Ea vero quibus Sabellius suam positionem nititur confirmare, id quod intendit non ostendunt, ut infra* plenius ostendetur. Non enim per hoc quod *Deus est unus,* vel quod *Pater est in Filio et Filius in Patre,* habetur quod Filius et Pater sit unum supposito: potest enim et duorum supposito distinctorum aliqua unitas esse.

* Cap. IX.

---

2 habeatur] habetur P*c*. 11 vera *post* filiatio EGNX*b*. 12 qui] quod α*Yb*. 13 hominis *post* filiationis EGN*b*. accipit *Ita* EGX*b*P*c*; accepit *ceteri*. 17 vere *post* dicitur EGX.
5 ipse *om* CEGX*b*, *ante* igitur N. 15 habetur] sequitur *b*; habetur quod Filius *om* EG. 16 et *om* EGNX*b*.

## Commentaria Ferrariensis

* Cf. Comm. cap. praec. init.

REPROBATA Photini opinione, accedit Sanctus Thomas ad improbationem opinionis Sabellii*. Et primo, ponit ipsam opinionem; secundo, eam improbat*; tertio, in communi ad obiecta respondet*.

* Num. II.

* Num. III.

I. Quantum ad primum, dicit primo quod, quia omnes de Deo recte sentientes tenent non posse esse nisi unum naturaliter Deum, quidam, concipientes ex Scripturis Christum esse vere et naturaliter Deum ac Dei Filium, unum Deum esse confessi sunt Christum Dei Filium et Deum Patrem; sed quod Deus non dicatur Filius secundum suam naturam aut ab aeterno, sed tantum ex quo de Maria Virgine natus est; et sic omnia quae Christus secundum carnem sustinuit, Deo Patri attribuebant. Quae opinio Sabellianorum fuit: qui et *Patripassiani* dicti sunt, eo quod Patrem esse passum dixerunt, asserentes ipsum Patrem esse Christum. Confirmant autem suam positionem auctoritate *Deut.** XX, *Audi Israel* etc.; et [*Deut.*] XXXII, *Videte* etc.; item *Ioan.* V, *Pater in me* etc.; et XIV, *Qui videt me* etc.

* Cf. text., marg. et var.

Dicit secundo, quod ista opinio differt a praedicta quantum ad Christi divinitatem, sed est sibi conformis quantum ad generationem et filiationem: quia utraque confitetur filiationem et generationem, qua Christus Filius Dei dicitur, non fuisse ante Mariam, referentes haec ad humanam tantum naturam. – Habet etiam haec positio hoc proprium, quod, cum dicitur *Filius Dei,* non designatur aliqua subsistens persona, sed quaedam proprietas superveniens personae, inquantum ipse Pater, secundum quod carnem sumpsit ex Virgine, Filii nomen accepit.

2. Advertendum est quod ponens Filium non esse personam a Patre distinctam, sed ipsum Patrem dici Filium secundum quod carnem assumpsit, non ponit inter eum qui dicitur Pater, et eum qui dicitur Filius, aliquam realem distinctionem, sed tantum distinctionem rationis, sicut Sortes stans dicitur distingui a Sorte sedente. Unde sicut, cum dicitur *Sortes sedens,* non designatur alia persona a persona Sortis stantis, sed tantum aliqua extrinseca dispositio illi superveniens; ita, cum dicitur secundum hanc positionem *Dei Filius,* non designatur alia persona ab illa quae dicitur Deus Pater, sed aliqua superveniens ei dispositio sive habitudo rationis; quam habitudinem vocat Sanctus Thomas hoc loco *proprietatem.*

II. Quantum ad secundum, arguit Sanctus Thomas contra hanc positionem*.

* Cf. init. Comm.

*Primo* sic. Christus dicitur Filius Dei. Ergo Deus Pater non est ipse Filius. – Probatur consequentia. Quia idem non potest esse Filius sui ipsius: alioquin, cum generans det esse genito, idem esset dans et accipiens esse.

*Secundo.* Dominus dicit, *Ioan.* VI, *Descendi de caelo* etc.; et XVII, *Clarifica me Pater* etc. Ex quibus ostenditur Filius esse alius a Patre. Ergo etc.

Si dicatur quod Deus secundum divinitatem dicitur pater sui ipsius secundum humanitatem, inquantum humanam naturam quam assumpsit, creavit et sanctificavit: – contra arguitur, quia sequeretur Christum dici Filium Dei sicut et alii homines: vel ratione scilicet creationis, vel ratione sanctificationis. Constat autem ex praecedentibus quod alia ratione Christus dicitur Filius Dei quam alii sancti.

*Tertio.* Christus de se et Patre pluraliter loquitur, dicens: *Ego et Pater unum sumus.* Quod non fit ubi est unum suppositum. Ergo etc.

*Quarto.* Invenitur ex Sacra Scriptura Filius a Patre ante incarnationem fuisse distinctus: sicut *Ioan.* I, ubi dicitur, *In principio* etc.; et *Proverb.* VIII, *Cum eo eram* etc.; item Oseae I, *Domui Iacob miserebor* etc.; item *Gen.* I, *Faciamus hominem* etc.; ex quibus ostenditur distinctio Patris et Filii ante incarnationem. Ergo falsum est Filium distingui a Patre solum per Incarnationis mysterium.

Ad evidentiam huius rationis* considerandum est, ex doctrina Sancti Thomae *super Ioannem,* in expositione eius quod dicitur, *Et verbum erat apud Deum**, quod ista praepositio *apud,* secundum quod proprie sumitur, importat *subsistentiam* in eo quod dicitur esse apud aliud: *non enim dicimus albedinem esse apud corpus; sed bene, hominem esse apud hominem, et lapidem apud lapidem.* Importat etiam distinctionem: *quia non proprie dicitur quis esse apud seipsum.* Ex quibus patet quod, cum dicitur Filius Dei esse *apud Deum,* significatur Filius Dei esse suppositum quoddam distinctum a Deo Patre, sed *cum ipso aliquam coniunctionem habens.* Propterea bene hic dicitur quoniam Verbum quod erat apud Deum, aliquam distinctionem ab eo habebat: quia hoc habet consuetudo loquendi, ut *alius apud alium esse dicatur.*

* Sume hanc parag. pro *Quinto*; cf. infra *Sexto.*

* Cap. I, lect. 1.

*Sexto.* Christus vere est Dei Filius, ut patet [I] *Ioan.* ult., *Ut simus* etc. Ergo oportet ut supposito a Patre distinguatur. – Probatur consequentia. Quia, cum filiatio ad ipsum suppositum pertineat; et nomen *paternitatis* et *filiationis* distinctionem requirant in iis de quibus (vere scilicet et proprie) dicuntur: oportet, si aliquis vere dicitur filius, quod supposito a patre distinguatur.

*Septimo.* Post Incarnationis etiam mysterium, Pater de Filio protestatur, *Hic est Filius meus* etc. Quae demonstratio ad suppositum refertur. Ergo Christus est secundum suppositum alius a Patre.

. init. Comm. III. Quantum ad tertium *, ad omnia Sabellianorum fundamenta simul respondens Sanctus Thomas, – nam inferius particulatim respondebit – inquit quod non ostendunt intentum. Per hoc enim quod *Deus est unus,* vel quod *Pater est in Filio et e converso,* non habetur quod Pater et Filius sint unum supposito: cum duorum supposito distinctorum possit aliqua unitas esse.

# CAPITULUM SEXTUM

## DE OPINIONE ARII CIRCA FILIUM DEI.

Cum autem Doctrinae Sacrae non congruat quod Filius Dei a Maria initium sumpserit, ut Photinus dicebat*; neque ut is qui ab aeterno Deus fuit et Pater est, per carnis assumptionem Filius esse coeperit, ut Sabellius dixerat*: fuerunt alii hanc de divina generatione quam Scriptura tradit opinionem sumentes, quod Filius Dei ante Incarnationis mysterium extiterit, et etiam ante mundi conditionem; et quia iste Filius a Deo Patre est alius, aestimaverunt eum non esse eiusdem naturae cum Deo Patre; non enim intelligere poterant, nec credere volebant, quod aliqui duo, secundum personam distincti, habeant unam essentiam et naturam. Et quia sola natura Dei Patris, secundum fidei doctrinam, aeterna creditur, crediderunt naturam Filii non ab aeterno extitisse, licet fuerit Filius ante alias creaturas. Et quia omne quod non est aeternum, ex nihilo factum est et a Deo creatum, Filium Dei ex nihilo factum esse, et creaturam praedicabant. Sed quia auctoritate Scripturae cogebantur ut etiam Filium Deum nominarent, sicut in superioribus est expressum*, dicebant eum unum cum Deo Patre, non quidem per naturam, sed per quandam consensus unionem, et per divinae similitudinis participationem super ceteras creaturas. Unde, cum supremae creaturae, quas angelos dicimus, in Scripturis et *dii* et *filii Dei* nominentur, secundum illud *Iob* XXXVII[7], *Ubi eras cum me laudarent astra matutina, et iubilarent omnes filii Dei?* et in *Psalmo* *, *Deus stetit in synagoga deorum,* hunc Dei Filium et Deum prae aliis dici oportebat, utpote nobiliorem inter ceteras creaturas, in tantum quod per eum Deus Pater omnem aliam condiderit creaturam.

f. cap. iv.

f. cap. v.

ap. iii.

s. lxxxi, 1.

Hanc autem positionem confirmare nitebantur Sacrae Scripturae documentis. Dicit enim Filius, *Ioan.* XVII[3], ad Patrem loquens: *Haec est vita aeterna, ut cognoscant te solum Deum verum.* Solus ergo Pater Deus verus est. Cum ergo Filius non sit Pater, Filius Deus verus esse non potest.

ap. vi, 14 sqq. Item. Apostolus dicit, I *ad Tim.* ult.*: *Serves mandatum sine macula irreprehensibile usque in adventum Domini nostri Iesu Christi, quem suis temporibus ostendet beatus et solus potens Rex regum et Dominus dominantium, qui solus habet immortalitatem, et lucem habitat inaccessibilem,* in quibus verbis ostenditur distinctio Dei Patris ostendentis ad Christum ostensum. Solus ergo Deus Pater ostendens est potens Rex regum et Dominus dominantium, et solus habet immortalitatem et lucem habitat inaccessibilem. Solus ergo Pater Deus verus est. Non ergo Filius.

Praeterea. Dominus dicit, *Ioan.* XIV[28]: *Pater maior me est;* et Apostolus dicit Filium Patri esse subiectum, I *ad Cor.* XV[28]: *Cum omnia subiecta illi fuerint, tunc ipse Filius subiectus erit illi,* scilicet Patri, *qui sibi subiecit omnia.* Si autem esset una natura Patris et Filii, esset etiam una magnitudo et maiestas: non enim Filius esset minor Patre, nec Patri subiectus. Relinquitur ergo ex Scripturis quod Filius non sit eiusdem naturae cum Patre ut credebant.

Adhuc. Natura Patris non patitur indigentiam. In Filio autem indigentia invenitur: ostenditur enim ex Scripturis quod a Patre recipit; recipere autem indigentis est. Dicitur enim *Matth.* XI[27]: *Omnia tradita sunt mihi a Patre meo;* et *Ioan.* III[35]; *Pater diligit Filium, et omnia dedit in manu eius.* Videtur igitur Filius non esse eiusdem naturae cum Patre.

Amplius. Doceri et adiuvari indigentis est. Filius autem a Patre docetur et iuvatur. Dicitur enim *Ioan.* V[19]: *Non potest Filius a se facere quicquam, nisi quod viderit Patrem facientem;* et infra*: *Pater diligit Filium, et omnia demonstrat ei quae ipse facit; et Ioan.* XV[15], Filius dicit discipulis: *Omnia quaecumque audivi a Patre meo, nota feci vobis.* Non igitur videtur esse eiusdem naturae Filius cum Patre.

* Vers. 20.

Praeterea. Praeceptum recipere, obedire, orare, et mitti, inferioris esse videtur. Haec autem de Filio leguntur. Dicit enim Filius, *Ioan.* XIV[31]: *Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio.* Et *Philip.* II[8]: *Factus est obediens Patri usque ad mortem.* Et *Ioan.* XIV[16]: *Ego rogabo Patrem, et alium paracletum dabit vobis.* Et *Galat.* IV[4], dicit Apostolus:

---

3 sumpserit] sumpsit αDGWZ. 4 is] his C, hiis DFHNW. 5 coeperit] coeperat EGX. 24 eum unum *Ita* WXZsDHPc; quod eum unum αD, quod erat unum Y, enim eum unum esse E *et sine* esse G, esse eum unum N, quidem eum unum *b*. 27 ceteras *post* creaturas GNY. 29 nominentur] nominantur EG. 30 laudarent] laudabant EGN*b*; *pro* iubilarent, iubilabant EGN. 36 condiderit] condiderat αDWY, condidit Z. 37 autem] etiam EGNX*b*.

14 erit] est αWYZ*b*Pc. 15 subiecit *post* omnia EGN. 17 maiestas] una maiestas P*d*. 18 Patri] ipsi BY, illi EN. Relinquitur ergo] requiritur EG. 20 credebant] credebant illi Y, ipsi credebant *b*, *spat.* N. 30 iuvatur] adiuvatur NYZ*b*, initiatur EG. 32 infra] ita P*d*. 35 quaecumque] quae EGNX*b*.

*Cum venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum.* Est ergo Filius minor Patre, et ei subiectus.

Item. Filius clarificatur a Parte: sicut ipse dicit, *Ioan.* XII[28]: *Pater, clarifica nomen tuum;* et sequitur: *Venit vox de caelo, Et clarificavi, et iterum clarificabo.* Apostolus etiam dicit, *ad Rom.* VIII[11], quod *Deus suscitavit Iesum Christum a mortuis.* Et Petrus dicit, Act. II[33], quod est *dextera Dei exaltatus.* Ex quibus videtur quod sit Patre inferior.

Praeterea. In natura Patris nullus defectus esse potest. In Filio autem invenitur defectus potestatis: dicit enim *Matth.* XX[23]: *Sedere ad dexteram meam vel sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est a Patre meo.* – Defectus etiam scientiae: dicit enim ipse, *Marc.* XIII[32]: *De die autem illa et hora nemo scit, neque angeli in caelo, neque Filius, nisi Pater.* – Invenitur etiam in eo defectus quietae affectionis: cum in eo Scriptura asserat tristitiam fuisse, et iram, et alias huiusmodi passiones. – Non igitur videtur Filius esse eiusdem naturae cum Patre.

Adhuc. Expresse in Scripturis invenitur quod Filius Dei sit creatura. Dicit enim *Eccli.* XXIV[12]: *Dixit mihi Creator omnium, et qui creavit me, requievit in tabernaculo meo.* Et iterum*: *Ab initio et ante saecula creata sum.* Est igitur Filius creatura.

* Vers. 14.

Praeterea. Filius creaturis connumeratur. Dicitur enim *Eccli.* XXIV[5], ex persona Sapientiae: *Ego ex ore Altissimi prodii, primogenita ante omnem creaturam.* Et Apostolus, *ad Coloss.* I[15], dicit de Filio quod est *primogenitus creaturae.* Videtur ergo quod Filius ordinem cum creaturis habeat, quasi primum inter eas obtinens gradum.

Amplius. Filius dicit, *Ioan.* XVII[22], pro discipulis ad Patrem orans: *Ego claritatem quam dedisti mihi, dedi eis, ut sint unum, sicut et nos unum sumus.* Sic igitur Pater et Filius unum sunt sicut discipulos unum esse volebat. Non autem volebat discipulos esse per essentiam unum. Non ergo Pater et Filius sunt per essentiam unum. Et sic sequitur quod sit creatura, et Patri subiectus.

Est autem haec positio Arii et Eunomii*. Et videtur a Platonicorum dictis exorta, qui ponebant summum Deum, patrem et creatorem omnium rerum, a quo primitus effluxisse dicebant quandam *mentem*, in qua essent omnium rerum formae, superiorem omnibus aliis rebus, quam *paternum intellectum* nominabant; et post hanc, animam mundi; et deinde alias creaturas. Quod ergo in Scripturis Sacris de Dei Filio dicitur, hoc de mente praedicta intelligebant: et praecipue quia Sacra Scriptura Dei Filium *Dei sapientiam* nominat et *Verbum Dei.* – Cui etiam opinioni consonat positio Avicennae*, qui supra animam primi caeli ponit intelligentiam primam, moventem primum caelum, supra quam ulterius Deum in summo ponebat.

* Aug. *de Haeres.*, XLIX, LIV.

* *Metaph.* Tract. IX, c. IV, f. 104 v. (Ven. 1508).

Sic igitur Ariani de Dei Filio suspicati sunt quod esset quaedam creatura supereminens omnibus aliis creaturis, qua mediante Deus omnia creasset: praecipue cum etiam quidam philosophi posuerunt quodam ordine res a primo principio processisse, ita quod per primum creatum omnia alia sint creata.

---

4 Pater *om* EGNX. 12 Dicit] Dicitur P*c*. 15 Marc. XIII] Matth. XXIV P*d*. 19 alias] alia BH, aliae CFN. 23 Dicit] Dicitur ZP*c*. 24 et qui] qui EGNXZ*b*.

4 Sic ... sicut] Sic ... sic CF, sicut ... sic BDHWYP*c*. 5 Non autem ... unum *om* EG. 19 praedicta *om* EG*b*. 22 supra animam primi caeli] supra primi caeli αW, supra primum caelum D; Z *legit:* qui ponit supra primam Dei intelligentiam primam *etc.* 29 cum *post* etiam P*d*. 32 sint] sunt BCDNYZ.

## Commentaria Ferrariensis

* Cf. Comment. cap. IV, init.

RESTAT tertio loco ut Arii perversum dogma excludatur *. Circa hoc autem tria facit Sanctus Thomas: primo, eius opinionem narrat; secundo, eam improbat, cap. seq.; tertio, ad eius obiectiones respondet, cap. VIII.

Circa primum duo facit: primo, ponit Arii opinionem cum suis fundamentis; secundo, ostendit unde originem habuerit*.

* Num. III.

I. Quantum ad primum, ait quod fuerunt aliqui alii, a praedictis deviantes, qui dixerunt Filium Dei extitisse ante Incarnationis mysterium, et etiam ante mundi conditionem, sed aestimaverunt eum sic esse alium a Patre quod non esset cum eo eiusdem naturae. Unde crediderunt naturam Filii non ab aeterno extitisse, licet fuerit Filius ante alias creaturas; et exinde dixerunt Filium Dei ex nihilo esse factum, et creaturam esse. Addebant autem ipsum esse unum cum Deo Patre, non per naturam, sed per consensus unionem, et per divinae similitudinis participationem super ceteras creaturas; et quod prae ceteris etiam supremis creaturis, quos angelos dicimus, qui dicuntur *dii* et *filii Dei, Iob.* XXXVIII, et in Psalmis, *Deus stetit* etc., ipsum dici et Deum et Dei Filium oportebat. Item quod per eum Deus Pater omnem aliam condiderit creaturam.

II. Hanc autem positionem confirmare nitebantur, *primo,* quia *Ioan.* XVII, *solus Pater dicitur Deus.* – *Secundo,* quia I *ad Tim.* ult., solus Pater dicitur *potens Rex regum, et solus habere immortalitatem, et lucem inaccessibilem.* – *Tertio,* quia *Ioan.* XIV dicitur Pater *maior Filio,* et I *Cor.* XV, dicitur Filius esse *subiectus Patri:* quod non esset si una esset natura Patris et Filii. – *Quarto,* quia natura Patris non patitur indigentiam: sed bene Filii natura, qui a Patre recipit, ut patet *Matth.* XI et *Ioan.* III. – *Quinto,* quia a Patre docetur et iuvatur, ut patet *Ioan.* V et *Ioan.* XV: quod est indigentis. – *Sexto,* quia recipere praeceptum, obedire, orare, et mitti, inferioris esse videtur. Haec autem de Filio leguntur: ut patet *Ioan.* XIV, *Sicut mandatum* etc.; *Philipp.* II, *Factus est obediens* etc.; *Ioan.* XIV, *Ego rogabo* etc.; *Galat.* IV, *Cum venerit* etc. – *Septimo,* quia Christus clarificatus est a Patre, *Ioan.* XII, *Pater clarifica* etc.; et ab eo suscitatus, *ad Rom.* VIII; et exaltatus, *Act.* II; ex quibus videtur quod sit Patre inferior. – *Octavo,* quia in Patre nullus invenitur defectus. In Filio autem invenitur defectus potestatis, *Matth.* XX, *Sedere* etc.; et defectus scientiae, *Matth.* XXIV*, *De die autem* etc.; et defectus quietae affectionis, cum Scriptura asserat in eo fuisse tristitiam et iram et huiusmodi. – *Nono,* quia invenitur in Scripturis quod Filius Dei sit creatura: ut patet *Eccli.* XXIV, *Dixit mihi Creator* etc.; et, *Ab initio* etc. – *Decimo,* quia connumeratur creaturis: *Eccli.* XXIV, *Ego ex ore* etc.; et *Coloss.* I dicitur quod est

* Vers. 36. Vid. text. et var.

*primogenitus creaturae.* – *Undecimo,* quia Christus volebat ut discipuli eius unum essent *sicut Pater et Filius unum sunt, Ioan.* XVII. Non autem volebat discipulos esse unum per essentiam.

Cf. init. Comm. III. Quantum ad secundum*, inquit Sanctus Thomas hanc fuisse Arii et Eunomii opinionem; eamque ex dictis Platonicorum exortam esse, ponentium summum Deum patrem et creatorem omnium rerum, a quo effluxisse quandam *mentem* dicebant, in qua essent omnium rerum formae, superiorem omnibus aliis rebus, quam *paternum* nominabant *intellectum;* et post hanc animam mundi; deinde alias creaturas.

Huic etiam consonat Avicennae positio, ponentis supra animam caeli intelligentiam moventem primum caelum; supra quam Deum in summo ponebat.

# CAPITULUM SEPTIMUM

## IMPROBATIO POSITIONIS ARII DE FILIO DEI.

HANC autem positionem Divinae Scripturae repugnare manifeste potest percipere, si quis Sacrarum Scripturarum dicta diligenter consideret.

Cum enim Scriptura Divina et Christum Dei Filium, et angelos Dei filios nominet, alia tamen et alia ratione: unde Apostolus, *Heb.* I[5], dicit: *Cui dixit aliquando angelorum, Filius meus es tu, Ego hodie genui te?* quod ad Christum asserit esse dictum. Secundum autem positionem praedictam, eadem ratione angeli filii dicerentur et Christus: utrisque enim nomen filiationis competeret secundum quandam sublimitatem naturae, in qua creati sunt a Deo.

Nec obstat si Christus sit excellentioris naturae prae aliis angelis: quia etiam inter angelos Lib. III, cap. 80. ordines diversi inveniuntur, ut ex superioribus* patet, et tamen omnibus eadem filiationis ratio competit. Non igitur Christus Filius Dei dicitur secundum quod asserit praedicta positio.

Item. Cum ratione creationis nomen filiationis divinae multis conveniat, quia omnibus angelis et sanctis; si etiam Christus eadem ratione filius diceretur, non esset *unigenitus,* licet, propter excellentiam suae naturae, inter ceteros *primogenitus* posset dici. Asserit autem eum Scriptura esse unigenitum, *Ioan.* I[14]: *Vidimus eum quasi Unigenitum a Patre.* Non igitur ratione creationis Dei Filius dicitur.

Amplius. Nomen *filiationis* proprie et vere generationem viventium consequitur, in quibus genitum ex substantia generantis procedit: alias enim nomen filiationis non secundum veritatem, sed potius secundum similitudinem accipitur, cum filios dicimus aut discipulos, aut hos quorum gerimus curam. Si igitur Christus non diceretur Filius nisi ratione creationis, cum id quod creatur a Deo, non ex substantia Dei derivetur, Christus vere Filius dici non posset. Dicitur autem verus Cap. V, 20. Filius, I *Ioan.* ult.*: *Ut simus,* inquit, *in vero Filio eius, Iesu Christo.* Non igitur Dei Filius dicitur quasi a Deo creatus in quantacumque naturae excellentia, sed quasi ex Dei substantia genitus.

Praeterea. Si Christus ratione creationis Filius dicitur, non erit verus Deus: nihil enim creatum Deus potest dici nisi per quandam similitudinem ad Deum. Ipse autem Iesus Christus est verus Deus: cum enim Ioannes dixisset*, *Ut simus in vero Filio eius,* subdit: *Hic est verus Deus et vita aeterna.* Non igitur Christus Filius Dei dicitur ratione creationis. * Loc. ult. cit.

Amplius. Apostolus, ad *Rom.* IX[5], dicit: *Ex quibus Christus est secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in saecula, Amen.* Et *Tit.* II[13]: *Expectantes beatam spem, et adventum gloriae magni Dei et Salvatoris nostri Iesu Christi.* Et *Ierem.* XXIII[5,6] dicitur: *Suscitabo David germen iustum,* et postea subditur, *et hoc est nomen quod vocabunt eum, Dominus iustus noster,* ubi in Hebraeo habetur nomen tetragrammaton, quod de solo Deo certum est dici. Ex quibus apparet quod Filius Dei est verus Deus.

Praeterea. Si Christus verus Filius est, de necessitate sequitur quod sit verus Deus. Non enim vere filius potest dici quod ab alio gignitur, etiam si de substantia generantis nascatur, nisi in similem speciem generantis procedat: oportet enim quod filius hominis homo sit. Si igitur Christus est verus Filius Dei, oportet quod sit verus Deus. Non est igitur aliquid creatum.

Item. Nulla creatura recipit totam plenitudinem divinae bonitatis: quia, sicut ex superioribus* patet, perfectiones a Deo in creaturas per modum cuiusdam descensus procedunt. Christus autem habet in se totam plenitudinem divinae bonitatis: dicit enim Apostolus, *ad Coloss.* II[9]: *In ipso habitat omnis plenitudo divinitatis.* Christus ergo non est creatura. * Cap. I.

Adhuc. Licet intellectus angeli perfectiorem cognitionem habeat quam intellectus hominis, tamen multum deficit ab intellectu divino. Intellectus autem Christi non deficit in cognitione ab intellectu divino: dicit enim Apostolus, *ad Coloss.* II[3], quod *in Christo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae absconditi.* Non est igitur Christus Filius Dei creatura.

---

3 Sacrarum *om* EGX, *post* Scripturarum NsG. 11 filii] Dei *addunt* HP*c*. 12 nomen] unum nomen P*c*. 15 Nec] Sed EG. 19 Non] nunc α. 21 filiationis] rationis EG. 24 propter] per αDWYZP*c*.

2 dicitur] diceretur EGNX*b*. 3 potest *post* dici EGNX*b*. 6 subdit *Ita* EHNZ*b*; subditur *ceteri*. 20 Praeterea ... 22 b 39 sibi a Patre *lac. in* N *ob folium excisum*. 27 aliquid] aliquod BFHWYP*c*. 30 a] autem a EG. 31 Christus autem habet] Habet autem Christus BHY; habet *post* in se WX. 42 scientiae] Dei *addunt* EGXY*b*.

Amplius. Quicquid Deus habet in seipso, est eius essentia, ut in Primo* ostensum est. Omnia autem quae habet Pater, sunt Filii: dicit enim ipse Filius, *Ioan.* XVI[15]: *Omnia quae habet Pater, mea sunt;* et *Ioan.* XVII[10], ad Patrem loquens, ait: *Mea omnia tua sunt, et tua mea sunt.* Est ergo eadem essentia et natura Patris et Filii. Non est igitur Filius creatura.

* Cap. XXI sqq.

Praeterea. Apostolus dicit, *Philipp.* II[6,7], quod Filius, antequam exinaniret semetipsum formam servi accipiens, *in forma Dei erat.* Per formam autem Dei non aliud intelligitur quam natura divina: sicut per formam servi non intelligitur aliud quam humana natura. Est ergo Filius in natura divina. Non est igitur creatura.

Item. Nihil creatum potest esse Deo aequale. Filius autem est Patri aequalis. Dicitur enim *Ioan.* V[18]: *Quaerebant eum Iudaei interficere, quia non solum solvebat sabbatum, sed et Patrem suum dicebat Deum, aequalem se Deo faciens.* Haec est autem Evangelistae narratio, *cuius testimonium verum est**, quod Christus Filium Dei se dicebat et Deo aequalem, et propterea eum Iudaei persequebantur. Nec dubium est alicui Christiano quin illud quod Christus de se dixit, verum sit: cum et Apostolus dicat, *Philipp.* II[6], *hoc non fuisse rapinam, quod aequalem se esse Patri arbitratus est.* Est ergo Filius aequalis Patri. Non est igitur creatura.

* *Ioan.* XIX, 35; XXI, 24.

Amplius. In Psalmo* legitur non esse similitudinem alicuius ad Deum etiam inter angelos, qui filii Dei dicuntur: *Quis,* inquit, *similis Deo in filiis Dei?* Et alibi*: *Deus, quis similis erit tibi?* Quod de perfecta similitudine accipi oportet: quod patet ex his quae in primo libro tractata sunt*. Christus autem perfectam sui similitudinem ad Patrem ostendit etiam in vivendo: dicitur enim *Ioan.* V[26]: *Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit et Filio vitam habere in semetipso.* Non est igitur Christus computandus inter filios Dei creatos.

* Ps. LXXXVIII, 7.

* Ps. LXXXII, 1.

* Cap. XXIX.

Adhuc. Nulla substantia creata repraesentat Deum quantum ad eius substantiam: quicquid enim ex perfectione cuiuscumque creaturae apparet, minus est quam quod Deus est; unde per nullam creaturam sciri potest de Deo *quid est.* Filius autem repraesentat Patrem: dicit enim de eo Apostolus, ad *Coloss.* I[15], quod *est imago invisibilis Dei.* Et ne aestimetur esse imago deficiens, essentiam Dei non repraesentans, per quam non possit cognosci de Deo *quid est,* sicut vir dicitur *imago Dei,* I *ad Cor.* XI[7]; ostenditur perfecta esse imago, ipsam Dei substantiam repraesentans, *Hebr.* I[3], dicente Apostolo: *Cum sit splendor gloriae, et figura substantiae eius.* Non est igitur Filius creatura.

Praeterea. Nihil quod est in aliquo genere, est universalis causa eorum quae sunt in genere illo, sicut universalis causa hominum non est aliquis homo, nihil enim est sui ipsius causa: sed sol, qui est extra genus humanum, est universalis causa generationis humanae, et ulterius Deus. Filius autem est universalis causa creaturarum: dicitur enim *Ioan.* I[3]: *Omnia per ipsum facta sunt;* et *Proverb.* VIII[30], dicit Sapientia genita: *Cum eo eram componens omnia;* et Apostolus dicit, *ad Coloss.* I[16]: *In ipso condita sunt universa in caelo et in terra.* Ipse igitur non est de genere creaturarum.

Item. Ex ostensis in secundo libro* manifestum est quod substantiae incorporeae, quas angelos dicimus, non possunt aliter fieri quam per creationem; et etiam ostensum est* quod nulla substantia potest creare nisi solus Deus. Sed Dei Filius Iesus Christus est causa angelorum, eos in esse producens: dicit enim Apostolus*: *Sive throni, sive dominationes, sive principatus, sive potestates, omnia per ipsum et in ipso creata sunt.* Ipse igitur Filius non est creatura.

* Cap. XCVIII.

* Ibid., cap. XXI.

* *Coloss.* I, 16.

Praeterea. Cum propria actio cuiuslibet rei sequatur naturam ipsius, nulli competit propria actio alicuius rei cui non competit illius rei natura: quod enim non habet humanam speciem, nec actionem humanam habere potest. Propriae autem actiones Dei conveniunt Filio: sicut creare, ut iam ostensum est; continere et conservare omnia in esse; et peccata purgare; quae propria esse Dei ex superioribus* patet. Dicitur autem de Filio, *ad Coloss.* I[17], quod *omnia in ipso constant;* et *ad Heb.* I[3], dicitur quod *portat omnia verbo virtutis suae, purgationem peccatorum faciens.* Filius igitur Dei est naturae divinae, et non est creatura.

* Lib. III, capp. LXV, CLVII.

Sed quia posset Arianus dicere quod haec Filius facit non tanquam principale agens, sed sicut instrumentum principalis agentis, quod per propriam virtutem non agit, sed solum per virtutem principalis agentis, hanc rationem Dominus excludit, *Ioan.* V[19], dicens: *Quaecumque Pater facit, haec et Filius similiter facit.* Sicut igitur Pater per se operatur et propria virtute, ita et Filius.

Ulterius etiam ex hoc verbo concluditur quod sit eadem virtus et potestas Filii et Patris. Non solum enim dicit quod Filius similiter operatur sicut et Pater, sed quod *eadem et similiter.* Idem autem non potest esse operatum eodem modo a duobus agentibus nisi vel dissimiliter, sicut idem fit a principali agente et instrumento: vel, si similiter, oportet quod conveniant in una virtute. Quae quidem virtus quandoque congregatur ex diversis virtutibus in diversis agentibus inventis, sicut patet in multis trahentibus navem: omnes enim similiter trahunt, et quia virtus cuiuslibet imperfecta est et insufficiens ad istum

---

2 eius essentia *om* EGX. 11 accipiens, in] accipiens et in BGH, accipiens quod in W, ac si et in C. 21 autem *Ita* EGX; *om* W, ergo *ceteri.* testimonium] dictum EG. 26 fuisse] esse EGX; rapinam *om* E. 38 et Filio] in Filio α, *om* GXZ; *post* dedit *nil nisi* etc. E. 55 Filius] Dei *addunt* Pc.

2 est *om* αW, *post* sui ipsius Pc. 16 nisi *Ita* DW; sed *ceteri.* 20 et in ipso] in ipso BCFGWY. 22 sequatur] aequatur HpB. 23 propria *om* EGX. 29 quae propria esse Dei] quod est proprium ipsius Dei ut P*d*. 36 haec *plene* W, hoc EG*b*Pc. 40 rationem] responsionem FZ, positionem WPc. 41 Pater facit] Pater fecerit *c*, enim ille fecerit P*d*. 49 eodem] eo GX, eodem modo *om* E. 50 vel *Ita* EGX*b*, *om ceteri.* 51 vel si *Ita* E*b*; et si D, vel *ceteri; pro* oportet, et tunc oportet P.

effectum, ex diversis virtutibus congregatur una virtus omnium, quae sufficit ad trahendum navem. Hoc autem non potest dici in Patre et Filio: virtus enim Dei Patris non est imperfecta, sed infinita, ut in Primo* ostensum est. Oportet igitur quod eadem numero sit virtus Patris et Filii. Et cum virtus consequatur naturam rei, oportet quod eadem numero sit natura et essentia Patris et Filii. – Quod etiam ex praecedentibus concludi potest. Nam si in Filio est natura divina, ut multipliciter ostensum est; cum natura divina multiplicari non possit, ut in primo libro* ostensum est: sequitur de necessitate quod sit eadem numero natura et essentia in Patre et Filio.

Cap. XLIII.

* Cap. XLII.

Item. Ultima nostra beatitudo in solo Deo est; in quo etiam solo spes hominis debet poni; et cui soli est honor latriae exhibendus, ut in tertio libro* ostensum est. Beatitudo autem nostra in Dei Filio est. Dicit enim, *Ioan.* XVII[3]: *Haec est vita aeterna, ut cognoscant te,* scilicet Patrem, *et quem misisti, Iesum Christum.* Et I *Ioan.* ult.,* dicitur de Filio quod est *verus Deus et vita aeterna.* Certum est autem nomine *vitae aeternae* in Scripturis Sacris ultimam beatitudinem significari. – Dicit etiam Isaias de Filio, ut Apostolus inducit*: *Erit radix Iesse, et qui exurget regere gentes, in eo gentes sperabunt.* – Dicitur etiam in Psalmo*: *Et adorabunt eum omnes reges, omnes gentes servient ei.* Et *Ioan.* V[23] dicitur: *Omnes honorificent Filium sicut honorificant Patrem.* Et iterum in Psalmo* dicitur: *Adorate eum omnes angeli eius:* quod de Filio Apostolus introducit *Heb.* I*. – Manifestum est igitur Filium Dei verum Deum esse.

* Capit. XXXVII, LII, CXX.

* Cap. V, 20.

* *Is.* XI, 10; ad *Rom.*, XV, 12.

* Ps. LXXI, 11.

* Ps. XCVI, 7.

* Vers. 6.

Ad hoc etiam ostendendum valent ea quae superius* contra Photinum inducta sunt ad ostendendum Christum Deum esse non factum, sed verum.

* Cap. IV.

Ex praemissis igitur et consimilibus Sacrae Scripturae documentis Ecclesia Catholica docta, Christum verum et naturalem Dei Filium confitetur, aeternum, Patri aequalem, et verum Deum, eiusdem essentiae et naturae cum Patre, genitum, non creatum nec factum.

Unde patet quod sola Ecclesiae Catholicae fides vere confitetur generationem in Deo, dum ipsam generationem Filii ad hoc refert quod Filius accepit divinam naturam a Patre. Alii vero haeretici ad aliquam extraneam naturam hanc generationem referunt: Photinus quidem et Sabellius ad humanam; Arius autem non ad humanam, sed ad quandam naturam creatam digniorem ceteris creaturis. – Differt etiam Arius a Sabellio et Photino quod hic generationem praedictam asserit ante mundum fuisse; illi vero eam fuisse negant ante nativitatem ex Virgine. – Sabellius tamen a Photino differt in hoc, quod Sabellius Christum verum Deum confitetur et naturalem, non autem Photinus neque Arius: sed Photinus purum hominem; Arius autem quasi commixtum ex quadam excellentissima creatura divina et humana. Hi tamen aliam esse personam Patris et Filii confitentur, quod Sabellius negat.

Fides ergo Catholica, media via incedens, confitetur, cum Ario et Photino, contra Sabellium, aliam personam Patris et Filii, et Filium genitum, Patrem vero omnino ingenitum: cum Sabellio vero, contra Photinum et Arium, Christum verum et naturalem Deum et eiusdem naturae cum Patre, licet non eiusdem personae. – Ex quo etiam indicium veritatis Catholicae sumi potest: nam vero, ut Philosophus dicit*, etiam falsa attestantur: falsa vero non solum a veris, sed etiam ab invicem distant.

* II *Anal. Prior.*, II, 2.-*Mor. Eud.*, I, VI, 6.

---

7 consequatur] sequatur GXP*d*. 9 etiam *om* EGX. 25 etiam] enim EHYP*c*. 27 etiam *om* Z, enim P*c*. 35 ostendendum] distinguendum BHY.

1 et consimilibus Sacrae Scripturae] et similibus Sacrae Scripturae BHYZ, Sacraeque Scripturae similibus E, ex Sacrae Scripturae consimilibus G*b*. 4 aeternum, Patri aequalem] coaeternum Patri et aequalem P*d*. et verum] verum BH. 5 et naturae] ac naturae EGX*b*. 11 ad aliquam] aliquam EG. 14 creatam *om* EGX. 16 hic *Ita* EZ; huiusmodi *ceteri*. 21 neque *Ita* EGX*b*; sed neque *ceteri*. 23 commixtum] commixtionem EG, mixtum X. 24 tamen *om* P*d*. 27 ergo] autem EGX, itaque sG. 36 attestantur *Ita* EGX*b*; testantur *ceteri*.

## Commentaria Ferrariensis

* Cf. Comment. cap. praec., init.

CONTRA praedictam Arii et Eunomii positionem arguit Sanctus Thomas auctoritate Scripturae.*

I. *Et primo sic.* Secundum positionem praedictam, eadem ratione angeli filii Dei dicerentur et Christus: quia utrisque secundum quandam similitudinem naturae in qua creati sunt, nomen filiationis competeret. Hoc autem constat esse falsum: nam *ad Heb.* I dicitur: *Cui dixit aliquando angelorum, Filius meus es tu, Ego hodie genui te?* – Si dicatur illud non sequi, quia Christus est excellentioris naturae: – hoc non obstat. Quia etiam inter angelos diversi ordines inveniuntur; et tamen omnibus eadem ratio filiationis convenit.

*Secundo.* Christus non esset *unigenitus.* Cuius oppositum dicitur *Ioan.* I. – Probatur consequentia. Quia nomen filiationis ratione divinae creationis etiam omnibus angelis et sanctis convenit.

*Tertio.* Si non diceretur Filius nisi ratione creationis, Christus vere filius dici non posset. Sed huius oppositum dicitur I *Ioan.* ult. Ergo etc. – Probatur sequela. Quia nomen filiationis proprie et vere generationem viventium consequitur, in quibus genitum ex substantia generantis procedit, quod non est in creatione.

*Quarto.* Christus non esset verus Deus: quia nihil creatum potest dici Deus nisi per quandam similitudinem ad Deum. Sed hoc est falsum: ut patet I *Ioan.* ult., *Hic est verus Deus* etc.

Advertendum pro hac ratione et praecedenti, quod *verum* potest dupliciter accipi. Uno modo, ut distinguitur contra *falsum*: sicut propositio qua significatur sicut est in re, dicitur vera, falsa autem qua significatur non sicut est in re. Alio modo, ut distinguitur contra *similitudinarie sumptum:* quo modo dicimus vivum animal esse verum animal, pictum autem non esse verum animal, sed per quandam similitudinem. Cum ergo dicitur Christus esse *verus Filius Dei,* et *verus Deus,* accipitur *verum* secundo modo: et est sensus quod est Filius Dei et Deus se-

cundum propriam et essentialem horum nominum significationem.

II. *Quinto. Ad Rom.* IX dicitur: *Qui est super omnia Deus* etc.; et *ad Tit.* II, *Expectantes beatam spem* etc.; et *Ier.* XXIII, *Suscitabo David germen iustum,* et subditur, *et hoc est nomen quod vocabunt eum, Dominus iustus noster,* ubi in Hebraeo habetur nomen tetragrammaton, quod de solo Deo dici certum est. Ergo Filius Dei est verus Deus.

*Sexto.* Si Christus verus Filius est, scilicet Dei, necesse est quod sit verus Deus: quia non potest vere filius dici quod ab alio gignitur, etiam si de substantia generantis nascatur, nisi in similem speciem generantis procedat. Sed (supple) est verus Filius Dei. Ergo etc. – De materia huius rationis inferius * erit sermo.

* Cap. XI.

*Septimo.* Christus habet in se totam plenitudinem divinae bonitatis: ut patet *ad Coloss.* I*. Ergo etc. – Patet consequentia. Quia nulla creatura recipit totam plenitudinem divinae bonitatis.

* Vers. 19. Cf. tamen text.

*Octavo.* Intellectus Christi non deficit in cognitione ab intellectu divino: cum dicatur *ad Coloss.* II quod *in ipso sunt omnes thesauri* etc. Ergo etc.

Advertendum quod non loquitur hic Sanctus Thomas de intellectu animae Christi qui est intellectus humanus: nam de hoc non est verum quod adaequet divini intellectus cognitionem, ut superius * est ostensum. Sed loquitur de intellectu ipsius absolute: quia scilicet in Christo est aliquis intellectus non deficiens in cognitione ab intellectu divino: quod, cum huiusmodi non possit esse alius intellectus quam divinus, sequitur in Christo esse divinum intellectum, et consequenter quod sit Deus.

* Lib. III, cap. LV sq.

III. *Nono. Omnia quae habet Pater sunt Filii:* ut patet *Ioan.* XVI et XVII. Ergo est eadem essentia et natura Patris et Filii. Ergo etc. – Probatur prima consequentia. Quia quicquid habet Deus in seipso, est eius essentia.

*Decimo.* Filius, antequam exinaniret semetipsum formam servi accipiens, *in forma Dei erat,* ut dicitur *Philipp.* II. Sed per formam Dei intelligitur natura divina, sicut per *formam servi* intelligitur natura humana. Ergo etc.

*Undecimo.* Filius est Patri aequalis: quoniam, ut patet ex narratione Ioannis Evangelistae, *Ioan.* V, Iudaei Christum persequebantur *quia dicebat se esse aequalem Deo.* Non est autem dubium Christiano verum esse quod Christus de se dixit: cum et Apostolus dicat, *Philipp.* II, *non fuisse rapinam quod aequalem se esse Patri arbitratus est.* Ergo etc. – Probatur consequentia. Quia nihil creatum potest esse aequale Deo.

Advertendum autem quod, quia disputatio haec adversus Christianum est suscipientem Evangelium, ideo dixit Sanctus Thomas, *Non esse dubium Christiano verum esse quod Christus de se dixit.* Nam infidelis posset dicere Christum se quandoque inaniter iactasse: sed Christiano nefas est hoc dicere.

IV. *Duodecimo.* Christus perfectam sui similitudinem ad Patrem ostendit etiam in vivendo, *Ioan.* V: *Sicut Pater* etc. Ergo etc. – Probatur consequentia. Quia perfecta similitudine non legitur esse similitudinem alicuius ad Deum: ut patet in Psalmis cum dicitur, *Quis similis Deo* etc., et, *Deus, quis similis erit tibi?*

*Tertiodecimo.* Filius repraesentat Patrem quantum ad eius essentiam: nam *Coloss.* I dicitur quod est *imago invisibilis Dei.* Et quod sit perfecta imago, essentiam Dei repraesentans, per quam possit cognosci de Deo *quid est,* ostenditur *Heb.* I, cum dicitur: *Cum sit splendor* etc. Ergo etc. – Probatur consequentia. Quia nulla substantia creata repraesentat Deum quantum ad eius substantiam.

2. Circa hoc ultimum dictum occurrit dubium. Nam omnis creatura repraesentat Deum: cum sit eius similitudo. Sed non repraesentat eum quantum ad aliquod accidens eius: cum in Deo nullum sit accidens. Ergo repraesentat eum quantum ad substantiam. Ergo falsum est quod nulla creatura repraesentat Deum quantum ad eius substantiam.

Respondetur quod unum repraesentare aliud quantum ad substantiam, dupliciter potest intelligi: uno modo, quia repraesentat ipsam substantiam rei adaequate et perfecte, secundum quod per definitionem significatur; alio modo, quia repraesentat rei substantiam inadaequate et imperfecte, et non secundum omnem modum perfectionis essentialis. Isto secundo modo omnis creatura repraesentat Deum quantum ad eius substantiam, non autem primo modo. De hoc autem modo loquitur Sanctus Thomas. Quod constat quia loquitur de ea repraesentatione substantiae per quam cognosci potest de re *quid est.* Ista enim est repraesentatio per quandam adaequationem repraesentantis et repraesentati.

V. *Quartodecimo.* Filius Dei est universalis causa creaturarum: ut patet *Ioan.* I, *Proverb.* VIII, et *Coloss.* I. Ergo non est de genere creaturarum. – Probatur consequentia. Quia nihil quod est in aliquo genere, est causa universalis eorum quae sunt in genere illo, sicut universalis causa hominum non est aliquis homo: alioquin idem esset causa sui ipsius.

*Quintodecimo.* Dei Filius Iesus Christus est causa angelorum, eos in esse producens: ut patet ex Apostolo dicente: *Sive throni sive dominationes* etc. Ergo etc. – Probatur consequentia. Quia angeli non possunt aliter fieri quam per creationem: et nulla substantia creata potest creare, ut est ostensum in Secundo, sed solus Deus.

VI. *Sextodecimo.* Propriae actiones Dei conveniunt Filio: sicut creare, ut est ostensum; continere et conservare omnia in esse, et peccata purgare, quod est proprium Dei, ut patet *ad Coloss.* I et *ad Heb.* I. Ergo etc. – Probatur consequentia. Quia nulli convenit propria operatio alicuius rei cui non competit illius rei natura.

Si dicatur quod haec Filius facit, non per propriam virtutem, sed per virtutem principalis agentis, cuius est instrumentum: – contra arguitur. Quia *Ioan.* V, dicitur quod *quaecumque ille fecerit, haec et Filius similiter facit.* Ex quibus duo habentur. Unum est quod, sicut Pater per se operatur et propria virtute, ita et Filius. – Alterum est quod eadem est virtus et potestas Filii et Patris. Cum enim idem non possit esse a duobus agentibus eodem modo, sed dissimiliter; aut, si similiter, oporteat ut conveniant in una virtute; et Filius omnia quaecumque facit Pater, faciat, et similiter faciat, necesse est ut in una virtute conveniant. Hoc autem non est quasi ex multis virtutibus imperfectis in ipsis inventis una congregetur perfecta virtus, sicut ex virtutibus multorum trahentium navem una perfecta virtus fit: cum virtus Dei Patris sit infinita, ut ostensum est in Primo. Ergo oportet ut eadem numero sit virtus Patris et Filii. – Ex quo etiam ulterius infertur quod oportet esse eandem numero essentiam Patris et Filii: cum virtus sequatur naturam rei. – Id quod etiam hac ratione patet: quia natura divina multiplicari non potest, ut in primo libro est ostensum.

2. Ad huius rei evidentiam, considerandum est quod unius et eiusdem effectus non possunt esse duae causae totales eiusdem generis et eiusdem ordinis, ut in praecedentibus * est ostensum. Sed bene eiusdem possunt esse plures causae totales diversorum generum: puta una in genere causae efficientis, altera in genere causae finalis. Item possunt esse plures eiusdem generis sed diversorum ordinum: puta in genere causae efficientis una principalis, altera instrumentalis. Possunt etiam eiusdem esse plures causae eiusdem ordinis, sed particulares et imperfectae, quasi integrantes unam totalem et perfectam causam: sicut est de multis trahentibus navem.

* Lib. III, cap. LXX.

Cum ergo hic dicitur *idem non posse esse operatum a diversis agentibus eodem modo, sed dissimiliter* etc., sensus est quod idem non potest esse productum a diversis agentibus totalibus nisi in diverso ordine existant, ita scilicet quod unum sit principale, aliud vero instrumentale: aut, si *similiter,* idest secundum eundem ordinem, aliquid procedat a pluribus, oportet illa convenire in una virtute; aut congregata ex multis inperfectis virtutibus, eo quod ipsa sunt plura partialia agentia imperfecta simul constituentia unum perfectum agens; aut una numero simpliciter in illis existens*, ut illa dicantur non plura agentia substantive, sed unum, licet sint plura supposita illa una virtute agentia. Nam multum differt aliqua esse *plura*

* Corrig. in *existente.*

*agentia,* et illa esse *plura supposita agentia:* in prima enim, cum ly *agentia* sumatur substantive, significatur pluralitas virtutis et formae activae; in secunda vero, cum sumatur adiective, significatur pluralitas tantum suppositorum agentium.

VII. *Decimoseptimo.* Beatitudo nostra in Dei Filio est, scilicet obiective: ut patet *Ioan.* XVII, et I *Ioan.* ultimo. – Est etiam in eo spes nostra: iuxta illud *Isaiae,* ab Apostolo introductum, *Erit radix Iesse* etc. – Est et illi honor latriae exhibendus. Psalmo, *Et adorabunt eum* etc.; et *Ioan.* V, *Omnes honorificent Filium* etc.; et iterum in Psalmo, *Adorate eum omnes angeli eius,* quod *ad Heb.* I de Christo introducitur. Ergo etc. – Probatur consequentia. Quia illa soli Deo conveniunt, ut in Tertio est ostensum.

2. Addit ultimo Sanctus Thomas quod ad hoc ostendendum valent etiam ea quae contra Photinum sunt inducta ad ostendendum Christum verum Deum esse, non factum, sed genitum.

VIII. Ex istis infert corollarie quod sola fides Catholicae Ecclesiae, quae ponit Filium coaeternum Patri, et coaequalem, verumque Deum eiusdem naturae et essentiae cum Patre, genitum, non creatum nec factum, vere confitetur generationem in Deo, ipsam ad hoc referendo quod Filius accepit divinam naturam a Patre: haereticis ipsam ad extraneam naturam referentibus, Photino quidem et Sabellio ad humanam, Ario autem ad creaturam quandam ceteris creaturis nobiliorem.

IX. Quantum ad secundum*, comparat istas opiniones haereticorum ad invicem. Et ait quod quantum ad generationem, Arius differt a Sabellio et Photino, quia ille ipsam asserit ante mundum fuisse, illi vero hoc negant. – Quantum vero ad ipsum Christum, differunt quia Sabellius Christum verum Deum confitetur et naturalem, non autem Photinus neque Arius. Differt vero Photinus ab Ario, quia Photinus dicit ipsum purum hominem, Arius autem dicit ipsum quasi commixtum ex quadam excellentissima creatura, divina scilicet aliquo modo et humana. – Quantum autem ad personam Filii, differt Sabellius ab aliis, quia illi ponunt aliam esse personam Patris et Filii, quod Sabellius negat.

Fides autem Catholica, media via incedens, cum Ario et Photino concordat, ponens aliam esse personam Patris, aliam Filii, et Filium esse genitum, Patrem vero ingenitum. Cum Sabellio vero convenit, Christum dicens verum et naturalem Deum eiusdem naturae cum Patre, licet non eiusdem personae.

Ex quo infert Sanctus Thomas quod ex hoc sumi potest indicium Catholicae veritatis: quoniam, ut Philosophus ait, vero etiam falsa attestantur, falsa vero etiam ad invicem distant.

Advertendum quod falsa attestari dicuntur vero aliquando, non quidem ex ea parte qua falsa sunt, sed inquantum aliquid veritatis continent.

* Indicatio huius *secundi* deest in initio comment.

# CAPITULUM OCTAVUM

## SOLUTIO AD AUCTORITATES QUAS ARIUS PRO SE INDUCEBAT.

Quia vero veritas veritati contraria esse non potest, manifestum est ea quae ex Scripturis veritatis ab Arianis introducta sunt ad suum errorem confirmandum*, eorum sententiae accommoda non esse. Cum enim ex Scripturis Divinis ostensum sit* Patris et Filii eandem numero essentiam esse et naturam divinam, secundum quam uterque verus dicitur Deus, oportet Patrem et Filium non duos deos, sed unum Deum esse. Si enim plures dii essent, oporteret per consequens divinitatis essentiam in utroque partitam esse, sicut in duobus hominibus est alia et alia humanitas numero: et praecipue cum non sit aliud divina natura et aliud ipse Deus, ut supra* ostensum est; ex quo de necessitate consequitur quod, existente una natura divina in Patre et Filio, quod sint Pater et Filius unus Deus. Licet ergo Patrem confiteamur Deum, et Filium Deum, non tamen recedimus a sententia qua ponitur unus solus Deus, quam in Primo* et rationibus et auctoritatibus firmavimus. Unde, etsi sit unus solus verus Deus, tamen hoc et de Patre et de Filio praedicari confiteamur.

Cum ergo Dominus, ad Patrem loquens, dicit, *ut cognoscant te solum Deum verum**, non sic intelligendum est quod solus Pater sit verus Deus, quasi Filius non sit verus Deus, quod tamen manifeste Scripturae testimonio probatur: sed quod illa quae est una sola vera deitas Patri conveniat, ita tamen quod non excludatur inde et Filius. Unde signanter non dicit Dominus, *ut cognoscant solum Deum verum,* quasi solus ipse sit Deus; sed dixit, *ut cognoscant te,* et addit *solum verum Deum,* ut ostenderet Patrem, cuius se Filium protestabatur, esse Deum in quo invenitur illa quae sola est vera divinitas. Et quia oportet verum filium eiusdem naturae esse cum patre, magis sequitur quod illa quae sola est vera divinitas Filio conveniat, quam ab ea Filius excludatur. Unde et Ioannes, in fine Primae suae Canonicae*, quasi haec verba Domini exponens, utrumque istorum vero Filio attribuit quae hic Dominus dicit de Patre, scilicet quod sit verus Deus, et quod in eo sit vita aeterna, dicens: *ut cognoscamus verum Deum, et simus in vero Filio eius. Hic est verus Deus, et vita aeterna.* – Si tamen confessus esset Filius quod solus Pater esset verus Deus, non propter hoc a vera divinitate Filius excludi intelligendus esset: nam quia Pater et Filius sunt unus Deus, ut ostensum est*, quicquid ratione divinitatis de Patre

Vide supra, cap. VI.

Cap. praec.

Lib. I, cap. XXI. sq.

Cap. XLII.

Supra cap. VI, *Hanc autem.*

* Cap. V, 20.

* Cap. praec.

7 esse *om* αDZc, *ante* numero WY. 15 ex quo de necessitate *Ita bP*; ex quo ex voluntate EG, ex qua auctoritate *ceteri.* 17 quod sint] quod sit EG, quod Z, quod sicut W, sint P. 18 unus] ut α, est W (*cf. var. praeced.*). Patrem] et Patrem αDWYPc. 19 et Filium Deum *hom om* αDWYZ. 20 solus *ante* ponitur B, *post* CDWZ, *ante et post* F, solum *ante* ponitur W (solus *margo*), ponitur unus solus (*om* Deus) H.

5 excludatur] excluditur DEGZ. 6 dicit] dixit CDFWZbPc. 7 solum] te solum bPc solum . . . cognoscant *hom om* EGX. Deum *post* verum CDYPd. 8 et addit *Ita* EGb; sed addit X, et addidit *ceteri.* 10 Deum] verum Deum BHZ, Deum verum Y, illum Deum W. 12 eiusdem naturae esse] esse eiusdem B, eiusdem esse CFHW, eiusdem naturae EsG, esse eiusdem naturae Y. 23 divinitate] veritate EG.

dicitur, idem est ac si de Filio diceretur, et e converso. Non enim propter hoc quod Dominus dicit, *Matth.* XI[27], *Nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem quis novit nisi Filius,* intelligitur vel Pater a sui cognitione excludi, vel Filius.

Ex quo etiam patet quod vera Filii divinitas non excluditur ex verbis Apostoli quibus dicit, *Quem suis temporibus ostendet beatus et solus potens, Rex regum et Dominus dominantium**. Non enim in his verbis Pater nominatur, sed id quod est commune Patri et Filio. Nam quod et Filius sit Rex regum et Dominus dominantium, manifeste ostenditur *Apoc.* XIX[13], ubi dicitur: *Vestitus erat veste aspersa sanguine, et vocabatur nomen eius Verbum Dei,* et postea subditur*: *Et habet in vestimento et in femore suo scriptum, Rex regum et Dominus dominantium.* – Nec ab hoc quod subditur, *Qui solus habet immortalitatem,* excluditur Filius: cum et sibi credentibus immortalitatem conferat; unde dicitur *Ioan.* XI[26]: *Qui credit in me, non morietur in aeternum.* – Sed et hoc quod subditur, *Quem nemo hominum vidit, sed nec videre potest,* certum est Filio convenire: cum Dominus dicat, *Matth.* XI[27]: *Nemo novit Filium nisi Pater.* Cui non obstat quod visibilis apparuit: hoc enim secundum carnem factum est. Est autem invisibilis secundum deitatem, sicut et Pater: unde Apostolus, in eadem Epistola*, dicit: *Manifeste magnum est pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne.* – Nec cogit quod haec de solo Patre dicta intelligamus quia dicitur quasi oporteat alium esse ostendentem et alium ostensum. Nam et Filius seipsum ostendit: dicit enim ipse, *Ioan.* XIV[21]: *Qui diligit me, diligetur a Patre meo, et ego diligam eum, et manifestabo ei meipsum.* Unde et ei dicimus: *Ostende faciem tuam, et salvi erimus**.

Quod autem Dominus dicit, *Pater maior me est**, qualiter sit intelligendum, Apostolus docet. Cum enim *maius* referatur ad *minus*, oportet intelligi hoc dici de Filio secundum quod est *minoratus.* Ostendit autem Apostolus eum esse minoratum secundum assumptionem formae servilis, ita tamen quod Deo Patri aequalis existat secundum formam divinam: dicit enim, *ad Philipp.* II[6]: *Cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens.* Nec est mirum si ex hoc Pater eo maior dicatur: cum etiam ab angelis eum minoratum Apostolus dicat, *Hebr.* II[9]: *Eum,* inquit, *qui modico ab angelis minoratus est, vidimus Iesum, propter passionem mortis, gloria et honore coronatum.* – Ex quo etiam patet quod secundum eandem rationem dicitur Filius esse *Patri subiectus,* scilicet secundum humanam naturam. Quod ex ipsa circumstantia litterae apparet. Praemiserat enim Apostolus*: *Per hominem mors, et per hominem resurrectio mortuorum;* et postea subiunxerat* quod *unusquisque resurget in suo ordine: primum Christus, deinde ii qui sunt Christi;* et postea addit*, *Deinde finis, cum tradiderit regnum Deo et Patri;* et ostenso quale sit hoc regnum, quia scilicet oportet ei omnia esse subiecta*, consequenter subiungit**: *Cum subiecta illi fuerint omnia, tunc ipse Filius subiectus erit ei qui subiecit sibi omnia.* Ipse ergo contextus litterae ostendit hoc de Christo debere intelligi secundum quod est homo: sic enim mortuus est et resurrexit. Nam secundum divinitatem, cum *omnia faciat quae facit Pater,* ut ostensum est*, etiam ipse sibi subiecit omnia: unde Apostolus dicit, *ad Philipp.* III[20]: *Salvatorem expectamus Dominum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostrae configuratum corpori claritatis suae, secundum operationem qua possit sibi subiicere omnia.*

Ex eo autem quod Pater Filio *dare* dicitur in Scripturis, ex quo sequitur ipsum *recipere**, non potest ostendi aliqua indigentia esse in ipso, sed hoc requiritur ad hoc quod Filius sit: non enim Filius dici posset nisi a Patre genitus esset; omne autem genitum a generante naturam recipit generantis. Per hoc ergo quod Pater Filio dare dicitur, nihil aliud intelligitur quam Filii generatio, secundum quam Pater Filio dedit suam naturam. – Et hoc ipsum ex eo quod datur, intelligi potest. Dicit, enim Dominus, *Ioan.* X[29]: *Pater quod dedit mihi, maius omnibus est.* Id autem quod maius omnibus est, divina natura est, in qua Filius est Patri aequalis. Quod ipsa verba Domini ostendunt. Praemiserat enim* quod *oves suas nullus de manu eius rapere posset;* ad cuius probationem inducit verbum propositum, scilicet quod *id quod est sibi a Patre datum, maius omnibus sit,* et quia *de manu Patris,* ut subiungit, *nemo rapere potest.* Ex hoc sequitur quod nec etiam de manu Filii. Non autem sequeretur nisi per id quod est sibi a Patre datum, esset Patri aequalis. Unde, ad hoc clarius explicandum, subdit*: *Ego et Pater unum sumus.* – Similiter etiam Apostolus, *ad Philipp.* II[9], dicit: *Et dedit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Iesu omne genu flectatur, caelestium, terrestrium et infernorum.* Nomen autem omnibus nominibus altius, quod omnis creatura veneratur, non est aliud quam nomen divinitatis. Ex hac ergo datione generatio ipsa intelligitur, secundum quam Pater Filio veram divinitatem dedit. – Idem etiam ostenditur ex hoc quod *omnia sibi* dicit *esse data a Patre.* Non autem

* Capit. VI, *Item Apostolus.*
* Vers. 16.
* I *ad Tim.*, capit. III, 16.
* Ps. LXXIX, 4.
* Cap. VI, *Praeterea Dominus.*
* *1 Cor.* XV, 21.
* Vers. 23.
* Vers. 24.
* Vers. 25-27.
** Vers. 28.
* Cap. praec.
* Cap. VI, *Adhuc Natura.*
* Vers. 28.
* Vers. 30.

2 propter hoc quod] propter hoc αDYpW, *om* Z. 7 ex verbis] a verbis BH, verbis Y. 8 ostendet *Ita* DEYP; ostendens *ceteri.* 16 suo] sic α, eius E*b*, *om* Z. 17 ab hoc] ob hoc BHY*c*, ob hoc quidem W, ad hoc DEZ. 30 manifestatum *Ita* DWP; manifestum *ceteri.* 49 eo *post* maior BDEHYZ, *om* GX. 50 Apostolus dicat] ab Apostolo [a bap° G) dicatur EG*b*.

4 subiunxerat] subiunxit BHY*b*. 6 Christi] in adventu eius *addit* E, *om* W. addit *Ita* HP; addidit *ceteri.* finis] Christus finis est EG, finis est X, Filius P*d*. 8 quia] quasi αWY. 11 erit ei] erit illi CDP*c*, erit B. subiecit sibi *Ita* EX*b*; sibi subiecit P*c*, *lac.* G, subiecit ei *ceteri.* 23 ex quo sequitur] ex quibus consequitur (sequitur H) BHY, ex quo etiam sequitur Z, ex quo per Scripturam sequitur P*d*. 30 dedit *ante* Filio DP*c*, *post* suam GX, *post* naturam Z. 31 ex eo *om* EG. 33 maius *post* omnibus EGX. 39 sibi a Patre *Finis lac. in* N. 41 rapere *om* EG. sequitur quod nec etiam *Ita* CDFHZ *et sine* etiam WXP*c*; sequitur quod nemo etiam BY, etiam sequitur quod nec N, etiam nec EG*b* 52 ergo] autem EFGNX*b*. datione] generationis datione P*d*. 55 dicit *Ita* DWYZ; dici α, dicuntur P*c*; sibi data a Patre dicit N, sibi data a Patre esse E *et addito* dicit G, sibi dicit data a Patre esse X, dicit sibi data esse a Patre *b*.

essent sibi data omnia, nisi *omnis plenitudo divinitatis**, quae est in Patre, esset in Filio.

Coloss. II, 9.

Sic igitur ex hoc quod sibi Patrem dedisse asserit, se verum Filium confitetur, contra Sabellium*. Ex magnitudine vero eius quod datur, Patri se confitetur esse aequalem, ut Arius confundatur. Patet igitur quod talis donatio indigentiam in Filio non designat. Non enim ante fuit Filius quam sibi daretur: cum generatio eius sit ipsa donatio. Neque plenitudo dati hoc patitur, ut indigere possit ille cui constat esse donatum.

Cf. supra, cap. V.

Nec obviat praedictis quod ex tempore Filio Pater dedisse legitur in Scripturis: sicut Dominus post resurrectionem dicit discipulis*, *Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra;* et Apostolus, *ad Philipp.* II[8.9], dicit quod *propter hoc Deus Christum exaltavit et dedit illi nomen quod est super omne nomen, quia factus fuerat obediens usque ad mortem,* quasi hoc nomen non habuerit ab aeterno. Est enim consuetus Scripturae modus ut aliqua dicantur esse vel fieri quando innotescunt. Hoc autem quod Filius ab aeterno universalem potestatem et nomen divinum acceperit, post resurrectionem, praedicantibus discipulis, mundo est manifestatum. Et hoc etiam verba Domini ostendunt. Dicit enim Dominus, *Ioan.* XVII[5]: *Clarifica me, Pater, apud temetipsum, claritate quam habui priusquam mundus fieret.* Petit enim ut sua gloria, quam ab aeterno a Patre recepit ut Deus, in eo iam homine facto esse declaretur.

Matth. XXVIII, 18.

Ex hoc autem manifestum est quomodo Filius doceatur*, cum non sit ignorans. Ostensum est enim in primo libro* quod intelligere et esse in Deo idem sunt. Unde communicatio divinae naturae est etiam intelligentiae communicatio. Communicatio autem intelligentiae *demonstratio,* vel *locutio,* sive *doctrina* potest dici. Per hoc ergo quod Filius sua nativitate a Patre naturam divinam acceperit, dicitur vel *a Patre audivisse,* vel *Pater ei demonstrasse,* vel si quid aliud simile legitur in Scripturis: non quod prius Filius ignorans aut nesciens fuerit, et postmodum eum Pater docuerit. Confitetur enim Apostolus, I *ad Cor.* I[24], *Christum Dei virtutem et Dei sapientiam:* non est autem possibile quod sapientia sit ignorans, neque quod virtus infirmetur.

Cap. VI. *Amplius. Doceri.* Cap. XLV.

Ideo etiam quod dicitur, *Non potest Filius a se facere quicquam,* nullam infirmitatem agendi demonstrat in Filio: sed quia, cum Deo non sit aliud agere quam esse, nec sua actio sit aliud quam sua essentia ut supra* probatum est, ita dicitur quod Filius non possit a se agere sed agat a Patre, sicut quod non potest a se esse, sed solum a Patre: si enim a se esset, iam Filius non esset. Sicut ergo Filius non potest non esse Filius, ita a se agere non potest. Quia vero eandem naturam accipit Filius quam Pater, et ex consequenti eandem virtutem, licet Filius a se non sit nec a se operetur, tamen *per se est* et *per se operatur:* quia sicut est per propriam naturam, quam accepit a Patre, ita per propriam naturam, a Patre acceptam, operatur. Unde postquam Dominus dixerat, *Non potest Filius a se facere quicquam,* ut ostenderet quod, licet non a se, tamen per se Filius operatur, subiungit: *Quaecumque ille fecerit,* scilicet Pater, *haec et Filius similiter facit.*

Lib. I, cap. XLV.

Ex praemissis etiam apparet qualiter *Pater praecipiat Filio;* aut *Filius obediat Patri;* aut *Patrem oret;* aut *mittatur a Patre**. Haec enim omnia Filio conveniunt secundum quod est Patri subiectus, quod non est nisi secundum humanitatem assumptam, ut ostensum est. Pater ergo Filio praecipit ut subiecto sibi secundum humanam naturam. Et hoc etiam verba Domini manifestant. Nam cum Dominus dicat, *Ut cognoscat mundus quia diligo Patrem, et sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio,* quod sit istud mandatum ostenditur per id quod subditur, *Surgite, eamus hinc:* hoc enim dixit ad passionem accedens, mandatum autem patiendi manifestum est Filio non competere nisi secundum humanam naturam. Similiter, ubi ait*, *Si praecepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea: sicut et ego praecepta Patris mei servavi, et maneo in eius dilectione,* manifestum est haec praecepta ad Filium pertinere prout a Patre diligebatur ut homo, sicut ipse discipulos ut homines diligebat. – Et quod praecepta Patris ad Filium accipienda sint secundum humanam naturam a Filio assumptam, Apostolus ostendit, dicens Filium obedientem Patri fuisse in his quae pertinent ad humanam naturam: dicit enim, *ad Philipp.* II[8]: *Factus est obediens Patri usque ad mortem.* – Ostendit etiam Apostolus quod orare Filio conveniat secundum humanam naturam. Dicit enim, *ad Heb.* V[7], quod *in diebus carnis suae preces supplicationesque ad eum qui possit eum salvum a morte facere, cum clamore valido et lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia.* – Secundum quid etiam missus a Patre dicatur, Apostolus ostendit, *ad Gal.* IV[4], dicens: *Misit Deus Filium suum factum ex muliere.* Eo ergo dicitur missus quo est factus ex muliere: quod quidem secundum carnem assumptam certum est sibi convenire. – Patet igitur quod per haec omnia non potest ostendi Filius Patri esse subiectus nisi secundum humanam naturam. – Sed tamen sciendum est quod Filius mitti a Patre dicitur etiam invisibiliter inquantum Deus, sine praeiudicio aequalitatis quam habet ad Patrem: ut infra* ostendetur, cum agetur de missione Spiritus Sancti.

* Cap. VI, *Praeterea. Praeceptum.*

* Ioan. XV, 10.

* Cap. XXIII.

---

1 essent sibi data] data sibi essent GNX, sibi data essent E, sibi essent data W. 4 verum *om* EG. 17 Christum] ipsum *b*P*d*, illum W. 18 fuerat] fuit P*c*. 20 habuerit] habuit αWY. 23 acceperit] accepit α, acceperat Y. 26 Domini *Ita* DZ*b*; Dei *ceteri*. 34 quod ... idem sunt] intelligere esse de (in G) Deo et Deus EG; quod *om etiam* α. 36 intelligentiae communicatio] intelligere EG. 41 simile *om* EG. 52 sua *om* EG.

2 quam] quam habet P*d*. 10 subiungit *Ita* GHXYP; subiunxit *ceteri*. 14 aut] ut *cd*, et P. 23 subditur] dicitur EGN, subducitur *b*. 32 ut *alt. loco*] et EG, non X. 35 dicens *Ita* CENWY*b*; docens *ceteri*. 42 eum *alt. loco*] illum GNXP*c*; a morte *post* facere D. 44 Secundum quid] Secundum quod EG, Sed quod X*b*. 49 igitur] etiam EGX. 53 mitti *post* a Patre EGNXY*b*; etiam *om* EGX*b*. 56 missione] emissione NP.

Similiter etiam patet quod per hoc quod *Filius a Patre clarificatur;* vel *suscitatur;* vel *exaltatur,** non potest ostendi quod Filius sit minor Patre, nisi secundum humanam naturam. Non enim Filius clarificatione indiget quasi de novo claritatem accipiens, cum eam profiteatur se *ante mundum habuisse**: sed oportebat quod sua claritas, quae sub infirmitate carnis erat occultata, per carnis glorificationem et miraculorum operationem manifestaretur in fide credentium populorum. Unde de eius occultatione dicitur *Isaiae* LIII[3]: *Vere absconditus est vultus eius. Unde nec reputavimus eum.* – Similiter autem secundum hoc Christus suscitatus est quod est passus et mortuus, idest secundum carnem. Dicitur enim I *Pet.* IV[1]: *Christo passo in carne, et vos eadem cogitatione armamini.* – Exaltari etiam eum oportuit secundum hoc quod fuit humiliatus. Nam et Apostolus dicit, *Philipp.* II[8]: *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, propter quod Deus exaltavit illum.*

Sic ergo per hoc quod Pater clarificat Filium, suscitat et exaltat, Filius non ostenditur minor Patre, nisi secundum humanam naturam. Nam secundum divinam naturam, qua est Patri aequalis, est eadem virtus Patris et Filii, et eadem operatio. Unde et ipse Filius propria virtute se exaltat: secundum illud Psalmi*: *Exaltare, Domine, in virtute tua.* – Ipse seipsum suscitat: quia de se dicit, *Ioan.* X[18]: *Potestatem habeo ponendi animam meam, et iterum sumere eam.* – Ipse etiam non solum seipsum clarificat, sed etiam Patrem: dicit enim *Ioan.* XVII[1]: *Clarifica Filium tuum, ut et Filius tuus clarificet te:* non quod Pater velamine carnis assumptae sit occultatus, sed suae invisibilitate naturae. Quo etiam modo Filius est occultus secundum divinam naturam: nam Patri et Filio commune est quod dicitur *Isaiae* XLV[15]: *Vere tu es Deus absconditus, Sanctus Israel, Salvator.* Filius autem Patrem clarificat, non claritatem ei dando, sed eum mundo manifestando: nam et ipse ibidem* dicit: *Manifestavi nomen tuum hominibus.*

Non est autem credendum quod in Dei Filio sit aliquis potestatis defectus*: cum ipse dicat**: *Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra.* Unde quod ipse dicit, *Sedere ad dexteram meam vel sinistram non est meum dare vobis, sed quibus paratum est a Patre meo,* non ostendit quod Filius distribuendarum caelestium sedium potestatem non habeat: cum per huiusmodi sessionem participatio vitae aeternae intelligatur, cuius collationem ad se pertinere ostendit cum dicit, *Ioan.* X[27]: *Oves meae vocem meam audiunt, et ego cognosco eas, et sequuntur me, et ego vitam aeternam do eis.* Dicitur etiam *Ioan.* V[22], quod *Pater omne iudicium dedit Filio:* ad iudicium autem pertinet ut pro meritis aliqui in caelesti gloria collocentur: unde et *Matth.* XXV[33] dicitur quod *Filius hominis statuet oves a dextris et haedos a sinistris.* Pertinet ergo ad potestatem Filii statuere aliquem vel a dextris vel a sinistris: sive utrumque referatur ad differentem gloriae participationem; sive unum referatur ad gloriam, et alterum referatur ad poenam. – Oportet igitur ut verbi propositi sensus ex praemissis sumatur. Praemittitur namque* quod mater filiorum Zebedaei accesserat ad Iesum petens ut unus filiorum eius sederet ad dextram et alius ad sinistram: et ad hoc petendum mota videbatur ex quadam fiducia propinquitatis carnalis quam habebat ad hominem Christum. Dominus ergo sua responsione non dixit quod ad eius potestatem non pertineret dare quod petebatur, sed quod ad eum non pertinebat illis dare pro quibus rogabatur. Non enim dixit, *Sedere ad dextram meam vel sinistram non est meum dare alicui:* quin potius ostendit quod suum erat hoc dare *illis quibus erat paratum a Patre suo.* Non enim hoc dare ad eum pertinebat secundum quod erat filius Virginis, sed secundum quod erat Filius Dei. Et ideo non erat suum hoc dare aliquibus propter hoc quod ad eum pertinebant secundum quod erat filius Virginis, scilicet secundum propinquitatem carnalem: sed propter hoc quod pertinebant ad eum secundum quod erat Filius Dei, quibus scilicet paratum erat a Patre per praedestinationem aeternam. – Sed quod etiam haec praeparatio ad potestatem Filii pertineat, ipse Dominus confitetur dicens, *Ioan.* XIV[2]: *In domo Patris mei mansiones multae sunt. Si quo minus, dixissem vobis: quia vado parare vobis locum.* Mansiones autem multae sunt diversi gradus participandae beatitudinis, qui ab aeterno a Deo in praedestinatione praeparati sunt. Cum ergo Dominus dicit, *quod si in aliquo minus esset,* idest, si deficerent praeparatae mansiones hominibus ad beatitudinem introducendis; et subdit, *dixissem, quia vado parare vobis locum;* ostendit huiusmodi praeparationem ad suam potestatem pertinere.

Neque etiam potest intelligi quod Filius horam adventus sui ignoret: cum *in eo sint omnes thesauri sapientiae et scientiae absconditi,* ut Apostolus dicit*; et cum id quod maius est perfecte cognoscat, scilicet Patrem*. Sed hoc intelligendum est quia Filius, inter homines homo constitutus, ad modum ignorantis se habuit, dum discipulis non revelavit. Est enim consuetus modus loquendi in Scripturis ut Deus dicatur aliquid cognoscere si illud cognoscere facit: sicut habetur

*Cap. VI, *Item. Filius.*
**Ioan.* XVII, 5.
**Ps.* XX, 14.
**Ioan.* XVII, 6.
**Cap. VI, *Praeterea In natura.*
***Matth.* XXVIII, 18.
**Matth.* XX, 20, 21.
**Ad Coloss.*, II, 3.
**Matth.* XI, 27.

8 occultata] occulta DEXY*b*. 14 quod] qui α, quo W. 15 idest] scilicet C, *om* EGNX*b*. 18 hoc quod] hoc EGNX. 20 Deus] et Deus YP. 22 Pater *om* GN. 24 Nam ... naturam *hom om* XpEG. 25 qua *Ita* EGY*b*Pc; *om* C, quae *ceteri; pro* Nam ... eadem *legit* X: qua non est Patri aequalis sed secundum divinam est eadem. 29 Ipse] Ipse etiam Y. 31 Ipse etiam] Ipse EGN*b*, *om* X. 47 dicit] *addunt* Mattheus EGN, Matth. xx *b*, Matth. (*spat.*) X.

5 dextris] ad dextram EGNW; et haedos *om* EGX, vel DZ; *pro* a sinistris, ad sinistram CNW. 7 a dextris vel a sinistris] ad dextram vel ad sinistram EGN. 14 dextram] eius dextram Y*b*, dextram eius P*c*. 19 quod petebatur *om* EGX; sed quod ... rogabatur *om* N. 23 erat *post* paratum DEN. 27 pertinebant] attinebant Y, pertinebat EXP*c*; pG *om hom* 25 sed ... 28 Virginis. 28 scilicet *Ita* EGN*b*; et Y, *om ceteri*. 30 pertinebant] pertinebat ZpGsHP*c*. 33 Filii] Dei *addunt* P*c*. *Pro* pertineat, pertinebat Y. 40 quod si] si EX. 42 introducendis] introducendum EGNX.

*Gen.* XXII[12]: *Nunc cognovi quod timeas Dominum,* idest, *Nunc cognoscere feci.* Et sic, per oppositum, Filius nescire dicitur quod non facit nos scire.

*Tristitia* vero et *timor,* et alia huiusmodi, manifestum est ad Christum pertinere secundum quod homo. Unde per hoc nulla minoratio potest in divinitate Filii deprehendi.

Cap. VI, *Adhuc. Expresse.*

Quod autem dicitur sapientia *esse creata**: primo quidem, potest intelligi, non de Sapientia quae est Filius Dei, sed de sapientia quam Deus indidit creaturis. Dicitur enim *Eccli.* I[9]: *Ipse creavit eam,* scilicet sapientiam, *Spiritu Sancto, et effudit illam super omnia opera sua.* – Potest etiam referri ad naturam creatam assumptam a Filio: ut sit sensus, *Ab initio et ante saecula creata sum,* idest, *praevisa sum creaturae uniri.* – Vel, per hoc quod sapientia et *creata* et *genita* nuncupatur*, modus divinae generationis nobis insinuatur. In generatione enim quod generatur accipit naturam generantis, quod perfectionis est: sed in generationibus quae sunt apud nos, generans ipse mutatur, quod imperfectionis est. In creatione vero creans non mutatur, sed creatum non recipit naturam creantis. Dicitur ergo simul Filius *creatus* et *genitus,* ut ex creatione accipiatur immutabilitas Patris, et ex generatione unitas naturae in Patre et Filio. Et sic huiusmodi Scripturae intellectum Synodus exposuit: ut per Hilarium patet*.

Cf. statim, *Quod vero;* et *Prov.* VIII, 24, 25.

* *De Synodis,* parag 17, 18 (Migne P. L., X, 493 sq.).

Quod vero Filius dicitur *primogenitus creaturae**, non ex hoc est quod Filius sit in ordine creaturarum: sed quia Filius est a Patre et a Patre accipit, a quo sunt et accipiunt creaturae. Sed Filius accipit a Patre eandem naturam: non autem creaturae. Unde et Filius non solum *primogenitus* dicitur, sed etiam *unigenitus**, propter singularem modum accipiendi.

* Cap. VI, *Praeterea, Filius.*

* *Ioan.* I, 18.

Per hoc autem quod Dominus ad Patrem dicit de discipulis, *ut sint unum sicut et nos unum sumus**, ostenditur quidem quod Pater et Filius sunt unum eo modo quo discipulos unum esse oportet, scilicet per amorem: hic tamen unionis modus non excludit essentiae unitatem, sed magis eam demonstrat. Dicitur enim *Ioan.* III[35]: *Pater diligit Filium, et omnia dedit in manu eius:* per quod plenitudo divinitatis ostenditur esse in Filio, ut dictum est*.

* Cap. VI, *Amplius. Filius.*

* Supra, parag. *Ex eo,* fin.

Sic igitur patet quod testimonia Scripturarum quae Ariani pro se assumebant, non repugnant veritati quam fides Catholica confitetur.

---

7 Unde] Unde et P*d.* 9 dicitur *post* sapientia EGNX; dicitur sapientiam esse creatam P*d.* 13 Spiritu] in Spiritu P*c.* 19 nobis *post* insinuatur EGNX. 23 mutatur] imitatur EpY; quod . . . mutatur *hom om* EGX.

1 et ex] ex EP. 3 exposuit] posuit EGX. 6 ordine] ordinatione P*d.* 16 sunt] sint EGN*b.* eo modo quo discipulos unum esse oportet *Ita* DP*c et* esse *ante* discipulos W; eo modo quo ad (quo et Y) discipulos unum (uniri Y) oportet αYZ, eo (eodem GX) modo quod (quo X*b*) discipulos esse (unum esse N) oportet EGNX*b.* 17 unionis *om* G, *post* modus EN.

## Commentaria Ferrariensis

Exclusis falsis haereticorum positionibus circa Christi generationem, accedit Sanctus Thomas ad solutionem eorum quae ab ipsis pro confirmatione suarum positionum sunt inducta*. Et primo, solvit rationes Arii**; secundo, rationes Sabellii et Photini, capite sequenti.

Cf. Comment. cap. IV, init.

* Supra cap. VI.

I. Quantum ad primum, praemittit quod, cum dicimus Patrem et Filium Deum esse, non dicimus duos esse Deos, sed unum: cum dictum sit eorum esse eandem numero divinam naturam. Nam si essent plures dii, oporteret divinitatis naturam in utroque partitam esse: praecipue cum non sit aliud divina natura et ipse Deus. Ex quo patet quod non recedimus a sententia qua ponitur unus solus Deus.

Advertendum quod haec conditionalis Sancti Thomae, *Si essent plures dii, oporteret naturam divinitatis partitam esse in utroque,* fundatur super hoc quod nomen substantivum pluraliter non dicitur de aliquibus nisi propter pluralitatem formae per ipsum significatae in ipsis inventam: sicut dicuntur plures homines propter plures humanitates in ipsis existentes. Addit autem, *praecipue cum non sit aliud natura divina et ipse Deus,* quia omnimoda identitas inter Deum et deitatem illam conditionalem manifestiorem facit. Si enim Deus et deitas sunt omnino idem ex parte rei significatae, et plures sunt dii, necesse est et plures deitates esse.

2. Isto supposito, ad primam rationem dicitur primo quod, cum loquitur ad Patrem Dominus dicens, *ut cognoscant te solum* etc., non est intelligendum quod solus Pater sit verus Deus et Filius non sit verus Deus, sed quod illa quae est sola vera deitas, Patri conveniat. Unde dixit, *ut cognoscant te,* hic scilicet punctuando: deinde addit, *solum verum Deum.* Immo, quia verum filium oportet esse eiusdem naturae cum patre, magis sequitur quod illa quae est sola vera divinitas, Filio conveniat, quam ab ea Filius excludatur. Unde I *Ioan.,* in fine, utrumque istorum, scilicet quod sit *verus Deus,* et quod in eo sit *vita aeterna,* Filio attribuitur.

Dicitur secundo quod, si etiam confessus esset Filius solum Patrem esse verum Deum, non propter hoc excludi Filius intelligitur: quia, cum Pater et Filius sint unus Deus, quicquid ratione divinitatis de Patre dicitur, idem est ac si de Filio diceretur, et e converso. – Quod confirmatur ex eo quod, cum dicitur *Matth.* XI, *Nemo novit Filium nisi Pater, neque quis Patrem nisi Filius,* non intelligitur vel Pater a sui cognitione excludi, vel Filius.

3. Ad evidentiam huius responsionis, considerandum est quod, licet ista dictio *solus* ex parte praedicati non proprie ponatur, sed tantum ex parte subiecti, ut dicitur Prima, q. XXXI, a. 3*; tamen aliquando ex parte praedicati, propter aliquam aliam implicationem, poni potest. Unde propositio ista, *ut cognoscant te solum verum Deum,* potest resolvi sic: *ut cognoscant te Deum, qui est solus verus Deus.* Et potest etiam sic resolvi: *ut cognoscant te, Patrem, qui solus es verus Deus.* In prima enim, ly *solus* ponitur ex parte praedicati: in secunda vero, ex parte subiecti. In prima sensus est Patrem esse Deum, *cuius, scilicet Dei, sola natura est vera deitas:* in secunda vero sensus est *deitatem veram soli Patri convenire.*

* Ad 2.

Utrumque ergo sensum huius propositionis, dupliciter respondens, Sanctus Thomas admittit. Et ad innuendum primum sensum, quem in prima responsione accipit, inquit non dixisse Evangelistam per quandam continuationem, *ut cognoscant te solum verum Deum:* sed quadam punctuatione interposita, scilicet, *ut cognoscant te,* deinde, quasi declarando quid sit Pater, addidisse, *solum verum Deum,* ut ostenderet Patrem esse Deum in quo invenitur illa quae sola est vera divinitas. – Ad innuendum autem secundum sensum, quem in secunda accipit responsione, inquit, *si tamen confessus esset Filius quod solus Pater esset verus Deus.*

4. Ubi advertendum est, ex doctrina ipsius loco praeallegato, a. 4; et I *Sent.*, d. XXI, q. 2*, quod ly *solus* potest excludere *alium* masculine, et potest excludere *aliud* neutraliter. Si excludat *alium* masculine, sensus est quod nullus alius a Patre est verus Deus. Et quia Filius est alius a Patre, per hoc excluditur Filius a vera deitate. Quod quia falsum esse superius* est ostensum, in hoc sensu talis propositio non est admittenda; nec ad hunc sensum eam sumit Evangelista. – Si autem excludat *aliud* neutraliter, sensus est nihil aliud a Patre esse verum Deum. Et quia Filius non est aliud a Patre, cum eorum sit una numero substantia et essentia, ideo per ipsam non excluditur Filius. Et ideo, in hoc sensu admittens eam, Sanctus Thomas inquit quod *propter hoc non excluditur a vera divinitate Filius: quia, cum Pater et Filius sint unus Deus, quicquid de Patre ratione divinitatis dicitur, idem est ac si de Filio diceretur, et e converso.* Sensus est quod, quia Pater non est aliud a Filio, nec e converso, immo sunt substantialiter et in deitate unum, quod de uno dicitur, intelligitur de alio dici: de iis scilicet quae ad deitatem pertinent, in qua sunt unum; vel de iis quae de altero illorum dicuntur ratione divinitatis. Quicquid enim dicitur de uno illorum quae sunt unum in aliquo, ratione illius in quo sunt unum, intelligitur et de altero dici, cum in illo non habeant distinctionem: sicut, quia actio et passio sunt unum in motu, quicquid de actione dicitur ratione motus, dicitur etiam de passione; ut esse actum imperfectum, esse actum existentis in potentia, et huiusmodi.

II. Ad secundam rationem respondetur ex dictis. Et dicitur primo, quod in illis verbis, *quem suis temporibus ostendet beatus solus Rex Regum* etc., non excluditur vera Filii divinitas: quia non nominatur Pater, sed id quod est commune Patri et Filio, scilicet *beatus*. Unde quod Filius sit Rex Regum etc., ostenditur *Apoc.* XIX, *Vestitus erat veste* etc.

Dicitur secundo, quod nec ex illis verbis, *qui solus habet immortalitatem,* excluditur Filius: cum et sibi credentibus immortalitatem conferat, ut dicitur *Ioan.* XI. – Similiter et quod subditur, *quem nemo hominum vidit* etc., scilicet secundum deitatem, certum est Filio convenire, cum dicatur *Matth.* XI, *Nemo novit Filium nisi Pater:* quamvis secundum carnem factus sit visibilis, ut patet ex Apostolo in eadem Epistola*, cum dicitur, *Manifestum* etc.

Dicitur tertio, quod non cogit praedicta auctoritas quasi oporteat alium esse ostendentem et alium ostensum, nam et Filius seipsum ostendit: ut patet *Ioan.* XIV, *Qui diligit* etc.; et ei dicitur, *Ostende faciem tuam, et salvi erimus.*

III. Ad tertiam dicitur, quod Pater dicitur *maior Filio* secundum quod Filius est *minoratus*. Hoc autem est secundum assumptionem formae servilis, ita tamen quod Deo aequalis sit secundum formam divinam: ut patet ex Apostolo, *ad Philip.* II, *Cum in forma* etc.

Dicitur secundo, quod mirum non est si Pater ex hoc eo maior dicatur: quia etiam *eum ab angelis esse minoratum* dicitur, *ad Heb.* II, *Eum qui modico* etc.

Dicitur tertio, quod ex hoc etiam patet Filium secundum humanitatem esse *Patri subiectum.* Quod ex ipsa circumstantia litterae Apostoli apparet, quae ostendit hoc convenire Christo secundum quod mortuus est et resurrexit.

IV. Ad quartam dicitur primo, quod *Patrem dare Filio,* ex quo sequitur Filium *recipere,* non ostendit aliquam indigentiam in Filio, sed hoc requiritur ad hoc ut Filius sit: quia non posset dici Filius nisi a Patre genitus esset. Unde per hoc quod Pater dare Filio dicitur, nihil aliud intelligitur quam Filii generatio, per quam Pater dedit Filio suam naturam.

Dicitur secundo, quod hoc ex eo quod datur intelligi potest. *Ioannis* enim X ostenditur id quod datur Filio, *maius omnibus esse.* Hoc autem est divina natura, in qua Filius est Patri aequalis. – *Ad Philip.* etiam II dicitur quod *dedit illi nomen quod est super omne nomen* etc.: tale autem est nomen divinitatis. – Item, *omnia* sibi dicuntur esse data a Patre. Hoc autem non esset nisi *omnis plenitudo divinitatis,* quae est in Patre, esset in Filio. – Ex quibus patet hac datione generationem ipsam intelligi, secundum quam Pater Filio veram deitatem dedit.

Ex hoc infertur quod, cum Christus sibi Patrem dedisse asserit, confitetur se verum Filium, contra Sabellium: ex magnitudine vero eius quod datur, confitetur se Patri aequalem esse, contra Arium.

Dicitur tertio, quod ex dictis patet talem donationem indigentiam in Filio non designare. Tum quia non ante fuit Filius quam sibi daretur. – Tum quia plenitudo dati hoc non patitur ut indigere possit ille cui constat esse donatum.

Si instetur, quia ex tempore Pater dedisse Filio legitur in Scripturis: sicut post Resurrectionem Dominus discipulis dicit, *Data est mihi* etc.; et *ad Philip.* II dicitur quod *propter hoc Deus ipsum* etc.: – dicitur quod consuetus Scripturae modus est ut aliqua dicantur esse vel fieri quando innotescunt. Et sic intelligendum est de Christi potestate, quae post Resurrectionem praedicantibus Apostolis est manifestata. Hoc etiam ostenditur *Ioan.* XVII, per verba ipsius, *Clarifica me Pater* etc.

2. Ad huius responsionis evidentiam, considerandum est quod indigere aliqua re praesupponit esse: nam quod non est, non potest dici aliquo indigere. Similiter indigere aliquo includit carentiam alicuius: quod enim nulla re caret, sed quod omnem habet perfectionem, indigere non potest. Propter primum ergo dixit Sanctus Thomas quod datio qua Pater dat Filio naturam divinam, non ostendit indigentiam: quia ante ipsam dationem Filius non erat, ut scilicet posset dici indigere, sed, sicut ab aeterno fuit, ita ab aeterno a Patre naturam accepit. Propter secundum dixit quod plenitudo dati non patitur indigere illum cui datum est, etiam scilicet postquam est: quia si sibi data est omnis boni plenitudo, iam nullo potest indigere.

V. Ad quintam dicitur primo, quod Filius per hoc quod a Patre naturam divinam accepit, dicitur a Patre *audisse* et huiusmodi, quia, cum intelligere et esse in Deo sit idem, communicatio naturae divinae est etiam intelligentiae communicatio. Communicatio autem intelligentiae *demonstratio,* vel *locutio,* sive *doctrina,* dici potest. Non autem tale quid dicitur quasi prius Filius fuerit ignorans et postea Pater eum docuerit, cum I *Cor.* I dicatur *Dei virtus et sapientia:* non potest enim sapientia ignorans esse, neque virtus esse infirma.

Dicitur secundo quod, cum dicitur Filius *non posse a se facere quicquam,* nullam infirmitatem agendi demonstrat in Filio: sed quia, cum in Deo non sit aliud agere quam esse, nec sua actio sit aliud quam sua essentia, ita dicitur Filius non posse agere a se, sicut quod non potest esse a se, sed solum a Patre.

Dicitur tertio quod, licet Filius a se non sit nec a se operetur, *est tamen per se,* et *per se operatur:* quia sicut est per propriam naturam, quam accepit a Patre, ita et per propriam naturam a Patre acceptam operatur.

2. Ad huius evidentiam, considerandum est ex doctrina Sancti Thomae I Sent., distin. XXXII, quaest. 2, art. 2*, quod *istae praepositiones « a » et « per » in hoc differunt, quia « a » designat tantum habitudinem principii per modum efficientis, sed «per» designat habitudinem principii secundum quodlibet genus causae: unde illud quod est ab aliquo, est per illud, sed non convertitur.* Quia ergo in divinis non potest esse habitudo nisi per modum *principii effectivi sive originantis,* et per modum *principii formalis,* ista propositio *per* in divinis alteram tantum illarum habitudinum importat. Bene itaque hic dicitur quod Filius *non est a se, nec operatur a se:* quia tunc significaretur quod a seipso haberet esse et operari, et non ab alio tanquam a principio originante; quod falsum est, cum habeat a Patre esse et agere. Sed bene dicitur *per se esse* et *per se operari,* secundum quod ista praepositio *per* construitur in habitudine principii formalis. Est enim formaliter per suam essentiam, et formaliter agit sua virtute: nam *per se,* ut dicitur V *Metaph.**, significat quod est per essentiam rei.

VI. Ad sextam dicitur primo, quod *praecipere* Patrem Filio, et Filium Patri *obedire,* conveniunt Filio secundum

* Art. 2.
* Cap. III.
* Nempe I *ad Tim.*, III, 16.
* Qu.ª I.
* S.Th. lect. 19.–Did. lib. IV, XVIII, 5.

quod est Patri subiectus, quod non est nisi secundum humanitatem assumptam. Quod ostenditur ex contextu Evangelii, ubi allegatur; et etiam ex Apostolo, *ad Philip.* II.

Dicitur secundo, quod etiam *orare* sibi convenit secundum humanam naturam: ut patet per Apostolum, *ad Heb.* V.

Dicitur tertio, quod etiam *missus* dicitur secundum carnem assumptam, secundum quod *factus est ex muliere,* ut ostenditur *ad Gal.* IV. – Quamvis etiam mitti dicatur Filius invisibiliter a Patre inquantum Deus, sine praeiudicio aequalitatis ad Patrem, ut inferius ostendetur.

VII. Ad septimam similiter dicitur primo, quod Filius non dicitur *clarificari a Patre* nisi secundum humanam naturam, in quantum sua claritas, quae occultata erat sub infirmitate carnis, per carnis glorificationem et miraculorum operationem manifestata est in fide credentium populorum.

Dicitur secundo, quod etiam secundum carnem *suscitatus est, passus,* et *mortuus:* ut patet I *Pet.* IV.

Dicitur tertio, quod etiam *exaltatus* fuit secundum quod fuit humiliatus, scilicet secundum carnem: ut patet *ad Philip.* II.

Unde ex praedictis non ostenditur Filius esse minor Patre nisi secundum humanitatem. Nam secundum divinam naturam Filius propria virtute se exaltat: Psalm., *Exaltare* etc. Seipsum suscitat: *Ioan.* X, *Potestatem* etc. Non solum seipsum, sed etiam Patrem clarificat: *Ioan.* XVII, *Clarifica* etc.: non quidem claritatem ei dando, sed eum mundo manifestando, qui suae invisibilitate naturae est occultus.

VIII. Ad octavam dicitur primo quod, cum Christus dicit, *Sedere autem* etc., non ostendit Filium distribuendarum caelestium sedium potestatem non habere. Tum quia per huiusmodi sessionem participatio vitae aeternae intelligitur, cuius collationem ad se pertinere ostendit cum dicit, *Ioan.* X, *Oves meae* etc. – Tum quia, ut dicitur *Ioan.* V, *Pater omne iudicium dedit Filio:* ad iudicium autem pertinet ut pro meritis aliqui in caelesti gloria collocentur. – Confirmatur etiam auctoritate *Matth.* XXV, ubi ostenditur ad potestatem Filii pertinere statuere aliquem a dextris vel a sinistris: sive referatur utrumque ad differentem gloriae participationem; sive unum referatur ad gloriam, et alterum ad poenam.

Dicitur secundo, quod sensus praedictorum verborum est quod non erat suum hoc dare inquantum filius erat Virginis, ratione cuius ad eum pertinebat* secundum carnalem propinquitatem, sed inquantum erat Filius Dei; et quibus paratum erat a Patre per praedestinationem aeternam, quam quidem praedestinationem etiam ad Filium pertinere ostenditur *Ioan.* XIV, ubi dicitur, *In domo* etc. Iste sensus ostenditur ex eo quod, cum mater illud peteret quadam fiducia propinquitatis carnalis quam habebat ad Christum, respondit quod non pertinebat ad eum illis dare: non autem quod non pertineat absolute ad eius potestatem dare quod petebatur.

* Cf. text. et var.

Dicitur tertio, quod non potest intelligi Filium *horam adventus sui ignorare,* cum in eo sint *omnes thesauri sapientiae et scientiae absconditi,* et etiam ipsum Patrem, quod maius est, perfecte cognoscat: sed quod ad modum ignorantis se habuit, dum discipulis non revelavit. Consuetus enim modus in Scripturis est ut Deus dicatur aliquid cognoscere si illud cognoscere facit: ut patet *Gen.* XXII, *Nunc cognovi* etc. Et sic, per oppositum, dicitur Filius nescire quod non facit nos scire.

Dicitur quarto, quod *tristitia, timor,* et huiusmodi, ad Christum pertinent secundum quod homo.

IX. Ad nonam dicitur primo, quod auctoritas allegata potest intelligi non de ea sapientia quae est Filius Dei, sed de ea quam Deus indidit creaturis, de qua dicitur *Eccli.* I, *Ipse creavit eam* etc.

Dicitur secundo, quod potest etiam referri ad naturam creatam assumptam: ut sit sensus, *Ab initio creata sum,* idest, *praevisa sum creaturae uniri.*

Dicitur tertio, quod potest etiam de Filio intelligi, ut per hoc quod sapientia et *creata* et *genita* nuncupatur modus divinae generationis nobis insinuetur: ut scilicet ex creatione accipiatur immutabilitas Patris, et ex generatione unitas naturae in Patre et Filio. Et sic huiusmodi Scripturae intellectum Synodus exposuit, ut patet per Hilarium.

2. Advertendum est quod, cum nomen aliquod in suo significato importat aliquid perfectionis et aliquid imperfectionis, non inconvenit illud in divinis assumi ratione perfectionis quam importat, licet ratione importatae imperfectionis non assumatur: ut est in doctrina Sancti Thomae vulgatissimum.* Quia ergo in creatione creans non mutatur, quod perfectionis est; creatum vero non recipit naturam creantis, quod est imperfectionis; sicut per oppositum in generatione quod generatur accipit naturam generantis, sed generans ipse apud nos mutatur: non est inconveniens creationem de Filio Dei dici, inquantum per ipsam significatur immutabilitas Patris producentis. Et sic Filius potest dici creatus, inquantum in sui productione Pater nullo modo est mutatus. Ex quo sensu apparet propter hoc non debere Filius Dei *creaturam* simpliciter et proprie dici, sed secundum quid tantum et improprie: inquantum nomen creationis sibi non attribuitur ratione totius suae significationis, sed tantum ratione partis.

* Cf. supra lib. I, cap. XXX.

X. Ad decimam dicitur quod ex eo quod Filius dicitur *primogenitus creaturae,* non ostenditur quod sit in ordine creaturarum: sed quod est et accipit a Patre, a quo sunt et accipiunt creaturae; licet ipse eandem naturam accipiat, non autem creaturae. Propter quod dicitur etiam *unigenitus.*

XI. Ad undecimam dicitur primo, quod loquitur Filius de unione per amorem, quo modo Pater et Filius sunt unum, et discipulos unum esse oportet.

Dicitur secundo, quod hic unionis modus, scilicet inter Patrem et Filium, non excludit essentiae unitatem, sed magis eam demonstrat: cum dicatur *Ioan.* III, *Pater diligit Filium* etc.

# CAPITULUM NONUM

## SOLUTIO AD AUCTORITATES PHOTINI ET SABELLII.

Ex his autem consideratis apparet quod nec ea quae Photinus et Sabellius pro suis opinionibus ex Sacris Scripturis adducebant, eorum errores confirmare possunt.

Nam quod Dominus post resurrectionem dicit, *Matth.* ult., *Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra**, non ideo dicitur quia tunc de novo hanc potestatem acceperat: sed quia potestas quam Filius Dei ab aeterno acceperat, in eodem homine facto apparere incoeperat per victoriam quam de morte habuerat resurgendo.

* Cf. supra, cap. IV, *Hanc autem pos. sacrae.*

Quod vero Apostolus dicit, *ad Rom.* I, de Filio loquens, *Qui factus est ei ex semine David,* mani-

* Ibid. *Item. Rom.* I.

b 1 quia ... acceperat *Ita* EGNX; quia ... accepit F, quia (quasi Pc) ... acceperit *ceteri.* 4 facto] sc̄o (sancto) EGN.

feste ostenditur qualiter sit intelligendum, ex eo quod additur, *secundum carnem*. Non enim dixit quod Filius Dei esset simpliciter factus: sed quod factus esset *ex semine David secundum carnem*, per assumptionem humanae naturae; sicut *Ioan.** dicitur, *Verbum caro factum est*. – Unde etiam patet quod hoc quod sequitur, *Qui praedestinatus est Filius Dei in virtute*, secundum humanam naturam ad Filium pertinet. Quod enim humana natura Filio Dei uniretur, ut sic homo possit dici Filius Dei, non fuit ex humanis meritis, sed ex gratia Dei praedestinantis.

Similiter etiam quod idem Apostolus, ad *Philipp.* dicit, quod *Deus Christum propter passionis meritum exaltavit**, ad humanam naturam referendum est, in qua fuerat humilitas passionis. – Unde et quod subditur, *Dedit illi nomen quod est super omne nomen*, ad hoc referendum est quod nomen conveniens Filio ex nativitate aeterna, manifestandum esset in fide populorum convenire Filio incarnato.

Per quod et manifestum est, quod id quod dicit Petrus, quod *Deus Iesum et Christum et Dominum fecit**, ad Filium referendum est secundum humanam naturam, in qua incoepit id habere ex tempore quod in natura divinitatis habuit ab aeterno.

Quod etiam Sabellius introducit de unitate deitatis*, *Audi, Israel, Dominus Deus tuus, Deus unus est*; et, *Videte quod ego sim solus, et non sit alius Deus praeter me*, sententiae Catholicae fidei non repugnat, quae Patrem et Filium non duos deos, sed unum Deum esse confitetur, ut dictum est*.

Similiter etiam quod dicitur*, *Pater in me manens, ipse facit opera*; et, *Ego in Patre, et Pater in me est*, non ostendit unitatem personae, ut volebat Sabellius, sed unitatem essentiae, quam Arius negabat*. Si enim esset una persona Patris et Filii, non congrue diceretur Pater esse in Filio et Filius in Patre: cum non dicatur proprie idem suppositum in seipso esse, sed solum ratione partium; quia enim partes in toto sunt, et quod convenit partibus solet attribui toti, quandoque dicitur aliquod totum esse in seipso. Hic autem modus loquendi non competit in divinis, in quibus partes esse non possunt, ut in Primo* ostensum est. Relinquitur igitur, cum Pater in Filio et Filius in Patre esse dicatur, quod Pater et Filius non sint idem supposito. – Sed ex hoc ostenditur quod Patris et Filii sit essentia una. Hoc enim posito, manifeste apparet qualiter Pater est in Filio et Filius in Patre. Nam cum Pater sit sua essentia, quia in Deo non est aliud essentia et essentiam habens, ut in Primo* ostensum est, relinquitur quod in quocumque sit essentia Patris, sit Pater: et eadem ratione, in quocumque est essentia Filii, est Filius. Unde, cum essentia Patris sit in Filio, et essentia Filii in Patre, eo quod una est essentia utriusque, ut fides Catholica docet; sequitur manifeste quod Pater sit in Filio et Filius sit in Patre. Et sic eodem verbo et Sabellii et Arii error confutatur.

* Vers. 14.
* Cap. IV, *Item. Apostolus.*
* Ibid., *Petrus.*
* Supra, cap. V, *Hanc autem pos. primo.*
* Cap. VIII, init.
* Cap. V, loc. cit.
* Cf. cap. VI.
* Cap. XX.
* Cap. XXI.

---

3 quod Filius] Filius α. 5 sicut] sicut et αDWYZPc. 10 possit] posset αWYZbPc. 20 convenire] hoc convenire Pd. 22 et] etiam GNb. 23 et Christum] Christum EZbPc. 23 et Dominum] et Deum EGNb, Dominum Deum X. 30 est *om* EGNXb.
3 etiam *om* N, autem EGb. 8 congrue *om* E, proprie Xb. 16 cum] quod EGX; 17 *pro* quod Pater, et quod Pater E. 21 sua] una BCY. 22 aliud essentia] aliud esse EGPc. 30 sit *om* EGXZ.

## Commentaria Ferrariensis

OSTENSO quod rationes Arii contra Catholicam fidem invalidae sunt, vult Sanctus Thomas ex praedictis ostendere quod nec etiam ea quae pro suis opinionibus Photinus et Sabellius ex Sacris Scripturis adducebant, eorum errores confirmant*. Et primo, respondet ad Photinum; secundo, ad Sabellium*.

I. Quantum ad primum*, dicit ad primam auctoritatem, quod non dicit Christus *datam sibi potestatem* quasi tunc eam de novo acceperit: sed quia, quam ab aeterno acceperat, ea in ipso facto homine incoeperat apparere per victoriam quam habuerat resurgendo.

Ad secundam dicitur quod Filius Dei dicitur *factus*, non simpliciter, sed *secundum carnem*, per assumptionem humanae naturae, quo modo dicitur, *Verbum caro factum est*: ut patet per Apostolum. – Similiter dicitur *praedestinatus* secundum humanam naturam, quae ad Filium pertinet: eius enim unio cum Filio non fuit ex humanis meritis, sed ex gratia Dei praedestinantis.

Ad tertiam dicitur primo, quod ad humanam naturam, in qua fuerat humilitas passionis, referendum est quod dicitur Deus *per passionis meritum Christum exaltasse*. – Dicitur secundo, quod sic intelligendum est Patrem *illi dedisse nomen super omne nomen*, quod nomen conveniens Filio ex nativitate aeterna, manifestandum erat in fide populorum convenire Filio incarnato.

Ad quartam dicitur quod Petrus intellexit Deum *Iesum fecisse Christum et Dominum*, secundum humanam naturam, in qua incoepit id habere ex tempore quod in natura divinitatis habuit ab aeterno.

II. Quantum ad secundum*, respondetur primo ad auctoritates a Sabellio inductas de unitate deitatis. Et dicitur quod non repugnant Catholicae fidei ponenti Patrem et Filium non duos deos sed unum Deum, ut dictum est superius.

Ad id quod Christus dicit, *Pater in me manens* etc., dicitur quod ostendit unitatem essentiae, non autem unitatem personae. Si enim esset una persona Patris et Filii, non congrue diceretur Pater esse in Filio et e converso: cum non dicatur proprie idem suppositum in seipso esse, sed solum ratione partium, quo modo aliquando totum dicitur esse in seipso, eo quod partes sunt in toto; quod enim convenit partibus, solet attribui toti. Qui modus in divinis, in quibus partes esse non possunt, non congruit.

Dicitur secundo, quod ex unitate essentiae apparet qualiter Pater est in Filio et Filius in Patre. Nam cum Pater sit sua essentia, relinquitur quod in quocumque est essentia Patris, sit Pater. Unde, cum essentia Patris sit in Filio, sequitur quod Pater est in Filio; et eadem ratione Fillus in Patre. Et sic eodem verbo et Sabellii et Arii error confutatur.

III. Ad evidentiam eius quod hic secundo loco dicitur, considerandum est primo, quod *unum esse in alio* includit et distinctionem illorum, eo quod idem in seipso esse non possit; et quandam illorum unionem, si aliqua enim omnino separata sunt, unum illorum non dicitur in alio esse. Dicitur ergo Filius esse in Patre et e converso, inquantum, cum sint duo supposita realiter distincta, habent unam numero essentiam, quae est eadem utrique sup-

* Cf. Comment. cap. praec., init.
* Num. II.
* Cf. cap. 4.
* Cf. init. Comment., et cap. V.

posito. Non enim sola unitas essentiae in utroque supposito est ratio huius: sed haec unitas simul cum omnimoda identitate suppositi ad essentiam; ut patet ex Sancto Thoma *super Ioan.*, cap. XIV*; et in hoc capite; atque etiam Prima Parte, q. XLII, a. 5. Unde talis unitas essentiae, et identitas eius cum supposito, est ratio quod unum dicatur esse in alio. Distinctio vero inter ipsas personas huic inexistentiae praesupponitur.

ect. 3, ad v. 9.

IV. Considerandum secundo quod, licet semper quando unum dicitur in alio esse, inter illa aliquam distinctionem esse oporteat; ubi tamen unum est realiter in altero, non sufficit quaecumque distinctio, sed necesse est inter illa realem esse distinctionem. Et ideo, ubi unum ab altero realiter non distinguitur, non potest proprie dici unum in alio esse: licet, si secundum rationem distinguantur, unum possit dici esse in altero secundum rationem, aliis conditionibus requisitis existentibus. Propter hoc, essentia divina non dicitur realiter esse in Filio, si proprie loquamur, sed tantum secundum modum intelligendi et significandi, non enim a Filio realiter distinguitur: sed bene Pater est in Filio realiter, a quo distinguitur, cum sit idem quod sua essentia ipsamque non deserat, et sua essentia sit in Filio.

Qu. I, p. 148 (Turon. 1900).

Ex quo patet solutio ad argumenta Aureoli recitata a Capreolo I *Sent.*, d. XIX*, cum arguit quod eadem ratione posset concludi quod Filius esset in Filio, et quod Filius esset in essentia. Patet enim quod optime quidem arguitur Patrem esse in Filio quia sua substantia est in illo, eo quod Pater et Filius realiter distinguantur. Non autem hac ratione de illis quae adducuntur, idem concludi potest: quia Filius nec a seipso, nec a sua essentia realiter distinguitur.

2. Si autem instetur, quia non videtur ratio adducta a Sancto Thoma concludere quod Pater sit in Filio realiter, sed tantum secundum rationem: quia non videtur alia ratione Pater esse in Filio quam quia sua essentia sit in eo, cum non sit in Filio nisi ratione essentiae; essentia autem non est in Filio, nisi secundum rationem, iuxta praedicta: – respondetur quod, licet essentia Patris, inquantum est etiam in Filio, sit id ratione cuius Pater dicitur esse in Filio, non tamen oportet quod eodem modo essentia sit in Filio et Patre; quia, non obstante unitate numerali essentiae Patris et Filii, est inter Patrem et Filium secundum oppositionem relativam realis distinctio. Et ideo, sicut cum unitate numerali essentiae stat distinctio realis personarum, ita cum existentia rationis essentiae in Filio et in Patre, stat realis existentia Patris in eo, propter eorum realem distinctionem.

Non putet autem aliquis me dicere essentiam divinam non esse in Filio realiter, quasi ipsa realitas essentiae Filio non attribuatur. Hoc enim non intelligo: sed quod, cum per istam praepositionem *in* importetur distinctio, praesupposita saltem, realitas essentiae qua Filio realiter identificatur, non habet illam realem distinctionem quae importatur cum dicitur unum esse in alio realiter, licet essentiae realitas sit in Filio, idest, non sit extrinseca a Filio.

V. Advertendum tertio, quod iste modus essendi *in* non est proprie aliquis illorum modorum essendi in aliquo qui a Philosopho IV *Physicorum** enumerantur: sed tamen *per quandam similitudinem remotam potest ad aliquos illorum reduci.* Ut enim habetur ex doctrina Sancti Thomae I *Sent.*, d. XIX, q. III, a. 2, ad 1, dupliciter possumus loqui de esse unius personae in alia: uno modo, secundum esse; alio modo, secundum intellectum*. Primo modo, *reducitur ad illum modum quo genus est in sua specie* (intellige, sicut dixi, reductione remota): quia, cum propter unitatem essentiae Pater dicatur esse in Filio eo quod sua essentia sit in Filio, *ad illum modum reducitur ad quem reduceretur si essentia diceretur esse in Filio sicut in rebus materialibus essentia est in supposito,* a quo aliquo modo realiter distinguitur, ut est ostensum superius.* Iste autem modus *reducitur ad illum modum quo genus est in specie.*

* Cap. III, 1; 8. Th. l. 4.

* Cf. ibid. ad 2.

* Num. IV.

Secundo autem modo, *reducitur ad illum modum quo aliquid est in suo principio efficiente vel originante, et e converso originans in originato, si relative sumantur:* quia videlicet unum est de intellectu et ratione alterius, sicut unum relativum alterius rationem ingreditur. Et ad hunc sensum intelligitur quod ait Sanctus Thomas Prima Parte, loco allegato, ad primum*.

* Qu. XLII, 5, ad 1. Vid. n. III, fin.

VI. Patet ergo ex istis quod, proprie loquendo, Patrem esse in Filio secundum esse et e converso, nihil aliud est quam Patrem, distinctum realiter a Filio, esse illi consubstantialem, et eiusdem numero essentiae cum ipso, et e converso.

Apud Scotum vero, I *Sent.*, d. XIX*, Patrem esse in Filio est ipsum illi esse praesentem praesentia subsistentis ad subsistentem, cum unitate naturae talem praesentiam exigente. Quod in idem redit cum eo quod diximus. – Cetera vide apud Capreolum, loco allegato*.

* Qu. II, fol. 87 r, col. b (Ven. 1497).

* Pag. 147 sqq.

Circa id quod dicitur, *uno verbo errorem Arii et Sabellii confutari,* advertendum est quod, cum, ut ostensum est, Patrem esse in Filio ostendat et distinctionem illorum personalem, et unitatem essentiae in illis atque consubstantialitatem; per hoc quod importat personarum distinctionem, excluditur error Sabellii ponentis unam esse personam Patris et Filii; per hoc vero quod importat consubstantialitatem et unitatem essentiae, excluditur error Arii dicentis Filium esse creaturam, et non esse eiusdem essentiae cum Patre.

# CAPITULUM DECIMUM

## RATIONES CONTRA GENERATIONEM ET PROCESSIONEM DIVINAM.

OMNIBUS igitur diligenter consideratis, manifeste apparet hoc nobis de generatione divina in Sacris Scripturis proponi credendum, quod Pater et Filius, etsi personis distinguantur, sunt tamen unus Deus, et unam habent essentiam seu naturam. Quia vero a creaturarum natura hoc invenitur valde remotum, ut aliqua duo supposito distinguantur et tamen eorum sit una essentia; humana ratio, ex creaturarum proprietatibus procedens, multipliciter in hoc secreto divinae generationis patitur difficultatem.

Nam cum generatio nobis nota mutatio quaedam sit, cui opponitur corruptio, difficile videtur in Deo generationem ponere, qui est immutabilis, incorruptibilis, et aeternus, ut ex superioribus* patet.

* Lib. I, cap. XIII, XV.

Amplius. Si generatio mutatio est, oportet omne quod generatur, mutabile esse. Quod autem mutatur, exit de potentia in actum: nam *motus est*

3 in] et etiam BCHY, etiam in F*b*, etiam Z. 5 personis] in personis X*b*. 7 Quia ... remotum *om* E; *pro* ut aliqua, nisi aliqua E, quod autem aliqua sE.
1 hoc *om* EY.

*actus existentis in potentia secundum quod huiusmodi**. Si igitur Filius Dei est genitus, videtur quod neque aeternus sit, tanquam de potentia in actum exiens; neque verus Deus, ex quo non est actus purus, sed aliquid potentialitatis habens*.

Adhuc. Genitum naturam accipit a generante. Si ergo Filius genitus est a Deo Patre, oportet quod naturam quam habet, a Patre acceperit. Non est autem possibile quod acceperit a Patre aliam naturam numero quam Pater habet et similem specie, sicut fit in generationibus univocis, ut cum homo generat hominem, et ignis ignem: supra* enim ostensum est quod impossibile est esse plures numero deitates. – Videtur etiam esse impossibile quod receperit eandem naturam numero quam Pater habet. Quia si recipit partem eius, sequitur divinam naturam esse divisibilem; si autem totam, videtur sequi quod natura divina, si sit tota transfusa in Filium, desinat esse in Patre; et sic Pater generando corrumpitur. – Neque iterum potest dici quod natura divina per quandam exuberantiam effluat a Patre in Filium, sicut aqua fontis effluit in rivum et fons non evacuatur: quia natura divina, sicut non potest dividi, ita nec augeri. – Videtur ergo reliquum esse quod Filius naturam a Patre acceperit, non eandem numero nec specie quam Pater habet, sed omnino alterius generis: sicut accidit in generatione aequivoca, ut, cum animalia ex putrefactione nata virtute solis generantur, ad huius speciem non attingunt. Sequitur ergo quod Dei Filius neque verus Filius sit, cum non habeat speciem Patris: neque verus Deus, cum non recipiat divinam naturam.

Item. Si Filius recipit naturam a Deo Patre, oportet quod in eo aliud sit recipiens, et aliud natura recepta: nihil enim recipit seipsum. Filius igitur non est sua essentia vel natura. Non est igitur verus Deus.

Praeterea. Si Filius non est aliud quam essentia divina; cum essentia divina sit subsistens, ut in Primo* probatum est; constat autem quod etiam Pater est ipsa essentia divina: videtur relinqui quod Pater et Filius conveniant in eadem re subsistente. *Res autem subsistens in intellectualibus naturis vocatur persona**. Sequitur igitur, si Filius est ipsa divina essentia, quod Pater et Filius conveniant in persona. Si autem Filius non est ipsa divina essentia, non est verus Deus: hoc enim de Deo probatum est in primo libro*. Videtur igitur quod vel Filius non sit verus Deus, ut dicebat Arius: vel non sit alius personaliter a Patre, ut Sabellius asserebat.

Adhuc. Illud quod est principium individuationis in unoquoque, impossibile est inesse alteri quod supposito distinguatur ab eo: quod enim in multis est, non est individuationis principium. Ista autem essentia Dei est per quam Deus individuatur: non enim essentia Dei est forma in materia*, ut per materiam individuari posset. Non est igitur aliud in Deo Patre per quod individuetur, quam sua essentia. Eius igitur essentia in nullo alio supposito esse potest. Aut igitur non est in Filio: et sic Filius non est verus Deus, secundum Arium. Aut Filius non est alius supposito a Patre: et sic est eadem persona utriusque, secundum Sabellium.

Amplius. Si Pater et Filius sunt duo supposita, sive duae personae, et tamen sunt in essentia unum, oportet in eis esse aliquid praeter essentiam per quod distinguantur: nam essentia communis utrique ponitur; quod autem commune est, non potest esse distinctionis principium. Oportet igitur id quo distinguuntur Pater et Filius, esse aliud ab essentia divina. Est ergo persona Filii composita ex duobus, et similiter persona Patris: scilicet ex essentia communi, et ex principio distinguente. Uterque igitur est compositus. Neuter ergo est verus Deus.

Si quis autem dicat quod distinguuntur sola relatione, prout unus est Pater et alius Filius; quae autem relative praedicantur, non *aliquid* videntur praedicare in eo de quo dicuntur, sed magis *ad aliquid;* et sic per hoc compositio non inducitur: – videtur quod haec responsio non sit sufficiens ad praedicta inconvenientia vitanda. Nam relatio non potest esse absque aliquo absoluto: in quolibet enim relativo oportet intelligi quod ad se dicitur, praeter id quod ad aliud dicitur; sicut servus aliquid est absolute, praeter id quod ad dominum dicitur. Relatio igitur illa per quam Pater et Filius distinguuntur, oportet quod habeat aliquod absolutum in quo fundetur. Aut igitur illud absolutum est unum tantum: aut sunt duo absoluta. Si est unum tantum, in eo non potest fundari duplex relatio: nisi forte sit relatio identitatis, quae distinctionem operari non potest, sicut dicitur idem eidem idem. Si ergo sit talis relatio quae distinctionem requirat, oportet quod praeintelligatur absolutorum distinctio. Non ergo videtur possibile quod personae Patris et Filii solis relationibus distinguantur.

Praeterea. Oportet dicere quod relatio illa quae Filium distinguit a Patre, aut sit res aliqua: aut sit in solo intellectu. Si autem sit res aliqua; non autem videtur esse illa res quae est divina essentia, quia divina essentia communis est Patri et Filio; erit ergo in Filio aliqua res quae non est eius essentia. Et sic non est verus Deus: ostensum est enim in Primo* quod nihil est in Deo quod non sit sua essentia. Si autem illa relatio sit in intellectu tantum, non ergo potest personaliter distinguere Filium a Patre: quae enim personaliter distinguuntur, realiter oportet distingui.

---

* III *Phys.*, 1, 6. 9; II, 5. – 8. Th. I. 2, 4.
* Cf. lib. I, c. XVI.
* Ibid., cap. XLII.
* Cap. XXII.
* Boetius, *de Duabus Nat., contra Eut. et Nest.*, cap. III (Lips. 1871).
* Cap. XXI.
* Lib. I, cap. XXVII.
* Cap. XXIII.

11 specie] speciem αNWY*cd*. 19 transfusa] diffusa EGX, infusa W. 22 exuberantiam] divinam exuberantiam NsG. 32 neque] non est X; sit *om* EGX. 35 recipit] recipiat EGNX. 43 etiam] ipse EGNX*b*. 47 quod ... 49 essentia *hom. om* EGX. 50 de Deo probatum] reprobatum EGX. 55 unoquoque] unoquoque modo P*d*.

9 utriusque] utrique EGNX. 18 aliud *om* α, diversus D. 23 Si quis autem dicat] Si autem dicat (dicatur G*b*) EGN*b*; P*d om* quod. 24 et alius *Ita* DEHX; et alius est GNZ*b*, aliusque est BCFY*c*, alius est W, alius quod est P*d*. 25 aliquid ... 27 ad aliquid] aliud ... ad aliud *b*P*d*. 30 absoluto] ablato EG. 33 aliquid] ad aliquid P*c*. 34 dicitur *om* EG. 36 fundetur] funderetur BCF, fundentur Y. 41 eidem] eadem EGNX. 42 quae] quod αDYP*c*. 49 esse *om*. NW. 54 illa *om* EGNX*b*. 55 ergo *om* NWYP*c*.

Item. Omne relativum dependet a suo correlativo. Quod autem dependet ab altero, non est verus Deus. Si igitur personae Patris et Filii relationibus distinguantur, neuter erit verus Deus.

Adhuc. Si Pater est Deus et Filius est Deus, oportet quod hoc nomen *Deus* de Patre et Filio substantialiter praedicetur: cum divinitas accidens esse non possit*. Praedicatum autem substantiale est vere ipsum de quo praedicatur: nam cum dicitur, *Homo est animal,* quod vere homo est, animal est; et similiter, cum dicitur, *Sortes est homo,* quod vere Sortes est, homo est. Ex quo videtur sequi quod impossibile sit ex parte subiectorum inveniri pluralitatem, cum unitas sit ex parte substantialis praedicati: non enim Sortes et Plato sunt unus homo, licet sint unum in humanitate; neque homo et asinus sunt unum animal, licet sint unum in animali. Si ergo Pater et Filius sunt duae personae, impossibile videtur quod sint unus Deus.

ib. I, cap. XXIII.

Amplius. Opposita praedicata pluralitatem ostendunt in eo de quo praedicantur. De Deo autem Patre et de Deo Filio opposita praedicantur: nam Pater est Deus ingenitus et generans, Filius autem est Deus genitus. Non igitur videtur esse possibile quod Pater et Filius sint unus Deus.

Haec igitur et similia sunt ex quibus aliqui, divinorum mysteria propria ratione metiri volentes, divinam generationem impugnare nituntur. Sed quia veritas in seipsa fortis est, et nulla impugnatione convellitur, oportet intendere ad ostendendum quod veritas fidei ratione superari non possit.

---

3 personae] persona PCHWP*c*, *om* F; *lac.* DZ. 7 divinitas] dicimus EG, in divinis X*b*, divinitus D. 9 est vere] est quod vere *d*, est quod vere est P. 10 animal] intelligitur *addunt* N*b*. 14 cum unitas sit] et unitate NsG, cum unitate WŸ.
6 et de Deo *Ita* Pc; et N, et Deo CDFHW, et de EGY*b*, *lac.* XZ, *mutilus* B *ob recisionem partis folii*. 8 est *om* EGN*b*.

## Commentaria Ferrariensis

Postquam ex Sacrae Scripturae auctoritatibus ostendit Sanctus Thomas generationem, filiationem, paternitatemque in divinis esse, vult nunc dictae generationis modum investigare*. Circa hoc autem tria facit: primo, inducit rationes contra ipsam generationem; secundo, veritatem determinat, cap. seq.; tertio, respondet ad obiecta, cap. XIV.

Cf. Comment. cap. II, init.

Quantum ad primum, ait quod, cum ex Sacris Scripturis credendum nobis proponatur Patrem et Filium, etsi personis distinguantur, esse tamen unum Deum, unamque habere essentiam seu naturam; et hoc a creaturarum natura valde remotum esse videatur: humana ratio, ex creaturarum proprietatibus procedens, multiplicem in hoc secreto* patitur difficultatem.

Cf. text. et var.

*Et primo,* quia generatio nobis nota mutatio quaedam est, cui opponitur corruptio. Deus autem est immutabilis, incorruptibilis, et aeternus.

*Secundo,* quia sequitur, si Filius Dei est genitus, quod neque sit aeternus, utpote de potentia in actum exiens, cum omne quod generatur mutabile sit, quod autem mutatur exeat de potentia in actum; neque sit Deus verus, ex quo aliquid potentialitatis habet.

*Tertio,* quia Filius neque aliam naturam numero, specie vero eandem, a Patre accepit, cum non possint esse plures numero deitates; nec eandem numero, quia neque eius partem, cum natura divina indivisibilis sit; neque totam, quia sic desineret esse in Patre, utpote transfusa in Filium, et sic Pater generando corrumperetur; neque potest hoc esse per quandam exuberantiam, sicut aqua fontis effluit in rivum et fons non evacuatur, quia divina natura, sicut non potest dividi, ita nec augeri. Si vero acceperit naturam alterius generis a Patre, sicut in generationibus aequivocis accidit, sequitur quod Filius verus Deus non sit.

*Quarto,* quia sequitur quod Filius non sit sua essentia vel natura: quia tunc oporteret ut aliud esset recipiens, et aliud natura recepta.

*Quinto* quia, si Filius non est aliud quam sua essentia, cum essentia divina sit subsistens; et etiam Pater sit sua essentia; relinquitur quod Pater et Filius conveniant in eadem re subsistente; et per consequens quod conveniant in persona, cum *in intellectualibus naturis res subsistens vocetur persona.* Si autem Filius non est ipsa divina essentia, non erit verus Deus.

*Sexto* quia, cum in Patre non sit aliud individuationis principium quam sua essentia, eo quod Pater sit idem quod Deus, essentia autem Dei sit per quam Deus individuatur, utpote quae non sit forma in materia, eius essentia in nullo alio supposito esse potest: nam quod est individuationis principium in unoquoque, impossibile est inesse alteri supposito. Et sic sequitur aut quod non sit in Filio, et sic non erit Deus verus: aut quod Filius non sit alius supposito a Patre.

*Septimo* quia, si Pater et Filius sunt duo supposita et unum in essentia, oportet in eis esse aliquid praeter essentiam quo distinguantur. Et sic persona Filii composita erit, et similiter persona Patris: et sic neuter erit verus Deus.

Si dicatur quod sola relatione distinguuntur, inquantum unus est Pater et alius est Filius; quae autem relative dicuntur, non *aliud** praedicant sed *ad aliud:* – hoc non videtur sufficiens. Tum primo quia, cum relatio non possit esse absque aliquo absoluto, aut illud absolutum in quo fundatur relatio Patris et Filii, est unum tantum: aut duo. Non primum: quia in eodem non potest fundari duplex relatio, nisi forte relatio identitatis, quae distinctionem operari non potest. Ergo secundum. Ergo oportet ut praeintelligatur absolutorum distinctio. Ergo etc. – Tum secundo, quia relatio quae distinguit Filium a Patre, si est res aliqua, cum non videatur esse ipsa divina essentia, eo quod illa sit communis, erit in Filio aliqua res quae non est eius essentia: et sic non erit verus Deus. Si autem sit in intellectu tantum, non poterit personaliter Filium a Patre distinguere. – Tum tertio, quia tunc neuter erit verus Deus. Nam omne relativum dependet a suo correlativo: quod autem dependet ab altero non est verus Deus.

* Cf. text. et var.

*Octavo* quia, si Pater est Deus et similiter Filius, hoc nomen *Deus* de utroque substantialiter praedicabitur. Impossibile autem est ex parte subiectorum inveniri pluralitatem, cum unitas fuerit ex parte substantialis praedicati (intellige de unitate numerali): quia praedicatum substantiale est quod vere est ipsum de quo praedicatur. Et sic videtur, si Pater et Filius sint duae personae, impossibile esse ut sint unus Deus.

*Nono,* quia de Deo Patre et de Deo Filio opposita praedicantur: nam Pater est Deus ingenitus, Filius autem Deus genitus. Opposita autem praedicata pluralitatem ostendunt in eo de quo praedicantur.

*Ultimo,* pro subsequenda solutione, addit Sanctus Thomas quod, quia veritas in seipsa fortis est et nulla impugnatione convellitur, ostendendum est fidei veritatem ratione superari non posse.

# CAPITULUM UNDECIMUM

## QUOMODO ACCIPIENDA SIT GENERATIO IN DIVINIS, ET QUAE DE FILIO DEI DICUNTUR IN SCRIPTURIS.

*Cap. praec., fin.

PRINCIPIUM autem huius intentionis* hinc sumere oportet, quod secundum diversitatem naturarum diversus emanationis modus invenitur in rebus: et quanto aliqua natura est altior, tanto id quod ex ea emanat, magis ei est intimum.

In rebus enim omnibus inanimata corpora infimum locum tenent: in quibus emanationes aliter esse non possunt nisi per actionem unius eorum in aliquod alterum. Sic enim ex igne generatur ignis, dum ab igne corpus extraneum alteratur, et ad qualitatem et speciem ignis perducitur.

Inter animata vero corpora proximum locum tenent plantae, in quibus iam emanatio ex interiori procedit: inquantum scilicet humor plantae intraneus in semen convertitur, et illud semen, terrae mandatum, crescit in plantam. Iam ergo hic primus gradus vitae invenitur: nam viventia sunt quae seipsa movent ad agendum; illa vero quae non nisi exteriora movere possunt, omnino sunt vita carentia. In plantis vero hoc inditium vitae est, quod id quod in ipsis est, movet ad aliquam formam. – Est tamen vita plantarum imperfecta: quia emanatio in eis licet ab interiori procedat, tamen paulatim ab interioribus exiens quod emanat, finaliter omnino extrinsecum invenitur. Humor enim arboris primo ab arbore egrediens fit flos; et tandem fructus ab arboris cortice discretus, sed ei colligatus; perfecto autem fructu, omnino ab arbore separatur, et in terram cadens, sementina virtute producit aliam plantam. – Si quis etiam diligenter consideret, primum huius emanationis principium ab exteriori sumitur: nam humor intrinsecus arboris per radices a terra sumitur, de qua planta suscipit nutrimentum.

Ultra plantarum vero vitam, altior gradus vitae invenitur, qui est secundum animam sensitivam: cuius emanatio propria, etsi ab exteriori incipiat, in interiori terminatur; et quanto emanatio magis processerit, tanto magis ad intima devenitur. Sensibile enim exterius formam suam exterioribus sensibus ingerit; a quibus procedit in imaginationem; et ulterius in memoriae thesaurum. In quolibet tamen huius emanationis processu, principium et terminus pertinent ad diversa: non enim aliqua potentia sensitiva in seipsam reflectitur. Est ergo hic gradus vitae tanto altior quam vita plantarum, quanto operatio huius vitae magis in intimis continetur: non tamen est omnino vita perfecta, cum emanatio semper fiat ex uno in alterum.

Est igitur supremus et perfectus gradus vitae qui est secundum intellectum: nam intellectus in seipsum reflectitur, et seipsum intelligere potest. Sed et in intellectuali vita diversi gradus inveniuntur. Nam intellectus humanus, etsi seipsum cognoscere possit, tamen primum suae cognitionis initium ab extrinseco sumit: quia non est intelligere sine phantasmate, ut ex superioribus* patet. – Perfectior igitur est intellectualis vita in angelis, in quibus intellectus ad sui cognitonem non procedit ex aliquo exteriori, sed per se cognoscit seipsum*. Nondum tamen ad ultimam perfectionem vita ipsorum pertingit: quia, licet intentio intellecta sit eis omnino intrinseca, non tamen ipsa intentio intellecta est eorum substantia; quia non est idem in eis intelligere et esse, ut ex superioribus* patet. – Ultima igitur perfectio vitae competit Deo, in quo non est aliud intelligere et aliud esse, ut supra* ostensum est, et ita oportet quod intentio intellecta in Deo sit ipsa divina essentia.

* Lib. II, cap. LX.

* Ibid., cap. XCVI sqq.

* Ibid., cap. LII.

* Lib. I, cap. XLV.

Dico autem *intentionem intellectam* id quod intellectus in seipso concipit de re intellecta. Quae quidem in nobis neque est ipsa res quae intelligitur; neque est ipsa substantia intellectus; sed est quaedam similitudo concepta in intellectu de re intellecta, quam voces exteriores significant; unde et ipsa intentio *verbum interius* nominatur, quod est exteriori verbo significatum. Et quidem quod praedicta intentio non sit in nobis res intellecta, inde apparet quod aliud est intelligere rem, et aliud est intelligere ipsam intentionem intellectam, quod intellectus facit dum super suum opus reflectitur: unde et aliae scientiae sunt de rebus, et aliae de intentionibus intellectis. Quod autem intentio intellecta non sit ipse intellectus in nobis, ex hoc patet quod esse intentionis intellectae in ipso intelligi consistit: non autem esse intellectus nostri, cuius esse non est suum intelligere.

Cum ergo in Deo sit idem esse et intelligere, intentio intellecta in ipso est ipse eius intellectus. Et quia intellectus in eo est res intellecta, intelligendo enim se intelligit omnia alia, ut in Primo

---

1 hinc] hic CFHZ, hoc DY; *mutilus* B. 6 ei *om* αDWYZ; *mutilus* B. 13 Inter animata *Ita* ENsG; inanimata αGXZ, post inanimata DYsZ*b*Pc, animata W. 17 Iam *Ita* EGX*b*Pc; Ideo *ceteri*; ergo *om* Z. 20 exteriora movere] per exteriora movere sE, ab exteriori moveri X. 22 movet] movent αWYPc; ad *om* P. 29 cortice] corpore EGNX. discretus *Ita* EGW(Z?)*b*Pc; discerptus αNXsZ, distinctus D, discriptus Y, discruptus sH. 30 et in] in αWYZ, (separatus) in D. 40 interiori] tamen *addunt* YP. 41 processerit] incesserit P*d*. 41 intima] intimam BDFWpH.

8 et in *Ita* sEP; ex *ceteri*. 10 primum *post* suae EGNX. 30 in intellectu] intellectu P*d*, de intellectu α, ab intellectu D*b*. 32 verbum . . . 34 intentio *hom om* EG. 41 intellectae] intelligere α, intellectae et G, intellectae etiam Pc. 42 intelligi] intelligibili EYsG*b*, intelligere D, intellectu GXZPc. 46 ipse *om* αDWYZPc.

ap. xlix.

ostensum est*; relinquitur quod in Deo intelligente seipsum sit idem intellectus, et res quae intelligitur, et intentio intellecta.

His igitur consideratis, utcumque concipere possumus qualiter sit divina generatio accipienda. Patet enim quod non est possibile sic accipi generationem divinam sicut in rebus inanimatis generatio invenitur, in quibus generans imprimit suam speciem in exteriorem materiam. Oportet enim, secundum positionem fidei, quod Filius a Deo genitus veram habeat deitatem, et sit verus Deus. Ipsa autem deitas non est forma materiae inhaerens; neque Deus est ex materia existens;

ap. xvii, xxvii.

ut in Primo* probatum est. – Similiter autem non potest accipi divina generatio ad modum generationis quae in plantis invenitur, et etiam in animalibus, quae communicant cum plantis in nutritiva et generativa virtute. Separatur enim aliquid quod erat in planta vel animali, ad generationem similis in specie, quod in fine generationis est omnino extra generantem. A Deo autem, cum indivisibilis sit, non potest aliquid separari. Ipse etiam Filius a Deo genitus non est extra Patrem generantem, sed in eo: sicut ex

ap. ix, fin.

superioribus auctoritatibus patet*. – Neque etiam potest generatio divina intelligi secundum modum emanationis quae invenitur in anima sensitiva. Non enim Deus ab aliquo exteriori accipit ut in alterum influere possit: non enim esset primum agens. Operationes etiam animae sensitivae non complentur sine corporalibus instrumentis: Deum autem manifestum est incorporeum esse. – Relinquitur igitur quod generatio divina secundum intellectualem emanationem sit intelligenda.

ap. xlvii.

Hoc autem sic manifestari oportet. Manifestum est enim ex his quae in Primo declarata sunt*, quod Deus seipsum intelligit. Omne autem intellectum, inquantum intellectum, oportet esse in intelligente: significat enim ipsum intelligere apprehensionem eius quod intelligitur per intellectum; unde etiam intellectus noster, seipsum intelligens, est in seipso, non solum ut idem sibi per essentiam, sed etiam ut a se apprehensum intelligendo. Oportet igitur quod Deus in seipso sit ut intellectum in intelligente. Intellectum autem in intelligente est intentio intellecta et verbum. Est igitur in Deo intelligente seipsum Verbum Dei quasi Deus intellectus: sicut verbum lapidis in intellectu est lapis intellectus. Hinc est quod *Ioan.* 1[1] dicitur: *Verbum erat apud Deum.*

ap. lv sq.

Quia vero intellectus divinus non exit de potentia in actum, sed semper est actu existens, ut in Primo* probatum est; ex necessitate oportet quod semper seipsum intellexerit. Ex hoc autem quod se intelligit, oportet quod Verbum ipsius in ipso sit, ut ostensum est. Necesse est igitur semper Verbum eius in Deo extitisse. Est igitur coaeternum Deo Verbum ipsius, nec accedit ei ex tempore, sicut intellectui nostro accedit ex tempore verbum interius conceptum, quod est intentio intellecta. Hinc est quod *Ioan.* 1[1] dicitur: *In principio erat Verbum.*

Cum autem intellectus divinus non solum sit semper in actu, sed etiam sit ipse actus purus, ut in Primo* probatum est; oportet quod substantia intellectus divini sit ipsum suum intelligere, quod est actus intellectus; esse autem Verbi interius concepti, sive intentionis intellectae, est ipsum suum intelligi. Idem ergo esse est Verbi divini, et intellectus divini; et per consequens ipsius Dei, qui est suus intellectus. Esse autem Dei est eius essentia vel natura, quae idem est quod ipse Deus, ut in Primo* ostensum est. Verbum igitur Dei est ipsum esse divinum et essentia eius, et ipse verus Deus. – Non autem sic est de verbo intellectus humani. Cum enim intellectus noster seipsum intelligit, aliud est esse intellectus, et aliud ipsum eius intelligere: substantia enim intellectus erat in potentia intelligens antequam intelligeret actu. Sequitur ergo quod aliud sit esse intentionis intellectae, et aliud intellectus ipsius: cum intentionis intellectae esse sit ipsum intelligi. Unde oportet quod in homine intelligente seipsum verbum interius conceptum non sit homo verus, naturale hominis esse habens; sed sit *homo intellectus* tantum, quasi quaedam similitudo hominis veri ab intellectu apprehensa. – Ipsum vero Verbum Dei, ex hoc ipso quod est Deus intellectus, est verus Deus, habens naturaliter esse divinum: eo quod non est aliud naturale esse Dei, et aliud eius intelligere, ut dictum est. Hinc est quod *Ioan.* 1[1] dicitur: *Deus erat Verbum.* Quod quia absolute dicitur, demonstrat Verbum Dei verum Deum debere intelligi. Verbum enim hominis non posset dici simpliciter et absolute homo, sed secundum quid, scilicet *homo intellectus:* unde haec falsa esset, *homo est verbum;* sed haec vera potest esse, *homo intellectus est verbum.* Cum ergo dicitur, *Deus erat Verbum,* ostenditur Verbum divinum non solum esse intentionem intellectam, sicut verbum nostrum; sed etiam rem in natura existentem et subsistentem. Deus enim verus res subsistens est: cum maxime sit per se ens*.

* Cap. xvi.

* Cap. xxii.

* Lib. I, cap. xiii.

Non sic autem natura Dei est in Verbo ut sit una specie et numero differens. Sic enim Verbum habet naturam Dei sicut intelligere Dei est ipsum esse eius, ut dictum est. Intelligere autem est ipsum esse divinum. Verbum igitur habet ipsam essentiam divinam non solum specie, sed numero eandem. – Item, natura quae est una secundum speciem, non dividitur in plura secundum numerum nisi propter materiam. Divina autem natura omnino immaterialis est. Impossibile est

---

1 relinquitur] igitur *addunt* EGX*b*. 15 accipi] accipere EGNX*b*. 29 primum] primus DCHY*b*. 37 Omne ... in quantum intellectum *om* EG, *idem et* oportet *om* N. 43 apprehensum] apprehensionem EX; *rasa* pG. 53 probatum] ostensum EGNX*b*. 54 intellexerit *Ita* BCFWYP*c*; intelligat HNXZsG; EG *om hom* 53 ex necessitate ... 56 ostensum est. 55 se] seipsum DYP*c*.
14 suus] finis EGN. 16 quod ipse] ipse EGNY. 21 eius *om* EGX*b*. 22 enim] autem EGNX. 26 intelligi] intelligere E. 34 esse *post* Dei EGNX. 37 debere *post* intelligi EGN*b*, habere Y. enim] vero NsG*b*, autem D. 40 haec *om* EGX. 44 nostrum] verum EGNX. 49 Sic ... sicut] Sic ... sic α, Sicut ... sic YZ. 53 sed] sed etiam GHP*c*.

igitur quod natura divina sit una specie et numero differens. Verbum igitur Dei in eadem natura numero communicat cum Deo. – Propter quod Verbum Dei, et Deus cuius est Verbum, non sunt duo dii, sed unus Deus. Nam quod apud nos duo habentes humanam naturam sint duo homines, ex hoc contingit quod natura humana numero dividitur in duobus. Ostensum est autem in primo libro* ea quae in creaturis divisa sunt, in Deo simpliciter unum esse: sicut in creatura aliud est essentia et esse; et in quibusdam est etiam aliud quod subsistit in sua essentia, et eius essentia sive natura, nam hic homo non est sua humanitas nec suum esse; sed Deus est sua essentia et suum esse.

* Cap. xxxi.

Et quamvis haec in Deo unum sint verissime, tamen in Deo est quicquid pertinet ad rationem vel subsistentis, vel essentiae, vel ipsius esse: convenit enim ei non esse in aliquo, inquantum est subsistens; esse quid, inquantum est essentia; et esse in actu, ratione ipsius esse. Oportet igitur, cum in Deo sit idem intelligens, et intelligere, et intentio intellecta, quod est Verbum ipsius; quod verissime in Deo sit et quod pertinet ad rationem intelligentis; et quod pertinet ad rationem eius quod est intelligere; et quod pertinet ad rationem intentionis intellectae, sive Verbi. Est autem de ratione interioris verbi, quod est intentio intellecta, quod procedat ab intelligente secundum suum intelligere, cum sit quasi terminus intellectualis operationis: intellectus enim intelligendo concipit et format intentionem sive rationem intellectam, quae est interius verbum. Oportet igitur quod a Deo secundum ipsum suum intelligere procedat Verbum ipsius. Comparatur igitur Verbum Dei ad Deum intelligentem, cuius est Verbum, sicut ad eum a quo est: hoc enim est de ratione verbi. Cum igitur in Deo intelligens, intelligere, et intentio intellecta, sive Verbum, sint per essentiam unum, et per hoc necesse sit quod quodlibet horum sit Deus; remanet tamen sola distinctio relationis, prout Verbum refertur ad concipientem ut a quo est. Hinc est quod Evangelista, quia dixerat*, *Deus erat Verbum;* ne omnino distinctio sublata intelligeretur Verbi a Deo dicente sive concipiente Verbum, subiunxit*: *Hoc erat in principio apud Deum:* quasi dicat: Hoc Verbum, quod Deum esse dixi, aliquo modo distinctum est a Deo dicente, ut sic possit dici *apud Deum esse.*

* Cap. i, 1.

* Vers. 2.

Verbum autem interius conceptum est quaedam ratio et similitudo rei intellectae. Similitudo autem alicuius in altero existens vel habet rationem *exemplaris,* si se habeat ut principium: vel habet potius rationem *imaginis,* si se habeat ad id cuius est similitudo sicut ad principium. Utriusque autem exemplum in nostro intellectu perspicitur. Quia enim similitudo artificiati existens in mente artificis est principium operationis per quam artificiatum constituitur, comparatur ad artificiatum ut exemplar ad exemplatum: sed similitudo rei naturalis in nostro intellectu concepta comparatur ad rem cuius similitudo existit ut ad suum principium, quia nostrum intelligere a sensibus principium accipit, qui per res naturales immutantur. Cum autem Deus et seipsum intelligat et alia, ut in Primo* ostensum est, eius intelligere principium est rerum intellectarum ab ipso, cum ab eo causentur per intellectum et voluntatem: sed ad intelligibile quod est ipse, comparatur ut ad principium; est enim hoc intelligibile idem cum intellectu intelligente, cuius quaedam emanatio est Verbum conceptum. Oportet igitur quod Verbum Dei comparetur ad res alias intellectas a Deo sicut *exemplar;* et ad ipsum Deum, cuius est Verbum, sicut eius *imago.* Hinc est quod de Verbo Dei dicitur, *Coloss.* 1[15], quod est *imago invisibilis Dei.*

* Cap. xlvii sqq.

Est autem differentia inter intellectum et sensum: nam sensus apprehendit rem quantum ad exteriora eius accidentia, quae sunt color, sapor, quantitas, et alia huiusmodi; sed intellectus ingreditur ad interiora rei. Et quia omnis cognitio perficitur secundum similitudinem quae est inter cognoscens et cognitum, oportet quod in sensu sit similitudo rei sensibilis quantum ad eius accidentia: in intellectu vero sit similitudo rei intellectae quantum ad eius essentiam. Verbum igitur in intellectu conceptum est imago vel exemplar substantiae rei intellectae. Cum ergo Verbum Dei sit imago Dei, ut ostensum est, necesse est quod sit imago Dei quantum ad eius essentiam. Hinc est quod Apostolus dicit, *Heb.* 1[3], quod est *figura substantiae Dei.*

Imago autem alicuius rei est duplex. Est enim aliqua imago quae non communicat in natura cum eo cuius est imago: sive sit imago eius quantum ad exteriora accidentia, sicut statua aenea est imago hominis, nec tamen est homo; sive sit imago quantum ad substantiam rei; ratio enim hominis in intellectu non est homo, nam, ut Philosophus dicit*, *lapis non est in anima, sed species lapidis.* Imago autem alicuius rei quae eandem naturam habet cum re cuius est imago, est sicut filius regis, in quo imago patris apparet et est eiusdem naturae cum ipso. Ostensum est autem quod Verbum Dei est imago dicentis quantum ad ipsam eius essentiam; et quod in eadem natura cum dicente communicat. Relinquitur igitur quod Verbum Dei non solum sit imago, sed etiam Filius. Non enim sic esse imaginem alicuius ut eiusdem naturae cum illo sit, in aliquo invenitur qui filius dici non possit, dummodo hoc in viventibus accipiatur: nam quod

* III *de Anima*, viii, 2; S. Th. l. 12.

---

9 ea] quod ea P*d*. 13 et eius] ipsius EG, aliud ipsius N, et ipsius X*b*. 18 subsistentis] subsistentiae ZP; alias subsistentis *margo* P. 19 aliquo] aliis αDWYZP*c*. 20 quid] quidem αDYZ; *lac.* W. 22 et intelligere] intelligente CF, intelligente vel intellectus intelligere B *et addito* rei Y. 29 procedat] procedatur αG, proceditur N. 41 tamen] tantum D, *om* P*d*. 49 ut sic possit] et (ut Y) sic posset αDWYZP*c*. 53 autem] enim EGNXP*c*.

3 constituitur] est pGP*c*, constituitur et N; EG *om hom* constituitur ... artificiatum. 5 naturalis] intellectualis EGNX*b*. 7 quia] quod α, eo quod DW. 18 et *Ita* GN*b*; *om ceteri*. 38 Est enim aliqua] Aliqua est enim E *et sine* est G *et* est *in fine* X. 44 ut Philosophus dicit *Ita* DG*b*; et Philosophus dicit αWYZP*c*, ut ait Apostolus (Philosophus sE) E, ut ait Aristoteles X. 45 sed] sed quod P*d*.

procedit ex aliquo vivente in similitudinem speciei, dicitur filius eius. Hinc est quod in Psalmo* dicitur: *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu.*

Rursus considerandum est quod, cum in qualibet natura processio filii a patre sit naturalis, ex quo Verbum Dei Filius Dei dicitur, oportet quod naturaliter a Patre procedat. Et hoc quidem supra dictis convenit: ut ex his quae in intellectu nostro accidunt, perspici potest. Intellectus enim noster aliqua naturaliter cognoscit: sicut prima intelligibilium principia, quorum intelligibiles conceptiones, quae verba interiora dicuntur, naturaliter in ipso existunt et ex eo procedunt. Sunt etiam quaedam intelligibilia quae non naturaliter intellectus noster cognoscit, sed in eorum cognitionem ratiocinando pertingit: et horum conceptiones in intellectu nostro naturaliter non existunt, sed cum studio quaeruntur. Manifestum est autem quod Deus seipsum naturaliter intelligit, sicut et naturaliter est: suum enim intelligere est suum esse, ut in Primo* probatum est. Verbum igitur Dei seipsum intelligentis naturaliter ab ipso procedit. Et cum Verbum Dei sit eiusdem naturae cum Deo dicente, et sit similitudo ipsius; sequitur quod hic naturalis processus sit in similitudinem eius a quo est processio cum identitate naturae. Haec est autem verae generationis ratio in rebus viventibus, quod id quod generatur, a generante procedat ut similitudo ipsius et eiusdem naturae cum ipso. Est ergo Verbum Dei *genitum* vere a Deo dicente: et eius processio *generatio* vel *nativitas* dici potest. Hinc est quod in Psalmo* dicitur: *Ego hodie genui te:* idest, in aeternitate, quae semper est praesens, et nulla est in ea ratio praeteriti et futuri. – Unde patet falsum esse quod Ariani dixerunt*, quod Pater genuit Filium voluntate. Quae enim voluntate sunt, non naturalia sunt*.

Considerandum est etiam quod id quod generatur, quandiu in generante manet, dicitur esse *conceptum*. Verbum autem Dei ita est a Deo genitum quod tamen ab ipso non recedit, sed in eo manet, ut ex superioribus patet. Recte ergo Verbum Dei potest dici a Deo *conceptum*. Hinc est quod *Proverb.* VIII[24], Dei Sapientia dicit: *Nondum erant abyssi, et ego iam concepta eram.* – Est autem differentia inter conceptionem Verbi Dei, et materialem conceptionem quae apud nos in animalibus invenitur. Nam proles, quandiu concepta est et in utero clauditur, nondum habet ultimam perfectionem, ut per se subsistat a generante secundum locum distinctum: unde oportet quod in corporali generatione animalium aliud sit genitae prolis *conceptio,* atque aliud *partus* ipsius, secundum quem etiam loco separatur proles genita a generante, ab utero generantis egrediens. Verbum autem Dei, in ipso Deo dicente existens, est perfectum, in se subsistens, distinctum a Deo dicente: non enim expectatur ibi localis distinctio, sed sola relatione distinguuntur, ut dictum est. Idem est ergo in generatione Verbi Dei et conceptio et partus. Et ideo, postquam ex ore Sapientiae dictum est, *Ego iam concepta eram,* post pauca subditur*: *Ante colles ego parturiebar.* – Sed quia conceptio et partus in rebus corporalibus cum motu sunt, oportet in eis quandam successionem esse: cum conceptionis terminus sit esse concepti in concipiente; terminus autem partus sit esse eius qui paritur distinctum a pariente. Necesse est igitur in corporalibus quod id quod concipitur, nondum sit; et id quod parturitur, in parturiendo non sit a parturiente distinctum. Conceptio autem et partus intelligibilis verbi non est cum motu, nec cum successione: unde simul dum concipitur, est; et simul dum parturitur, distinctum est; sicut quod illuminatur, simul dum illuminatur, illuminatum est, eo quod in illuminatione successio nulla est. Et cum hoc inveniatur in intelligibili verbo nostro, multo magis competit Verbo Dei: non solum quia intelligibilis conceptio et partus est; sed quia in aeternitate existit utrumque, in qua prius et posterius esse non possunt. Hinc est quod, postquam ex ore Sapientiae dictum est, *Ante colles ego parturiebar;* ne intelligeretur quod, dum parturiretur, non esset, subditur*: *Quando praeparabat caelos, aderam:* ut sic, cum in generatione carnali animalium prius aliquid concipiatur, deinde parturiatur, et deinde conveniat sibi adesse parturienti, quasi sibi consociatum ut ab eo distinctum; haec omnia in divina generatione simul esse intelligantur; nam Verbum Dei simul concipitur, parturitur et adest. – Et quia quod paritur, ex utero procedit, sicut generatio Verbi Dei, ad insinuandam perfectam distinctionem eius a ge-

Ps. II, 7.

Cap. XLV.

Ps. II, vers. cit.

Cf Hil. *de Syn.* 38 (P. L. 512).

Vers. 25.

Vers. 27.

Hic duas parragg. inserunt αDWYZbPc, quas tanquam interpolatas in nota (1) subjicimus, de iis in Praef. dicturi. Cf. etiam Praef. Tom. I, § IV *de Interpolationibus,* p. XXII b.

1 similitudinem *Ita* GXZP; similitudine *ceteri.* 2 Hinc] Sicut αDYZ. 7 a Patre procedat *Ita* EGX*bc*; procedat N, generetur a (et a YZP*d*, et quod a D) Patre procedat *ceteri.* 8 in *om* EX, ex GN. 9 potest] possunt EGX. 20 intelligere est] intelligere et (etiam N) est BFGNW, quidem est C. 26 cum identitate] secundum identitatem EGNX*b*. 34 in ea *Ita* ZsE; in eo. 36 Ariani] quidam pZ 37 voluntate] voluntarie P*d*. sunt] fiunt BDWP*d*. 47 materialem] naturalem EGNX.

2 est *om* EGX. 4 distinctum *Ita* NsEG; distinctam *b*, *om* EGX, differenter αDWYZ*cd*, diversa P. 12 sed] si P*d*. 21 paritur] patitur α, parturitur DGZP*c*. 30 successio *post* nulla YP*c*. 39 cum in] cum EX, in *b*; animalium *om* E, *ante* carnali GNX*b*. 42 ut] at N, nec P*c*. 45 paritur] parturitur BDHYZB*c*.

(1) αDWYZ*b*P*c*. Quia vero non minus est quod Deus de seipso intelligit quam quod in ipso est, alias non intelligit (intelligeret DWY) seipsum perfecte nec suum esse esset suum intelligere, oportet Verbum Dei Deo esse essentiale (naturale Z, materiale C, connaturale D, aequale YsH*b*). Hic (Hoc P*c*) autem est Filius Dei. Est igitur Filius Dei Patri essentialis (naturalis Z, materialis C, aequalis YsH*b*). Hoc etiam hic (Hoc etiam hinc WY*b*P*c*, Hinc D) manifestum est quod Filius Dei, cum sit verus Filius, habet speciem et naturam Patris. Cuilibet autem naturae determinata quantitas debetur. Unde etiam apud nos filius ad aequalitatem patris perducitur in fine generationis et augmenti, nisi aliquis defectus appareret (apparet BH*d*, appareat WP) propter materiam indispositam vel propter debilitatem virtutis activae in generatione. Et quod (quidem Z, quod quidem Y, quidem quod P*d*) a principio filius nascitur (nascatur P*d*) minor patre, contingit ex hoc quod animalis generatio procedit de potentia ad actum et paulatim perducitur (ducitur P*c*, *om* W) de imperfectione ad perfectionem. Nihil autem horum est possibile in divina generatione accidere, quia generatio divina non est ex materia, nec per exitum de potentia in actum, nec virtus Dei generantis potest esse deficiens, cum sit infinita. Oportet ergo Filium Dei esse Patri aequalem. – Item, si Filius sit Patri inaequalis, oportet aliam numero esse magnitudinem Patris et Filii: nam eadem numero quantitas non potest seipsa esse maior et minor. Divina autem magnitudo non est aliud quam eius essentia, ut ex primo libro apparet (patet *b*). Erit igitur alia (una *c*, *om* α, Non erit igitur una Z) numero essentia Patris et Filii, cuius contrarium supra ostensum est. Oportet igitur dicere Filium Patri esse aequalem. Hinc est quod dicitur Ioan. v, quod Iesus Patrem suum dicebat Deum, aequalem se faciens Deo; et Phil. II, dicitur quod non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo.

nerante, dicitur *partus,* simili ratione dicitur *generatio ex utero,* secundum illud Psalmi*: *Ex utero ante luciferum genui te.* – Quia tamen non est talis distinctio Verbi a dicente quae impediat Verbum esse in dicente, ut ex dictis patet; sicut ad insinuandam distinctionem Verbi, dicitur parturiri, vel ex utero genitum esse; ita, ad ostendendum quod talis distinctio non excludit Verbum esse in dicente, dicitur *Ioan.* 1[18], quod est *in sinu Patris.*

Attendendum est autem quod generatio carnalis animalium perficitur per virtutem activam et passivam: et ab activa quidem virtute dicitur pater, a passiva vero dicitur mater. Unde eorum quae ad generationem prolis requiruntur, quaedam conveniunt patri, quaedam conveniunt matri: dare enim naturam et speciem prolis competit patri; concipere autem et parturire competit matri, tanquam patienti et recipienti. Cum autem processio Verbi secundum hoc dicta sit esse quod Deus seipsum intelligit; ipsum autem divinum intelligere non est per aliquam virtutem passivam, sed quasi activam, quia intellectus divinus non est in potentia, sed actu tantum: in generatione Verbi Dei non competit ratio matris, sed solum patris. Unde quae in generatione carnali distinctim patri et matri conveniunt, omnia in generatione Verbi Patri attribuuntur in Sacris Scripturis: dicitur enim Pater et *dare Filio vitam* *, et *concipere* et *parturire.*

* Ps. cx, 3.

* *Ioan.* v, 26.

---

7 genitum *Ita nos;* genitus *omnes.* 9 esse] eius EGX. 12 animalium] aliquando EX.
1 quaedam] et quaedam P*d.* 2 prolis] proli Z*b*P*c.* 3 competit *om* EGNX. 5 Verbi] Dei *addunt* EGNXY*b.* hoc *plene* DGZ, haec BP*c.* 9 sed *om* BF, sed in DHP*d.* in *altero loco*] ideo in P*d.* 10 ratio] hoc ratione GP*d.* 14 et dare] dare ENXZ.

## Commentaria Ferrariensis

Positis rationibus quibus divina potest generatio impugnari, accedit Sanctus Thomas ad veritatis determinationem*. Circa hoc autem duo facit: primo, declarat modum generationis in divinis; secundo, ostendit unicam tantum ibi esse generationem, et unicum Filium, cap. XIII.

* Cf. Comment. cap. praec., init.

Circa primum duo facit: primo, ostendit propositum; secundo, manifestat quoddam quod supposuerat, cap. XII.

Circa primum duo facit: primo, ostendit divinam generationem secundum intellectualem emanationem intelligendam esse; secundo, quomodo hoc sit, manifestat, ibi, *Hoc autem sic manifestari potest**.

* Num. VIII.

Circa primum duo facit: primo, ostendit diversum esse modum emanationis intelligibilis ab aliis emanationibus; secundo, ostenditur etiam in ipsa intelligibili natura diversos esse emanationis modos, ibi, *Sed et in intelligibili**.

* Num. VII.

I. Quantum ad primum, ait quod principium intentionis, qua scilicet intendimus ostendere veritatem fidei quantum ad Filii generationem ratione superari non posse, hinc sumendum est, quod secundum diversitatem naturarum diversus emanationis modus invenitur in rebus; et quanto aliqua natura est altior, tanto id quod ex ea emanat, magis est intimum.

Declaratur hoc discurrendo per omnes naturae gradus. Nam in inanimatis, quae infimum locum in rebus tenent, emanationes aliter esse non possunt nisi per actionem unius eorum in aliquid aliud: sicut patet cum ignis ex igne generatur. – In plantis, in quibus primus gradus est vitae, cum seipsas moveant ad agendum, iam emanatio ex interiori procedit: inquantum humor plantae intrinsecus in semen convertitur, quod terrae mandatum, crescit in plantam. Sed quod emanat finaliter omnino extrinsecum invenitur: humor enim ab arbore egrediens fit flos, deinde fit fructus, qui, perfectus, ab arbore omnino separatur, et in terram cadens, sementina virtute producit aliam plantam. Huius tamen emanationis principium ab exteriori sumi constat: eo quod humor ipse per radices a terra sumatur. – In ulteriori vero gradu vitae, qui est secundum animam sensitivam, propria emanatio ab exteriori quidem incipit, scilicet a sensibili sensibus exterioribus suam formam ingerente; sed in interiori terminatur. Et quanto emanatio magis incesserit, tanto magis ad intima devenitur: a sensibus enim exterioribus forma sensibilis procedit in imaginationem, et ulterius in memoriae thesaurum. Sed in quolibet huius emanationis processu principium et terminus pertinent ad diversa: cum potentia sensitiva in seipsam non reflectatur. – In supremo autem et perfecto vitae gradu, qui est secundum intellectum, intellectus in seipsum reflectitur, et seipsum potest intelligere. – Ex iis patet alium esse emanationis modum in natura intellectuali a modo emanationis in aliis naturis.

II. Sed circa ea quae dicta sunt, duplex dubium occurrit. Primum est*, quia non videtur, ex dictis, emanationem sensibilem esse inter emanationes vitales connumerandam. Nam emanatio in viventibus ex interiori esse dicitur, secundum quod vivens in seipsum, sive in aliquid intraneum agit aliquid producendo. Ex hoc enim ostensum est emanationem in plantis, quibus primus gradus vitae convenit, ex interiori esse, quia plantae ipsae movent humorem intraneum, convertendo ipsum in semen, ex quo alia provenit planta. In emanatione autem sensibili non est processus ex interiori, sed ex exteriori, ut hic dicitur. Ergo etc.

* Cf. num. IV.

Augetur dubitatio. Quia si ideo emanatio sensibilis est emanatio vitalis, quia, licet ab exteriori incipiat, tamen in interiori terminatur; sequitur quod etiam inanimatorum emanatio vitalis erit. Nam cum ignis emanat ab igne, principium huius emanationis est exterius, scilicet ignis generans: sed terminus est interior, scilicet forma ignis geniti, quae est in ipsa materia quae transmutatur, sicut forma a re sensibili causata est in ipso sensu qui immutatur.

III. Secundum dubium est*, quia non videtur convenienter adduci pro ratione quare in processu emanationis sensibilis principium et terminus pertinent ad diversa, quia videlicet potentia sensitiva in seipsa non reflectitur. Nam constat hic sermonem esse de illa emanatione qua forma sensibilis ab ipsa re extrinseca emanat in animam sensitivam. Ad hoc autem nihil refert utrum potentia sensitiva supra seipsam reflectatur, necne: quia si etiam supra se reflecteretur, idem esset. Sicut patet quod intellectus supra seipsum reflectitur: et tamen principium illius emanationis qua forma intelligibilis a re extrinseca in intellectum emanat, et terminus, ad diversa pertinent.

* Cf. num. V.

Si dicatur quod hic est sermo de emanatione sensibili, non qua recipitur species sensibilis, sed qua producitur actus sentiendi: quia, cum actio sensus non terminetur ad ipsum sensum sed ad sensibile extrinsecum, principium et terminus pertinent ad diversa, quod non esset si sensus seipsum sentiret: – non videtur hoc verum esse. Quia per actum sentiendi, maxime per actum sensus exterioris, nihil producitur in ipso sensu: hic autem loquimur de actu quo unum ab altero emanat et producitur.

IV. Duobus modis ad haec responderi potest*. Pro primo autem modo, considerandum est primo quod, cum dicimus viventia a seipsis moveri, non intelligimus ita ipsa esse sibi principium motus quo moventur, quasi nullo modo a principio aliquo extrinseco eorum motus originem habeat: cum VIII *Phys.** ostendat Aristoteles motum in

* Cf. num. VI.

* Cap. VI, 7; S. Th. I. 13.

animalibus quo a seipsis moventur, ab aliquo extrinseco motu habere initium. Sed intelligimus ipsa esse sibi immediatum principium elicitivum talis motus in seipsis existentis: licet ad illum motum aliquid extrinsecum, tanquam principium remotum, concurrat. Hoc autem etiam animabus convenit: nam huius actionis quae est sentire, secundum quam sensitiva, inquantum huiusmodi, dicuntur seipsa movere, immediatum et proximum principium elicitivum est ipsa potentia sensitiva specie sensibili actuata; sed remotum principium est ipsum sensibile, suam formam in sensum imprimens. Unde negatur quod emanatio sensibilis, scilicet ipsum sentire, non sit ab interiori principio proxime. Non enim hoc dicit Sanctus Thomas, sed quod *incipit ab exteriori:* tanquam videlicet a remoto principio; a quo, inquam, sensus formam accipit, qua in seipso suam operationem causat. – Et ad hunc sensum, ut etiam hoc obiter explanemus, intelligendum est quod inquit Sanctus Thomas Prima, q. XXVII, a. 5, *sentire non esse totaliter remotum a genere actionum quae sunt ad extra, eo quod sentire perficiatur per actionem sensibilis in sensum.* Quia enim sensibile est secundum suum esse extrinsecum a sensu; et necesse est eius actionem in sensum praecedere naturaliter ipsum sentire, quod est actio sensus; ex quo habet ipsum sensibile ut sit principium remotum actus sentiendi per actionem transeuntem qua agit in sensum: ideo dicitur sentire non esse totaliter extraneum a genere actionum quae sunt ad extra. – Hoc autem non convenit intellectioni. Quia licet intelligere aliquod, scilicet nostrum, originem habeat aliquo modo ab actione sensibilis in sensum, hoc tamen non convenit intellectioni secundum totum genus suum, sicut sensationi: nam neque intellectio angelica, neque intellectio divina causatur a rebus sensibilibus.

2. Potest etiam aliter, et melius istud intelligi. Nam aliud est operationem perfici per actionem sensibilis in sensum: et aliud dependere et originari ab illa actione. Ad secundum enim sufficit ut actio sensibilis in sensum praecedat operationem sensus, et illius principium proximum causaverit: ad primum autem requiritur quod simul sit utrumque, et unum necessario alterum concomitetur. Dicitur ergo quod sentire perfici per actionem sensibilis in sensum, est non solum a tali actione originari, sed etiam sui existentiam et complementum exigere ut illa actio sit simul cum ipso sentire: non enim est sentire in actu nisi dum actualiter sensus a sensibili immutatur. Intellectioni autem convenit quidem ut ab actione sensibilis in sensum, et intelligibilis in intellectum, originetur: non autem quod per talem actionem perficiatur; cum, etiam actione illa non existente, sit intellectio; postquam enim intellectus est specie informatus per seipsum intelligit, nulla concurrente actione intelligibilis in intellectum.

3. Ad confirmationem dicitur quod procedit ex falso intellectu verborum Sancti Thomae: quasi videlicet emanatio sensibilis sit ipsa productio formae sensibilis in sensum, et terminus huius emanationis remaneat in sensu. Hoc enim non intendit Sanctus Thomas: sed quod ipsum sentire, quod est actualis sensatio et iudicium de re sensibili, et est terminus sensibilis emanationis, incipit quidem ab exteriori tanquam a principio remoto per actionem transeuntem ipsius in sensum, sed tamen proxime et immediate producitur a potentia sensitiva facta in actu primo, et remanet in ipsa, non autem recipitur in aliquo extra sensum existente. Et hoc est emanationem sensibilem in interiori terminari. In inanimatis autem non est sic. Nam inanimata non sunt proximum principium productivum alicuius in ipsis remanentis: sed omnis eorum actio in aliquo recipitur extrinseco.

*Num. III. V. Pro solutione secundi dubii*, considerandum est quod, cum omnis potentia activa aut productiva alicuius operationis, habeat aliquod obiectum in quod per suam operationem tendit, et ad quod sua operatio terminatur; necesse est omnem operationem medium aliquo modo esse inter potentiam quae est eius principium productivum, et obiectum quod est eius terminus. Sed aliquando ipse terminus est per talem operationem productus, sicut in actionibus transeuntibus apparet: aliquando vero non est productus simpliciter secundum suum esse reale, licet sit forte productus secundum aliquod esse intentionale. Sentire ergo est operatio et emanatio quaedam cuius principium elicitivum est potentia sensitiva, terminus vero est ipsum sensibile, quod secundum esse quidem naturale aut reale non est productum per actum sentiendi, secundum tamen aliquam rationem potest aliquo modo dici productum, scilicet in ratione sensati in actu: non enim habet sensibile quod sit actu sensatum nisi ab actu sentiendi quo actualiter sentitur, ut dicatur ex hoc sensus constituere suum obiectum in esse sensati.

Istis praesuppositis, dicitur, quod ratio Sancti Thomae optima est. Cum enim potentia sensitiva non reflectatur supra seipsam, non enim visus videt seipsum, proprie loquendo; sequitur quod ipsa non est terminus et obiectum emanationis sensitivae quae dicitur sensatio. Et cum ipsa sit principium talis emanationis, sequitur quod principium eius et terminus ad diversa pertineant: principium scilicet ad sensum, terminus vero ad ipsum sensibile. – Cum autem dicitur quod idem esset etiam si sensus supra seipsum reflecteretur: negatur. Si enim reflecteretur supra seipsum se sentiendo, ipse esset et principium sensationis, et obiectum sive terminus: et sic principium et terminus non pertinerent ad diversa.

2. Ideo ratio ibi data admittitur. Ad cuius improbationem dicitur primo, quod hic non loquitur Sanctus Thomas de emanatione secundum quod per ipsam aliquid realiter producitur: sed absolute loquitur de ipsa operatione ab aliquo emanante principio, quae in viventibus ab interiori procedit, et aliquo modo in ipso interiori manet. Inferius autem* declarabit in illa emanatione quae est ab intellectu, esse aliquid realiter productum. *Num. VII.

Dicitur secundo, quod etiam per emanationem sensibilem aliquid producitur secundum esse sensatum, ut dictum est, licet non secundum esse reale. Sed hoc non est proprie aliquid produci.

VI. Potest secundo responderi, et melius, ad praedicta dubia*. Dicitur enim primo, quod per emanationem quae est secundum animam sensitivam, intelligit Sanctus Thomas non quidem impressionem speciei sensibilis in sensum a re sensibili, quia illa emanatio est tantum ab extrinseco; non etiam ipsam operationem quae est sensatio, cum illa non habeat aliquem terminum per ipsam realiter productum; sed illam actionem qua anima sensitiva aliquid producit in seipsa. Hoc autem est inquantum una potentia sensitiva agit in aliam, ut sensus exterior in phantasiam, et phantasia in memoriam. Ista enim emanatio fit ab intrinseco immediate, inquantum anima sensitiva in seipsa causat formam sensibilem, per potentias exteriores immutando interiores, licet ab extrinseco remote originetur. *Cf. num. IV, init.

Dicitur secundo, quod potentiam sensitivam non reflecti supra seipsam, est non sentire seipsam, neque sui similitudinem in seipsa causare. Et sic, cum potentia sensitiva non reflectatur supra se causando sui similitudinem in se, per quam seipsam sentiat; sequitur in emanatione sensitivae animae qua per ipsam aliquid producitur, principium et terminum ad diversa pertinere, scilicet ad diversas potentias, licet sit eadem anima. – Et istud magis videtur esse secundum intentionem litterae, si diligenter consideretur. Et secundum hunc sensum, patet obiectiones non procedere.

VII. Secundo loco ostendit Sanctus Thomas quod etiam in emanatione intellectuali plures modi inveniuntur, et quod emanatio divini intellectus ab aliis differt*. Et ait quod in intellectuali vita etiam diversi gradus inveniuntur. Infimus est humani intellectus, qui seipsum quidem cognoscere potest, sed tamen primum suae cognitionis initium ab extrinseco sumit, scilicet a phantasmate. – Supra hunc est vita intellectus angelici, qui per se seipsum cognoscit, et non ex aliquo exteriori. Sed tamen, licet intentio intellecta sit angelis omnino intrinseca, non tamen ipsa est eorum substantia: cum in eis non sit idem intelligere et esse. – Ultima perfectio vitae est divini intellectus, cuius intentio intellecta est ipsa divina essentia: cum in ipsa non sit aliud intelligere et esse. *Cf. init. Comment.

Ne autem dubium sit quid nomine *intentionis intellectae* intelligatur, exponit Sanctus Thomas ipsam esse *id quod intellectus in seipso concipit de re intellecta, quod est quaedam similitudo concepta intellectu de re intellecta, quam voces exteriores significant.* Hanc autem in nobis non esse rem intellectam apparet, quia aliud est intelligere rem, et aliud intelligere ipsam intentionem intellectam, quod fit per reflexionem: unde et aliae scientiae sunt de rebus, et aliae de intentionibus intellectis. Ipsam etiam non esse intellectum ipsum in nobis, ex hoc patet quod esse eius in ipso intelligi consistit, non autem esse intellectus nostri. In Deo autem ipsam esse divinum intellectum constat: quia in ipso idem est intelligere et esse. Et quia intellectus in eo est res intellecta, relinquitur quod in ipso Deo intelligente se idem sit intellectus, res quae intelligitur, et intentio intellecta.

2. Ad evidentiam eius quod dicitur, *intentionem intellectam angelis esse omnino intrinsecam,* considerandum est quod hoc non dicitur quasi in nobis intentio intellecta, secundum suam entitatem, omnino intrinseca intellectui non sit: sed quia in nobis entitas quidem intentionis intellectae est intellectui intrinseca, cum sit eius accidens, sed causa est aliquo modo extrinseca, inquantum initium nostrae cognitionis est ab extrinseco, idest a phantasmate. In angelis autem neque etiam quantum ad causam est ab extrinseco obiecto: cum ab extrinseco eius cognitio originem non habeat, utpote existentibus illis connaturalibus speciebus intelligibilibus; et sua essentia, qua seipsum intelligit, sibi existente intrinseca.

3. Circa id quod dicitur, *esse intentionis intellectae in ipso intelligi consistere,* considerandum quod esse intentionis intellectae dicitur in intelligi consistere, non quia non habeat aliquod esse in re sed tantum hoc habeat esse quod intelligitur, idest, habeat solam habitudinem rationis ad intelligentem, quemadmodum entia rationis dicuntur habere esse in intelligi, – nam, cum sit accidens intellectus, necesse est ut aliquod esse reale habeat – sed quia illud esse quod habet reale est ipse actus intelligendi ut passive sumitur, et significatur per hoc quod dico *intelligi;* vel esse aliquid ipsum intelligere consequens, quod non durat nisi quandiu actualis intellectio durat; cessante enim intellectione, esse intentionis intellectae cessat. Et est simile sicut si diceremus esse aeris illuminati, inquantum huiusmodi, in ipso illuminari consistere, quia lumen non habet esse in aere nisi per illuminationem, et nisi dum aer illuminatur.

VIII. Deinde, cum dicitur, *Hoc autem sic manifestari potest,* accedit Sanctus Thomas ad manifestationem divinae generationis*. Et ponit quatuor conclusiones.

* Ct. init. Comment.

Prima est: *Non est possibile sic accipi generationem divinam sicut in rebus inanimatis generatio invenitur.* Probatur. Generans in illis imprimit suam speciem in exteriorem materiam. Non autem in divinis. Ergo etc. – Probatur secunda pars antecedentis. Quia secundum fidem Filius a Deo genitus veram habet deitatem, et est verus Deus. Deitas autem non est forma materiae inhaerens; neque Deus est ex materia existens.

Secunda conclusio est: *Non potest accipi divina generatio ad modum eius quae est in plantis et animalibus communicantibus cum plantis in nutritiva et generativa virtute.* Probatur. Separatur aliquid ab illis ad generationem similis in specie, quod in fine generationis est omnino extra generantem. Haec autem Deo convenire non possunt, ut ex supra dictis patet. Ergo etc.

Tertia conclusio est: *Divina generatio non potest intelligi secundum modum emanationis quae invenitur in anima sensitiva.* Probatur. Tum quia, cum Deus sit primum agens, ab exteriori non accipit unde in alterum influere possit: ut scilicet sensui convenit, iuxta praedicta*. – Tum quia operationes animae sensitivae non complentur sine corporalibus instrumentis. Deum autem constat incorporeum esse.

* Num. 1.

IX. Quarta conclusio est: *Generatio divina secundum intellectualem emanationem est intelligenda.* Relinquit hanc probatam Sanctus Thomas ex sufficienti divisione supra posita.

Ad eius tamen manifestationem, ponit duodecim conclusiones*.

* Vid. tamen numerum XXVI.

Quarum prima est: *In Deo seipsum intelligente est Verbum Dei, quasi Deus intellectus.* Probatur. Omne intellectum, inquantum intellectum, est in intelligente. Ergo Deus, seipsum intelligens, est in seipso ut intellectum in intelligente. Ergo etc.

Probatur antecedens. Quia intelligere significat apprehensionem eius quod intelligitur per intellectum. Unde et intellectus noster, seipsum intelligens, est in seipso non solum ut idem sibi per essentiam, sed etiam ut apprehensum intelligendo. – Secunda vero [consequentia] probatur. Quia intellectum in intelligente est intentio intellecta et verbum. – Confirmatur auctoritate Ioannis dicentis: *Verbum erat apud Deum.*

Ad huius rationis evidentiam, considerandum est quod, licet res intellecta in intelligente per speciem intelligibilem sit, ex illa tamen non habet rationem actualiter intellecti. Nam actu intellectum, inquantum huiusmodi, nominat terminum intellectionis per ipsam intellectionem apprehensum: species autem intelligibilis nominat intellectionis principium. Ideo praeter ipsam speciem intelligibilem, oportet esse in intellectu actu intelligente intentionem intellectam: nam quod apprehenditur, est in apprehendente aliquo modo.

X. Secunda conclusio est: *Verbum Dei est ipsi coaeternum, non autem accidit ei ex tempore Verbum suum, sicut intellectui nostro.* Probatur. Intellectus divinus semper seipsum intelligit. Ex hoc autem quod seipsum intelligit, oportet quod Verbum ipsius in ipso sit. Ergo eius Verbum in ipso semper extitit. Ergo etc. – Probatur assumptum. Quia intellectus divinus non exit de potentia in actum, sed semper est in actu existens. – Confirmatur ex eo quod dicitur: *In principio erat Verbum.*

XI. Tertia conclusio est: *Verbum Dei est ipsum esse divinum, et essentia eius, et ipse verus Deus.* Quoad primam partem probatur. Substantia intellectus divini est ipsum suum intelligere: cum sit actus purus. Esse Verbi intellecti est ipsum suum intelligi. Ergo idem esse est Verbi divini et intellectus divini. – Quoad secundam vero partem probatur. Quia esse divini intellectus est esse Dei, qui est suus intellectus. Esse autem Dei est eius essentia, qua est Deus. – Quoad tertiam autem partem probatur. Quia non est aliud naturale esse Dei, et aliud eius intelligere. – Confirmatur ex eo quod dicitur: *Deus erat Verbum.* Nam, cum absolute dicatur, demonstratur Verbum Dei verum Deum debere intelligi. Verbum enim hominis non posset simpliciter et absolute dici *homo,* sed tantum *homo intellectus:* unde haec esset falsa, *homo est verbum;* sed haec potest esse vera, *homo intellectus est verbum.*

Ex hoc infert Sanctus Thomas, cum dicitur, *Deus erat Verbum,* ostendi Verbum divinum esse rem in natura existentem et subsistentem: quia Deus verus res subsistens est.

Ad horum autem maiorem manifestationem, interponit ista verbo intellectus humani seipsum intelligentis non convenire. Cum enim esse intentionis intellectae sit ipsum intelligi; et aliud sit esse intellectus et intelligere eius, substantia enim intellectus erat in potentia intelligens antequam intelligeret actu: sequitur quod aliud sit esse intentionis intellectae, et aliud esse intellectus. Similiter sequitur quod verbum conceptum non sit homo verus, naturale esse hominis habens: sed tantum *homo intellectus,* tanquam eius similitudo ab ipso apprehensa.

2. Circa probationem primae partis conclusionis, advertendum est quod, sicut eadem res est actio et passio in rebus quae materialiter moventur, ita in rebus quae aliquo modo immaterialiter operantur, eadem est operatio qua et principium operationis denominatur per modum agentis, et terminus actionis denominatur per modum patientis: sicut eadem visione dicitur res videri, et visus videre. Cum ergo intelligere sit operatio quaedam immaterialis ab intellectu elicita, et terminata ad intentionem intellectam, eadem res sunt ipsum intelligere intellectus, et ipsum intelligi intentionis intellectae: differunt autem secundum diversas habitudines connotatas. Dicitur enim *intelligere*

inquantum significatur cum habitudine intellectus ut a quo est: dicitur vero *intelligi* inquantum connotat habitudinem intellecti ut termini. Optime ergo concludit Sanctus Thomas quod idem est esse intellectus divini et Verbi ipsius, quia esse intellectus est ipsum intelligere, et esse Verbi est ipsum intelligi. Si enim intelligi est esse Verbi; et intelligi est ipsum intelligere; sequitur quod esse Verbi est ipsum intelligere. Et ideo, si intelligere est esse intellectus, sequitur ut esse Verbi sit ipsum esse intellectus.

Circa probationem secundae partis conclusionis, attendendum est fundamentum huius rationis esse quod essentia divina non potest esse actus alicuius quod sibi non identificetur. Et ideo, si esse Verbi est essentia divina, oportet ut Verbum idem sit quod ipsa essentia.

Circa probationem tertiae partis conclusionis, considerandum est quod naturale esse rei consequitur rei essentiam, et secundum naturarum diversitatem diversificatur: sicut enim alia est natura et essentia lapidis, et alia natura et essentia hominis, ita aliud est esse lapidis, et aliud esse hominis. Et ideo essentia et esse naturale ipsius sese concomitantur, ita quod ubi unum est primo et per se, et alterum est. Cum ergo Verbum divinum habet naturale esse Dei, eo quod suum esse sit ipsum intelligere, quod est esse naturale Dei, sequitur quod essentiam divinam habeat. Et quia omne suppositum cuius natura est divina essentia, est verus Deus, sequitur ipsum Verbum divinum esse Deum verum. Et secundum hoc fundamentum procedit haec ratio.

XII. Sed circa praedicta duplex occurrit dubium. Primum est, quia non videtur sufficienter concludi intentionem intellectam et intellectum idem esse in Deo quia habent idem esse. Nam manus hominis et pes habent idem esse, cum per eandem numero formam sint; et similiter materia et forma; et tamen manus non est pes, sed sunt duae substantiae; et similiter materia non est forma.

Secundum est. Si, quia esse intentionis intellectae est intelligi, et esse intellectus est intelligere, sequitur quod idem esse sit intellectus et intentionis intellectae; et quod intentio intellecta sit intellectus, et consequenter Deus: – cum non solum Deus intentionem intellectam in ipso existentem intelligat, sed etiam res omnes habentes esse extra ipsum Deum; et ipsarum rerum esse, inquantum intelliguntur, sit intelligi: eadem ratione sequitur quod omnis creatura sit divinus intellectus, et sit Deus.

2. Ad primum dicitur primo, quod non procedit ratio Sancti Thomae ex hoc universaliter quod omnia quae habent idem esse, idem sint, quia illud non est verum de partibus constituentibus totum et per esse totius existentibus: sed ex hoc quod oportet sic esse in naturis simplicibus. Cum enim unum non possit habere esse talis naturae tanquam pars eius, si illius esse habeat, necesse est ut sit illius naturae suppositum. Et ideo, si esse ipsius intellectus divini sit esse eius quod in ipso est, necesse est, iuxta declarationem superius factam, ut eorum sit una natura, et quod unum sit aliud.

3. Ad secundum dicitur quod aliter loquendum est de intentione intellecta existente in intellectu: et aliter de re intellecta habente esse extra intellectum, inquantum habet esse extra intellectum. Intelligi enim intentionis intellectae dicit ipsum eius esse quo in rerum natura existit: non enim existit nisi per ipsum actuale intelligi; unde et, hoc cessante, verbum non est. Sed intelligi rei ad extra, in quantum ad extra est, non dicit esse ipsius, sed tantum habitudinem quandam ad intellectum: et est denominatio ab extrinseco dum dicitur intelligi, scilicet ab actu intelligendi existente, non quidem in ipsa re, sed in intellectu. Et ideo, licet sequatur ex eo quod esse intellectus est ipsum intelligere, et esse intentionis intellectae est ipsum intelligi, intentionem intellectam et intellectum esse idem; non tamen sequitur rem intellectam, secundum quod est extra, esse divinum intellectum.

Cum autem arguitur quia esse ipsarum, inquantum intelliguntur, est ipsum intelligi: dicitur quod, si ly *inquantum intelliguntur* significet inquantum habent esse in intellectu per suam intentionem intellectam, sic utique verum est quod intelligi est esse ipsarum. Sed ex hoc nihil aliud habetur nisi quod intentio intellecta ipsarum, per quam sunt in intellectu divino, est idem quod intellectus divinus. – Si autem significetur inquantum terminant actum divini intellectus secundum esse quod habent extra intellectum, sic falsum est quod esse ipsarum sit intelligi, idest, actus intelligendi quo intelliguntur: sed est ipsum esse extra intellectum, cum habitudine ad intelligentem in actu.

XIII. Quarta conclusio est: *Verbum Dei in eadem numero natura communicat cum Deo.* Probatur dupliciter. Primo. Sic habet naturam Dei sicut intelligere Dei est ipsum esse eius. Sed intelligere Dei est esse divinum. Ergo sic habet naturam Dei sicut esse divinum est esse suum. Sed sic esse divinum est esse suum quod idem esse est utriusque. Ergo habet ipsam essentiam divinam non solum specie, sed numero eandem.

Advertendum est quod natura alicuius speciei non potest numero multiplicari nisi multiplicetur esse talis naturae: quia habentium diversas numero naturas completas non potest esse unum esse. Et ideo, ubi aliqua numero distincta habent unum et idem esse, in illis natura non est multiplicata secundum numerum, sed est una numero. Et ideo optime hic arguitur esse eandem numero naturam Dei intelligentis et Verbi ipsius, quia habent unum et idem esse divinitatis.

Secundo. Natura divina est omnino immaterialis. Ergo non potest esse una specie et numero differens. – Probatur consequentia. Quia natura quae est una secundum speciem, non dividitur in plura secundum numerum nisi propter materiam.

Ex hoc infert Sanctus Thomas quod propter hoc Deus et Verbum suum non sunt duo dii, sed unus Deus. Nam quod duo habentes humanam naturam sint duo homines, ex hoc contingit quod natura humana numero dividitur in duobus.

XIV. Circa istam propositionem, *Duo habentes naturam humanam sunt duo homines quia natura humana numero dividitur in duobus,* dubitatur. Videtur enim velle Sanctus Thomas quod pluralitas naturae humanae sit ratio quare aliqui dicuntur plures homines. Huius autem oppositum videtur tenere in Tertia, q. III, a. 7, ad 2, ubi vult quod, *si una persona divina assumeret duas humanitates, non diceretur duo homines, sed unus homo, propter unitatem suppositi.*

Quia difficultas haec oritur ex hac generali difficultate, *An scilicet ad pluralitatem nominis substantivi sufficiat sola pluralitas formae significatae per nomen, an etiam requiratur pluralitas suppositorum,* ideo ad hoc primo respondendum est, ex quo ad motum dubium postea facilis erit solutio*. * Cf. n. xv, 3.

2. Sciendum est igitur quod duplex in doctrina Sancti Thomae responsio dari potest*. Primo potest responderi quod ad hoc ut nomen non solum adiectivum, sed etiam substantivum, pluraliter praedicetur, non sufficit quod forma significata per nomen sit plurificata in eo de quo nomen praedicatur, sed requiritur etiam ut supposita sint plura de quibus nomen dicatur. Patet hoc ex duobus locis Sancti Thomae in Summa. Primus est in Tertia Parte, loco allegato. Secundus est Prima, q. XXXVI, a. 4, ad 2, ubi ait quod, quamvis in Patre sint plures proprietates, quarum una referetur ad Filium, alia vero ad Spiritum Sanctum, *non dicitur tamen plura principia, quia implicaretur pluralitas suppositorum.* * Cf. num. xv.

3. Sed duo sunt quae huic obstare videntur. Primum est, quia generalem regulam ponit Sanctus Thomas. Prima, q. XXXIX, a. 3; et I *Sent.*, d. IX, a. 2*; item III *Sent.*, d. I, q. II*; et *Pot.*, q. IX, a. 6: videlicet quod *nomina substantiva accipiunt unitatem et pluralitatem ab unitate et pluralitate formae significatae,* nulla de pluralitate suppositorum facta mentione. * d. IX, qu. I, a. 2. * Art. 4, ad 6.

Secundum est quia Sanctus Thomas, hanc generalem regulam practicando, in III *Sent.*, loco allegato*, inquit quod, si una persona duas humanitates assumeret, *diceretur duo homines propter pluralitatem formae significatae, quamvis unum esset suppositum.* * Art. 5, ad 2.

4. Ad primum* dicitur quod dupliciter possumus loqui de singularitate et pluralitate nominum: uno modo, quantum ad rationem et causam formalem singularitatis et pluralitatis ipsorum praecise et absolute; alio modo, quantum ad causam simul et id quod semper causam hanc concomitatur, quod potest dici causa *sine qua non*. Si primo modo de hac singularitate et pluralitate loquamur, sic sola pluralitas formae significatae requiritur ad pluralitatem nominis substantivi: sicut sola pluralitas suppositorum ad pluralitatem nominis adiectivi requiritur. Quia enim, ut inquit Sanctus Thomas locis praeallegatis, *substantivum significat per modum substantiae, et substantia ex se habet unitatem et pluralitatem, ideo ex unitate et pluralitate formae significatae*, tanquam scilicet ex ratione et causa unitatis et pluralitatis, *accipitur eius singularitas et pluralitas:* e contrario vero, *quia nomen adiectivum significat aliquid per modum accidentis, accidentia autem accipiunt unitatem et pluralitatem ex subiecto, ideo et ipsum adiectivum suam singularitatem et pluralitatem accipit ex unitate et pluralitate suppositorum,* tanquam ex ratione et causa suae singularitatis et pluralitatis. – Si vero loquamur secundo modo, quantum scilicet ad causam simul et id quod causam concomitatur, sic non sola pluralitas formae significatae concurrit ad nominis pluralitatem, sed etiam pluralitas suppositorum: quia non invenitur apud nos forma substantialis multiplicata sine suppositorum multiplicatione.

* Num. 3 hui. parag.

Sanctus Thomas ergo, ubi illam regulam generalem ponit, tangit illud tantum quod est formalis ratio et causa pluralitatis nominis, ex quo primo et per se nomen substantivum a nomine adiectivo, quantum ad singularitatem et pluralitatem, differt. Per hoc autem non excludit pluralitatem suppositorum quae concomitatur. – In aliis autem locis explicat non tantum causam, sed etiam id quod causam concomitatur. Nam Tertia Parte, assignat rationem quare persona assumens duas humanitates non diceretur duo homines; quia, inquam, *nunquam in iis quae apud nos sunt, nomen ab aliqua forma impositum pluraliter dicitur nisi propter pluralitatem suppositorum.* In quo dat intelligere quod, licet pluralitas suppositorum non sit formalis ratio et causa pluralitatis nominis substantivi, ipsam tamen causam concomitatur; et propter hoc, considerato utroque ad pluralitatem huiusmodi concurrente, persona quae duas humanitates assumeret, non esset [duo homines sed*] unus homo. Idem dat intelligere Prima Parte in qu. XXXVI, dum inquit, quod *Pater non dicitur plura principia, quia implicaretur pluritas suppositorum:* quasi diceret, licet sola pluralitas formae significatae sit causa et fundamentum pluralitatis nominis substantivi, tamen illa non sufficit ad pluralitatem: quia pluralitas nominis etiam pluralitatem suppositorum, tanquam causam in omnibus quae apud nos sunt concomitantem, implicat. Et propter hoc non praedicamus nomen substantivum etiam in divinis, nisi cum pluralitate formae pluralitas etiam concurrat suppositorum.

* Cf. infra 5, lin. ult.

5. Ad secundum* dicitur quod Sanctus Thomas in III *Sent.* locutus est quantum exigit causa pluralitatis nominis substantivi. Quia enim in illo casu esset vera et formalis causa pluralitatis nominis, scilicet pluralitas formae significatae, ideo dixit quod illa persona esset plures homines. Huic tamen non repugnat quod, considerata causa et eo quod causam concomitatur, dicendum esset quod illa persona non esset duo homines, sed unus.

* Num. 3 hui. par., *Secundum.*

XV. Posset secundo responderi ad dubium* quod regula illa de pluralitate substantivorum est universaliter vera in nominibus substantivis, idest, *inquantum huiusmodi:* et quod sola pluralitas formae requiritur ad pluralitatem ipsius, nec requiritur pluralitas suppositorum. – Ad instantiam autem ex Tertia Parte, posset dici quod hoc nomen *homo* habet aliquid de conditione nominis substantivi, et aliquid de conditione nominis adiectivi, ut de Christo dicitur: sicut et humanitas in Christo habet quidem modum formae accidentalis, inquantum advenit supposito divino post eius esse completum, et non identificatur ipsi supposito; habet vero modum naturae substantialis, inquantum trahitur ad esse divini suppositi, et divinum suppositum in ipsa subsistit. Inquantum habet modum nominis substantivi, sic dicitur pluraliter ad plurificationem formae significatae: et secundum hanc considerationem dixit Sanctus Thomas III *Sent.**, quod persona assumens duas humanitates *esset duo homines.* Inquantum vero habet modum nominis adiectivi, sic pluralitatem accipit a pluralitate suppositorum: et secundum hanc considerationem dictum est in Tertia Parte quod persona assumens duas humanitates *non esset duo homines.* Unde ibidem dicitur quod *natura humana in Christo quantum ad aliquid se habet per modum indumenti:* quasi insinuando quod illud nomen *homo* ibi accipitur ut modum nominis adiectivi habet. – Et fortassis hanc responsionem intellexit Capreolus, in Primo, d. IV, q. I, a. 1*, ubi dixit quod Sanctus Thomas in Tertia Parte, dum dixit quod nomen nunquam pluraliter dicitur nisi propter pluralitatem suppositorum, *potius loquitur de adiectivis quam de substantivis.*

* Cf. n. XIV, 3, *Secundum.*

* Inter *Solutiones*, ad 1, p. 223 (Turon. 1900).

2. Sed quia in Tertia Parte loquitur Sanctus Thomas de hoc nomine *homo* tanquam de nomine substantivo, ut patet in eadem quaestione art. 6*, ubi determinat quod si plures personae acciperent unam humanitatem, *diceretur unus homo propter unitatem formae significatae,* quod convenit nomini substantivo; Prima etiam Parte, loquens de hoc nomine *principium,* inquit quod, si diceretur Pater esse plura principia, *implicaretur pluralitas suppositorum;* ideo videtur mihi prima responsio melior esse, et magis ad mentem Sancti Thomae: scilicet quod ad pluralitatem nominis substantivi concurrit et pluralitas formae significatae, et pluralitas suppositorum; unum sicut ratio et causa formalis pluralitatis; alterum sicut concomitans causam, et sicut causa *sine qua non,* in rebus quae apud nos sunt; et consequenter etiam in divinis, in quibus nominibus utimur ad significandum secundum modum in creaturis inventum.

* Ad 1.

3. Ex iis ad dubium primo motum* patet responsio. Dicitur enim quod utique vult Sanctus Thomas hoc loco rationem quare aliqui plures homines dicantur, esse humanitatis pluralitatem in illis: per hoc tamen non excludit suppositorum pluralitatem modo dicto. Immo videtur includere: cum etiam de duobus suppositis habentibus humanitatem mentionem facit. Huic autem, ut patuit, quod in Tertia Parte dicitur non contrariatur.

* Num. XIV, 1.

XVI. Quinta conclusio est: *Verbum Dei a Deo secundum ipsum suum intelligere procedit.* Probatur, supponendo quod, quamvis ea quae in creaturis divisa sunt, (quae scilicet de Deo formaliter dicuntur) in Deo unum simpliciter sint, verissime tamen in Deo est quicquid pertinet ad rationem illorum. Declaratur in essentia, subsistentia et esse. – Tunc sic. De ratione interioris verbi, quod est intentio intellecta, est quod procedat ab intelligente secundum suum intelligere. Ergo etc.

Probatur antecedens. Quia est quasi terminus intellectualis operationis. – Consequentia vero probatur. Quia, cum in Deo sit idem intelligens, intelligere, et intentio intellecta, oportet ut in Deo verissime sit et quod pertinet ad rationem intelligentis, et quod pertinet ad rationem eius quod est intelligere, et quod pertinet ad rationem intentionis intellectae, sive verbi.

2. Hic duo sunt attendenda. Primum est quod conclusio haec ponitur non tanquam naturaliter scita, sed tanquam credita. Non enim naturaliter probari potest trinitas personarum in divinis, eo modo quo fides ponit. Et ideo oportet fundamentum conclusionis creditum esse, scilicet: *de ratione Verbi est quod procedat ab intelligente secundum suum intelligere.* Hoc enim non est universaliter verum nisi supposito, secundum fidem, esse in divinis Verbum productum. Nam supponens Sanctus Thomas, ex Sacris Scripturis, esse Filium in divinis, intendit modum generationis declarare. Unde philosophus negans personarum trinitatem in divinis, negaret ibi generationem esse, et quod de ratione Verbi sit quod procedat ab intelligente secundum suum intelligere. Immo multi negant etiam in intellectu nostro oportere poni verbum productum.

Secundum est quod, cum dicitur verbum esse *quasi terminum intellectualis operationis,* ly *quasi* non acci-

pitur ut similitudinem importat, sed ut est veritatis expressivum.

XVII. Sexta conclusio est: *Verbum ab intelligente in Deo sola relatione distinguitur.* – Probatur. Verbum Dei comparatur ad Deum intelligentem, cuius est Verbum, sicut ad eum a quo est: cum hoc sit de ratione verbi. Et non distinguuntur secundum essentiam. Ergo remanet sola distinctio relationis, prout Verbum refertur ad concipientem, a quo est. – Confirmatur per id quod dicitur, *Hoc erat in principio apud Deum:* ex quo datur intelligi Verbum, quod Deum esse dixerat, aliquo modo a Deo dicente distinctum esse. – Quomodo personae divinae constituantur et distinguantur per relationes, inferius cap. XXIV ostendetur.

Septima conclusio est: *Verbum Dei comparatur ad alias res a Deo intellectas sicut exemplar: ad ipsum vero Deum, cuius est Verbum, sicut imago.* Probatur. Quia, cum verbum interius conceptum sit quaedam ratio et similitudo rei intellectae, si se habeat ad eam sicut principium, habet rationem exemplaris; si vero se habeat ad ipsam sicut ad principium, habet rationem imaginis. Declaratur in nostro intellectu respectu artificialium, et respectu naturalium. Intelligere autem Dei intelligentis est principium rerum intellectarum ab ipso: ad intelligibile autem quod est ipse, comparatur sicut ad principium, cum hoc intelligibile sit idem cum intellectu intelligente. Et eadem ratio est de Verbo: cum sit quaedam emanatio intellectus intelligentis. Ergo etc. – Confirmatur auctoritate Apostoli, *ad Coloss.* I, dicentis de Verbo Dei quod est *imago invisibilis Dei.*

Advertendum quod duplicem identitatem intelligibilis cum intelligente possumus intelligere. Una secundum esse intelligibile, prout intelligibile secundum suam speciem intellectualem est in intellectu, et ex illis fit unum ad intelligendum. Alia vero secundum esse naturale et secundum propriam naturam: sicut, cum intellectus seipsum intelligit, constat quod eadem res est intelligibile et intellectus intelligens. Hic ergo, cum inquit Sanctus Thomas intelligibile divinum idem esse cum intellectu intelligente, et sic comparari ad intelligere et ad Verbum sicut principium, intelligendum est, non de identitate in esse intelligibili, quia secundum hanc identitatem omne intelligibile est principium verbi, cum verbum procedat ab intellectu specie intelligibilis informato: sed de identitate secundum esse naturale et secundum naturae proprietatem. Nam cum Deus seipsum intelligit, ipse Deus qui intelligitur, est ipsa sua essentia et suus intellectus secundum rem. Et ideo, sicut intellectus comparatur ad Verbum a se productum sicut principium, ita ad ipsum comparatur ipse Deus, cuius est Verbum, secundum suae naturae proprietatem.

XVIII. Octava conclusio est: *Verbum Dei est imago ipsius quantum ad eius essentiam.* Probatur. Verbum intellectu conceptum est imago vel exemplar substantiae rei intellectae. Sed Verbum Dei est imago Dei. Ergo est eius imago quantum ad eius essentiam. – Probatur maior ex differentia quae est inter intellectum et sensum: quia videlicet sensus apprehendit rem quantum ad exteriora eius accidentia, intellectus autem ingreditur ad interiora rei. Et ideo, quia omnis cognitio perficitur secundum similitudinem cognoscentis et cogniti, in sensu est similitudo sensibilis quantum ad eius accidentia, in intellectu vero est similitudo rei intellectae quantum ad eius essentiam. – Confirmatur per Apostolum dicentem, *ad Hebr.* I, quod est *figura substantiae eius.*

Nona conclusio est: *Verbum Dei est Filius.* Probatur, praemittendo quod est aliqua imago quae non communicat in natura cum eo cuius est imago, sicut statua hominis: aliqua vero quae in natura communicat, ut filius regis. Tunc sic arguitur. Verbum Dei est imago dicentis quantum ad ipsam eius essentiam. Et in eadem natura cum dicente communicat, ut ostensum est*. Ergo etc. – Probatur consequentia. Quia quod procedit ex aliquo vivente in similitudine speciei, dicitur filius eius. – Confirmatur auctoritate Psalmi, *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu.*

* Num. XIII.

XIX. Decima conclusio est: *Verbum Dei seipsum intelligentis naturaliter ab ipso procedit.* Probatur. Tum quia est Filius: processio enim filii a patre est naturalis. – Tum quia Deus seipsum naturaliter intelligit, sicut et naturaliter est: suum enim intelligere est suum esse. – Declaratur haec ratio ex intellectu nostro, in quo conceptiones eorum quae naturaliter intelligit, naturaliter sunt in ipso, et ab eo naturaliter procedunt: eorum vero conceptiones quae non intelligit naturaliter, non sunt in ipso naturaliter.

2. Ad evidentiam huius conclusionis, considerandum primo, ex Prima, q. XLI, a. 2, et hic inferius*, quod *naturaliter produci* hoc loco accipitur non ut distinguitur contra *produci supernaturaliter,* sed ut distinguitur contra *per voluntatem produci.* Dicitur enim naturaliter produci id ad quod producendum agens est determinatum a natura, et non potest non produci: per voluntatem autem produci dicitur quod ita producitur quod etiam potest non produci. Unde, quia Verbum divinum non potest non produci a Patre, sed necessario ab ipso producitur, cum etiam Deus nequeat seipsum non intelligere: ideo dicitur a Deo Patre seipsum intelligente naturaliter procedere.

* Num. seq.

XX. Sed circa secundam rationem*, declaratam ex iis quae accidunt in intellectu nostro, dubitatur*. Nam constat quod conceptiones eorum quae naturaliter noster intellectus intelligit, non sic ab intellectu nostro naturaliter procedunt quod non possint non procedere. Cum enim conceptio et verbum non sit in intellectu nisi dum intellectus actualiter intelligit; et intellectus noster non semper intelligat actu ipsa naturaliter cognita, ut patet: manifestum est quod aliquando non producuntur. Et sic ex iis quae in intellectu nostro inveniuntur, non potest argui quod Verbum divinum naturaliter a Deo intelligente seipsum procedat, sed magis oppositum.

* Num. praec., 2.
* Cf. n. 5 in hac parag.

2. Ad huius evidentiam, considerandum est primo quod, cum in intellectu respectus ad suum actum sit duplex, scilicet ad eius exercitium, quod est intelligere actu, et ad eius specificationem, quod est intelligere tali modo; dupliciter possumus dicere intellectum aliquid naturaliter intelligere: aut, inquam, quantum ad exercitium actus, quia videlicet non potest non exire in actum intelligendi rem illam; aut, quantum ad specificationem actus, quia videlicet, si exeat in actum circa tale obiectum, non potest non intelligere tali modo. Verbi gratia, circa hoc principium, *Omne totum est maius sua parte,* potest intellectus naturaliter ferri aut quia non potest non exire in actum considerationis ipsius: aut quia, si exeat in actum, non potest elicere alium actum circa ipsum quam actum assensus. Et quia conceptionum naturalitas concomitatur naturalitatem intellectionis, ut patet ex iis quae hic dicuntur; ideo et aliqua conceptio potest dici esse naturaliter in intellectu aut quantum ad esse conceptionis absolute, quia videlicet non potest non produci ab intellectu; aut quantum ad speciem suam, inquantum, si intellectus conceptionem de re formet, non potest esse nisi talis conceptio assensus. Quia ergo intellectus non intelligit nisi formando conceptionem, intellectio et conceptio sese proportionaliter consequuntur quantum ad naturalitatem: ut videlicet conceptio eius quod naturaliter intelligitur quantum ad specificationem actus, sit naturalis quantum ad sui specificationem; conceptio vero eius quod naturaliter intelligitur quoad exercitium actus, sit naturalis quoad suum esse et suum produci absolute.

3. Secundo considerandum, iuxta praedicta, quod circa principia prima naturaliter nota, duplicem modum necessitatis et naturalitatis in via Sancti Thomae possumus imaginari. Unus est quod intellectus naturaliter intelligit prima principia non solum quoad specificationem, sed etiam quoad exercitium actus. Sed si sic ponamus, hoc erit intelligendum, non absolute posito intellectu, quasi non possit unquam intellectus ab illo actu intelligendi cessare: sed, posito intellectu, *et aliis dispositionibus ad intellectualem operationem requisitis,* puta, debito usu sensitivarum potentiarum, et debita dispositione phantasmatum. Huic modo dicendi videntur favere verba Sancti Thomae et hic, ubi vult intelligibilium primorum quae intellectus naturaliter intelligit, conceptiones naturaliter esse in intellectu, et ab ipso naturaliter procedere; et ex

hec infert quod Verbum Dei seipsum naturaliter intelligentis naturaliter a Patre procedit; ubi manifestum est ipsum de intellectione divina naturali quoad exercitium actus intelligere. Favent etiam verba ipsius Prima, q. XLI, a. 2, ad 4, ubi, respondens ad hanc propositionem, *Omne verbum procedit a dicente per voluntatem,* ait quod *etiam in conceptionibus intellectualibus fit reductio ad prima quae naturaliter intelliguntur;* ubi patet esse intentum de naturali intellectione quoad exercitium actus. Favet etiam quod dicitur in QQ. *de Potentia,* q. II, a. 3, ad 3, ubi ait Sanctus Thomas quod *oportet ponere statum in actu intellectus qui intellectum naturaliter consequitur, ita quod a voluntate non imperatur:* constat enim, quod imperium voluntatis circa actum alterius potentiae intelligitur quoad eius exercitium.

Alius modus est quod intellectus intelligit prima principia naturaliter et necessario, non quoad exercitium actus, sed tantum quoad specificationem: inquantum videlicet eis necessario assentit, posito quod circa illa actum eliciat. Huic modo favent verba Iª IIªᵉ, q. x, a. 2, ubi ostendit *voluntatem a nullo obiecto quantum ad exercitium actus de necessitate moveri, quia potest aliquis de quocumque obiecto non cogitare:* ex quo videtur velle nullum actum intellectus quoad sui exercitium esse naturalem et necessarium. Favet etiam huic quod, ubi Sanctus Thomas explicat modum necessitatis intellectus erga prima principia, tantum de specificationis necessitate mentionem facit: ut patet *de Malo,* q. III, a. 3, ubi, postquam dixit quod *tam intellectus quam voluntas ex necessitate tendit in illud ad quod naturaliter ordinatur,* subiungit de intellectu quod *assentit ex necessitate primis principiis naturaliter notis, nec potest eorum contrariis assentire:* patet enim quod ista est necessitas tantum quoad actus specificationem. Simile habetur *Veritas,* q. XXIV, a. 1, ad 20; et Prima, q. LXII, a. 8, ad 2.

4. Licet autem utraque via sustentari possit, videtur tamen mihi, salvo semper meliori iudicio, dicendum quod naturalitas et necessitas intellectus ad cognitionem primorum principiorum sit tantum respectu specificationis actus, inquantum videlicet intellectus est ad talem actum circa ipsa determinatus qui est actus assensus, quia non potest illis non assentire: non autem respectu exercitii, quasi non possit non elicere actum circa illa. Experientia enim probamus nos cessare ab actuali consideratione principiorum et voluntarie nos in aliorum cognitionem transferre; ac etiam, ab aliorum consideratione cessando, voluntarie ipsa principia considerare.

Quod si adducatur dictum Sancti Thomae Prima, q. LXXXII, a. 4, ad 3, inquientis quod *omnem quidem motum voluntatis necesse est quod praecedat apprehensio, non tamen omnem apprehensionem praecedit motus voluntatis,* ex quo videtur velle quod sit aliquis actus intelligendi qui quantum ad exercitium actus a voluntate non dependeat, quod quidem videtur esse verum dumtaxat de apprehensione eorum quae naturaliter ab intellectu cognoscuntur: – dicitur quod non loquitur de cognitione primorum principiorum, aut primorum terminorum universalium, sed de cognitione quam quis primo habet dum de aliquo negotio incipit consiliari et considerare: oportet enim, cum non procedatur in infinitum in hoc quod intellectionem praecedit volitio et volitionem intellectio, esse statum in aliqua cognitione quam voluntas non imperat, sed *aliquod principium altius intellectu nostro* efficit, ut ibidem dicitur.

Non obstant etiam dicta Sancti Thomae superius* allegata: quia, ut patebit*, ad propositum suum sufficit intellectum naturaliter et necessario ferri in prima principia quoad specificationem actus. – Et cum dicitur quod imperium voluntatis circa actum alterius potentiae intelligitur quoad exercitium actus: – hoc non est universaliter verum, quia etiam imperium voluntatis fertur in specificationem actus; sicut patet in iis quae sunt fidei, quibus intellectus ex imperio voluntatis assentit.

5. Istis praemissis, dupliciter possumus ad dubium* respondere, secundum duos modos superius tactos. Secundum enim primum modum, diceretur quod falsum est conceptiones intellectus nostri de iis quae naturaliter ab ipso intelliguntur, posse ab ipso non procedere, positis omnibus ex parte potentiarum cognoscitivarum ad eorum intellectionem requisitis. – Cum autem probatur quia intellectus noster non semper ea intelligit: – dicitur quod hoc falsum est de intellectu coniuncto, *positis omnibus aliis dispositionibus ad intelligendum necessariis;* licet verum sit de intellectu absolute sumpto. Quia enim non semper adest debita dispositio virium sensitivarum, neque debita phantasmatum dispositio, ideo non semper prima principia actu intelligit absolute, sed tunc tantum quando aliae dispositiones adsunt.

Iuxta secundum vero modum, dicitur primo quod, licet conceptiones huiusmodi possint non procedere ab intellectu quantum ad ipsorum esse absolute, non possunt tamen non esse tales conceptiones quae sunt conceptiones assensus, supposito quod aliquas conceptiones intellectus de primis naturaliter cognitis formet. Et sic non possunt non esse in intellectu quantum ad ipsarum specificationem, supposito quod producantur.

Cum autem infertur quod non poterit ex hoc concludi Verbum divinum naturaliter a Deo procedere: – negatur. Optime enim ex hoc quod in nostro intellectu invenitur, infert Sanctus Thomas propositum suum de Verbo divino. Vult enim habere de intellectu nostro quod, sicut naturaliter aliqua cognoscit, ita naturaliter sunt in ipso illorum conceptiones: eo scilicet modo naturalitatis quo et ipsa naturaliter cognoscit, ut ex supra dictis apparet. Ex quo infertur quod similiter in intellectu divino eodem modo naturalitatis naturaliter est et procedit Verbum sui ipsius a se naturaliter intellectum, quo et ipse seipsum naturaliter intelligit. Huic autem si addiderimus quod Deus seipsum naturaliter intelligit et quoad specificationem actus, quia non potest se alio modo intelligere quam intelligat; et quoad exercitium actus, quia non potest se non intelligere: sequitur optime Verbum suum, suamque conceptionem qua seipsum intelligit, ab ipso naturaliter procedere et quantum ad esse suum absolute, quia non potest non produci; et quantum ad sui speciem, quia non potest esse aliud Verbum quam sit.

XXI. Undecima conclusio est: *Verbum Dei est vere genitum a Deo dicente, et eius processio generatio vel nativitas dici potest.* Probatur. Naturalis processus Verbi divini est in similitudinem eius a quo est processio, cum identitate naturae. Ergo etc.

Probatur antecedens. Quia Verbum est eiusdem naturae cum Deo dicente, et similitudo ipsius. – Consequentia vero probatur. Quia in viventibus haec est vere generationis ratio, quod id quod generatur a generante procedat ut similitudo ipsius et eiusdem naturae cum ipso. – Confirmatur auctoritate Psalmi: *Ego hodie,* idest in aeternitate, *genui te.*

Ex praedicta conclusione, simul cum praecedenti, infert Sanctus Thomas falsum esse quod Pater genuerit Filium voluntate, ut Ariani dixerunt: quia quae voluntarie fiunt, non sunt naturalia *. * Cf. num. XXIII.

2. Ad evidentiam conclusionis, considerandum est quod Verbum dicitur *vere genitum,* idest *proprie;* et eius similiter processio dicitur *vere,* idest *proprie generatio* (quae etiam *nativitas* dicitur), ad differentiam generationis communiter dictae in omnibus generabilibus et corruptibilibus, quae nihil aliud importat quam mutationem de non esse ad esse. In divinis enim non est generatio secundum quod dicit mutationem de non esse ad esse: sed bene quae est *origo viventis a vivente coniuncto* etc., quae proprie etiam *nativitas* dicitur. Dicitur etiam *vere et proprie generatio:* hoc est, secundum propriam rationem generationis, non autem metaphorice.

Advertendum secundo, circa primam rationem, quod ista propositio, *Naturalis processio Verbi est in similitudinem eius a quo est processio, cum identitate naturae,* intelligitur quantum est ex ratione ipsius processionis. Nam licet Spiritus Sanctus procedat etiam ipse in similitudinem eius a quo est et sit eiusdem naturae cum ipso, sua tamen processio non dicitur generatio, quia non con-

* Hic, num. 3.

* Num. 5, *luxta secundum.*

* Vid. init. hui. parag.

venit sibi ex ratione suae processionis, quae est amoris processio; sed tantum inquantum ipse est amor Dei, in quo quicquid est ipsius est substantia; ut patet Prima, q. XXVII, a. 4; et *Pot.*, q. X, a. 2, ad 22.

XXII. Sed tunc dubium occurrit. Sicut enim ad rationem generationis pertinet similitudo geniti ad generantem absolute, ita ad eam pertinet ut talis similitudo, secundum eandem naturam specificam, sit secundum idem esse naturale specificum. Ergo, qua ratione ad hoc ut aliqua processio sit generatio, requiritur ut sit secundum rationem similitudinis, hoc est, ut ex propria ratione habeat quod productum sit simile producenti; eadem ratione requiritur ut secundum propriam rationem sibi conveniant omnia alia ad generationem requisita. Et qua ratione, propter defectum illius conditionis quae est esse secundum rationem similitudinis, quia scilicet hoc non convenit illi ex propria sua ratione, aliqua processio non est generatio; eadem ratione, propter defectum aliorum quae sunt de ratione generationis, processio aliqua non erit generatio, quia non convenit aliquid alicui formaliter et essentialiter nisi illi secundum totam rationem suam conveniat. Constat autem quod processioni Verbi ex ratione sua non convenit ut Verbum sit eiusdem naturae cum producente Verbum tanquam idem naturale esse habens quod habet in seipsa res intellecta: cum videamus verbum humani intellectus intelligentis lapidem non esse eiusdem esse naturalis cum lapide intellecto. Ergo sequetur quod nec etiam processio Verbi divini poterit dici generatio, sicut nec Spiritus Sancti processio.

2. Ad huius evidentiam, considerandum est primo quod, cum loquimur de processione quae est secundum rationem intellectus et secundum rationem voluntatis, non loquimur de processione qua ab istis aliquod extrinsecum procedit, sicut domus ab intellectu et voluntate artificis: sed de illa processione loquimur qua aliquid illis intrinsecum procedit, quod est terminus intrinsecus operationis per quam complete est in actu. Secundum hoc ergo differt processio intellectus a processione voluntatis, quia, cum intellectus ad hoc ordinetur ut per ipsum natura intellectualis sit ipsum intelligibile in esse intellectuali, quod fit dum ipsum intelligibile recipitur in intellectu; tunc intellectus ultimam suam perfectionem actualem consequitur, quando est actu informatus similitudine intelligibilis secundum actum perfectum. Et quia per ipsam processionem intellectus qua producitur verbum et expressa similitudo rei intellectae, constituitur in tali actu perfecto; ideo talis processio ex sua ratione habet ut sit secundum rationem similitudinis; idest, ut procedens per talem actum sit similitudo rei intellectae, per quam intellectus actu intelligens rei intellectae assimilatur, et est ipsa res intellecta secundum esse intellectuale et immateriale; et per consequens ut etiam sit similitudo intelligentis specie obiecti informati, qua sicut forma conceptum rei intellectae in seipso producit. – Voluntas autem non ad hoc est instituta ut sit ipsa res volita: sed ut in rem volitam inclinetur et moveatur. Ideo ipsa non constituitur in actu completo per hoc quod similitudinem rei volitae in seipsa habeat, sed per hoc quod in rem volitam actualiter inclinatur. Et ideo processio illa qua in actu completo constituitur, non est ex sua ratione secundum rationem similitudinis, quasi videlicet ex ipsa procedat similitudo voliti, per quam voluntas illi assimiletur: sed magis secundum rationem *cuiusdam impulsus* consideratur, inquantum per ipsam aliquid procedit quo voluntas impellitur et inclinatur in rem volitam.

Ex his sequitur non esse mentem Sancti Thomae, cum inquit in locis praeallegatis, absolute loquendo de intellectu, processionem quae est secundum rationem intellectus esse secundum rationem similitudinis, quod per talem processionem procedat aliquid simile intellectui producenti quantum ad naturam ipsius intellectus: sed aliquid simile *rei intellectae*. Illud enim non est intentum in illis locis, ut apparet ex verbis ipsius: loquitur enim de similitudine ad rem intellectam, quae est intellectus obiectum; sicut de voluntate inquit eius processionem, quae scilicet secundum rationem voluntatis attenditur, considerari *secundum rationem impellentis et moventis*, non quidem in ipsam voluntatem, sed *in aliquid volitum* *.

* I Parte, q. XCVII, a. 4.

3. Considerandum secundo, quod dupliciter considerari processio Verbi divini potest: uno modo, absolute, inquantum verbi processio est; alio modo, inquantum talis species per se processionis verbi quae est perfectissima. Si consideretur absolute inquantum verbi processio, sic non habet ex hoc ut sit generatio: cum non omnis verbi processio sit generatio, ut in nobis apparet. Si autem consideretur ut est talis species processionis verbi, quae inquam, perfectissima est, utpote perfectissimam cognitionem concomitans; sic habet quod sit generatio. Ex communi enim ratione processionis verbi habet quod productum sit simile producenti secundum eandem rationem: lapis enim in anima et lapis extra animam eiusdem rationis sunt, immo unum est alterius ratio, ut in praecedentibus est ostensum. Ex eo vero quod est perfectissima processio, habet ut productum habeat idem etiam esse naturale cum producente formaliter, scilicet cum re intellecta: quanto enim cognitio perfectior est, tanto verbum per ipsam productum est intimius et magis unitum. – Processio autem amoris divini neque ex communi ratione processionis amoris, inquantum huiusmodi, habet quod procedens sit simile producenti secundum eandem rationem speciei; neque ex hoc quod est perfectissima amoris processio, habet ut procedens idem naturale esse habeat cum producente: quia non quanto processio amoris est perfectior, tanto per illam productum est secundum se, aut secundum suam similitudinem, intimius producenti. Sed habet quod eiusdem naturae sit cum producente et eiusdem esse, quia est res existens in divina natura, a qua nihil in divinis existens potest esse diversum. Ideo nullo modo sibi ratio generationis potest convenire.

4. Ad dubium ergo, negatur quod eadem ratione sequatur processionem Verbi divini non esse generationem.

Cum probatur quia sibi ex propria ratione non convenit quod productum per ipsam sit eiusdem esse naturalis cum producente: – dicitur quod, licet hoc non conveniat sibi inquantum est absolute processio verbi, convenit tamen sibi inquantum est processio verbi procedentis ab intellectu intelligentis seipsum perfectissimo modo. Et sic convenit sibi ex eo quod est perfectissima species processionis verbi.

Si instetur quia eadem ratione dicetur quod processioni amoris divini convenit ut productum per ipsam sit simile producenti, non quidem inquantum absolute est processio amoris, sed inquantum est processio amoris Dei amantis seipsum: – dicitur quod hoc non est verum. Quia quod Spiritus Sanctus sit eiusdem omnino naturae cum producente, provenit quia est amor in Deo existens, in quo nihil est quod non sit natura ipsius, non autem inquantum procedit processione amoris quocumque modo: neque enim hoc habet quia procedit processione amoris inquantum huiusmodi, neque quia perfectissima per se specie talis processionis procedit, ut dictum est. Quod autem Verbum divinum sit eiusdem naturae et habeat idem esse cum producente, evenit non solum quia est aliquid in divina natura, sed quia procedit perfectissima specie processionis verbi, quae perfectissimam cognitionem concomitatur. Unde Sanctus Thomas Prima, q. XXVII, a. 1, ad 2, arguit Verbum divinum esse *perfecte unum cum eo a quo procedit, quia quanto aliquid magis intelligitur, tanto conceptio intelligibilis est magis intima intelligenti, divinum autem intelligere est perfectissimum.*

XXIII. Circa corollarium inductum*, considerandum est, ex doctrina Sancti Thomae Prima, q. XLI, a. 2, quod non sic negatur Patrem Filium voluntate genuisse quasi nullum actum voluntas divina habuerit circa generationem Filii: sed quia habuit quidem voluntatem concomitantem, inquantum voluit generationem, sicut voluit nos esse homines; non autem habuit voluntatem tanquam causam aut principium productivum, eo modo quo dicimus Deum creaturas voluntate produxisse. Ratio autem huius est quia quod voluntate producitur tanquam principio, potest esse et non esse: cum voluntas, inquantum huiusmodi, ut vi-

* Num. XXI, *Ex praedicta.*

delicet a natura distinguitur, non sit ad unum determinata, sed ad opposita se habeat. Filius autem in divinis non potuit non esse.

2. Utrum autem voluntas concomitans, quae scilicet fertur in generationem Filii tanquam in obiectum, praecedat secundum intellectum generationem Filii: an scilicet prius secundum intellectum Pater voluit generare Filium quam genuerit: – dubium est in doctrina Sancti Thomae.

Quidam enim, sequentes doctrinam Scoti in I *Sent.*, dist. VI*, tenent quod praecedit. Tum quia Sanctus Thomas, Prima, q. XXXIII, a. 3, ad 1, tenet quod absoluta communia toti trinitati sunt priora notionalibus. Constat autem quod velle generationem Filii, sicut velle essentiam divinam, est absolutum toti trinitati commune. – Tum quoniam constat processionem Spiritus Sancti prius amari quam oriri: eo quod Pater, amando se et Filium et Spiritum Sanctum atque spirationem ipsam, spirat Spiritum Sanctum. – Posset etiam haec opinio confirmari, quia id quod Filio per generationem communicatur a Patre, secundum rationem praeintelligitur in Patre ante generationem. Velle autem communicatur Filio a Patre, sicut et voluntas. Ergo etc.

*Fol. 56 v, col. a. (Ven. 1497).

Capreolus vero, in Primo *Sent.*, d. VI*, tenet quod, licet concomitetur generationem Filii, non tamen antecedit secundum intellectum. Hoc autem esse de mente Sancti Thomae, ostendit ex dictis eius in Qu. *de Pot.*, q. II, a. 3*, ubi expresse hoc tenere videtur, inquiens quod *respectu generationis Filii non est voluntas praecedens nec tempore nec intellectu, sed tantum voluntas concomitans.*

*Art. 1, concl 6.

*Ad 2.

3. Quamvis autem utraque opinio sustentari aliquo modo possit, opinio tamen Capreoli meo iudicio magis videtur ad mentem Sancti Thomae esse, propter verba ipsius allegata in Qu. *de Potentia Dei,* quae expresse ponunt respectu generationis Filii non esse voluntatem praecedentem neque tempore neque intellectu. – Nec valet dicere quod per voluntatem praecedentem tempore vel natura intelligit voluntatem ut principium. Nam sic intelligendo, non satisfaceret per illam responsionem argumento probanti Patrem produxisse Filium non tantum voluntate concomitante, sed etiam voluntate ut principio, hac ratione quia, *quamvis voluntas non praecedat tempore generationem Filii, praecedit tamen intellectu: ergo potest poni principium Filii.* Si enim sensus responsionis esset quod respectu generationis Filii non est voluntas praecedens tempore nec intellectu ut principium, responderetur conclusioni, negando scilicet quod possit poni voluntas ut principium generationis, non autem praemissis: quod est hominis ineruditi. Unde magis dicendum est quod, cum argumentum ex hoc probet posse poni voluntatem principium generationis Filii quia voluntas praecedit ipsam intellectu, licet non praecedat tempore: negat Sanctus Thomas hoc assumptum, absolute inquiens quod neque tempore neque intellectu praecedit, et ideo intentum non sequitur, scilicet quod possit esse principium.

Confirmatur propositum. Quia etiam secundum intellectum, non videtur quomodo actui indivisibili a natura alicuius suppositi naturali necessitate provenienti et nullo modo impedibili, possit alius eiusdem suppositi illi praeintelligi secundum verum ordinem intellectus: cum enim nihil praeintelligatur naturae ipsius suppositi, nullus etiam actus potest huiusmodi naturali operationi praeintelligi; sed bene possunt intelligi simul esse plures ipsius operationes naturales, et sic unam alteri comitem esse. In proposito autem, magis debet dici actum generationis Filii praecedere voluntatem intellectu quam e converso, si aliquis ordo inter huiusmodi actus poni debeat: quia intellectus secundum se voluntatem praecedit, et, ut superius* est ostensum, in ordine intellectus et voluntatis oportet esse statum in aliquo actu intellectus qui sibi naturaliter conveniat, et qui a voluntate non praeveniatur, cum voluntas non feratur nisi in cognitum.

*Num. XX, 3.

*Num. 2 hui. parag.

4. Non obstat autem quod primo obiicitur*, *communia esse priora notionalibus.* Hoc enim verum est de communibus ex sua ratione significantibus essentiam, cuiusmodi est hoc quod dico *Deus:* non autem de communibus significantibus operationem, cuiusmodi est velle. Constat enim quod Filio non convenit prius secundum intellectum velle amare quam esse Filium: cum non possit intelligi operari antequam intelligatur esse. - Si instetur quod, licet operatio communis non sit prior aliquo proprio, quale est proprietas constitutiva personae, operatio tamen toti trinitati communis est prior in uno supposito operatione propria ipsius: sicut et natura communis est prior secundum intellectum natura propria in eodem supposito: – dicitur quod, licet fortassis illud esset verum de operatione communi inclusa essentialiter in propria, sicut intelligere includitur in hoc quod est *dicere* (quod non affirmo); non est tamen verum de operatione communi quae non includitur essentialiter in propria, cuiusmodi est velle generationem Filii respectu ipsius generationis; satis enim est quod propriam operationem huiusmodi communis operatio concomitetur, ita quod una sine altera non sit; et praesertim quando propria operatio est operatio potentiae prioris secundum rationem, communis autem operatio est operatio potentiae posterioris. – Si iterum instetur quia, si concedatur operationem communem inclusam essentialiter in propria, scilicet intelligere, esse priorem generatione secundum intellectum, quia videlicet intelligamus Patrem prius intelligere absolute quam generare Filium per actum intellectus; eadem ratione videtur sequi quod prius velit generare quam generet, cum voluntas concomitetur intellectum: – dicitur quod, licet in actu signato concederetur quod intelligere absolute sumptum praecedit secundum intellectum ipsum *dicere,* quod est generare Filium, quia ratio illius communis est prior ratione propria et in illa includitur, sicut ratio animalis est prior ratione hominis: non concederetur tamen in actu exercito de intelligere respectu huius obiecti, ita videlicet quod intelligamus Patrem prius intelligere generationem Filii quam dicat Filium; quia Pater nullo alio modo intelligit quam dicendo et generando Filium; et sic, quandocumque apprehenditur ipsum actualiter aliquod obiectum determinatum intelligere, necesse est ut apprehendatur Filium generare, in quo et se et unumquodque intelligit. Ideo non sequitur quod prius secundum intellectum velit generare quam generet.

Non obstat etiam quod secundo loco inducitur. Nam falsum est Patrem prius amare se et Filium atque etiam ipsam spirationem, secundum intellectum, quam spirare Spiritum Sanctum: cum ipsum amare Patris sit spirare.

Ad confirmationem autem dicitur quod, licet velle quantum ad entitatem quam dicit, vi generationis communicetur Filio, et praeintelligatur esse in Patre; non tamen quantum ad habitudinem ad rem volitam vi generationis communicatur, cum sit habitudo rationis. Ideo neque sic praeintelligitur in Patre: sed sequitur, secundum nostrum modum intelligendi, ipsum intelligere quo Filius generatur, et ipsum concomitatur.

XXIV. Duodecima conclusio est: *Filius Dei est Patri aequalis**. Probatur primo. Verbum Dei est Deo aequale: quia non minus est quod Deus de seipso intelligit quam quod in ipso est; alias non intelligeret seipsum perfecte, nec suum intelligere esset suum esse. Ergo etc. – Probatur consequentia. Quia ipsum Verbum est Filius Dei.

* Supra cap. VII, *Item. Nihil;* cap. VIII, *Quod autem Dominus,* - *Ex eo autem,* – *Sic ergo.*

Totus hic numerus XXIV (cum XXV) refertur ad ea quae supra pag. 35 in nota ponuntur ad col. a, l. 37.

Ad evidentiam antecedentis huius rationis, considerandum est quod de ratione verbi intellectualis est quod sit repraesentativum rei intellectae, et quod per ipsum intellectus intelligat. Ideo Verbum divinum, inquantum Verbum, esse aequale Deo, nihil aliud est quam repraesentare quicquid est Dei. Hoc autem optime ostenditur ex hoc quod non minus est quod Deus de seipso intelligit, quam quod in ipso est. Cum enim tantum extendatur repraesentatio verbi quantum se extendit intellectio, cum intellectio non fiat nisi mediante verbi repraesentatione; optime sequitur, si intellectio Dei adaequat ipsum Deum, quod ipsum etiam repraesentatio Verbi adaequat.

Attendendum secundo quod, licet Verbum, inquantum Verbum, esse aequale Deo, nihil aliud sit quam ipsum omnia quae Dei sunt intelligibiliter repraesentare; quia tamen Verbum divinum est eiusdem naturae cum Deo intelligente seipsum, hanc aequalitatem repraesentationis

concomitatur aequalitas perfectionis et esse. Cum enim sit aequale in repraesentando; et repraesentet Deum sicut eiusdem naturae et essentiae cum ipso: necesse est ut sit etiam aequale in essendi perfectione. Ideo convenienter ex aequalitate Verbi infertur aequalitas Filii, ex eo quod ipsum Verbum sit Filius.

Cf. inf., 3, *Advertendum.*

2. Secundo. Filius Dei habet veram speciem* et naturam Patris: cum sit Deus. Ergo est illi aequalis. – Probatur consequentia. Tum quia cuilibet naturae determinata quantitas debetur. – Tum quia filius apud nos perducitur ad aequalitatem patris in fine generationis et augmenti, nisi sit defectus ex parte materiae, aut ex parte virtutis agentis: et quod a principio nascatur minor patre, est quia procedit de potentia ad actum et de imperfecto ad perfectum. Nullum autem horum est in divina generatione: cum non sit ex materia, nec per exitum de potentia ad actum, nec sit defectus ex parte potentiae.

3. Circa istam propositionem, *Cuilibet naturae determinata quantitas debetur,* advertendum ex doctrina Sancti Thomae Quarto, d. XLIV, q. I, a. 3*, omissa longa disputatione quae de maximo et minimo fieri consuevit, quod sensus eius est omnem naturam specificam determinare sibi certam latitudinem quantitatis intra quam continetur, ita quod extra illam latitudinem non invenitur neque inferius neque superius, et unumquodque individuum illius naturae, secundum suam individualem naturam, determinat sibi certum gradum illius latitudinis, ad quem, nisi sit aliquid impediens, pervenit: puta, si dicamus quod natura humana determinat sibi hanc latitudinem quantitatis quae est ab uno palmo ad decem palmos inclusive, ita quod non invenitur homo habens quantitatem minorem palmo neque homo habens maiorem quantitatem quantitate decem palmorum, et quod, si adsit materia sufficiens, nullumque sit impedimentum, unusquisque homo habet illum gradum quantitatis qui naturae suae individuali conveniens est. Et intelligitur etiam quod hoc convenit cuiuslibet naturae ab intrinseco: hoc est, quod minor quantitas illa quae ponitur minima, non potest talem naturam consequi, neque similiter maior illa quae ponitur maxima.

* Qu^a 2.

Huius autem rationem assignat Sanctus Thomas Prima, q. VII, a. 3, et ubicumque de hac materia loquitur, quia *determinatam formam determinatamque naturam consequuntur determinata accidentia:* idest, formam et naturam ad aliquem gradum entium limitatam, ab aliisque naturis distinctam, consequuntur accidentia et secundum speciem et secundum gradum certa et limitata. Videmus enim nivem sibi determinare inter colores albedinem; et in specie albedinis determinare sibi perfectum gradum, aut gradum gradu albedinis multarum rerum intensiorem, usque ad aliquem determinatum terminum, sive sit supremus gradus sive aliquis supremo inferior. Constat autem quantitatem esse unum de accidentibus consequentibus formam et essentiam rei quantae. Idcirco necesse est dicere unamquamque naturam rei quantae sibi determinatum gradum quantitatis, et quantum ad parvitatem et quantum ad magnitudinem, determinare. Ex quibus patet quod non solum unum numero individuum determinat sibi quantitatem, ita quod a forma ipsius proveniat determinatus gradus quantitatis, et non possit ab ipsa maior aut minor gradus provenire: sed etiam quod ipsa natura specifica aliquam latitudinem quantitatis sibi determinat, ita quod, si aliquod individuum illius naturae habeat summum gradum illius latitudinis, non solum ipsum a sua forma non potest in maius augeri, sed nec etiam aliud individuum eiusdem naturae ipso maius esse potest. Et istud videtur esse de mente Aristotelis I *Phys.,* textu XXXVI*; et II *de Anima,* textu XLI*; et Commentatoris**. – Quod dictum est de quantitate extensiva, de quantitate etiam intensiva et perfectionali est intelligendum.

* Cap. IV, 5; s. Th. l. 9.
* Cap. IV, 8; s. Th. l. 8.
** Ad loca nunc citata.

Ex hac autem declaratione patet vim rationis Sancti Thomae in hoc consistere quod, cum Filius Dei habeat speciem et naturam Patris, non solum scilicet eandem secundum speciem, sed etiam eandem numero; et cum unamquamque naturam consequatur determinata quantitas: necesse est ut Filius etiam eandem quantitatem cum Patre habeat, et consequenter quod sit illi aequalis.

Confirmatio vero ex iis quae in rebus materialibus invenitur*, secundum hoc fundamentum procedit quod, sicut apud nos filius pervenit ad aequalitatem patris nisi adsit impedimentum, inquantum pater, sicut causat in filio suam naturam specificam et alias suas conditiones individuales (secundum scilicet similitudinem, non autem secundum identitatem numeralem), nisi sit impedimentum, ita etiam causat eam quantitatem quae sibi ex sua natura individuali convenit; ita multo magis in divinis, ubi nihil est quod impedimentum afferat, Pater producit in Filio, simul cum sua natura et substantia, etiam suam quantitatem virtutis, et sic producit Filium sibi aequalem.

* Supra, n. 2.

Advertendum autem, cum dicitur Filium Dei habere *speciem et naturam Patris,* quod *species* ibi non accipitur proprie, prout dicit aliquid sub assignato genere contentum: quia, cum Deus in nullo genere contineatur, non est etiam ad aliquam speciem determinatus. Sed accipitur pro *essentia qua Deus ab omni alia re distinguitur,* sicut una species in creaturis distinguitur ab omni alia specie.

4. Tertio* arguitur. Si Filius esset Patri inaequalis, alia numero esset magnitudo Patris et Filii. Hoc est falsum: quia, cum divina magnitudo sit Dei essentia, esset alia numero essentia Patris et Filii. Ergo etc.– Probatur sequela. Quia eadem numero quantitas non potest seipsa maior esse aut minor.

* Cf. n. 2, *Secundo.*

Advertendum est quod istam consequentiam implicite tangit Sanctus Thomas: *Filius non est inaequalis Patri. Ergo est illi aequalis.* Quae quidem consequentia, licet non teneat in iis quae quantitatem non habent, aut quorum unum non est quantum; in iis tamen quorum unumquodque est quantum, sicut in proposito supponitur de Patre et Filio quantum ad quantitatem virtutis et perfectionis, tenet. Cum enim aequale aut inaequale sit passio quantitatis, de omnibus duobus quantis est verum dicere quod aut sunt aequalia, aut sunt inaequalia. Et ideo, si ponatur illa non esse inaequalia, optime sequitur: Ergo sunt aequalia.

Confirmatur conclusio auctoritate *Ioan.* V, et Apostoli *ad Philipp.* II.

XXV. Ad evidentiam autem huius conclusionis, considerandum est, ex doctrina Sancti Thomae Prima, q. XLII, a. 1*; et Primo, d. XXXI**, quod aequalitas ista quae est inter divinas personas, non est relatio realis sicut aequalitas quae est inter duo quanta, sed est relatio rationis. Quia, cum in divina persona non sit nisi essentia et relatio, *ex parte essentiae non habet aequalitas quod sit relatio realis, cum sit una numero essentia in omnibus divinis personis: eiusdem autem ad seipsum non sit relatio realis.* Non etiam hoc habet ex parte relationis: quia *relatio non refertur ad relationem relatione reali, alioquin esset processus infinitus in relationibus.*

* Ad 4.
** Qu. I, a. 1.

Unde, si quaeratur an Filius sit realiter aequalis Patri: dicitur quod Filium dici realiter aequalem Patri, potest dupliciter intelligi. Uno modo, propter realem relationem aequalitatis ad Patrem. Et sic Filius non dicitur realiter aequalis Patri. – Aut propter unitatem essentiae, quae relationi aequalitatis praesupponitur, et propter distinctionem realem relationum personalium. Et sic dicitur realiter aequalis: quia realiter habet illam eandem numero essentiam et magnitudinem quam habet Pater, et a Patre reali relatione originis distinguitur.

2. Contra hoc autem arguit Scotus Primo, dist. XXXI*, et Quolib., qu. VI*: quia *relatio realis requirit ista tria: scilicet quod fundamentum sit reale; quod extrema sint realia et realiter distincta; et quod ipsa relatio ex natura rei insit extremis, absque omni operatione intellectus, vel absque operatione potentiae extrinsecae. Haec autem in aequalitate divina inveniuntur, ut patet.*

* Fol. 106 (Ven 1497).
* Fol. 14 v; 17 v.

Sed respondetur quod deficit secunda conditio: quia extrema non sunt realiter distincta secundum fundamentum relationis, quod intelligitur in illa conditione. Non enim essentia et magnitudo divina, super quam fundatur aequa-

litas, est alia in una persona et alia in alia, sed est una numero in omnibus.

* Cf. Capreol. loc. infra cit., p. 322.

3. Sed contra istam responsionem instatur *. Paternitas et filiatio sunt relationes reales. Et tamen non habent fundamenta distincta: cum fundentur super essentia divina, quae est una. Ergo etc.

Respondetur, et dicitur primo, quod relationes personales secundum rem nullum habent fundamentum: cum sint subsistentes. Nec tamen sequitur quod sint relationes rationis, utpote non habentes aliquod fundamentum in re. Nam verum quidem est in relationibus quae sunt in genere et sunt accidentia, quod requiritur aliquod fundamentum, et non existente fundamento, nulla est relatio realis. Sed in relationibus extra genus et per se subsistentibus, non requiritur aliquod fundamentum ad earum realitatem, sed sufficit quod ipsae ex sui natura sint relationes quae subsistunt: sicut enim non requirunt aliquod suppositum in quo recipiantur, sed sunt ipsa supposita, ita neque aliquod aliud fundamentum requirunt.

Dicitur secundo, quod secundum nostrum modum intelligendi et significandi, istae relationes intelliguntur habere aliquod fundamentum. Illud autem non est essentia, ut putat Scotus, sed productio active et passive significata: paternitas enim super generare, filiatio vero super generari fundatur. Nam licet generare et generari sint idem quod paternitas et filiatio in divinis, quia tamen non significantur per modum relationis, sed per modum actionis et passionis, possunt intelligi, ut sic significantur, tanquam relationum fundamenta.

Hanc difficultatem abunde pertractat Capreolus in XXXI distinctione Primi *. Ideo non oportet immorari.

* Pag. 318 sqq. (Turon. 1900).

XXVI. Tertia decima conclusio est *: *Recte Verbum Dei potest dici a Deo conceptum.* Probatur. Verbum Dei ita est a Deo genitum quod tamen ab ipso non recedit, sed in eo manet. Ergo etc. – Probatur consequentia. Quia quod generatur, quandiu in generante manet, dicitur esse conceptum. – Confirmatur auctoritate *Proverb.* VIII, cum dicitur: *Nondum erant abyssi, et ego concepta eram.*

* Vid. n. IX, init.

2. Ad manifestationem autem huius conclusionis, notat primo Sanctus Thomas quod differentia est inter conceptionem Verbi Dei et materialem animalium conceptionem, quia proles, quandiu concepta est et in utero clauditur, nondum habet ultimam perfectionem, ut per se subsistat a generante secundum locum diversa; et ideo aliud est conceptio, et aliud partus. Verbum autem Dei, in ipso Deo dicente existens, est perfectum, in se subsistens distinctum a Deo dicente: cum sola relatione distinguantur. Ideo ibi et conceptio et partus idem est. Quod significatur cum in eadem auctoritate subditur: *Ante colles ego parturiebar.*

Notat secundo quod, quia conceptio et partus in corporalibus cum motu et successione sunt, ideo necesse est ut id quod concipitur, nondum sit; et quod parturitur, nondum sit a parturiente distinctum. Conceptio autem et partus intelligibilis Verbi non est cum motu et successione. Ideo simul dum concipitur, est: et dum parturitur, habet esse distinctum. Declaratur in illuminatione. – Hoc autem Verbo divino convenit etiam hac particulari ratione, quod eius conceptio et partus in aeternitate sunt, in qua prius et posterius esse non possunt. – Confirmatur eadem auctoritate, cum dicitur: *Quando praeparabat caelos, aderam.*

Ex iis infertur quod, cum in generatione carnali animalium prius aliquid concipiatur, deinde parturiatur, deinde adsit parturienti; in divina generatione simul Verbum concipitur, parturitur, et adest.

Notat tertio quod, sicut ad insinuandam perfectam distinctionem Verbi a generante generatio Verbi dicitur *partus;* ita et dicitur generatio *ex utero,* secundum illud Psalmi *: *Ante luciferum genui te.* Ad ostendendum vero quod talis distinctio non excludit Verbum esse in dicente, dicitur *Ioann.* I quod est *in sinu Patris.*

* Sub - intellige, *Ex utero.*

Notat ultimo, quod in generatione carnali est virtus activa, a qua dicitur pater, et virtus passiva, a qua dicitur mater. Unde quaedam conveniunt patri, sicut dare naturam et speciem: quaedam vero matri, sicut concipere et parturire. In generatione vero Verbi non competit ratio matris, sed tantum patris: cum intelligere divinum non sit per virtutem passivam, sed quasi activam *, eo quod intellectus divinus sit tantum in actu. Ideo omnia Patri attribuuntur in Sacris Scripturis: dicitur enim et *dare Filio vitam, et concipere, et parturire.*

* Cf. infra, 5, 6m.

3. Attendendum est, cum inquit Sanctus Thomas matrem in carnali generatione a virtute passiva dici, quod hoc non est sic intelligendum quasi respectu generationis animalis mater habeat tantum potentiam passivam, et nullo modo activam, ut quidam videntur Sancto Thomae attribuere: sed quia respectu formationis corporis et organizationis mater se habet dumtaxat passive, inquantum ex suo sanguine formatur atque organizatur corpus. Cum hoc autem stat quod etiam quantum ad aliquid active se habeat. Nam, ut habetur ex doctrina Sancti Thomae Tertia, q. XXXII, a. 4; et Tertio, d. III, q. II, a. 1, cum tria inveniantur in hominis generatione, scilicet formatio ac organizatio corporis, quod est principale in generatione; praeparatio materiae, ut sit apta formationi et organizationi corporis humani, quod praecedit organizationem et formationem; atque etiam bona prolis dispositio, quod concomitatur vel sequitur dictam formationem: quantum ad primum mater se habet tantum passive, quia quod praeparavit et ministravit ad formationem et organizationem corporis, ad ipsam formationem materialiter tantum se habet, est enim id ex quo tanquam ex materia formatur corpus. Quantum vero ad alia duo active se habet: nam in matre est virtus activa qua praeparatur sanguis eius et disponitur ut ex ipso humanum corpus formari possit; similiter in eius matrice est virtus quae proli conceptae fomentum praebet et meliorationem, ut est de mente Avicennae, in capitulo *de Diluviis* *.

* *De Naturalibus* VII; cf. S. Th. III *Sent.*, d. III, q. II, a. 1; et Alb. Magn. *Summa* de Creat. II, 17, 3. (Tom. 35 p. 149, 155); et Capreolum III *Sent.* d. IV, q. 1, p. 42. – Cf. Avic., *De animalibus* IX cap. 2 (Ven. 1508, p. 41 v. a), *Canon*, I, III, p. 921 (Ven. 1595).

4. Ex quo patet rationem Scoti, in III *Sent.*, d. IV *, contra Divum Thomam nullam esse, cum arguit, cum masculus et femina sint eiusdem speciei, oportere ut earum formas similes virtutes consequantur; et sic, cum formam maris consequatur vegetativa virtus activa, necesse est ut et virtus vegetativa feminae sit activa.

* Fol. 11 r., a.

Conceditur utique quod infertur, nec hoc est contra doctrinam Sancti Thomae. Nam concedit ipse virtutem generativam esse activam tam in femina quam in mare: sed dicit hanc perfectam esse in mare et se extendere ad formationem generati; in femina autem imperfectam esse, et non se extendere usque ad generati formationem, sed tantum ad praeparationem materiae, aut etiam ad aliquam prolis conceptae meliorationem. Unde, licet virtus generativa feminae sit activa, dicitur tamen ad generationem passive concurrere, non autem active, quia, quamvis ad aliqua active se habeat, ad formationem tamen prolis, quod est principale in generatione, passive tantum se habet, dum videlicet ex materia ab ipsa praeparata formatur proles.

5. Advertendum est, cum dicitur intelligere divinum non esse per aliquam virtutem passivam, sed quasi activam, quod differentia est inter intellectum humanum et intellectum divinum, quia intellectus humanus movetur a rebus intelligibilibus, et ideo dicitur virtus passiva, utpote quae ad suum obiectum comparatur sicut passivum ad activum, ex quo sequitur quod intelligere humanum sit per virtutem passivam: intellectus autem divinus non movetur a suo obiecto, sed est illi omnino idem. Ideo non dicitur virtus passiva: et per consequens intelligere divinum non est per virtutem passivam. Dicitur autem esse, non per virtutem activam simpliciter, sed *quasi per activam:* quia intellectus divinus non proprie est causa et virtus activa respectu sui actus, cum ab ipso nec secundum substantiam neque secundum esse distinguatur; sed dicitur *quasi activa,* quia, si per opus intellectus distinguantur, intelligimus ipsum actum intellectus non causari in ipso ab obiecto, sed tantum intellectum, ex se existentem in actu, esse principium productivum ipsius.

# CAPITULUM DUODECIMUM

## QUOMODO FILIUS DEI DICATUR DEI SAPIENTIA.

Cap. praec.

QUIA vero ea quae de Sapientia divina dicuntur, ad generationem Verbi adduximus *, consequens est ostendere quod per divinam Sapientiam, ex cuius persona praemissa verba proponuntur, Verbum Dei intelligi possit.

Et ut a rebus humanis ad divinorum cognitionem perveniamus, considerare oportet quod sapientia in homine dicitur habitus quidam quo mens nostra perficitur in cognitione altissimorum *: et huiusmodi sunt divina. Cum vero secundum sapientiae habitum in intellectu nostro aliqua formatur conceptio de divinis, ipsa conceptio intellectus, quae est interius verbum, sapientiae nomen accipere solet: secundum illum modum loquendi quo actus et effectus nominibus habituum a quibus procedunt, nominantur; quod enim iuste fit, interdum iustitia dicitur; et quod fit fortiter, fortitudo; et generaliter quod virtuose fit, virtus dicitur. Et per hunc modum, quod sapienter excogitatur, dicitur sapientia alicuius.

I *Metaph.*, 1, 12; II, 7, 8. Th. I. 1, 2.

In Deo autem sapientiam quidem oportet dici, ex eo quod seipsum cognoscit: sed quia non cognoscit se per aliquam speciem nisi per essentiam suam, quinimo et ipsum eius intelligere est eius essentia, sapientia Dei habitus esse non potest, sed est ipsa Dei essentia. Manifestum est autem ex dictis * quod Dei Filius est Verbum et conceptio Dei intelligentis seipsum. Sequitur igitur quod ipsum dei Verbum, tanquam sapienter mente divina conceptum, proprie *concepta seu genita Sapientia* dicatur: unde Apostolus Christum *Dei Sapientiam* nominat, I *ad Cor.* 1[24].

* Cap. praec.

Ipsum autem sapientiae verbum mente conceptum est quaedam manifestatio sapientiae intelligentis: sicut et in nobis omnes habitus per actus manifestantur. Quia ergo divina sapientia lux dicitur, prout in puro actu cognitionis consistit; lucis autem manifestatio splendor ipsius est ab ea procedens: convenienter et Verbum divinae sapientiae *splendor lucis* nominatur, secundum illud Apostoli de Filio dicentis*: *Cum sit splendor gloriae.* Unde et Filius manifestationem Patris sibi adscribit, *Ioan.* XVII[6], dicens: *Pater, manifestavi nomen tuum hominibus.*

* Heb. 1, 3.

Sed tamen, licet Filius, qui est Dei Verbum, proprie *Sapientia concepta* dicatur; nomen tamen *sapientiae* absolute dictum oportet esse commune Patri et Filio: cum sapientia quae per Verbum resplendet, sit Patris essentia, ut dictum est; essentia vero Patris sit sibi et Filio communis*.

* Supra, cap. IX, fin.

---

*Hoc capitulum a praecedenti non dividunt* GXpE; *in* N *spatium titulo vacat.* 13 formatur] formetur N*b*. 15 illum *om* EGX*b*. 16 et effectus *Ita* NsG; *om* E, et species *ceteri.* 20 virtus *post* dicitur EGNX*b*. 22 sapientiam] sapientia EG*b*Pc. 25 suam *om* P*d*. 6 unde] unde et EGNX*b*. 10 et in] in EWXpG*b*. 14 ab] et ab GN*b*; EX *legunt:* splendor ipsius est et convenienter procedens et Verbum *etc.* 18 XVII *Ita* Pc; XVI *ceteri.*

### Commentaria Ferrariensis

Cap. praec.

QUIA in superioribus* ea quae de Sapientia divina in auctoritate allegata superius *Proverbiorum* octavi dicuntur, ad Verbi generationem adduxit Sanctus Thomas, *divina Sapientia* pro Verbo divino utens; vult ex rebus humanis ostendere quod convenienter per divinam Sapientiam Dei Verbum potest intelligi. Circa hoc autem tria facit: primo, ostendit propositum; secundo, infert unum corollarium*; tertio, removet quoddam dubium**.

Num. 2 hui. parag.

Num. 3.

I. Quantum ad primum, praemittit primo, quod sapientia in homine dicitur quidam habitus quo mens nostra perficitur in cognitione divinorum. Sed et conceptio sive verbum interius de divinis per ipsum habitum formata, etiam sapientiae nomen accipere solet: sicut actus nominibus habituum a quibus procedunt, nominari solent. Sicut enim quod iuste fit, interdum iustitia dicitur, et sic de aliis; ita et quod sapienter excogitatur, dicitur sapientia.

Praemittit secundo, quod in Deo sapientia dicitur ex eo quod seipsum cognoscit. Sed tamen haec non est habitus, sed eius essentia: cum non intelligat Deus per speciem, sed per essentiam; immo et ipsum eius intelligere sit eius essentia.

Tunc arguit sic. Filius Dei est Verbum et conceptio Dei intelligentis seipsum. Ergo, tanquam sapienter mente divina conceptum, proprie *concepta seu genita Sapientia* dicitur. – Patet consequentia ex iis quae praemissa sunt. – Confirmatur conclusio, quia Apostolus, I ad *Cor.* I, Christum *Dei Sapientiam* nominat.

2. Quantum ad secundum, infert Sanctus Thomas quod convenienter Verbum sapientiae divinae *splendor lucis* nominatur ab Apostolo. Probatur. Sapientiae verbum mente conceptum est quaedam manifestatio eius: sicut et in nobis omnes habitus per actus manifestantur. Et sapientia divina dicitur lux, prout in puro actu cognitionis consistit. Ergo etc. – Probatur consequentia. Quia lucis manifestatio splendor ipsius est ab ipsa procedens. – Confirmatur ratio. Quia Filius manifestationem Patris sibi adscribit, *Ioan.* XVII.

3. Quantum ad tertium, quia posset aliquis ex praedictis existimare *sapientiae* nomen soli Filio convenire, hoc removet Sanctus Thomas. Et ait quod, licet Verbum Dei proprie *Sapientia concepta* dicatur, nomen tamen sapientiae absolute dictum oportet Patri et Filio commune esse: cum sapientia quae per Verbum resplendet, sit Patris essentia; essentia vero Patris sit sibi et Filio communis.

II. Ad evidentiam eius quod dictum est, *sapientiam in nobis habitum esse, non autem in Deo,* considerandum est, ex doctrina Sancti Thomae I[a] II[ae], q. XLIX, a. 4; et q. L, a. 6, quod, cum de ratione eius quod disponitur per habitum sit ut aliquid potentialitatis habeat, sicut se habet intellectus ad potentiam, ita se habet ad hoc ut per habitum intelligat. Tripliciter autem intellectus se habet ad potentiam: sicut est triplex ordo intellectuum. Nam intellectus humanus, cum sit pura potentia in genere intelligibilium, ut

superius* est ostensum, est omnino in potentia respectu omnium intelligibilium. Ideo respectu omnium quae intelligere habet, indiget aliquo habitu superaddito per quem intelligat. – Intellectus vero angelicus non est pura potentia in genere intelligibilium, sed nec etiam purus actus. Ideo non est in potentia respectu omnium intelligibilium, sed partim in potentia, et partim in actu: respectu enim sui ipsius est in actu, respectu vero aliorum est in potentia, quantum scilicet ad actualem eorum considerationem. Ideo angelus ad cognoscendum seipsum habitu non indiget, sed se per suam essentiam cognoscit: ad cognoscendum autem alia a se, indiget habitu superaddito; nisi forte sint talia quae cum essentia sua talem habeant connexionem ut simul cum ipsa per ipsam essentiam cognoscantur. – Intellectus autem divinus nullo modo est potentia, sed est purus et simplicissimus actus. Ideo respectu nullius intelligibilis est in potentia, sed respectu omnium semper est in actu. Et propterea nihil per habitum superadditum intelligit, sed per suam essentiam. – Ex quibus sequitur, cum sapientia nihil aliud sit quam principium quo res altissimae cognoscuntur; ad horum autem cognitionem tam intellectus angelicus quam humanus in potentia se habeat, intellectus autem divinus in actu puro; quod sapientia tam in angelis quam in hominibus est habitus, in Deo autem non est habitus, sed est eius essentia, per quam omnia semper actu intelligit.

* Lib. II, capp. LIX, LXXVIII, XCVI.

Circa rationem assignatam in littera quare sapientia in Deo non sit habitus, quia videlicet *non intelligit per speciem,* advertendum quod supponit Sanctus Thomas habitum intellectus aut esse speciem intellectualem, aut speciem intelligibilem includere, sicut superius* est ostensum, cum declaratum est ad habitum scientiae species intelligibiles antecedenter se habere. Et ideo optime sequitur, si Deus per speciem non intelligit, quod non intelligat per habitum.

* Cf. Comm. lib. II, LX, n. VII, 3; LXXIV, n. V, 1; LXXVIII, n. VI, 3.

III. Pro declaratione corollarii*, considerandum est quod, cum lux sit qualitas per se visibilis, sicut scilicet quo aliquid videtur, proprie dicitur *lux* secundum quod est in aliquo corpore lucido in actu, a quo alia illuminantur: *splendor* vero dicitur lumen in alio causatum. Ideo et transumptive *lux* dicitur in spiritualibus id ex quo aliquid intelligibiliter manifestatur, secundum quod est in intelligente in actu, a quo aliis fit intellectualis manifestatio: *splendor* vero dicitur id causatum a luce quo ipsa intellectualis cognitio aliis manifestatur. Propter hoc inquit Sanctus Thomas quod sapientia divina dicitur lux *prout in puro actu cognitionis consistit,* idest, prout consideratur ipsa actualis cognitio per se, ut in ipso Deo intelligente existens: splendor vero est *ipsa lucis manifestatio ab ipsa procedens,* idest, aliquid ab ipsa actuali cognitione divina procedens quo divina cognitio manifestatur.

* Num. I, 2.

IV. Circa dubii remotionem*, considerandum quod per nomen *sapientiae* absolute dictum intelligit Sanctus Thomas nomen ipsum dictum absque alia additione limitante: sicut per oppositum, cum dicitur *Sapientia genita,* nomen sapientiae non dicitur absolute, sed cum adiunctione huius nominis *genita.* Vult ergo quod, si nomen sapientiae accipiatur sine alterius nominis limitantis adiunctione, commune est Patri et Filio: sicut enim Filius est sapiens et sapientia, ita Pater et est sapiens et est sapientia; quia videlicet sapientia tunc nihil aliud dicit nisi essentiam divinam seeundum quod per ipsam Deus seipsum cognoscit, essentia autem divina communis est omnibus personis. Sed si accipiatur cum adiunctione huius nominis *genita,* sive *concepta,* non est commune, sed proprium Filio: solus enim Filius dicitur *Sapientia genita;* non autem Pater, qui a nullo procedit; neque etiam Spiritus Sanctus, qui non procedit per actum intellectus, sed voluntatis. Nam Sapientia genita non dicit solam divinam essentiam, sed ipsam essentiam cum habitudine geniti et concepti: quam habitudinem soli Filio convenire constat.

* Num. I, 3.

# CAPITULUM DECIMUM TERTIUM

## QUOD NON EST NISI UNUS FILIUS IN DIVINIS.

QUIA vero Deus, intelligendo seipsum omnia alia intelligit, ut in Primo* ostensum est; seipsum autem uno et simplici intuitu intelligit, cum suum intelligere sit suum esse*: necesse est Verbum Dei esse unicum tantum. Cum autem in divinis nihil aliud sit Filii generatio quam Verbi conceptio*, sequitur quod una sola sit generatio in divinis, et unicus Filius solus a Patre genitus. Unde *Ioan.* I [14] dicitur: *Vidimus eum quasi Unigenitum a Patre;* et iterum*; *Unigenitus, qui est in sinu Patris, ipse nobis enarravit.*

* Cap. XLIX.
* Ibid., cap. XLV.
* Cap. XI.
* Vers. 18.

Videtur tamen ex praemissis* sequi quod et Verbi divini sit aliud verbum, et Filii sit alius filius. Ostensum est enim quod Verbum Dei sit verus Deus. Oportet igitur omnia quae Deo conveniunt, Verbo Dei convenire. Deus autem ex necessitate seipsum intelligit. Et Verbum igitur Dei seipsum intelligit. Si igitur ex hoc quod Deus seipsum intelligit, Verbum ab eo genitum in Deo ponitur, consequi videtur quod etiam et Verbo, inquantum seipsum intelligit, aliud verbum attribuatur. Et sic Verbi erit verbum, et Filii filius; et illud verbum, si Deus est, iterum seipsum intelliget et habebit aliud verbum; et sic in infinitum generatio divina procedet.

* Cap. XI.

Huius autem solutio ex praemissis haberi potest. Cum enim ostensum sit quod Verbum Dei sit Deus, ostensum tamen est quod non est alius Deus a Deo cuius est Verbum, sed unus omnino, hoc solo ab eo distinctum quod ab eo est ut Verbum procedens. Sicut autem Verbum non est alius Deus, ita nec est alius intellectus, et per consequens nec aliud intelligere: unde nec aliud verbum. Nec tamen sequitur quod sit verbum sui ipsius, secundum quod Verbum seipsum intelligit. Nam in hoc solo Verbum a dicente distinguitur, ut dictum est, quod est ab ipso. Omnia ergo alia communiter attribuenda sunt Deo dicenti, qui est Pater, et Verbo, quod est Filius, propter hoc quod etiam Verbum est Deus: sed hoc solum, ut ab eo sit Verbum, adscribendum est proprie Patri; et hoc quod est esse a Deo dicente, attribuendum est proprie Filio.

13 quod et] quod EGY. 16 verus *post* Deus CFP*c*.
18 qui *ita* GNXsE*b*P*c*; quod *ceteri*. 19 quod etiam Verbum est Deus] (quod G) Deus est Verbum EGX, quod Deus est etiam Verbum N.

Ex quo etiam patet quod Filius non est impotens, etsi generare Filium non possit, cum tamen Pater generet Filium. Nam eadem potentia est Patris et Filii, sicut et eadem divinitas. Et cum generatio in divinis sit intelligibilis Verbi conceptio, secundum scilicet quod Deus intelligit seipsum, oportet quod potentia ad generandum in Deo sit sicut potentia ad intelligendum seipsum. Et cum intelligere seipsum in Deo sit unum et simplex, oportet et potentiam intelligendi seipsum, quae non est aliud quam suus actus, esse unam tantum. Ex eadem ergo potentia est et quod Verbum concipiatur, et quod dicens Verbum concipiat. Unde ex eadem potentia est quod Pater generet, et quod Filius generetur. Nullam ergo potentiam habet Pater quam non habeat Filius; sed Pater habet ad generare generativam potentiam, Filius autem ad generari; quae sola relatione differre ex dictis patet.

Sed quia Apostolus Filium Dei dicit verbum habere, ex quo sequi videtur quod Filii sit filius, et Verbi verbum; considerandum est qualiter verba Apostoli hoc dicentis sint intelligenda. Dicit enim *Heb.* $1^{2,3}$, *Diebus istis locutus est nobis in Filio,* et postea: *Qui, cum sit splendor gloriae et figura substantiae eius, portans omnia verbo virtutis suae,* etc. Huius autem intellectum sumere oportet ex his quae iam dicta sunt. Dictum est enim* quod conceptio sapientiae, quae est verbum, sapientiae sibi vindicat nomen. Ulterius autem procedentibus apparet quod etiam exterior effectus ex conceptione sapientiae proveniens sapientia dici potest, per modum quo effectus nomen causae sibi assumit: dicitur enim sapientia alicuius esse non solum id quod sapienter excogitat, sed etiam id quod sapienter facit. Ex quo contingit ut etiam explicatio divinae sapientiae per opus in rebus creatis Dei sapientia dicatur: secundum illud *Eccli.* $1^{9,10}$: *Ipse creavit illam,* scilicet sapientiam, *Spiritu Sancto,* et postea dicit, *et effudit illam super omnia opera sua.* Sic igitur et id quod ex Verbo efficitur, verbi accipit nomen: nam et in nobis expressio interioris verbi per vocem, dicitur verbum, quasi sit *verbum verbi,* quia est interioris verbi ostensivum. Sic igitur non solum divini intellectus conceptio dicitur Verbum, quod est Filius, sed etiam explicatio divini conceptus per opera exteriora, verbum Verbi nominatur. Et sic oportet intelligi quod Filius portet omnia *verbo virtutis suae,* sicut et id quod in Psalmo* legitur: *Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, quae faciunt verbum eius:* quia scilicet per virtutes creaturarum explicantur divinae conceptionis effectus in rebus.

Cum vero Deus, intelligendo seipsum, omnia alia intelligat, ut dictum est, oportet quod Verbum in Deo conceptum ex eo quod seipsum intelligit, sit etiam Verbum omnium rerum. Non tamen eodem modo est Verbum Dei, et aliarum rerum. Nam Dei quidem Verbum est ex eo procedens: aliarum autem rerum, non sicut ex eis procedens, non enim Deus a rebus scientiam sumit, sed magis per suam scientiam res in esse producit, ut supra* ostensum est. Oportet igitur quod Verbum Dei omnium quae facta sunt, ratio perfecta existat. – Qualiter autem singulorum ratio esse possit, ex his quae in primo libro tractata sunt, manifestum est, ubi ostensum est quod Deus omnium propriam cognitionem habet*.

Quicumque autem facit aliquid per intellectum, operatur per rationem rerum factarum quam apud se habet: domus enim quae est in materia, fit ab aedificatore per rationem domus quam habet in mente. Ostensum est autem supra* quod Deus res in esse produxit, non naturali necessitate, sed quasi per intellectum et voluntatem agens. Fecit igitur Deus omnia per Verbum suum, quod est ratio rerum factarum ab ipso. Hinc est quod dicitur *Ioan.* $1^{3}$: *Omnia per ipsum facta sunt.* Cui consonat quod Moyses, mundi originem describens*, in singulis operibus tali utitur modo loquendi. *Dixit Deus, Fiat lux, et facta est lux; Dixit Deus, Fiat firmamentum;* et sic de aliis. Quae omnia Psalmista comprehendit, dicens*, *Dixit, et facta sunt:* dicere enim est verbum producere. Sic ergo intelligendum est quod Deus dixit et facta sunt, quia Verbum produxit, per quod res in esse produxit, sicut per earum rationem perfectam.

Sed quia idem est causa conservationis rerum et productionis ipsarum*, sicut omnia per Verbum facta sunt, ita omnia per Dei Verbum conservantur in esse. Unde Psalmista dicit*: *Verbo Domini caeli firmati sunt;* et Apostolus dicit, *ad Heb.* $1^{3}$, de Filio, quod *portat omnia verbo virtutis suae;* quod quidem qualiter accipi oporteat, iam dictum est.

Sciendum tamen quod Verbum Dei in hoc differt a ratione quae est in mente artificis, quia Verbum Dei Deus subsistens est: ratio autem artificiati in mente artificis non est res subsistens, sed solum intelligibilis forma. Formae autem non subsistenti non competit proprie ut agat, agere enim rei perfectae et subsistentis est: sed est eius ut ea agatur, est enim forma principium actionis quo agens agit. Ratio igitur domus in mente artificis non agit domum: sed artifex per eam domum facit. Verbum autem Dei, quod est ratio rerum factarum a Deo, cum sit subsistens, agit, non solum per ipsum aliquid agitur. Et ideo Dei Sapientia loquitur, *Proverb.* $VIII^{30}$: *Cum eo eram cuncta componens;* et *Ioan.*

Cap. praec.

Ps. CXLVIII, 8.

* Cf. cap. XI, *Verbum autem.*

* Cap. L.

* Liber II, cap. XXIII.

* Gen. cap. I.

* Ps. CXLVIII, 5.

* Liber III, cap. LXV.

* Ps. XXXII, 6.

---

2 etsi *om* N, et EG, si Y; W *legit:* non est potens ut ex se generare filium posset. 3 potentia *post* est EGNX. 11 unam] unum EGX. 16 non] etiam non X*b*, et non GN. 23 verba Apostoli hoc dicentis] (dicta sE) dicentis Apostoli E, verba haec (haec verba X) dicentis Apostoli GNX. 30 sibi *post* vindicat EGNX. 42 accipit nomen] nomen accipit *c*, nomen accepit P*d*. 52 glacies *Ita* CDGWYZPc; *om ceteri.* 53 scilicet *om* G, spiritus E. explicantur *Ita* GPc; explicatur ENX*b*, explentur *ceteri.*

2 Verbum] unum et idem *addunt* αDWYZPc. 4 ex eo] sicut ex eo αDWYZ, sicut ab eo Pc. 10 ratio] propria ratio αWZPc; propria *ante* singulorum *addit b, post* ratio D. 14 facit *post* aliquid EGNX. 17 rationem *post* domus P*d*. 25 in *om* EGX. 32 earum rationem perfectam] eandem (earum X) rationem EGX, earum perfectam rationem N*b*. 40 quod] et quod EGX. 49 ea *om* H*b*; EG *om* 48 subsistentis . . . 50 agit. 51 sed] sed quia EX.

v[17], Dominus dicit: *Pater meus operatur, et ego operor.*

Considerandum est etiam quod res facta per intellectum praeexistit in ratione intellecta ante etiam quam sit in seipsa: prius enim domus est in ratione artificis quam perducatur in actum. Verbum autem Dei est ratio omnium eorum quae a Deo sunt facta, ut ostensum est. Oportet igitur quod omnia quae sunt facta a Deo, praeextiterint in Verbo Dei antequam sint etiam in propria natura. Quod autem est in aliquo, est in eo per modum eius in quo est, et non per proprium modum: domus enim in mente artificis intelligibiliter et immaterialiter existit. Res igitur intelligendae sunt in Verbo Dei praeextitisse secundum modum Verbi ipsius. Est autem modus ipsius Verbi quod sit unum, simplex, immateriale, et non solum vivens, sed etiam vita: cum sit suum esse. Oportet igitur quod res factae a Deo praeextiterint in Verbo Dei ab aeterno, immaterialiter, et absque omni compositione, et quod nihil aliud in eo sint quam ipsum Verbum, quod est vita. Propter quod dicitur *Ioan.* 1[3.4]: *Quod factum est, in ipso vita erat,* idest, in Verbo.

Sicut autem operans per intellectum per rationem quam apud se habet, res in esse producit; ita etiam qui alium docet, per rationem quam apud se habet, scientiam causat in illo: cum scientia discipuli sit deducta a scientia docentis, sicut imago quaedam ipsius. Deus autem non solum est causa per intellectum suum omnium quae naturaliter subsistunt, sed etiam omnis intellectualis cognitio ab intellectu divino derivatur, sicut ex superioribus* patet. Oportet igitur quod per Verbum Dei, quod est ratio intellectus divini, causetur omnis intellectualis cognitio. Propter quod dicitur *Ioan.* 1[4]: *Vita erat lux hominum:* quia scilicet ipsum Verbum, quod vita est, et in quo omnia vita sunt, manifestat, ut lux quaedam, mentibus hominum veritatem. – Nec est ex defectu Verbi quod non omnes homines ad veritatis cognitionem perveniunt, sed aliqui tenebrosi existunt. Provenit autem hoc ex defectu hominum, qui ad Verbum non convertuntur, nec eum plene capere possunt: unde adhuc in hominibus tenebrae remanent, vel maiores vel minores, secundum quod magis et minus convertuntur ad Verbum et capiunt ipsum. Unde Ioannes, ut omnem defectum a manifestativa Verbi virtute excludat, cum dixisset quod *vita est lux hominum,* subiungit* quod *in tenebris lucet, et tenebrae eam non comprehenderunt.* Non enim tenebrae sunt ex hoc quod Verbum non luceat, sed ex hoc quod aliqui lucem Verbi non capiunt: sicut, luce corporei solis per orbem diffusa, tenebrae sunt ei qui oculos vel clausos vel debiles habet.

Haec igitur sunt quae de generatione divina, et de virtute Unigeniti Filii Dei, ex Sacris Scripturis edocti, utcumque concipere possumus*.

* Lib. III, capp. LXVII, LXXV.

* Vers. 5.

* Cf. cap. XI, *His igitur consideratis.*

4 intellecta] intellectus Pc. 5 domus *post* est EGNX*b*. 16 ipsius *alt. loco post* verbi XZpGPc; *lac.* DE. 25 per rationem] operatur per rationem Z, et per rationem GPc.
1 suum *om* EX. 23 tenebrae *om* BFH, *post* ex hoc Y. 26 sunt] sic α, sicut Y, non sunt nisi P*d*. vel *pr. loco om* BEYP*d*.

## Commentaria Ferrariensis

* Cap. II.
** Cap. XI.
* Cf. Comment. cap. XI, init.

POSTQUAM ostendit Sanctus Thomas generationem esse in divinis*; et quod intelligibiliter est accipienda**; nunc non posse esse plures Filios in divinis vult ostendere*. Circa hoc autem duo facit: primo, ostendit propositum; secundo, divini Verbi conditiones declarat*.

* Num. VII.

Circa primum duo facit: primo, probat intentum; secundo, removet quaedam dubia*.

* Num. IV.

I. Quantum ad primum, ponit hanc conclusionem: *Una sola generatio est in divinis, et unicus Filius solus a Patre genitus.* Probatur. Deus seipsum uno et simplici intuitu intelligit: cum suum intelligere sit suum esse. Ergo Verbum Dei est unicum tantum. Ergo etc.

Primam consequentiam relinquit manifestam, hoc supposito, scilicet quod Deus, intelligendo seipsum, omnia alia intelligit. – Secundam vero consequentiam probat: quia in divinis nihil aliud est Filii generatio quam Verbi conceptio. – Confirmatur conclusio auctoritate *Ioan.* 1.

2. Advertendum quod conclusio duplicem potest habere sensum. Primus est, quod non potest esse nisi unicus Filius a Patre genitus: idest, Pater non potest nisi unicum Filium generare. Et ratio potest intelligi tanquam hoc dumtaxat concludens. Quia enim Pater et se et omnia alia unico actu intelligit, non autem pluribus intellectionibus, nec potest aliter esse; sequitur quod unicum tantum Verbum producat, nec possit aliud verbum aut alium filium producere.

Secundus est, quod non tantum non potest Pater habere plures filios, sed nec etiam possunt esse plures filii, ita videlicet quod Pater unum producat et Filius alium. Et ad hunc sensum potest etiam ratio adaptari ex iis quae dicuntur *Potentia,* q. IX, a. 9, ad 1, sic arguendo. Si Filius alium Filium produceret, sequeretur quod in divinis verbum ex Verbo procederet. Sed hoc est impossibile. Ergo etc. – Probatur impossibilitas consequentis. Quia verbum ex verbo produci est intellectus inquirentis et discurrentis, non autem unico intuitu omnia intelligentis. Intellectus autem divinus non est inquisitivus, sed omnino unico intellectu intelligit. Ergo etc.

Secundus sensus videtur mihi magis esse ad mentem Sancti Thomae: quia non determinat se ad Patrem, sed loquitur de Deo absolute.

II. Contra autem rationem arguit Scotus, *Quolib.* II, q. II*, inquiens quod videtur ex hoc fundamento procedere: *Ubi non potest esse nisi unicus actus intelligendi, ibi non potest esse nisi unicum verbum, sive unicum dicere. Haec autem propositio habet veritatem, gratia materiae, in intellectu creato, non autem in intellectu divino.* Ergo ratio nulla est. – Declaratur minor. Quoad primam quidem partem, *quia omne intelligere in nobis expressum est per actum dicendi, et per omne dicere exprimitur aliquod intelligere, et per aliud dicere aliud intelligere. Ideo, si unicum est intelligere, unicum est dicere.* – Quoad secundam vero partem, *quia non omne intelligere divinum est per aliquod dicere: immo intelligere paternum non est per aliquod dicere.*

* Fol. 5 (Ven. 1497).

Secundo, sub aliis verbis probat illam propositionem non esse necessariam gratia formae. *Quia licet in uno non sit nisi una forma absoluta eiusdem rationis, ipsum tamen potest habere plures productiones activas plurium terminorum: sicut, licet sol una luce sit luminosus, potest tamen habere plures actus illuminandi. Intelligere autem est perfectio intelligentis, et inexistens operanti,*

*et forte forma absoluta: dicere autem est actio productiva termini.*

III. Ad hoc dupliciter responderi potest. Primo, quod haec ratio non inducitur a sancto Doctore tanquam demonstrativa, sed tanquam persuasiva, supposita fidei veritate. Sicut enim non potest demonstrari ex principiis nobis naturaliter notis quod sint tres personae in divinis, ita nec demonstrari potest non posse esse plures filios in eadem numero essentia communicantes. Sicut enim qui negaret pluralitatem personarum in divinis, diceret quod neque per actum divini intellectus aliquid realiter producitur, neque per actum voluntatis; ita qui diceret plures esse filios, negaret quod per unicum actum intelligendi producatur unum dumtaxat verbum, quando plura supposita illo uno actu intelligunt, sicut est in divinis. Sed licet haec ratio non sit demonstrativa, supposito tamen secundum fidem quod impossibile sit plures filios esse in divinis, hoc persuaderi potest, secundum ea quae in nostro intellectu apparent, ex unitate actus intelligendi, quo Filius producitur, et ex unitate actus volendi, quo producitur Spiritus Sanctus. Et ideo dicitur ad Scotum quod illa propositio assumpta a Sancto Thoma non est utique assumpta ab ipso tanquam necessaria in divinis, sed tanquam vera, supposita fide. Unde non oporteret eam contra impugnantes hanc conclusionem tanquam necessariam assumere, ut sic conclusio, quae fidei est, demonstraretur.

Potest secundo responderi, sustinendo quod ratio Sancti Thomae tanquam necessaria inducatur, quod utique ipsa ratio ex illa propositione procedit; et quod illa propositio est formaliter vera, et habet in omni intellectu veritatem. Cum enim verbum sit formalis et intrinsecus terminus actus intelligendi, utpote quo res intellecta per actum intelligendi intelligitur, si est unicus actus intelligendi, necesse est ut ibi unicum sit verbum: quia unius rei est tantum unus terminus intrinsecus ex una parte.

2. Cum autem instatur quod *in intellectu divino non habet veritatem, quia non omne intelligere divinum est per aliquod dicere:* respondetur quod ista propositio potest habere duplicem sensum. Primus est, quod non omnis actus intelligendi quo Deus intelligit, secundum se acceptus et secundum suam entitatem, est dicere, sive productio Verbi. Et tunc falsa est. Nam, cum unicus sit actus quo omnes personae divinae intelligunt; et Verbum divinum per illam entitatem quae est actus intelligendi, formaliter sumptam, producatur: necesse est ut omne intelligere divinum sit dicere, si secundum se sumatur.

Alius sensus esse potest quod non omne intelligere divinum, secundum quod ad unamquamque personam comparatur tanquam actus quo intelligit, est dicere: sive, secundum modum loquendi Scoti, *non omne est expressum per aliquod dicere.* Et tunc propositio est vera: et concedit eam Sanctus Thomas *Verit.*, q. IV, a. 2, ad 5*; et Prima, q. XXXIV, 1, ad 3, tenens quod intelligere divinum, secundum quod est in Filio, non est dicere. Sic enim solum intelligere paternum est dicere: quia secundum quod est in Patre, coniungitur habitudini producentis ad ipsum Verbum; non autem secundum quod est in Filio aut Spiritu Sancto. Unde falsum est quod ait Scotus, *intelligere paternum non esse per aliquod dicere:* nisi forte intenderet quod non est per dicere alicuius alterius personae.

* Ad primam seriem obiectionum.

Ratio ergo Sancti Thomae fundatur super hac propositione, *Omne intelligere divinum est dicere,* ad primum sensum: non autem ad secundum sensum, in quo propositio Scoti vera est. Accipitur enim intelligere pro ipso actu intellectus divini secundum se et propriam entitatem accepto, non autem secundum quod ad unamquamque personam comparatur. Ideo ratio in suo robore manet.

IV. Secundo loco removet Sanctus Thomas quaedam dubia*. Primum est: Verbum seipsum intelligit. Ergo Verbo aliud verbum attribuitur. Et sic Verbi erit verbum, et Filii filius. – Probatur antecedens. Quia, cum Verbum sit verus Deus, oportet omnia quae Deo conveniunt, Verbo convenire. Deus autem ex necessitate seipsum intelligit. – Consequentia vero probatur. Quia ex eo quod Deus seipsum intelligit, Verbum genitum ab eo ponitur.

* Cf. init. Comment.

Respondet autem, et dicit primo, ad fundamentum rationis, quod, licet Verbum sit Deus, non est tamen alius Deus a Deo cuius est Verbum. Et similiter non est alius intellectus. Nec per consequens aliud intelligere. Et ita nec aliud verbum.

Dicit secundo, quod consequentia est falsa: nec sequitur quod sit verbum sui ipsius, secundum quod Verbum seipsum intelligit. Quia in hoc solo Verbum a dicente distinguitur, quod est ab ipso. Et ideo omnia alia communiter attribuenda sunt Deo dicenti et Verbo: hoc autem solum ut ab eo sit Verbum, adscribendum est proprie Patri; hoc vero quod est esse a Deo dicente, attribuendum est proprie Filio.

2. Ad evidentiam huius responsionis, considerandum est quod responsio stat in hoc quod, si Verbum esset alius Deus a Deo dicente, sequeretur utique quod Verbum, seipsum intelligens, aliud verbum produceret: quia sicut haberet aliam numero deitatem, ita haberet alium intellectum et aliud intelligere, et consequenter aliud verbum; cum omne intelligere, secundum se sumptum, ad aliquod verbum terminetur ab ipso productum. Sed quia Verbum, licet sit verus Deus, non est tamen alius Deus a Deo dicente, sed unam numero cum ipso habet deitatem, hoc solo a dicente distinctum quod ab eo procedit; intellectus quo Verbum intelligit, non est alius ab intellectu quo intelligit Deus dicens, sicut nec est ipsius alia deitas; et consequenter intelligere Verbi non est aliud quam ipsum intelligere dicentis Verbum; et sic etiam non est aliud verbum quam ipsum Verbum a Deo dicente productum, quia unius intelligere est tantum una conceptio et unicum verbum. Ideo non valet ista consequentia: *Ex hoc quod Deus seipsum intelligit, Verbum ab eo genitum in Deo ponitur. Ergo et Verbo, inquantum seipsum intelligit, aliud verbum attribuitur.* Sed bene sequitur: *Ergo Verbo, inquantum seipsum intelligit, aut aliud verbum attribuitur* (quod utique sibi conveniret si per aliud intelligere intelligeret), *aut ipsum est Verbum per actum divini intellectus productum.* Sicut non sequitur: *Verbum intelligit seipsum. Ergo sibi convenit aliud intelligere ab illo quo productum est:* sed bene sequitur, *Ergo sibi convenit aut aliud intelligere, aut ipsummet intelligere quo est productum.*

Considerandum etiam quod ex sua responsione dat intelligere Sanctus Thomas hanc propositionem assumptam, *Omnia quae conveniunt Deo dicenti, necesse est Verbo Dei convenire,* habere veritatem de omnibus exceptis relationibus quibus ad invicem opponuntur.

V. Secundum argumentum quod posset fieri, est: Si Filius non posset generare alium filium, cum Pater generet Filium, sequeretur quod esset impotens.

Respondet Sanctus Thomas quod illud non sequitur: quia eadem est potentia Patris et Filii, sicut eadem divinitas. Unde, cum potentia ad generandum in Deo sit sicut potentia ad intelligendum seipsum; haec autem sit una tantum in Deo, ex qua est et quod Verbum concipiatur, et quod dicens Verbum concipiat: similiter ex eadem potentia est et quod Pater generet, et quod Filius generetur. Et sic nullam potentiam habet Pater quam non habeat Filius: sed Pater habet generativam potentiam ad generare, Filius autem ad generari, quae sola relatione differre ex dictis patet*.

* C. cap. XI, n. XI, 2; XXV, 2.

Ista responsio in hoc stat, quod non valet ista consequentia: *Pater potest generare, non autem Filius. Ergo Filius est impotens, aut minus potens quam Pater.* Quia, cum dicatur *impotens* aliquis quia caret potentia, et *minus potens* cui minor inest potentia, non potest Filius dici impotens aut minus potens quam Pater: cum eandem numero potentiam habeat quam habet Pater. Sed bene sequitur: *Ergo Filius non habet potentiam cum illa relatione quam habet Pater:* nam Pater habet potentiam cum relatione producentis, sive eius a quo est; et Filius eandem potentiam habet cum relatione producti, et eius qui est ab alio.

2. Si instetur: Pater habet potentiam generandi, non autem Filius. Ergo aliquam potentiam habet Pater quam non habet Filius: – respondetur, ex doctrina Sancti Thomae Prima, q. XLII, a. 6, ad 3; et I *Sent.*, d. XX, a. 1; item *Pot.*, q. II, a. 5, quod ista consequentia falsa est. Quia potentia generandi dicit absolutum *cum relatione quae est in Patre:* aliqua potentia autem dicit absolutum sine tali relatione. Modo, non valet, *In Filio non est potentia cum tali relatione. Ergo in ipso non est potentia:* sicut non valet, *In Filio non est deitas cum relatione paternitatis. Ergo in ipso non est deitas.*

Dicitur tamen ad antecedens quod, licet in Filio non sit potentia generandi active, est tamen in ipso potentia generandi passive, idest, ut generetur: et similiter, *impersonaliter,* idest, qua ab aliqua persona aliquid generatur.

Huius autem ratio est quam hic tangit Sanctus Thomas: quia, cum potentia generandi quantum ad absolutum quod dicit, nihil aliud sit quam intellectus divinus, eo quod generatio in divinis sit intelligibilis verbi conceptio; intellectus autem divinus unus numero sit in Patre et Filio, sicut et una deitas, sed in Patre cum habitudine per modum agentis, in Filio autem cum habitudine per modum producti: potentia generandi active, idest ut generet, est in Patre; passive autem, idest ut generetur, est in Filio; – hoc est, intellectus cum una habitudine est in Patre, cum opposita vero habitudine est in Filio, sicut et generare et generari sola relatione distinguuntur, nam generare importat relationem producentis, generari vero relationem producti.

3. Advertendum autem, ex doctrina Sancti Thomae *Pot.*, q. IX, a. 9, ad 4, quod, licet operatio transiens in exteriorem materiam *requirat aliud principium in agente, per quod est agens, et aliud principium in patiente, per quod est patiens;* in operatione tamen immanente *non requiritur nisi unum operationis principium:* quia videlicet idem est principium productivum et receptivum; intellectus enim, qui producit intellectionem et verbum, etiam haec in seipso recipit. Unde, cum generatio in creaturis sit actio transiens, in divinis vero operatio immanens in intellectu, *oportet in creaturis aliam esse potentiam activam in generante, et aliam passivam in generato:* in divinis autem *non oportet aliam esse potentiam activam in Patre, et aliam potentiam passivam in Filio,* sed ipse intellectus est potentia quasi activa in Patre, et quasi passiva in Filio.

* Cf. num. IV.

VI. Tertium dubium* est: De Filio inquit Apostolus, *Hebr.* I, *portans omnia verbo virtutis suae.* Ergo Verbi est verbum, et Filii est filius.

Respondet Sanctus Thomas quod, sicut *sapientiae* nomen dicitur etiam de conceptione sapientiae, et de exteriori effectu ex conceptione sapientiae proveniente, per modum quo effectus nomen sibi causae assumit; ita et id quod ex Verbo efficitur, verbi nomen accepit; sicut et in nobis expressio interioris verbi per vocem dicitur verbum. Unde explicatio divini conceptus per opera exteriora, idest ipsa opera exteriora explicantia et manifestantia divinum conceptum, verbum Verbi nominatur. Et sic oportet intelligi quod Filius portet omnia *verbo virtutis suae,* sicut et illud Psalmi, *Ignis, grando* etc.: quia scilicet per virtutes creaturarum explicantur divinae conceptionis effectus in rebus.

Advertendum quod ista responsio tendit ad hoc, quod per verbum quo Filius dicitur omnia portare, non intelligitur conceptio intellectus a Filio in suo intellectu producta: sed intelligitur virtus creaturae a virtute divini Verbi expressa. Ideo non sequitur quod Filii sit filius.

* *In Ep. ad Heb.*, cap. I, lect. 2.

* Vers. 48.

*Super Epistolas autem Pauli*,* dat aliam expositionem Sanctus Thomas, conformiter ad Augustini expositionem super illud *Ioan.* XII*, *Sermo quem locutus sum, ille iudicabit eum: idest, Ego, qui sum Verbum Patris, iudicabo eum.* Et nomine *Verbi* accipit conceptionem intellectus divini, non quidem a Verbo productam, sed quae est ipsum Verbum a Patre productum. Et est sensus quod Filius sustentat omnia in esse et operari *seipso, qui est Verbum virtuosum.*

VII. Quantum ad secundum principale, ponit conditiones istius unici Verbi divini*. Prima conditio est**, quod *Verbum a Deo conceptum est Verbum unum et idem* omnium rerum, non tamen eodem modo Dei et aliarum rerum.*

* Vid. text. et var.

* Cf. init. Comment.
** Cf. num. XII.

Prima pars ostenditur, quia Deus, intelligendo seipsum, intelligit omnia alia.

Quoad secundam vero partem: quia est Dei Verbum sicut ab eo procedens; aliarum autem rerum non sicut ex eis procedens, sed sicut omnium perfecta ratio, per quam res in esse produxit. Inquantum enim Deus res in esse produxit non naturali necessitate, sed quasi per intellectum et voluntatem, omnia fecit per Verbum suum, quod est ratio rerum factarum per ipsum, iuxta illud *Ioan.* I, *Omnia per ipsum facta sunt.* Cui consonat etiam modus loquendi Moysi in rerum creatione, cum ait, *Dixit Deus, Fiat lux et facta est lux,* et sic de aliis; et cum dicitur in Psalmo, *Dixit et facta sunt:* sensus enim est quod Deus Verbum producit, per quod res in esse produxit, sicut per earum rationem perfectam.

2. Ad huius evidentiam, considerandum est quod de ratione verbi intellectus est esse repraesentativum per modum obiecti intrinseci illius rei quae intelligitur. Nam non ponimus verbum in intellectu nisi ut intellectui repraesentet obiectum in esse intelligibili repraesentatione actuali et expressa, terminante actum intellectus: sicut species ponitur ut repraesentet obiectum habitualiter, et constituat intellectum in actu primo. Ideo necesse est quod unum verbum sit repraesentativum omnium quae uno actu intelligendi, quo producitur tale verbum, simul intelliguntur. Propterea optime infert Sanctus Thomas, ex eo quod Deus, intelligendo se, intelligit omnia alia, quod sit unum et idem Verbum Dei et omnium rerum.

Sed quia scientia practica et speculativa differunt eo quod practica non solum sit cognoscitiva, sed etiam factiva rerum, speculativa vero sit cognoscitiva tantum: ideo verbum inquantum terminat cognitionem speculativam, habet tantum habitudinem repraesentativi ad rem intellectam; ut autem terminat cognitionem practicam, non solum habet ad rem intellectam habitudinem repraesentativi, sed etiam habitudinem factivi, per modum rationis faciendi. Ideo bene inquit Sanctus Thomas quod Verbum divinum omnium quae facta sunt est perfecta ratio, per quam Deus res in esse produxit.

Rursus consideranda est alia differentia verbi in scientia et cognitione. Nam quando scientia est a rebus causata, sicut est scientia nostra, ipsum verbum non solum causatur et producitur ab intellectu, sed etiam a re quae intelligitur, inquantum similitudo in intellectu existens, quae est a rebus causata, ad productionem verbi per modum formae concurrit. Quando autem scientia non est causata a rebus intellectis, sicut est scientia divina, verbum procedit quidem ab intellectu intelligentis, sed non a re intellecta, sed magis res intellecta ab ipso procedit. Propterea bene inquit Sanctus Thomas quod Verbum Dei est ipsius quidem Dei tanquam ab eo procedens: – intellige, non tantum tanquam ab intelligente, sed etiam tanquam ab obiecto intelligibili, inquantum Deus est res intellecta et forma qua eius intellectus intelligit – aliarum autem rerum non est verbum tanquam ab ipsis procedens, cum scientia Dei non causetur a rebus; sed magis sit rerum causa, licet producatur ab eo quod habet rationem formae intelligibilis omnium rerum.

3. Considerandum secundo, quod ex diverso modo se habendi Verbi divini ad Deum dicentem et ad alias res, habetur quod Verbum dicitur personaliter tantum in divinis. Id quod tenuit Sanctus Thomas determinate in Prima Parte, q. XXXIV, a. 1: licet oppositum videatur, sequendo aliorum opiniones, tenuisse I *Sent.*, d. XXVII*. Nam cum Verbum ponatur sic Verbum Dei quod ab ipso reali processione, non autem secundum rationem tantum procedit; quod autem significat aliquid ab alio realiter procedens, personaliter tantum dicatur: necesse est Verbum personaliter tantum dici.

* Qu. II, a. 2, qua 1.

Quamvis etiam posset dici, secundum mentem Sancti Thomae *Verit.*, q. IV, a. 2, quod, cum verbo intellectus nostri duo conveniant, scilicet quod est intellectum, et est expressum ab intelligente atque ab ipso per actum

intelligendi realiter productum, Verbum dupliciter sumi potest in divinis. Uno modo proprie, quantum videlicet ad omnia quae de ratione verbi sunt in nobis: et sic personaliter tantum dicitur, ratione dicta. Alio modo communiter, quantum videlicet ad rationem intellecti tantum: et sic essentialiter dici potest, quia in hoc quod dico *intellectum inquantum huiusmodi,* non importatur processus realis ab alio. *Veruntamen,* ut ibidem ait Sanctus Thomas, et I *Sent.,* ubi supra, *quia omnes sancti utuntur in divinis nomine Verbi prout personaliter dicitur, magis dicendum est ipsum personaliter dici, quia nominibus utendum est ut plures utuntur**.

II *Topic.*, II, 5.

4. Advertendum quoque quod, cum verbum respectum importet ad id cuius est verbum, tanquam eius repraesentativum; vel etiam factivum, si sit factivum rei intellectae; et Verbum Dei sit etiam Verbum omnium intellectorum a Deo: necesse est dicere quod Verbum in divinis non solum importat habitudinem ad dicentem, a quo procedit, sed etiam habitudinem ad creaturam, cuius est repraesentativum et factivum; sed respectus eius ad dicentem est realis, ad creaturam vero est rationis. Et hoc est de mente Sancti Thomae Prima, q. XXXIV, a. 3; et *Verit.,* eadem quaestione, a. 5. Quod quidem non est sic intelligendum quasi Verbum ex proprietate personali dicat habitudinem ad creaturas, ut videtur voluisse Aureolus, apud Capreolum, Primo, d. XXVII*; – hoc enim non est verum: proprietate enim personali dicit tantum habitudinem ad dicentem, a quo personaliter sua proprietate distinguitur – sed quia, cum habitudine personali ad dicentem, importat etiam habitudinem ad creaturam tanquam ad rem dictam.

Qu. II, a. 2, p. 252.

VIII. Circa praedicta autem triplex dubium occurrit. Primum est: an ita Verbum Dei sit etiam Verbum omnium creaturarum quod, sicut de scientia divinae essentiae procedit, ita etiam de scientia procedat creaturae?

Vid. num. x.

Secundum est*: an nomen *Verbi,* quod dictum est importare habitudinem ad dicentem et ad rem dictam, significet formaliter relationem, sicut hoc nomen *Filius?* an significet primo absolutum, et secundario respectum tanquam connotatum?

Vid. num. XI.

Tertium est*: quia Sanctus Thomas, I *Sent.,* d. XXVII** videtur tenere quod Verbum non semper dicat respectum ad creaturam.

* Qu. II, a. 3.

IX. Ad primum videtur velle Sanctus Thomas quod Verbum Dei non solum procedat a Deo de scientia divinae essentiae, sed etiam de scientia creaturarum. Nam hoc loco, et in Prima Parte, loco allegato*, assignat rationem quare sit unicum Verbum, et quare sit unum et idem Verbum Dei et creaturarum, quia, intelligendo seipsum, intelligit omnia alia: quasi oporteat, sicut est una Dei et omnium aliorum cognitio in Deo, ita Verbum sit unum, utpote divinae cognitioni adaequatum. Expressius autem hoc ostenditur Prima Parte, eadem quaestione, a. 1, ad 3, ubi inquit Sanctus Thomas quod *Pater, intelligendo se et Filium, et Spiritum Sanctum et omnia alia quae in eius scientia continentur, concipit Verbum, ut sic tota trinitas Verbo dicatur et etiam omnis creatura.*

Sc. q. XXXIV, 3.

Hoc autem non sic intelligo quasi prius secundum rationem Deus Pater intelligat quicquid naturaliter relucet in divina essentia, quam producat Verbum, ita quod eius intellectio actualis prius ad rem cognitam terminetur. Nam, apud Sanctum Thomam, verbum ponitur in intellectu ad hoc ut intellectus in rem intellectam feratur: cum per ipsum verbum sit res intellecta in actu completo quantum ad esse intelligibile et obiectivum. Et ideo non est prius ipsum intelligere, ut ad rem intellectam terminatur, quam sit verbi productio, alioquin nulla esset necessitas ponendi verbum propter intellectionem: sed e contrario prius oportet intelligere actum intelligendi producere verbum, quam terminari ad rem intellectam ut in se est, tanquam ultimate terminans intellectionem; verbum enim est id in quo videtur res intellecta.

Videntur autem ad hunc sensum accipienda esse verba et propositum Sancti Thomae: scilicet quod Deus eodem actu intelligendi quo et se et omnia alia intelligit, concipit Verbum, in quo et se et omnia alia intuetur; ita quod prius, secundum nostrum modum intelligendi, actus divini intellectus terminatur ad Verbum tanquam eius productio, quam terminetur ad divinam essentiam et ad creaturas tanquam ad res intellectas. Et ideo, cum dicitur Verbum divinum *de scientia Patris originari,* intelligendum est aut accipiendo scientiam Patris per modum actus primi, non autem per modum actus secundi: aut etiam accipiendo ipsum actum secundum, qui est cognitio, ad hunc sensum, quod ab illa cognitione procedit qua Deus Pater et se et alia cognoscit, quae quidem prius, secundum rationem, ad ipsum Verbum, tanquam ad terminum per ipsam productum, terminatur, quam ad se et ad creaturas tanquam ad res intellectas.

2. Non obstant autem huic determinationi obiectiones Scoti, in II *Sent.,* d. I, q. I, a. 2*, quibus probat quod Verbum non procedit ut Verbum divinae essentiae et omnis intelligibilis. Nam cum arguit primo quia, pari ratione, *Spiritus Sanctus spiraretur ut amor Dei et omnis amabilis intellecti:* – dicitur primo, quod nullum inconveniens est Spiritum Sanctum spirari ut amorem Dei et amorem omnis rei amatae a Deo, ad sensum superius expressum: quia videlicet illo actu quo Deus et se et omne amabile diligit, producitur Spiritus Sanctus, secundum quod omnem creaturam in seipso amat, utpote tanquam in bonitate divina contentam. Non tamen, sicut seipsum necessario absolute amat, ita et necessario omnem amat creaturam: sicut eodem actu quis fertur in finem et in id quod vult propter finem, non tamen eadem necessitate fertur in utrumque, quando finis sine illo quod quis vult propter finem, potest haberi.

* Fol. 2 v.

Dicitur secundo, quod non est eadem ratio de amore et de Verbo. Quia intelligere divinum est ex eo quod res est in divino intellectu secundum suam similitudinem, inquantum divina essentia est similitudo naturalis omnium quidditatum. Ex hoc enim sequitur quod Deus naturaliter omnem quidditatem creatam intelligat, loquendo de simplicis intelligentiae notitia: et consequenter quod Verbum ab ipso naturaliter procedens sit a notitia non solum Dei, sed etiam creaturarum, quantum ad earum quidditates. Velle autem est per hoc quod voluntas in volitum inclinatur. Et ideo, cum voluntas non feratur naturaliter, sed libere, in esse creaturarum secundum quod in seipsis sunt, non habet amor divinus, a Deo naturaliter procedens, inquantum huiusmodi, quod sit amor creaturarum, sed tantum amor Dei: licet, secundum rem, eodem amore feratur Deus in seipsum et in creaturam.

3. Cum arguit secundo, quia sequeretur quod *Verbum procederet de seipso ut noto Patri:* – dicitur, si sic intelligatur quod Verbum procedit ab ipsa notitia qua Pater cognoscit Verbum, aut etiam a Verbo habitualiter noto, inquantum essentia divina se habet ut species intelligibilis omnis rei intellectae, quod hoc non est magis inconveniens quam quod Deus eodem actu intelligat se et Verbum suum: cum illo actu Verbum concipiat, et utriusque essentia divina sit quasi cognitio habitualis. Unde dictum est de mente Sancti Thomae superius* quod Pater, *intelligendo se et Filium et Spiritum Sanctum, concipit Verbum.* – Si autem intelligatur quod notitia Patris prius terminatur ad Verbum tanquam ad cognitum, deinde ab ipso Verbo ut cognito procedat ipsum Verbum: negatur sequela; quia non dicimus ad hunc sensum Verbum procedere ut Verbum omnis intelligibilis, ut patuit.

* Num. 1 huius parag.

4. Cum arguit tertio, quia tunc esset relatio realis Dei ad creaturam: cum *genitum ad id de quo gignitur, realiter referatur:* – constat sequelam nullam esse. Quia non dicimus Verbum originari de ipso cognito quasi prius res cognoscatur quam Verbum, in quo videtur, originetur: sed quia illo actu quo Deus cognoscit se et Verbum et creaturam, ipsum Verbum producit, in quo omne ab ipso cognitum relucet obiective et terminative, sicut in eius essentia relucent omnia tanquam in actu primo, secundum quod per modum speciei intelligibilis consideratur.

X. Ad secundum dubium*, mihi videtur tenendum id quod tenet Sanctus Thomas in Qu. *de Verit.,* quaestione

* Num. VIII.

allegata a. 5*; et I *Sent.*, ubi supra**, scilicet quod Verbum, cum sit notitia genita, dicit absolutum et relationem; et quod principaliter dicit absolutum, secundario autem relationem ad dicentem et ad ea quae exprimuntur Verbo; ex quibus respectus ad dicentem est realis, respectus autem expressivi ad res dictas est respectus rationis. Moveor quia verbum in nobis videtur significare principaliter absolutum, sicut et scientia: cum significat conceptionem intellectus, ut in infinitis locis ponit Sanctus Thomas. Unde, cum ex iis quae in intellectu nostro inveniuntur nomine Verbi utamur in divinis, videtur quod idem in Deo significet quod in nostro intellectu, servata differentia quae inter divina et humana merito est ponenda.

* Sc. qu. IV.
** Sc. dist. XXVII, qu. II, a. 3.

Nec obstant verba Sancti Thomae in Prima, quaestione allegata*, a. 3, ad 4, in quibus aliqui oppositam opinionem fundant, cum ait quod *nomen Verbi principaliter impositum est ad significandum relationem ad dicentem.* Manifestum est enim consideranti responsionem illam quod non dicit illud Sanctus Thomas comparando relationem ad dicentem importatam nomine Verbi ad absolutum quod eodem nomine importatur, sed ad relationem quam ad creaturas per Verbum repraesentatas importat. Vult enim quod, quamvis cum absoluto quod primo significatur nomine Verbi, importetur habitudo ad dicentem et habitudo ad res Verbo dictas; illa tamen habitudo quae est ad dicentem, prius importatur quam habitudo quae est ad creaturas dictas et productas Verbo divino, et ideo non dicitur pluraliter in divinis, ut dicatur plura Verba; sicut nomen *ideae,* quod, cum absoluto quod importat, est principaliter impositum ad significandum respectum ad creaturam, non autem respectum ad Deum producentem, et ideo pluraliter dicitur, quia respectus ad creaturam multiplicantur secundum multiplicationem relationum creaturarum ad Deum.

* Sc. qu. XXXIV.

Non obstat etiam quod non erit nomen personale. Dicitur enim quod ad rationem nominis personalis sufficit ut importet habitudinem originis unius personae ad aliam, sive illam de principali significato importet, sive de secundario: ut patet de nomine *missionis,* apud Sanctum Thomam, Primo, d. XV, q. I, a. 2.

2. Si autem instetur ulterius, quia Sanctus Thomas, Prima Parte, q. XXIX, a. 4, vult quod *nomine personae divinae formaliter significetur relatio subsistens,* et sic videtur quod nomen personale primo et principaliter significet relationem: – dicitur quod, licet hoc nomine *persona divina* importetur relatio subsistens, non oportet tamen ut omne nomen personale principaliter relationem importet, sed sufficit ut relationem personalem importet sive primo sive secundario: sicut hoc nomen *Deus genitus* est nomen personale, et tamen non primo dicit relationem, sed essentiam in concreto, et secundario relationem tanquam proprietatem personalem suppositi.

3. Si etiam instetur quod sequetur nomine Verbi principalius et prius importari respectum ad creaturam: quia, si principaliter importat absolutum, sequitur quod principaliter importat respectum illum qui absolutum concomitatur; talis est autem respectus Verbi ad creaturam, cum non conveniat Verbo ratione proprietatis personalis. Hoc autem est contra id quod tenet Sanctus Thomas loco allegato*: – dicitur primo, quod non omne essentiale in divinis praecedit notionale aut personale, secundum modum intelligendi, sed solum illud essentiale quod absolute dicitur: *sapiens* enim, *bonus, iustus,* et huiusmodi, praeintelliguntur notionalibus; non autem *creare, esse Dominum,* et huiusmodi, quae actualem habitudinem ad creaturam important. Et ideo, quamvis nomine Verbi primo importetur essentia, quae est aliquid absolutum, non sequitur tamen quod prius importetur habitudo ad creaturam quam personalis habitudo.

* Supra in hac parag., *Nec obstat.*

Dicitur secundo quod, dato etiam quod respectus ille essentialis esset prior respectu personali, non oporteret tamen ut prius nomine Verbi importaretur. Potest enim nomen imponi ad significandum principalius id quod posterius est, et secundario id quod est prius: sicut concretum accidentis imponitur principaliter ad significandum accidens, et secundario substantiam importat, cum tamen accidens sit posterius substantia. Et sic nomen Verbi potest principalius significare essentiam cum habitudine personali, et secundario respectum essentialem significare.

4. Non obstat etiam quod Sanctus Thomas in Prima Parte, quaestione supradicta*, a. 2, inquit quod *Verbum significat quandam emanationem intellectus:* emanatio autem illa est personalis proprietas Filii. – Dicitur enim quod Verbum vocatur emanatio terminative, non autem formaliter. Et est sensus quod Verbum est aliquid emanans per intellectum sicut cum hoc loco* inquit quod verbum aliquando dicitur *explicatio divini conceptus per opera exteriora,* sicut et *explicatio divinae sapientiae per opus dicitur sapientia.* Constat enim quod non intendit ipsam explicationem formaliter sumptam dici Verbum aut sapientiam, sed quod ipsum opus explicans et manifestans Verbum verbi nomen accipit, et opus quo divina sapientia manifestatur, etiam dicitur sapientia. Nam hunc sensum dat intelligere dum ibidem ait quod *exterior effectus ex conceptione sapientiae proveniens sapientia dici potest, per modum quo effectus nomen causae sibi assumit;* et quod *id quod Verbo efficitur, verbi nomen accepit.*

* Sc. qu. XXXIV.
* Vid. text., *Sed quia Apost.;* et cf. n. VI.

Cetera quae ad hanc materiam spectant, vide apud Capreolum, in XXVII *dist.* I *Sent.**

* Qu. II, concl. 5.

XI. Ad tertium* potest primo responderi, ut Capreolus** et alii Thomistae dicunt, quod Sanctus Thomas id quod in I *Sent.* dixit, in Prima Parte retractavit.

* Num. VIII.
** Loc. cit., fin. (p. 246).

Secundo potest responderi, iuxta ea quae dicuntur *Verit.,* q. IV, a. 5*, quod non intendit in I *Sent.* Verbum nullo modo dicere respectum ad creaturas: sed quod non dicit illum primo et principaliter, sed tantum secundario et consequenter; sicut Deus primo et principaliter se intelligit, secundario autem et consequenter creaturam, secundum scilicet nostrum modum intelligendi. Et hoc idem intenditur in Prima Parte et hoc loco.

* Vid. num. X, 1.

Tertio potest responderi quod de nomine Verbi divini dupliciter loqui possumus: uno modo, quantum ad eius totale significatum absolute; alio modo, quantum ad partialem acceptionem significati eius ab intellectu nostro. Primo modo, importat semper respectum ad creaturam: quia Deus suo Verbo dicit se et omnem creaturam. Et sic loquitur Sanctus Thomas in Prima Parte. – Secundo modo, non oportet ut dicat semper respectum ad creaturam: quia possumus considerare divinum Verbum praecise ut ipso Deus seipsum dicit, et tunc non consideratur cum respectu ad creaturam. Et ad hunc sensum locutus est in I *Sent.*, ut patet consideranti verba eius ibidem. Et est simile sicut si quaeramus utrum nomine *scientiae divinae* importetur respectus ad creaturam. Dicetur enim quod, secundum totale suum significatum accepto nomine scientiae divinae, utique connotatur respectus ad creaturam: quia Deus sua scientia non tantum cognoscit se, sed etiam creaturam. Si autem consideremus scientiam divinam partialiter, scilicet quantum ad hoc tantum quod per ipsam Deus cognoscit se, constat quod, ut sic, aliquem respectum ad creaturam non connotat.

XII. Secunda conditio Verbi divini est*, quod *per ipsum omnia conservantur in esse.* Probatur. Quia idem est causa conservationis et productionis eorum. Per Verbum vero omnia facta sunt. – Confirmatur auctoritate Psalmi, *Verbo Domini caeli firmati sunt;* et *ad Heb.* I, *Portans omnia* etc.

* Vid. num. VII, init.

Circa hanc propositionem, *Idem est causa conservationis rerum et productionis ipsarum,* dubitatur: quia domificator est causa domus; et tamen non est causa conservationis ipsius, cum, cessante eius operatione, ipsa permaneat.

Respondetur primo, quod non loquitur Sanctus Thomas de causa particulari alicuius rei, sed de universali causa productiva omnium rerum, qualis est Deus et Verbum divinum.

Secundo, quod etiam in causis particularibus habet veritatem quando aliquid est causa productionis alicuius quantum ad esse, sicut sol est causa luminis in aere, quia esse luminis in aere non potest sine solis actione continuari: non autem quando est causa quantum ad fieri

tantum. Domificator autem est causa domus quantum ad fieri tantum, non autem quantum ad esse.

XIII. Tertia conditio Verbi est, quod *non solum per ipsum aliquid agitur, sed etiam ipsum agit.* Pro hac probanda praemittit Sanctus Thomas Verbum a ratione artificiati quae est in mente artificis in hoc differre, quod ipsum est subsistens, illa vero non. Et ideo illi rationi non convenit proprie ut agat, sed ut ea agatur: cum *agere sit subsistentis.* Verbo autem convenit ut agat. Ex quo arguitur sic. Verbum divinum, quod est ratio rerum factarum a Deo, est Deus subsistens. Ergo non solum per ipsum aliquid agitur, sed etiam agit. – Confirmatur auctoritate *Proverb.* VIII., *Cum eo eram cuncta componens;* et *Ioan.* V, *Pater meus operatur, et ego operor.*

XIV. Quarta conditio est, quod *res factae a Deo praextiterunt in ipso immaterialiter et absque compositione, et nihil aliud in eo sunt quam ipsum Verbum, quod est vita.* Probatur, praemissa alia conclusione, scilicet quod *in Verbo omnia quae facta sunt praextiterunt etiam antequam essent in propria natura.* Quae probatur: quia res facta per intellectum praeexistit in ratione intellectus, tanquam videlicet in suo exemplari, ante etiam quam sit in seipsa; Verbum autem Dei est ratio omnium eorum quae a Deo sunt facta. Tunc sic. Modus Verbi Dei est quod sit unum, simplex, immateriale, non solum vivens, sed etiam vita: cum sit suum esse. Ergo etc. – Probatur consequentia. Quia *quod est in aliquo, est in eo per modum eius in quo est, et non per proprium modum.* – Confirmatur auctoritate *Ioan.* I, *Quod factum est in ipso vita erat.*

2. Advertendum circa assumptum ad probationem consequentiae, quod illud non est sic intelligendum quasi absolute nihil sit in alio secundum proprium modum: – sunt enim multa quae eundem modum habent in seipsis et in alio: quia videlicet proprius eorum modus est etiam modus eorum in quibus sunt; sicut exemplar materiale et exemplatum, in quibus est forma secundum eundem modum essendi – sed quia necesse est ut quod est in aliquo aut sicut forma in subiecto, aut sicut effectus in causa, aut sicut cognitum in cognoscente, sit in eo secundum modum ipsius, non autem necesse est ut sit in eo secundum proprium modum; sicut videmus materialia in intellectu esse immaterialiter, et calorem esse in sole non formaliter sicut in igne, sed secundum quandam eminentiam. – Quamvis etiam posset dici quod nunquam aliquid est in alio modis dictis secundum proprium modum, idest secundum proprium esse quo in seipso subsistit: quia in alio non habet proprium esse, quod esse sibi secundum naturam convenit, sed habet esse conveniens illi in quo est. – Hanc materiam, quomodo scilicet omnia sint vita in Deo, pertractat Sanctus Thomas Prima, q. XVIII, a. 4; et *Verit.*, q. IV, a. 8.

3. Advertendum ulterius quod, cum aliquid sit in altero per modum ipsius, videndum est an recipiens natum sit illud recipere secundum esse aliquod a proprio esse distinctum, an non. Quia si natum est illud recipere secundum aliud esse, illud quidem quod in ipso recipitur, habebit modum essendi conformem modo recipientis, non autem erit idem cum ipso: sicut res materialis recipitur quidem in intellectu immaterialiter, secundum quod exigit intellectus, non tamen est ipse intellectus. Si autem non sit natum habere in se aliquid secundum aliud esse, non solum quod est in ipso habet eundem modum essendi quem ipsum habet, sed etiam est ipsum, sicut cum effectus est in causa: nam non distinguitur effectus prout est in causa ab ipsa causa, sed est ipsa causa aut virtus eius. Quia ergo Verbo divino nihil potest advenire extraneum aut distinctum ab ipso secundum esse, eo quod sit Deus, quicquid autem est in Deo sit ipse Deus: necesse est ut omne quod in Verbo est, sit ipsum Verbum; et consequenter, si Verbum est vita, necesse est ut quod est in ipso, sit vita.

XV. Quinta conditio est: *Per Verbum Dei omnis intellectualis cognitio causatur.* Probatur. Omnis intellectualis cognitio ab intellectu divino derivatur. Cuius ratio est Verbum. Ergo etc.

Probatur consequentia. Quia qui alium docet, per rationem quam apud se habet, scientiam causat in illo: cum scientia discipuli sit deducta a scientia docentis, sicut imago quaedam ipsius. – Confirmatur auctoritate Ioannis dicentis, *Vita erat lux hominum:* quia videlicet ipsum Verbum, quod est vita, manifestat, ut lux quaedam, mentibus hominum veritatem.

Advertendum, ex doctrina Sancti Thomae Prima Parte, q. CXVII, a. 1, quod, licet tam Deus quam homo causet scientiam in alio, hoc tamen differenter fit. Nam homo, per suam scientiam directus tanquam per exemplar causat scientiam in alio, non quidem ipsam scientiam imprimendo, *nec causando in discipulo lumen intelligibile aut intellectuales species;* sed tantum *proponendo ei aliquas propositiones minus universales, quas discipulus ex naturaliter praecognitis diiudicare potest; vel proponendo ei aliqua sensibilia exempla, aut ordinem principiorum ad conclusiones, ex quibus intellectus addiscentis manuducitur in cognitionem veritatis ignotae.* Unde homo docens *non est principale agens, sed sicut coadiuvans agens principale,* scilicet intellectum addiscentis: sicut et medicus non est principalis causa sanitatis, sed coadiuvans naturam, *adhibendo cibos et medicinas, quibus natura ad finem intentum adiuvatur.* – Deus autem, ultra haec, est etiam causa luminis intellectualis, et cognitionis naturalis primorum principiorum. Unde est causa principalis scientiae in nobis, non autem tantum coadiuvans.

Quia autem posset aliquis instare quod Verbum Dei non est causa cognitionis in hominibus tanquam quaedam lux veritatis manifestativa, quia non omnes homines ad cognitionem veritatis perveniunt, sed aliqui sunt tenebrosi: – removet hoc Sanctus Thomas, inquiens non esse hoc ex defectu Verbi, sed ex defectu hominum, qui ad Verbum non convertuntur, nec id plene capere possunt: sicut, luce corporei solis per orbem diffusa, tenebrae non sunt nisi ei qui oculos clausos vel debiles habet. Unde in hominibus tenebrae maiores aut minores remanent, secundum quod magis aut minus convertuntur ad Verbum et capiunt ipsum. Ad hoc autem significandum, subiunxit Ioannes praedictis verbis quod *lux in tenebris lucet, et tenebrae eam non comprehenderunt.*

# CAPITULUM DECIMUM QUARTUM

## SOLUTIO AD RATIONES SUPRA INDUCTAS CONTRA GENERATIONEM DIVINAM.

QUIA vero veritas omnem falsitatem excludit et dubietatem dissolvit, in promptu iam fit ea dissolvere quae circa generationem divinam difficultatem afferre videbantur*.

Iam enim ex dictis* patet quod in Deo generationem intelligibilem ponimus, non autem talem qualis est in materialibus rebus, quarum generatio mutatio quaedam est, corruptioni opposita*: quia neque verbum in intellectu nostro cum

*Supra, cap. x.

*Cap. XI.

*Cap. X, *Nam cum gen.*

3 fit] sit EFHX*bcd*.

aliqua mutatione concipitur, neque habet oppositam corruptionem; cui quidem conceptioni similem esse Filii Dei generationem, iam patet ex dictis.

Similiter etiam verbum quod in mente nostra concipitur, non exit de potentia in actum* nisi quatenus intellectus noster procedit de potentia in actum. Nec tamen verbum oritur ex intellectu nostro nisi prout existit in actu: simul autem cum in actu existit, est in eo verbum conceptum. Intellectus autem divinus nunquam est in potentia, sed solum in actu, ut supra* ostensum est. Generatio igitur Verbi ipsius non est secundum exitum de potentia in actum: sed sicut oritur actus ex actu, ut splendor ex luce, et ratio intellecta ex intellectu in actu. Unde etiam apparet quod generatio non prohibet Dei Filium esse verum Deum, aut ipsum esse aeternum. Quin magis necesse est ipsum esse coaeternum Deo, cuius est Verbum: quia intellectus in actu nunquam est sine verbo.

Et quia Filii Dei generatio non est materialis, sed intelligibilis, stulte iam dubitatur si Pater totam naturam dedit aut partem*. Manifestum est enim quod, si Deus se intelligit, oportet quod tota plenitudo ipsius contineatur in Verbo. Nec tamen substantia Filio data desinit esse in Patre: quia nec etiam apud nos desinit esse propria natura in re quae intelligitur, ex hoc quod verbum nostri intellectus ex ipsa re intellecta habet ut intelligibiliter eandem naturam contineat.

Ex hoc etiam quod divina generatio non est materialis, manifestum est quod non oportet in Filio Dei esse aliud recipiens, et aliud naturam receptam*. Hoc enim in materialibus generationibus accidere necesse est inquantum materia generati recipit formam generantis. In generatione autem intelligibili non sic est. Non enim sic verbum ab intellectu exoritur quod pars eius praeintelligatur ut recipiens, et pars eius ab intellectu effluat, sed totaliter verbum ab intellectu originem habet: sicut et in nobis totaliter unum verbum ex aliis oritur, ut conclusio ex principiis. Ubi autem totaliter aliquid ex alio oritur, non est assignare recipiens et receptum, sed totum quod exoritur ab eo est a quo oritur.

Similiter etiam patet quod non excluditur divinae generationis veritas ex hoc quod in Deo plurium subsistentium distinctio esse non possit*. Essentia enim divina, etsi subsistens sit, non tamen potest separari a relatione quam oportet in Deo intelligi ex hoc quod Verbum conceptum divinae mentis est ab ipso Deo dicente. Nam et Verbum est divina essentia, ut ostensum est; et Deus dicens, a quo est Verbum, est etiam divina essentia; non alia et alia, sed eadem numero*. Huiusmodi autem relationes non sunt accidentia in Deo, sed res subsistentes: Deo enim nihil accidere potest, ut supra* probatum est. Sunt igitur plures res subsistentes, si relationes considerentur: est autem una res subsistens, si consideretur essentia. Et propter hoc dicimus unum Deum, quia est una essentia subsistens: et plures Personas, propter distinctionem subsistentium relationum. Personarum enim distinctio, etiam in rebus humanis, non attenditur secundum essentiam speciei, sed secundum ea quae sunt naturae speciei adiuncta: in omnibus enim personis hominum est una speciei natura, sunt tamen plures personae, propter hoc quod distinguuntur homines in his quae sunt adiuncta naturae. Non ergo in divinis dicenda est una persona propter unitatem essentiae subsistentis: sed plures, propter relationes.

Ex hoc autem patet quod id quod est quasi individuationis principium, non sequitur esse in alio*: nam neque essentia divina est in alio Deo, neque paternitas est in Filio.

Quamvis autem duae personae, Patris scilicet et Filii, non distinguantur essentia, sed relatione, non tamen relatio est aliud quam essentia secundum rem*: cum relatio in Deo accidens esse non possit. Nec hoc impossibile reputabitur si quis diligenter consideret ea quae in Primo determinata sunt, ubi ostensum est* quod in Deo sunt omnium entium perfectiones, non secundum compositionem aliquam, sed secundum simplicis essentiae unitatem. Nam diversae perfectiones quas res creata per multas obtinet formas, Deo competunt secundum unam et simplicem eius essentiam. Homo enim aliquis per aliam formam vivit, et per aliam est sapiens, et per aliam est iustus: quae omnia Deo per essentiam suam conveniunt. Sicut igitur sapientia et iustitia in homine quidem sunt accidentia, in Deo autem sunt idem quod divina essentia: sic aliqua relatio, puta paternitatis et filiationis, etsi in hominibus sit accidens, in Deo est divina essentia.

Non autem ideo dicitur quod divina sapientia sit eius essentia, cum in nobis sapientia super essentiam addat, quasi divina sapientia a nostra sapientia deficiat: sed quia eius essentia nostram essentiam excedit, ita quod id ad quod essentia nostra non sufficit, scilicet scire et iustum esse, Deus secundum suam essentiam habet perfecte. Oportet igitur quod quicquid nobis convenit secundum essentiam et sapientiam distinctum, simul Deo secundum essentiam suam attribuatur. Et similis ratio in aliis est observanda. Cum igitur divina essentia sit ipsa paternitatis vel filiationis relatio, oportet quod quicquid est paternitatis proprium Deo conveniat, licet paternitas

*Cap. x. *Amplius. Si generatio.*
*Lib. I, c. XLV.
*Cap. x, *Adhuc. Genitum.*
*Ibid., *Item. Si Filius.*
*Ibid., *Praeterea. Si Filius.*
*Cap. XI.
*Lib. I, cap. XXII.
*Cap. x, *Adhuc. Illud.*
*Ibid., *Amplius. Si Pater.*
*Cap. XXX sq.

7 quatenus] quantum EGX; nisi ... in actum *hom om* N. 11 divinus *om* EGX*b*. 15 actus ex actu] actus ab actu D, ex actu actus P*d*. 25 Deus se *om* EX, totum *addunt* GN*b*. 31 eandem naturam] numero *addunt* P*d*. 32 etiam *om* EGX, autem ZP*c*. 46 est *om* EGX*b*. 48 veritas] unitas P*c*.

2 enim] autem ENX; *pro* nihil accidere, accidere nihil NX, accidere non E, accidere *b*. 4 res *om* EGX, *post* subsistentes NsG. — relationes pGsE*b*P*c*; ad relationes *ceteri*. 7 Deum] esse *addunt* GP*c*. 8 subsistentium relationum *om b*, subsistentium *om* EGNX. 11 sed ... speciei *hom om* EGX; *pro* adiuncta, adiunctam *iidem*. 19 autem *om b*; patet *om* EG. 23 scilicet *om* DFZ, *ante* Patris EGNX. 26 rem] esse EGX*b*. 27 impossibile] possibile αY*c*. 35 aliquis] quod est animal P*d*. 37 essentiam *post* suam EGNX*b*. 51 distinctum] distinctam EGX*b*, distincte Y, distinctim P*d*.

sit ipsa essentia. Est autem hoc proprium paternitatis, ut a filiatione distinguatur: dicitur enim pater ad filium quasi ad alium, et haec est ratio patris ut sit filii pater. Licet ergo Deus Pater sit divina essentia, et similiter Deus Filius, ex hoc tamen quod est Pater, distinguitur a Filio, licet sint unum ex hoc quod uterque est divina essentia.

Ex hoc etiam patet quod relatio in divinis non est absque absoluto*. Aliter tamen comparatur ad absolutum in Deo quam in rebus creatis. Nam in rebus creatis comparatur relatio ad absolutum sicut accidens ad subiectum: non autem in Deo, sed per modum identitatis, sicut est et de aliis quae de Deo dicuntur. Idem autem subiectum non potest oppositas relationes in se habere, ut sit idem homo pater et filius. Sed essentia divina, propter omnimodam eius perfectionem, idem est et sapientiae et iustitiae et aliis huiusmodi, quae apud nos in diversis generibus continentur. Et similiter nihil prohibet unam essentiam esse idem et paternitati et filiationi, et Patrem et Filium unum Deum esse, licet Pater non sit Filius: eadem enim essentia est quae est res habens esse naturaliter, et Verbum intelligibile sui ipsius.

Ex his etiam quae dicta sunt, potest esse manifestum quod relationes in Deo sunt secundum rem, et non solo intellectu*. Omnis enim relatio quae consequitur propriam operationem alicuius rei, aut potentiam aut quantitatem aut aliquid huiusmodi, realiter in eo existit: aliter enim esset in eo solo intellectu, sicut apparet de scientia et scibili. Relatio enim scientiae ad scibile consequitur actionem scientis, non autem actionem scibilis, scibile enim eodem modo se habet, quantum in se est, et quando intelligitur et quando non intelligitur: et ideo relatio in sciente realiter est, in scibili autem secundum intellectum tantum; dicitur enim quod intelligitur scibile ad scientiam relative ex eo quod scientia refertur ad ipsum. Simile quoque apparet in dextro et sinistro. In animalibus enim distinctae sunt virtutes ex quibus relatio dextri et sinistri consurgit: propter quod talis relatio vere et realiter in animali existit; unde, qualitercumque vertatur animal, semper relatio eodem modo manet, nunquam enim pars dextra sinistra dicetur. Res vero inanimatae, quae praedictis virtutibus carent, non habent in se huiusmodi relationem realiter existentem, sed nominantur secundum relationem dextri aut sinistri ex eo quod animalia aliquo modo se habent ad ipsam: unde eadem columna nunc dextra, nunc sinistra dicitur, secundum quod animal ex diverso situ ei comparatur. Relatio autem Verbi ad Deum dicentem, cuius est Verbum, in Deo ponitur ex hoc quod Deus seipsum intelligit, quae quidem operatio in Deo est, vel magis est ipse Deus, ut supra* ostensum est. Relinquitur igitur praedictas relationes in Deo esse vere et realiter, et non solum secundum intellectum nostrum.

Quamvis autem in Deo ponatur esse relatio, non tamen sequitur quod in Deo sit aliquid habens esse dependens*. In nobis enim relationes habent esse dependens, quia earum esse est aliud ab esse substantiae: unde habent proprium modum essendi secundum propriam rationem, sicut et in aliis accidentibus contingit. Quia enim omnia accidentia sunt formae quaedam substantiae superadditae, et a principiis substantiae causatae; oportet quod eorum esse sit superadditum supra esse substantiae, et ab ipso dependens; et tanto uniuscuiusque eorum esse est prius vel posterius, quanto forma accidentalis, secundum propriam rationem, fuerit propinquior substantiae vel magis perfecta. Propter quod et relatio realiter substantiae adveniens et postremum et imperfectissimum esse habet: postremum quidem, quia non solum praeexigit esse substantiae, sed etiam esse aliorum accidentium, ex quibus causatur relatio, sicut unum in quantitate causat aequalitatem, et unum in qualitate similitudinem; imperfectissimum autem, quia propria relationis ratio consistit in eo quod est ad alterum, unde esse eius proprium, quod substantiae superaddit, non solum dependet ab esse substantiae, sed etiam ab esse alicuius exterioris. Haec autem in divinis locum non habent: quia non est in Deo aliquod aliud esse quam substantiae; quicquid enim in Deo est, substantia est. Sicut igitur esse sapientiae in Deo non est esse dependens a substantia, quia esse sapientiae est esse substantiae; ita nec esse relationis est esse dependens neque a substantia, neque ab alio exteriori, quia etiam esse relationis est esse substantiae. Non igitur per hoc quod relatio in Deo ponitur, sequitur quod sit in eo aliquod esse dependens; sed solum quod in Deo sit respectus aliquis, in quo ratio relationis consistit; sicut ex hoc quod sapientia in Deo ponitur, non sequitur quod sit in eo aliquid accidentale, sed solum perfectio quaedam in qua ratio sapientiae consistit.

Per quod etiam patet quod ex imperfectione quae in relationibus creatis esse videtur, non sequitur quod personae divinae sint imperfectae, quae relationibus distinguuntur: sed sequitur quod divinarum personarum minima sit distinctio.

Patet etiam ex praedictis quod, licet *Deus* de Patre et Filio substantialiter praedicetur, non tamen sequitur, si Pater et Filius sint plures

*Cap. x, *Si quis autem.*

*Ibid. *Praeterea. Oportet.*

*Lib. I, cap. XLV.

*Cap. x, *Item. Omne.*

7 sint] sit ZP. 13 Deo] sic *addunt* P*d*. 14 est et *om* N, et *om* EGXP. dicuntur] dividuntur EGN. 16 filius] secundum idem *addunt* P*d*. 19 aliis huiusmodi] huiusmodi aliae EGN, huiusmodi alia X*b*. 20 similiter] simul BDFHY, sic WP*d*. 22 Deum *om* EGX*b*, *post* esse N. 24 esse naturaliter] realiter E, *(spat.)* realiter G, esse naturale N, esse realiter X. 26 etiam *om* N, autem EGX. 39 tantum *om* EGX*b*. quod intelligitur] intelligi E, et intelligi G, et intelligibile et N, et intelligitur *b*. 42 distinctae *om* X, *post* sunt WP*c*. 45 existit] consistit αDWYZP. 46 nunquam] quam BFH, unumquodque Z; Y *legit:* relatio manet eodem numero quia eius pars ... nunquam dicetur. 47 dicetur] indicetur E, traducetur N. 51 aut] vel EGNX, et HZ. 52 ipsam] ipsa *b*, ipsum P.

5 et non solum] non Z, non solum P. 7 in Deo ponatur] imponatur EGN, ibi ponatur X. 9 relationes *post* habent αDWYZ*cd*. 18 prius vel posterius] prius (principalius X) et perfectius EGNX*b*; et *etiam* D. 29 unde] unde et EGNX. 32 Haec ... habent] Hoc ... habet *b*P*c*. 35 Sicut] si C, sic P. 39 alio] aliquo ZP*c*. 52 sit distinctio] est (sit *cd*) discretio EGN*cd*; est *etiam* X. 55 si] quod EGX, quod si NsG.

quidam, quod sint plures dii*. Sunt enim plures propter distinctionem subsistentium relationum: sed tamen sunt unus Deus propter unitatem essentiae subsistentis. Hoc autem in hominibus non contingit, ut plures aliqui sint unus homo: quia essentia humanitatis non est una numero in utroque; neque essentia humanitatis est subsistens, ut humanitas sit homo.

Ex hoc autem quod in Deo est essentiae unitas et relationum distinctio, manifestum fit quod nihil prohibet in uno Deo opposita quaedam inveniri*: illa dumtaxat opposita quae relationis distinctionem consequuntur, ut *generans* et *genitum*, quae opponuntur relative, et *genitum* et *ingenitum*, quae opponuntur ut affirmatio et negatio. Ubicumque enim est aliqua distinctio, oportet inveniri negationis et affirmationis oppositionem. Quae enim secundum nullam affirmationem et negationem differunt, penitus indistinctae sunt: oportet enim quod quantum ad omnia unum esset quod et alterum, et sic essent penitus idem, et nullo modo distincta.

Haec igitur de generatione divina dicta sufficiant.

* Cap. x, *Adhuc. Si Pater.*
* Ibid., *Amplius. Opposita.*

---

1 quidam *Ita* EGY *et, ut videtur, ex* quadam sN, quidem BCFW*c*, *om* DHZ*b*, personae P*d*; quidam ... plures *hom om* X. sin- plures dii] sint (sunt E) dei EG, sunt plures dei N; X *vide var. praeced.* 8 homo *om* αDWYZ. 9 autem *om* αW. est essentiae unitas et relationum distinctio] est essentia (essent essentiae G) et relative autem distinctio EG, est essentia et relatio X, est essentiae unitas et relatio et relationum distinctio *b*. 11 Deo] duo EGX.
3 quae opponuntur *om* EG; 2 relative ... quae opponuntur *hom om* X. 5 inveniri] invenire P*c*.

## Commentaria Ferrariensis

POSTQUAM determinavit Sanctus Thomas quid de divina generatione sit tenendum, consequenter, quia veritas omnem falsitatem excludit et dubietatem dissolvit, vult rationibus in oppositum factis, cap. x*, respondere.

* Cf. Comm. ibid., init.

I. *Ad primam** quidem ait quod generatio in rebus materialibus est mutatio corruptioni opposita: non autem generatio intelligibilis, etiam in nobis, qualem dictum est esse Filii generationem in divinis*.

* Text. *Iam enim.*
* Cap. xi.

2. Circa hanc responsionem dubitatur: quia videtur quod etiam intelligibilis conceptio, in nobis saltem, sit mutatio; quia intellectus concipiens transit de potentia ad actum, dum prius poterat verbum concipere, et postmodum actu concipit.

Ad huius evidentiam, considerandum est, ex doctrina Sancti Thomae *Pot.*, q. III, a. 2, quod in qualibet mutatione proprie dicta requiritur ut sit aliquod subiectum commune utrique termino mutationis: et in generatione et corruptione requiritur ut tale subiectum sit ens in potentia, quod aliter se habeat nunc et prius. Unde ad hoc ut productio alicuius sit mutatio, requiritur aut quod ipsum sit aliquod compositum ex forma, quae est terminus formalis productionis, et materia, quae est potentia ad illam formam; aut quod sit actus recipientis tanquam existentis in potentia, non autem tanquam existentis in actu. Verbum autem non est aliquid compositum ex forma et materia: cum sit aliquid simplex. Neque etiam est actus intellectus tanquam existentis in potentia, sed tanquam existentis in actu: cum non adveniat intellectui nisi inquantum est in actu per speciem intelligibilem, et etiam per actum intelligendi quo ipsum verbum producitur. Ideo verbi productio neque etiam in intellectu nostro habet rationem mutationis.

3. Cum autem dicitur quod intellectus, concipiendo verbum, transit de potentia ad actum: – negatur, loquendo de potentia passiva. Immo ab uno actu transit ad alium actum, absque deperditione alterius actus.

Cum vero probatur, quia prius poterat verbum concipere, et postea actu concipit: – dicitur primo, quod illud *posse* non accipitur secundum potentiam passivam, sed secundum potentiam quasi activam; sicut cum dicitur quod ignis potest calefacere.

Dicitur secundo, conformiter ad responsionem immediate dandam ad secundum, quod verbum non oritur ex intellectu secundum quod est in potentia ad actum intelligendi, sed secundum quod est actualiter intelligens.

4. Si instetur quia, licet verbum intellectus nostri proveniat ab intellectu inquantum est in actu, in ipso tamen recipitur inquantum est in potentia passiva, quia recipere potentiae passivae est: et sic videtur quod intellectus transeat de potentia passiva ad actum dum concipit verbum, et consequenter quod mutetur: – dicitur quod ad hoc ut aliquis actus habeat rationem mutationis, non sufficit quod recipiens terminum illius actus se habeat aliquo modo ad ipsum sicut potentia receptiva: sed requiritur quod sit potentia receptiva tantum, et nullo modo activa illius actus dum ipsum recipit; sicut materia, quae recipit formam per generationem, nullo modo est illius formae, aut illius actionis qua forma producitur, activa. Intellectus autem est receptivus verbi producendo ipsum, quia simul ipsum recipit et producit. Ideo neque recipiendo verbum transit de potentia pure passiva ad actum: neque mutari proprie dicitur, sicut neque subiectum dicitur proprie mutari dum suscipit passionem cuius est aliquo modo activum.

II. *Ad secundam** dicit primo, quod in nobis verbum non exit de potentia in actum nisi inquantum intellectus procedit de potentia ad actum: neque oritur tamen ex intellectu nisi prout existit in actu.

* Text. *Similiter etiam verbum.*

Dicit secundo quod, quia intellectus divinus nunquam est in potentia, sed solum in actu, generatio Verbi ipsius non est secundum exitum de potentia in actum, sed sicut oritur ex actu actus, ut splendor ex luce, et ratio intellecta ex intellectu in actu.

Dicit tertio, quod non sequitur Dei Filium non esse verum Deum, aut non esse aeternum. Immo necesse est ipsum esse coaeternum Deo, cuius est Verbum: quia intellectus in actu nunquam est sine verbo.

2. Attendendum est responsionem Sancti Thomae ad hoc tendere quod, licet aliquo modo et secundum quid possit concedi verbum humanae mentis exire de potentia in actum, inquantum intellectus noster de potentia in actum procedit, sive de habitu in actum quo producitur verbum (quod tamen non est simpliciter verum: quia verbum non oritur ex intellectu dum est in potentia, sed dum est in actu intelligendi): nullo tamen modo concedendum est Verbum divinum exire de potentia in actum, quia intellectus divinus nunquam est potentia intelligens, sed semper in actu, et per consequens non procedit de potentia in actum. Dicitur autem oriri sicut actus ex actu, quia oritur ex intellectu semper existente in actu, et nunquam existente in potentia. Ex hoc autem patet non sequi, si Filius intelligibili generatione producitur, quod sit mutabilis, aut quod non sit aeternus.

3. Advertendum etiam quod dicitur proprie aliqua forma procedere de potentia in actum, quando producitur in aliquo quod ad ipsam comparatur sicut potentia omnino passiva ad actum, utpote quod omnino illa forma ex se caret. Hoc autem non convenit verbo in ordine ad intellectum, etiam nostrum, specie intelligibili actuatum: quia intellectus sic actuatus et est verbi productivus, non solum receptivus; et habet in se formam in qua virtualiter ver-

bum continetur. Multo quoque minus se habet pure passive ad verbum quando est sub actuali intellectione qua ipsum verbum producitur: cum tunc sit in ultima sui actualitate, quae est quodammodo ipsum verbum; nam verbum est terminus intrinsecus intellectionis, quae est ultima actualitas intellectus. Optime ergo ostendit Sanctus Thomas quod verbum intellectus nostri non exit proprie de potentia ad actum quando producitur, quia non oritur ex intellectu nisi prout existit in actu, scilicet tam secundo quam primo. Nam quod oritur ex aliquo de potentia passiva in actum, oritur ex eo secundum quod est in potentia passiva illius et caret illo, sicut forma ignis oritur ex ligno: non autem secundum quod est in actu, et aliquo modo actualiter habet formam.

* Text. *Et quia.*

III. *Ad tertiam** dicit primo, quod stulte dubitatur si Pater totam naturam dedit Filio, an partem tantum: quia Filii generatio est intelligibilis. Manifestum est enim quod, si Deus se intelligit, tota plenitudo eius in Verbo continetur.

Dicit secundo, quod propter hoc non desinit substantia Filio data esse in Patre. Quia nec etiam apud nos desinit esse propria natura in re quae intelligitur, ex eo quod verbum intellectus nostri ex ipsa re intellecta habet ut intelligibiliter eandem naturam numero contineat.

* Cap. XI.

2. Circa primum dictum considerandum est, ut ex superius* dictis constat, quod Verbum est expressivum et repraesentativum rei intellectae intellectui, et tantum se extendit intellectio quantum Verbi repraesentatio se extendit. Ideo, si Deus seipsum intelligit, perfecte scilicet et complete, necesse est ut totam naturam Patris habeat. Et hoc est quod innuit Sanctus Thomas, quoniam *ex eo quod Deus seipsum intelligit,* scilicet perfecte, *necesse est ut tota plenitudo Dei contineatur in Verbo.*

* Ibid.

3. Circa secundum dictum considerandum primo, ex iis quae in superioribus* declarata sunt, quod verbum et conceptio intellectus nostri est eiusdem rationis cum re a qua huiusmodi conceptio est causata, differens ab ipsa secundum modum essendi. Nam eadem est ratio conceptionis lapidis in intellectu, et lapidis extra intellectum, sed in intellectu habet esse immateriale, extra intellectum vero habet esse materiale. Quod autem verbum sit talis rationis, habet ab ipsa re: nam quod conceptio lapidis sit lapis intellectus, provenit ex eo quod est a lapide materiali causata, et est illius expressa et adaequata similitudo. Hoc autem fit absque eo quod res intellecta, quae dat verbo ut sit talis naturae intelligibiliter, propriam naturam amittat. Eodem modo, quod Verbum divinum intelligibiliter contineat eandem numero naturam quam habet Pater, ex quo procedit, est absque hoc quod talis natura desinat esse in Patre. Et quia intelligere et esse in Deo sunt idem, absque hoc quod natura desinat esse in Patre, potest tota esse in Filio, non solum intelligibiliter, sed etiam secundum esse naturale, et secundum eundem modum essendi. Et hoc est huius responsionis fundamentum.

Considerandum secundo, quod natura potest dici una numero dupliciter. Uno modo, materialiter: inquantum videlicet est limitata ad unum individuum per principia aliqua individuantia sub ipsa contentum; sicut humanitas Sortis est una numero, et humanitas Platonis est alia numero, et sic de aliis. Alio modo, formaliter: inquantum videlicet in seipsa consideratur tanquam quoddam unum, et indivisum secundum differentiam formalem, divisum autem a quacumque alia natura; et sic humanitas, secundum se et absolute considerata, est una numero, quia per unam indivisibilem differentiam constituitur. Cum ergo hic dicitur quod verbum intellectus nostri intelligibiliter continet eandem numero naturam quam habet res intellecta, non intelligitur de unitate materiali, quasi verbum et res intellecta sint unum individuum et singulare sub eadem specie contentum: – nam constat quod res primo intellecta ab intellectu nostro non est natura singularis, sed natura universalis: similiter verbum non repraesentat intellectui naturam singularem, sed universalem – sed intelligitur de identitate formali. Verbum enim alicuius rei intellectae non est alia natura, inquantum verbum, quam natura rei intellectae secundum quod habet esse intelligibile in actu: nam conceptus quem format intellectus de homine, non est aliud quam ipse homo, qui extra intellectum existens habet esse materiale, in intellectu vero habet esse immateriale et intelligibile; et ipse homo existens extra intellectum causat in intellectu ipsum conceptum eandem naturam indivisibilem formaliter quam ipse habet intelligibiliter continentem.

* Text. *Ex hoc etiam quod.*

IV. *Ad quartam** dicit primo, quod in materialibus quidem generationibus aliud est recipiens et aliud natura recepta, inquantum materia generati recipit formam generantis. In generatione autem intelligibili non est sic: quia verbum ab intellectu totaliter originem habet; sicut in nobis unum verbum totaliter oritur ex alio, ut conclusio ex principiis. Ubi autem totaliter aliquid ex alio oritur, non est assignare recipiens et receptum, sed totum quod exoritur ab eo est a quo oritur.

2. Advertendum circa istam propositionem, *Ubi aliquid totaliter ex alio oritur, non est assignare recipiens et receptum,* quod potest intelligi de recipiente praesupposito rei quod est pars intrinseca rei productae, et est aliud a producente, sicut materia est pars compositi ex materia et forma, et est aliud a generante: non autem de eo recipiente quod simul est et producens et recipiens ipsum quod totaliter producitur. Intellectus enim noster recipit ipsum verbum a se totaliter productum, cum non sit subsistens, sed intellectui inhaereat. Et sic in productione verbi ab intellectu nostro est aliquid recipiens, scilicet intellectus, et aliquid receptum scilicet verbum: sed tamen illud recipiens non est pars verbi producti, propter quam possit dici quod aliquo modo praeexistebat secundum suam partem potentialem, sed magis est id secundum quod potest dici quod praeexistebat in sua potentia productiva.

Secundo potest intelligi de productione rei subsistentis, cuiusmodi est Verbum divinum. Si enim esset in tali productione assignare aliquid recipiens praeexistens et aliquid receptum, tunc tale necessario praeexisteret secundum aliquid sui. Quia, cum res subsistens non sit nata in alio recipi secundum se totam, necesse esset ut tale recipiens quod praesupponeretur, esset pars rei productae: et sic praefuisset secundum aliquam sui partem; et consequenter non esset totaliter ortum ex alio. Si ergo aliquid totaliter ex alio oritur, ibi non est ponere aliquid recipiens et aliquid receptum.

* Text. *Similiter etiam patet.*

V. *Ad quintam** dicit primo quod, quamvis divina essentia sit subsistens, non potest tamen a relatione Verbi et dicentis separari: quia tam Verbum quam Deus dicens est divina essentia, et una numero.

Dicit secundo, quod huiusmodi relationes non sunt accidentia in Deo, sed res subsistentes. Et ideo sunt plures res subsistentes, si relationes considerentur: est autem una res subsistens, si consideretur essentia. Propter unam essentiam subsistentem, dicimus unum Deum esse: propter distinctionem vero relationum subsistentium, plures esse personas. Quia etiam in rebus humanis personarum distinctio non attenditur secundum essentiam speciei, sed secundum ea quae sunt speciei adiuncta.

2. Adverte responsionem ad hoc tendere quod, cum arguitur: Pater et Filius conveniunt in una re subsistente. Ergo et in persona: – si per rem subsistentem intelligatur res absoluta, quae est essentia, conceditur antecedens: sed negatur consequentia. Et cum probatur quia in intellectualibus naturis res subsistens vocatur persona: dicitur quod illud est verum inquantum res subsistens est individua substantia; nam, ut hic dicitur, personarum distinctio in hominibus est secundum ea quae naturae speciei adiunguntur, scilicet propter principia individuantia. Essentia autem divina, licet sit subsistens, non tamen se habet tanquam individua substantia. – Si vero per rem subsistentem intelligatur relatio subsistens: sic, negatur antecedens. Quamvis enim Pater et Filius conveniant in una essentia subsistente, non tamen conveniunt in una subsistente relatione constituente personam Patris aut Filii, sed paternitas convenit Patri, filiatio vero Filio.

* Cap. XI.

Advertendum ulterius quod, ut ex superioribus* constat, verbum importat relationem ad dicentem, est enim verbum

quod a dicente profertur: dicens vero ad verbum relationem importat, cum dicere nihil aliud sit quam verbum proferre. Et ideo, cum tam Verbum quam Deus dicens sit divina essentia, bene hic dicitur quod essentia divina a relatione Verbi et dicentis separari non potest: sicut videlicet non potest separari a Verbo et a Deo dicente.

Advertendum etiam, cum dicitur in humanis non attendi personarum distinctionem secundum essentiam speciei, quod hoc non sic intelligendum est quasi natura speciei nullo modo multiplicetur in diversis personis: – hoc enim falsum est, cum in pluribus hominibus plures sint humanitates numeraliter distinctae – sed quia secundum rationem speciei absolute consideratam, quantum videlicet ad ea dumtaxat quae sunt de ratione speciei, non distinguuntur personae, cum natura sic considerata una sit in omnibus hominibus: sed distinguuntur per principia incommunicabilia addita naturae speciei, quibus ipsa limitatur et fit haec et individua; talia enim principia in diversis hominibus sunt diversa.

*Text. *Ex hoc autem patet.*

VI. *Ad sextam** inquit quod non sequitur id quod est quasi individuationis principium, esse in alio. Nam neque essentia divina est in alio Deo, neque paternitas est in Filio.

Ad evidentiam huius responsionis, considerandum est quod, cum Pater et sit Deus, et sit suppositum relativum, dupliciter possumus assignare aliquid in ipso tanquam principium individuationis. Uno modo inquantum est Deus: ut scilicet dicatur illud eius principium individuativum per quod est unus Deus et indivisus. Et sic essentia divina potest dici principium individuationis Patris: per ipsam enim, cum sit forma immaterialis, et non per aliquid aliud, habet Pater et quod sit Deus, et quod sit unus Deus; ipsa enim non est nata convenire alicui qui sit alius Deus a Patre. – Alio modo, inquantum est suppositum relativum: ut scilicet dicatur eius principium individuativum per quod est unum tale suppositum indivisum in se et divisum a quolibet alio supposito relativo. Et sic paternitas est eius principium individuativum.

Vult ergo respondere Sanctus Thomas quod, si loquamur de principio individuationis Patris primo modo, conceditur totum, excepta ultima consequentia. Conceditur enim quod essentia divina non est in alio supposito qui sit alius Deus a Patre; negatur autem illa consequentia, *Ergo non est in Filio*. Filius enim non est alius Deus a Patre, sed sunt unus Deus subsistens propter unitatem essentiae, ut dictum est in responsione ad quintam rationem*.– Si vero loquamur de principio individuationis secundo modo, sic manifestum est concedendum esse quod non est in Filio: paternitas enim non est in Filio. Et sic non sequitur, ut ratio supponit, si ponatur generatio in divinis, quod principium individuationis Patris, eo modo quo sibi attribuitur tale principium, sit in alio, scilicet supposito relativo.

*Num. v.

*Text. *Quamvis.*

VII. *Ad septimam**, admittendo responsionem ibi datam et eam explicando, dicit primo quod, quamvis duae personae Patris et Filii non distinguantur essentia, sed relatione, non tamen relatio est aliud quam essentia secundum rem: cum relatio in Deo accidens esse non possit, ut patet ex iis quae determinata sunt in primo libro de perfectionibus omnium entium. Quemadmodum enim illae in Deo sunt secundum simplicis essentiae unitatem, et non sunt accidentia in eo, sed ipsa divina essentia; ita relatio paternitatis et filiationis, licet in hominibus sit accidens, in Deo tamen est divina essentia.

Dicit secundo quod, cum divina essentia sit ipsa paternitatis et filiationis relatio, oportet quod quicquid est paternitatis proprium, Deo conveniat. Et ideo, cum proprium paternitatis sit ut a filiatione distinguatur, cum pater dicatur ad filium tanquam ad alium: licet Deus Pater sit divina essentia, et similiter Deus Filius, ex hoc tamen quod est Pater, distinguitur a Filio.

Ex iis vult habere Sanctus Thomae quod non sequitur personam Patris esse compositam, licet in ea sit aliquod principium distinguens praeter essentiam: quia tale principium est idem realiter quod essentia, licet distinguatur secundum rationem relationis ab ea. Quae ratio, ut dicebat responsio, nihil, ut sic, rei superaddit quae est essentia, sed tantum dicit respectum ad aliud.

2. Ad impugnationem vero responsionis datae*, dicit primo, quod utique relatio in divinis non est absque absoluto.

*Text. *Ex hoc etiam patet.*

Dicit secundo, quod talis relatio non comparatur ad absolutum sicut accidens ad subiectum, ut in rebus creatis accidit: sed per modum identitatis.

Dicit tertio quod, licet idem subiectum non possit oppositas relationes in se habere, nihil tamen prohibet essentiam divinam unam existentem, sicut propter omnimodam eius perfectionem idem est sapientiae et iustitiae et aliis huiusmodi quae in diversis generibus continentur, ita esse idem paternitati et filiationi, et Patrem et Filium unum Deum esse.

3. Advertendum primo, cum dicitur in creaturis relationem comparari ad absolutum sicut accidens ad subiectum, quod per *absolutum* non intelligit Sanctus Thomas fundamentum relationis, sed *subiectum,* quod scilicet denominatur tale relative. Ideo ex istis verbis non potest haberi quod universaliter, apud ipsum, relatio distinguatur a fundamento. Habetur bene quod nulla relatio quae immediate fundatur in substantia, est idem suo fundamento: cum relatio sit accidens, substantia autem creata nulli accidenti identificetur.

Advertendum secundo, cum dicitur idem subiectum non posse habere in se oppositas relationes, quod loquitur Sanctus Thomas de oppositione relativa relationum: non autem de oppositione contraria rationum formalium, secundum quod rationes includentes aliquo modo opposita, dicuntur opposita. Similitudo enim et dissimilitudo aliquo modo important rationes oppositas, scilicet convenientiam et disconvenientiam in qualitate: non tamen sunt relationes oppositae relative, quarum scilicet una dicatur ad alteram in concreto. Ideo possunt simul uni subiecto convenire respectu diversorum, aut etiam respectu eiusdem secundum diversa. Paternitas autem et filiatio relative opponuntur. Ideo non potest respectu eiusdem idem esse pater et filius. Neque pater et filius, qui relative opponuntur, possunt esse unus homo, sicut in divinis Pater et Filius sunt unus Deus: eo quod divina essentia sibi utramque relationem identificet, non autem ad ipsas comparetur sicut subiectum ad accidentia.

VIII. *Ad octavam rationem** dicit primo Sanctus Thomas quod relationes sunt in Deo secundum rem, et non solo intellectu. Quia relatio Verbi ad dicentem, cuius est Verbum, ponitur in Deo ex hoc quod Deus seipsum intelligit, quae quidem operatio est in Deo, immo est ipse Deus. Omnis autem relatio quae consequitur propriam operationem alicuius rei, aut potentiam aut quantitatem aut aliquid huiusmodi, realiter in eo existit: aliter enim esset in eo solo intellectu. Declaratur in scientia et scibili; et in dextro ac sinistro. – Quomodo scibile dicatur relative ad scientiam ex eo quod scientia refertur ad ipsum, declaratum est in praecedentibus*.

*Text. *Ex his etiam.*

*In praesenti textu.

2. Sed duplex dubium occurrit. Primum est, quia posset aliquis dicere quod, licet relatio Dei dicentis ad Verbum consequatur actionem Dei intelligentis seipsum, et propter hoc talis relatio sit realis; relatio tamen Verbi divini ad Deum dicentem non consequitur aliquam actionem Verbi terminatam ad Patrem. Et ideo ex hoc quod actio intelligendi est in ipso Deo, non sequitur quod Verbum ad Patrem relationem realem habeat, sed bene quod dicens habet realem relationem ad Verbum.

Secundum dubium* est quia, si relatio quae consequitur propriam rei operationem, est realis, sequitur quod Deus referatur ad creaturam relatione reali creationis: nam creare est propria Dei operatio, cum nulli alii conveniat. Hoc autem constat esse contra Sancti Thomae doctrinam*. Ergo etc.

*Vid. n. 4 in hac parag.

*Lib. II. cap. XII.

3. Ad primum dubium respondetur quod, licet relatio Verbi ad Deum dicentem non consequatur actionem aliquam Verbi terminatam ad dicentem tanquam ad productum per ipsam actionem, consequitur tamen actionem Dei intelligentis seipsum, quae est ipse Deus, sicut et relatio

Dei dicentis ad ipsum Verbum eandem actionem consequitur. Deus enim intelligendo seipsum producit Verbum: et sic intellectionem huiusmodi consequitur et relatio dicentis ad Verbum productum, et relatio Verbi ad dicentem.

Sed contra: quia eadem ratione posset dici quod relatio scibilis est realis, quia consequitur actionem scientis terminatam ad ipsum; ex hoc enim quod sciens intelligit aliquid, consequitur relatio scientis ad scitum, et sciti ad scientem.

Dicitur quod non est eadem ratio de relatione Verbi, et de relatione scibilis. Quia scibile, inquantum huiusmodi, nullum accipit esse reale ex ipso actu intelligendi: propter quod inquit hoc loco Sanctus Thomas quod scibile eodem modo se habet, quantum in se est, et quando intelligitur et quando non intelligitur; hoc est, nullam variationem suscipit ex eo quod intelligitur. Verbum autem intellectus per actum intelligendi accipit esse. Unde potest dici esse eandem actionem dicentis et Verbi: dicentis quidem ut dantis esse Verbo, Verbi autem ut per eam accipientis esse; sicut eadem est actio agentis et patientis materialiter sumpta, quam oppositae relationes consequuntur.

*Num. 2 huius parag.

4. Ad secundum dubium* respondetur primo, quod non dicit Sanctus Thomas omnem relationem quae consequitur quamcumque operationem esse aliquid realiter in ea: sed eam relationem quae *propriam operationem* rei consequitur. Dicitur autem propria operatio hoc loco, non omnis quae soli convenit rei, sed quae eius naturam consequitur: sicut in rebus materialibus, in quibus est generatio univoca, generare sibi simile in specie est propria rei operatio; similiter in cognoscentibus apprehendere rem sicut est, propria est operatio cognoscentis, inquantum est cognoscens in actu perfecto. Intelligere ergo divinum quo seipsum Deus intelligit, inquantum huiusmodi, est operatio quae naturam divinam naturaliter consequitur: non autem creare, quod est voluntarium. Ideo non sequitur, si relatio consequens actum dicendi est realis, quod similiter sit realis relatio illa quae consequitur creandi actum. – Huic interpretationi videtur favere Sanctus Thomas Prima, q. XXVIII, a. 1, ubi probat relationes quae consequuntur processiones divinas, esse reales, *quia processiones in divinis sunt in identitate naturae. Cum autem aliquid procedit a principio eiusdem naturae, necesse est ut procedens et id a quo procedit, in eodem ordine conveniant, et sic habeant respectus ad invicem.* Modo, constat quod operatio qua aliquid procedit a principio eiusdem naturae, est operatio quae naturam consequitur. Et sic videtur velle Sanctus Thomas operationem quam hic vocat *propriam rei operationem,* esse operationem naturam rei consequentem.

Secundo respondetur et dicitur primo, quod per *propriam operationem* intelligit Sanctus Thomas operationem non extraneam, sed quae a re ipsa elicitur. Et intendit quod quando relatio insurgit et advenit rei ex aliquo ad naturam rei pertinente, sive ex aliquo reali quod ad rem pertineat, tunc talis relatio est realis. – Dicitur secundo, quod tunc dicitur relatio consequi propriam operationem rei, aut formam aliquam eius, quando res ex talis operationis natura et entitate per se inclinatur et ordinatur ad aliud quadam necessitate: non autem quando ordinatur ad aliud ex sola rationis apprehensione. – Dicitur tertio, quod per nullam operationem divinam Deus ordinatur ad creaturam aut inclinatur: cum sua operatio sit sua substantia, quae ad nullum creatum naturali necessitate inclinatur, sed concipitur relative ex eo quod creatura talem operationem terminans ordinatur et inclinatur ad Deum tanquam ad suum perfectivum; sicut scibile nullum ex se ordinem habet ad scientiam, sed relative dicitur quia scientia ad ipsum ordinatur et habet habitudinem ad ipsum, ut dicitur hic, et V *Metaph**. – Ex iis patet illationem inductam falsam esse, et fundamentum eius esse nullum: scilicet quod Deus ex actione creandi habeat ordinem et inclinationem ad creaturam tanquam ad id ad quod dependentiam habeat. – Patet haec responsio ex doctrina Sancti Thomae I *Sent.*, d. XXVI*; *Pot.* q. VII, a. 10; et in aliis locis in quibus de hac materia loquitur.

*S. Th. lect. 17; Did. IV, xv, 8.

*Qu. II, a. 1.

5. Si instetur quod intellectio Dei speculativa, qua res creatas aut creabiles intelligit, est operatio naturalis Dei, cum Deus non possit illas non intelligere: et sic videtur quod Deus ex talis cognitionis natura habeat ordinem ad illas, et per consequens quod realiter referatur: – respondetur quod, licet Deus naturaliter res alias a se speculative cognoscat, non tamen sequitur quod ad illas naturalem habeat ordinem et inclinationem: quia non cognoscit illas nisi intelligendo essentiam suam, quae est primum divinae cognitionis obiectum, et in qua omnia repraesentantur; scientia autem non habet naturalem ordinem nisi ad primum et per se obiectum; non autem ad illa quae in tali obiecto cognoscuntur. Nec tamen sequitur quod scientia Dei realem relationem habeat ad ipsam essentiam. Deficit enim una conditio ad realem relationem requisita, scilicet quod sit inter ea quae sunt realiter distincta: scientia enim Dei ab essentia divina non distinguitur.

IX. *Ad nonam** dicit primo, quod in nobis relationes habent esse dependens, quia earum esse est aliud ab esse substantiae; et habent proprium modum essendi; causanturque a substantia, sicut et omnis alia forma accidentalis causatur a principiis substantiae.

*Text., *Quamvis autem.*

Dicit secundo quod, quia tanto esse uniuscuiusque formae accidentalis est prius vel posterius, quanto forma accidentalis secundum propriam rationem fuerit propinquior substantiae, vel magis perfecta; relatio, quia non solum praeexigit esse substantiae, sed etiam esse aliorum accidentium ex quibus causatur; et suum esse dependet non solum ab esse substantiae, sed etiam ab esse alicuius exterioris, scilicet termini, cum propria ratio relationis consistat in hoc quod est esse ad alterum; postremum et imperfectissimum esse habet.

Dicit tertio*, quod relatio in Deo non habet esse dependens neque a substantia, neque ab aliquo exteriori; quia in Deo esse relationis est ipsum esse substantiae, sicut et esse sapientiae. Sed bene in Deo est respectus aliquis, in quo ratio relationis consistit: sicut sapientia in Deo ponitur, non quia in ipso sit aliquod esse accidentale, sed quia in ipso est perfectio quaedam in qua sapientiae consistit ratio.

*Cf. n. XVIII, 1.

Ex quo infert corollarie non sequi ex imperfectione relationum creatarum, ipsas divinas personas, quae relationibus distinguuntur, esse imperfectas: sed tantum quod earum minima sit discretio*.

*Vid. text. e var.

2. Attendendum autem quod, licet esse relationis dependeat ab esse substantiae et ab esse termini, hoc tamen non est eodem modo quoad omnia. Ab utroque quidem dependet inquantum ad esse relationis requiritur ut sit substantia et sit terminus; sed a substantia dependet effective et subiective, inquantum omne accidens a principiis alicuius substantiae causatur et est in substantia sicut in subiecto: a termino vero formali sicut a causa *sine qua non.* – Quod autem dictum est, *omnem formam accidentalem causari ex principiis substantiae,* intelligendum est de accidentibus quae per actionem creatam producuntur in esse, non autem de iis quae per divinam actionem producuntur: in illis enim non est universaliter verum quod a principiis substantiae causentur. Unde *Pot.,* q. III, a. 3, ad 3, inquit Sanctus Thomas quod relatio creationis est quidem accidens, *non tamen est tale accidens quod ex principiis subiecti causetur.* Similiter dicendum est de gratia, et aliis similibus.

X. Sed circa primum et secundum dictum huius responsionis duplex dubium occurrit. Primum est, quia videtur velle Sanctus Thomas quod nulla relatio immediate fundetur in substantia, cum ait quod esse relationis *praeexigit esse aliorum accidentium in substantia.* Oppositum autem huius videtur esse de relatione creationis in creatura; et de relatione identitatis specificae substantiarum. Haec enim videntur in substantia immediate fundari, et non praeexigere esse aliorum accidentium in ipsa.

Secundum dubium est, quia videtur velle Sanctus Thomas hoc loco relationem realiter differre a suo fundamento, cum ait esse relationis *praesupponere esse aliorum accidentium ex quibus causatur.* Oppositum autem huius multi

Thomistae tenere videntur. Quaeritur ergo quae fuerit mens Sancti Thomae in hac materia.

XI. Ad primum dubium respondetur quod utique tenendum est aliquas relationes, quantum ad esse suum, immediate fundari in substantia: ut patet de relatione creationis passivae, et de relatione identitatis specificae. Propter quod inquit Sanctus Thomas, *Pot.*, q. VII, a. 9, ad 4, quod *creatura refertur ad Deum secundum suam substantiam sicut secundum causam relationis, sicut aliquid dicitur simile secundum qualitatem causaliter.*

Ad id autem quod hic dicitur, dupliciter potest responderi. Primo, secundum tenentes relationem immediate fundatam in substantia non esse in genere sed esse relationem transcendentem, quod dictum Sancti Thomae intelligitur de relationibus quae sunt in genere, non autem de relationibus transcendentibus.

Secundo, tenendo huiusmodi relationes esse de genere relationis, quod intelligitur de quantitate, potentia et huiusmodi, aut secundum rem, aut secundum modum. Relatio enim adeo debile esse habet quod non advenit substantiae nisi praeexistat in substantia esse alterius accidentis a quo causetur; aut ipsa substantia induat modum alterius accidentis. Et sic dicitur quod relatio immediate fundata in substantia praeexigit in substantia esse alterius accidentis *quantum ad modum*, non autem quantum ad rem. Identitas enim fundatur in substantia inquantum induit modum unitatis: nam unum in substantia facit idem. Similiter relatio creationis fundatur in ipsa inquantum induit modum potentiae passivae. Et sic de aliis. Unde Sanctus Thomas, articulo praeallegato, in corpore, ait quod *per substantiam et qualitatem non ordinatur aliquid ad alterum nisi secundum quod qualitas, vel forma substantialis, aut materia, habet rationem virtutis activam vel passivam, et secundum quod in eis consideratur aliqua ratio quantitatis.*

*Num. x. XII. Ad secundum dubium*, omissis rationibus multis quae pro utraque parte adduci possunt, et quae fortassis possent apparenter solvi, dicam quid de mente Sancti Thomae esse videatur, salvo semper meliori iudicio.

Unum mihi videtur in eius doctrina clarum, quantum ex eius verbis haberi potest. Alterum aliqualiter videtur esse dubium*. *Cf. num. XIII.

Clarum mihi videtur quod nulla relatio in creaturis est substantia: et consequenter quod nulla relatio immediate fundata in substantia est idem realiter suo fundamento. *Qu. I. Hoc habetur primo, ex I *Sent.*, d. IV*, a. 1, ad 3, ubi dicitur quod *nulla relatio est substantia in creaturis.* – Habetur secundo ex Qu. *de Pot.*, q. VIII, a. 2, ad 1, ubi dicitur quod *nulla substantia in genere potest esse relatio.* *Sc. in praesenti textu. – Habetur tertio ex IV Contra, c. XIV*; et I *Sent.*, d. XX, *Qu. I, a. 2. a. 1; d. XXI*; et XXXIII, a. 1; item Prima, q. XXVIII, a. 2, ubi tenet expresse Sanctus Thomas quod esse relationis distinguitur ab esse substantiae, et est illi superadditum.

2. Posset autem ad haec dicta Sancti Thomae dupliciter responderi. Primo, quod intendunt relationem non esse idem formaliter cum substantia, et similiter esse relationis cum esse substantiae, alia enim est ratio substantiae et alia ratio relationis: non autem quod non sint una res.

Secundo, quod intelliguntur de relatione quae immediate fundatur in accidente, ut similitudo, aequalitas, et huiusmodi. Certum est enim quod in istis relatio non est idem substantiae, secundum mentem Sancti Thomae: sicut nec aequalitas, nec quantitas nec actio et passio, super quibus fundatur, identificatur substantiae.

3. Sed quod nulla istarum responsionum sit ad mentem Sancti Thomae faciliter ostendi potest. Quod enim prima non sit secundum eius mentem, ostenditur primo, quia in Primo, d. IV, loco allegato, expresse ait quod *nulla relatio in creturis est substantia secundum rem.* – Secundo, quia subiungit ibidem quod *ideo oportet ut omne generatum sit compositum in creaturis;* et dist. XXXIII*, infert *Loc. cit.* quod, quia esse relationum distinguitur ab esse substantiae, *ideo dicuntur inesse, et secundum quod insunt, faciunt compositionem.* Constat autem quod ex distinctione formali sola non inferretur talis compositio. – Tertio, quia illa dixit ut ostenderet differentiam inter relationes creatas et relationes divinas: quia scilicet relationes divinae sunt idem quod substantia divina, non autem relationes creatae sunt idem quod substantia. Manifestum est autem quod non esset differentia inter huiusmodi relationes si intenderetur hoc tantum quod substantia creata non potest esse relatio formaliter: nam et divina essentia non est formaliter ipsa divina relatio, cum diversas habeant rationes, et diversos etiam habeant modos praedicandi, ut inquit Sanctus Thomas Prima, q. XXVIII, a. 2, ad 1*.

*Hic inserunt AP pericopam quae habetur infra XIV, 1, *Quartum est* etc. Vide notam ibi.

4. Quod etiam secunda responsio non sit ad mentem Sancti Thomae arguitur primo quia, de relatione quae est creatio loquens Sanctus Thomas, *Pot.*, q. III, a. 3, ad 3, inquit quod *est accidens, et secundum suum esse considerata, prout inhaeret subiecto, est posterius quam res creata.* Idem habetur Quolib. VII, a. 10, ad 4. Constat autem quod talis relatio non fundatur immediate in accidente, sed in substantia. – Secundo, quia loco praeallegato *Potentia,* q. VIII*, assignat rationem quare substantia in *Art. 2, ad 1. genere non est relatio, *quoniam,* inquam, *est determinatv ad unum genus, et per consequens excluditur ab alio genere.* Sed non solum relatio immediate fundata in accidente est in alio genere a genere substantiae, sed etiam quae immediate fundatur in substantia. Nam inquit Sanctus Thomas loco praellegato *Potentia,* q. III*, in corpore, quod *Art. 3. *creatio est in genere relationis.* Ergo etc.

XIII. Quod autem mihi dubium est in hac materia*, se- *Cf. n. XII, init. quendo doctrinam Sancti Thomae, est utrum aliae relationes, quae immediate fundantur in generibus aliis accidentium, sint a suis fundamentis realiter distinctae: an scilicet similitudo a qualitate distinguatur realiter, et aequalitas a quantitate, et sic de aliis. Hoc enim dubium est propter varia dicta Sancti Thomae, in quibus aliquando videtur velle quod sint idem, aliquando autem quod sint distincta. Veruntamen diligenter consideranti verba eius, videtur mihi de mente eius esse quod omnis relatio, etiam in accidente fundata, a suo fundamento realiter distinguatur.

2. Non moveor autem ad hoc propter id quod dicitur Prima, q. XXVIII, a. 2, ad 2, quod *in rebus creatis, in eo quod dicitur relative, praeter respectum est etiam absolutum, quod est alia res ab eo quod continetur sub significatione nominis relativi.* Dicerent enim, et vere, qui oppositum esse de mente Sancti Thomae tenent, quod per illud absolutum distinctum a relatione non intelligit Sanctus Thomas fundamentum relationis, quod est accidens, sed subiectum, quod est substantia. Nam fundamentum talium relationum, si est idem quod relatio, non est aliquid praeter significatum nominis relativi: sed bene subiectum, quod est substantia, est enim aliud et ab ipsa relatione, et a fundamento relationis.

Non etiam moveor propter rationem assignatam in Qu. *de Potentia**, quare substantia quae est in genere, non po- *Qu. VIII; cf. n. XII, 4. test esse relatio: quia videlicet *est determinata ad unum genus, et per consequens excluditur ab alio genere.* Nam si intelligatur ad hunc sensum, quasi velit Sanctus Thomas universaliter nullam rem quae est in uno genere, posse in alio genere ullo modo esse: erit contra id quod inquit XI *Metaph.*, lect. 9, in fine, ubi expresse tenet eandem rem posse in diversis praedicamentis esse propter diversum modum praedicandi. Unde posset responderi mentem Sancti Thomae esse quod, quia substantia est definita ad unum genus, scilicet substantiae, condivisum contra omnia genera accidentis realiter; ideo quod est in genere substantiae, non potest esse in aliquo aliorum generum, quia substantia non potest esse idem realiter accidenti. Non autem, si unum accidens sit in uno praedicamento, potest argui quod non sit in alio: quia non inconvenit unum accidens esse in diversis praedicamentis accidentium, quando tamen in sua ratione includit aliquid reale quod alterum non includit; nam si unum nihil aliud reale ab alio includeret, non possent ad duo genera pertinere. Et ad hunc sensum potest intelligi quod inquit Sanctus Thomas I *Sent.*, d. XXXIII, a. 3, ad 4: quod, inquam, *non invenitur in creaturis aliqua diversorum generum in identitatem rei convenire:* – in-

tellige, *omnino:* nam actio et passio, licet conveniant in eadem entitate motus, tamen in suis rationibus relationes realiter distinctas includunt.

3. Sed moveor propter duo dicta Sancti Thomae, quae mihi maxime huic proposito favere videntur. Primum dictum est XII *Metaph.*, in expositione textus 19*, ubi dicitur quod ***ea quae sunt ad aliquid, remotiora videntur esse a substantia quam alia genera ex eo quod sunt debilioris esse: unde et substantiae inhaerent mediantibus aliis generibus.*** Si enim *ad aliquid* sunt remotiora a substantia quam alia genera secundum suum esse; et inter substantiam et relationem mediant alia genera: manifeste relinquitur relationem ab aliis generibus in quibus fundatur, et esse relationis ab esse aliorum generum, realiter distingui; idem enim non est propinquum et remotum, mediatum et immediatum, respectu eiusdem.

Secundum dictum est IV *Contra,* cap. XIV*. Ibi enim, postquam dixit Sanctus Thomas quod esse relationis est superadditum esse substantiae, subiungit quod ***relatio adveniens substantiae postremum esse habet, quia praeexigit non solum esse substantiae, sed etiam esse aliorum accidentium ex quibus causatur.*** Ex iis enim verbis clarissime patet relationem praesupponere in substantia esse aliorum accidentium tanquam a se distinctorum, utpote quae ipsius sunt causae, et quorum esse est prius et perfectius esse relationis.

4. Ad istas auctoritates, si quis vellet non sequi mentem Divi Thomae, sed ipsum in suam sententiam trahere, posset utique dicere quod relatio inest substantiae mediantibus aliis accidentibus, non reali mediatione, quasi sint quaedam res media a substantia et a relatione distincta; sed formali mediatione, quia videlicet ratio absoluta illius rei quae est relatio, est prior ratione sui relativa, et ideo dicitur mediare inter substantiam et relationem.

Sed quod ista responsio non sit ad mentem Sancti Thomae patet primo, quia manifeste loquitur non de rationibus relationis et fundamenti, sed de esse ipsorum quae supra esse substantiale addunt. – Secundo, quia vult evenire propter debilitatem et imperfectionem esse relationis, quo inhaeret substantiae, quod inter esse substantiae et relationis mediet esse aliorum accidentium tanquam esse eorum quae sunt causa quod insit substantiae. Hoc autem non poneret si intelligeret unum esse immediatius substantiae secundum suam rationem tantum: non enim omne quod secundum suam rationem aliam rationem praesupponit, est eo imperfectius secundum esse suum.

Concludendum ergo videtur hanc fuisse mentem Sancti Thomae, quod omnis relatio a suo fundamento realiter distinguatur.

XIV. Sed circa hanc determinationem quaedam sunt quae difficultatem afferunt: quaedam scilicet dicta Sancti Thomae; et quaedam rationes. Primum dictum Sancti Thomae est V *Phys.*, lect. 3*, ubi ait quod, ***cum aliquis incipit alteri esse aequalis per illius mutationem, nihil ei advenit de novo.*** Hoc autem non esset verum si relatio esset entitas realiter a suo fundamento distincta.

Secundum est, quia *de Potentia,* q. VII, a. 8, tenet quod relatio non componit cum eo cuius est. Constat autem quod componeret si esset entitas a fundamento realiter distincta.

Tertium est, quia de *Potentia,* q. VIII, a. 2, vocat scientiam relationem.

Quartum est, (1) quia IV *Metaph.*, lect. 2, contra Avicennam instat ex hoc quod ***id quod est ad unum genus determinatum, non potest consequi omnia entia tanquam eorum accidens.*** Ex hoc enim arguitur sic. Quod est in uno determinato genere, non potest esse accidens omnium generum. Sed relatio est in uno determinato genere. Ergo non est accidens omnium generum. Ergo, cum omnibus entibus conveniat, non erit ab aliis generibus distincta.

2. Prima autem ratio est*, quia agens, inquantum agens, mutaretur. Causaret enim in se entitatem relationis sui ad passum, causando effectum suum.

Secunda est. Distantia localis est relatio. Et ista non distinguitur a suo fundamento. Ergo etc.* – Probatur antecedens. Si est talis entitas distincta, aut acquiritur in tempore, aut in instanti. Si in tempore: tunc, postquam aliquid perdidit partem continuitatis, erit contiguum, vel habebit contiguitatem, et non erit contiguum.– Si in instanti, aut mediato, aut immediato. Non immediato: quia instans non est immediatum instanti. Non etiam mediato: tum quia, cum inter duo instantia mediet tempus, illud esset distans sine distantia; tum quia nulla forma extensa acquiritur in instanti.

Tertia est. Duplicitas non distinguitur a fundamento. Ergo etc. – Probatur antecedens. Si distinguitur a quantitate, puta corporis bicubiti, quod est duplum ad corpus unius cubiti: aut est in qualibet parte illius; aut tota in toto et pars in parte. Non primum: quia tunc quaelibet pars illius esset dupla. – Non etiam secundum. Quia aut partes duplicitatis essent eiusdem rationis cum toto, aut non. Si primum, adhuc sequetur quod quaelibet pars sit dupla. Si secundum, contra: quod non habet extensionem et divisibilitatem ex se sed ex continuo, non est alio modo divisibile quam continuum, ut patet de albedine et aliis. Sed quantitas non est divisibilis nisi in partes eiusdem rationis. Ergo etc.

XV. Pro responsione ad dicta Sancti Thomae, notandum quod relatio tripliciter potest habere esse. Uno modo, fundamentale tantum: sicut cum in re est fundamentum relationis, nullo existente termino. Tunc enim relatio est virtualiter et inchoatione, inquantum est in re fundamentum unde nata est sequi relatio naturali sequela posito termino. – Alio modo, actualiter secundum esse proprium et distinctum in ordine ad suum terminum formalem, quem scilicet primo et per se respicit. – Tertio modo, actualiter secundum esse proprium in ordine etiam ad hunc determinatum terminum materialem. – Nam, Sorte unicum filium habente, relatio paternitatis est in ipso in actu tam secundum esse actuale, quam secundum esse fundamentale in ordine ad terminum formalem, scilicet filium absolute; et in ordine ad hunc materialem terminum, scilicet filium hunc quem habet. In ordine autem ad filium quem nondum habet, non est in actu: sed, illo postea nato, fit in actu etiam in ordine ad hunc ipsum secundum filium, ad quem prius actualem ordinem non habebat.

Notandum secundo, quod *mutari* dicitur aliquid quando accipit formam quam prius non habebat per actionem ad ipsum terminatam. Quando autem accipit formam aut entitatem aliquam per naturalem sequelam ad aliquid in ipso praeexistens resultantem, tunc non dicitur proprie mutari: quia mutatio est actio et passio materialiter. Si enim, sive per impossibile sive per possibile, impediretur anima ne ex ipsa eius potentiae fluerent et originarentur; postmodum, deducto impedimento, sequerentur ex ea: non proprie diceretur mutari homo per acceptionem illarum potentiarum, quia non acciperet eas per aliquam mediam actionem aut passionem, sed per naturalem resultantiam ex animae essentia; quamvis posset improprie dici mutari, quia haberet aliquam entitatem in actu completo quam prius habebat tantum incomplete et radicaliter. Sic ergo quia, secundum quod omnis receptio alicuius potest largo modo mutatio dici, relatio nata est sequi ex fundamento, posito termino, naturali sequela et concomitantia, non autem per actionem mediam: ideo, dum aliquis habens prius fundamentum tantum, posterius habet relationem ipsam secundum actum completum, non dicitur per acceptionem eius ipsum quod refertur proprie mutari; et propterea Philosophus V *Phys.**, ait quod ad ipsam ***non est motus primo,*** et quod advenit ***absque mutatione,*** praeexistente scilicet fundamento.

* Lect. 4; ad Didot XI, IV, 1.

* Sc. praesenti textu.

* Num. 8 (Romae 1884); ad cap. II, 1.

* Vid. n. XVII.

* Vid. apud Capreol., Primi d. XXX, q. I, obj. Greg., nonum medium p. 295, et resp. p. 307.

* Loc. cit.: s. Th. l. 3, n. 7, 8.

(1) *Quartum est ... distincta.* Haec pericopa tum in editione principe A, tum in Piana, ponitur supra num. XII, inter paragraphos nostras 3 et 4, qui tamen non est suus verus locus, cum nihil nexi habeat cum eis quae ibi tractantur. Transtulimus huc ubi proprium suum locum habet, sicut et ante nos iam fecit solers et egregius Professor Joachim Sestili in sua editione Romana 1901. Cf. infra num. XVI, 4, *Ad quartum.*

XVI. Ad primum itaque dictum Sancti Thomae* dupliciter potest responderi. Primo, quod mens Sancti Thomae est, nihil tunc advenire subiecto de novo *per aliquam mutationem in ipso factam.* Nam tunc dicitur relatio advenire de novo alicui per eius mutationem, quando totaliter advenit: scilicet et quantum ad suum esse, et quantum ad suum fundamentum. Tunc enim subiectum per actionem agentis, quae primo terminatur ad fundamentum, quae est forma absoluta, secundario vero ad relationem, transmutari dicitur. Non est autem mens eius quod nullo modo aliqua entitas ei de novo adveniat. – Potest autem hic sensus ex ipsis Sancti Thomae verbis haberi: nam constat quod loquitur quando aliquis, ipso non mutato, incipit alteri esse aequalis *per illius alterius mutationem.*

Secundo potest responderi quod loquitur quando aliquis habet relationem aequalitatis in actu respectu aliquorum habentium eandem quantitatem, sed non respectu alicuius eandem quantitatem non habentis. Si enim ille alius postea eandem quantitatem accipiat, tunc incipit illi esse aequalis, non quia adveniat sibi de novo entitas relationis, aut aliqua alia entitas: sed quia aequalitas quae prius inerat, determinatur ad hunc, ad quem prius non determinabatur. – Hic sensus haberi potest ex verbis Sancti Thomae cum ait*: *Cum ergo aliquis accipit illam quantitatem, ista communis radix,* scilicet quantitas in me praeexistens, *determinatur ad illum.*

Et sic patet quod dictum hoc non praeiudicat determinationi nostrae.

2. Ad secundum dicitur primo, quod loquitur Sanctus Thomas de subiecto, non de fundamento: scilicet quod relatio non componit cum eo quod dicitur relative.

Dicitur secundo, quod loquitur de relatione secundum propriam rationem, quae est ad aliud esse, non autem quantum ad suum esse. Componit enim cum suo subiecto inquantum illi inhaeret: sed inquantum ad alterum dicitur, non componit, quia inquantum dicit ordinem ad alterum, non habet ut aliquid reale dicat, ut inferius* declarabitur.

3. Ad tertium dicitur, quod accipit Sanctus Thomas abstractum pro concreto. Scientia enim potest accipi absolute, ut scilicet qualitas est praecise. Potest etiam accipi relative, scilicet ut connotat relationem ad scibile. Et sic dicitur scientia ut relatio, idest, ut relativum.

4. Ad quartum dicitur quod, licet ponamus omnem realem relationem esse a suo fundamento realiter distinctam, non tamen dicimus quod sit accidens omnium generum tanquam aliquid quod cum ente convertatur, ut de *uno* dicebat Avicenna*. Nam constat quod non est accidens ipsius generis relationis, cum relatio, secundum doctrinam Sancti Thomae, alia relatione a se distincta non referatur. Constat etiam quod non est accidens fundatum super *quando* et *ubi,* et similibus, ut ex Aristotele, V *Metaph.,* patet, et ex Sancto Thoma in capite *ad aliquid**. Ideo falsum est quod omnibus entibus conveniat tanquam fundamentis.

Dicitur secundo quod, dato quod super omnibus aliis generibus fundatur, adhuc non consequeretur omnia entia tanquam proprietas convertibilis cum ente, ut dicebat Avicenna de *uno.* Nam *ex principiis communibus entis inquantum est ens,* ut dicit Sanctus Thomas in loco allegato *, *non causatur aliquod particulare ens sufficienter.*

Si autem instetur quod ex ratione Sancti Thomae haberi potest quod non tantum ens particulare non potest causari ex communibus principiis entis, sed etiam quod non potest ex pluribus principiis diversorum generum causari, quia illa non causarent nisi per aliquod quod esset omnibus illis generibus commune: et sic, cum relatio super plura genera fundetur, sequitur quod ab illis non causatur tanquam eorum accidens: – respondetur quod ex ratione Sancti Thomae habetur quod ens aliquod unius determinati generis subalterni et determinatae speciei, cuiusmodi est unitas de genere quantitatis, non potest esse accidens a pluribus diversorum generum principiis causatum, tanquam sit alicuius communis ad illa proprium accidens: non autem habetur quod unum praedicamentum non possit, secundum diversa sua genera et diversas suas species a diversis praedicamentis originari.

XVII. Ad primam rationem*, negatur consequentia. – Ad probationem dicitur quod agens non causat in se relationem per actionem terminatam ad ipsum agens, sed per actionem terminatam ad terminum relationis: quo posito in actu, naturali sequela oritur relatio ex praeexistente fundamento. Ideo ibi nulla est mutatio agentis.

2. Ad secundam, negatur minor. – Ad probationem dicitur quod talis distantia acquiritur in istanti mediato. Et cum arguitur contra, primo, quia in tempore intermedio erit distans sine distantia, etc.: – negatur consequentia. Quia non erit dare primam relationem distantiae, sicut nec primum *ubi,* sed ante quamlibet distantiam erat alia, et ante illam alia, et sic in infinitum. – Cum arguitur secundo, quia nulla forma extensa acquiritur in istanti: – negatur. Nam aliquis calor extensus in instanti acquiritur in aqua, aut in aliqua parte aquae.

Sed contra istam responsionem, inquantum ponit non dari primam distantiam, sed ante quamcumque esse aliam, arguunt quidam. Aut ista distantia fundatur in quantitate corporis quod per suum motum distat ab alio continue; aut in loco eiusdem mobilis; aut in *ubi,* quod continue est aliud et aliud. Non primum: quia, manente eodem fundamento, non potest multiplicari relatio, secundum doctrinam Sancti Thomae. – Non secundum: quia relatio est in ipso mobili; locus autem non est in re locata, sed in locante. Modo, oportet fundamentum et relationem esse in eodem. – Non etiam tertium: quia *ubi* est posterius relatione praedicamentali; et forte potius in ea fundatur quam e converso.

Potest ad hoc responderi sustinendo responsionem datam, quae est Capreoli xxx dist. Primi*, quod talis relatio fundatur in *ubi.* Et sic variatur ad variationem ipsorum *ubi.* – Et cum instatur, quia *ubi* est posterius relatione praedicamentali: – dicitur quod distantia localis non est de praedicamento *ad aliquid,* sed de praedicamento *ubi.* Nec est inconveniens unam relationem huius praedicamenti fundari in alia eiusdem praedicamenti: sicut non est inconveniens unam qualitatem inesse substantiae mediante alia, sicut scientia inest animae mediante intellectu.

Posset secundo dicere cui non placeret responsio Capreoli, quod ista relatio fundatur super quantitate mobilis, sed motus eius est sibi ratio fundandi. Et ideo est semper eadem distantia numero, et datur prima distantia: sed quia ista distantia est continue maior propter augmentum extensivum motus, ideo non datur prima parvitas istius relationis, sed, quacumque parvitate distantiae data, ante illam erat maior parvitas, et sic in infinitum. Ideo non sequitur quod in aliquo tempore sit corpus distans sine distantia.

3. Ad tertiam, negatur assumptum. – Ad probationem dicitur quod est tota in toto, et pars in parte. – Cum instatur, quia aut est eiusdem rationis cum toto, aut non: dicitur quod non est eiusdem rationis. – Cum arguitur, quia habet divisibilitatem sicut quantitas: dicitur quod quantitas bicubita dupliciter considerari potest: uno modo, in ratione quantitatis continuae, puta lineae vel superficiei; alio modo, ut induit modum quantitatis discretae, ut scilicet significatur nomine *bi-cubiti.* Quod habet extensionem et divisibilitatem ex quantitate ut rationem habet continui, dividitur in partes eiusdem rationis, sicut et ipsa quantitas: nam linea dividitur in lineas, et superficies in superficies; et similiter albedo, quae hoc modo habet divisibilitatem a quantitate, dividitur in albedines. Quod autem habet divisibilitatem a quantitate ut induit modum discreti, non dividitur in partes eiusdem rationis, quia nec sic quantitas dividitur: non enim bicubitum dividitur in bicubita. Quia ergo duplicitas accipit divisionem a continuo inquantum induit rationem discreti, ideo non oportet ut dividatur in partes quarum quaelibet sit duplicitas: sed quarum quaelibet est pars duplicitatis.

XVIII. Circa tertium dictum*, considerandum, ex doctrina Sancti Thomae Prima, q. xxviii, a. 1; I *Sent.,* d. xxxiii*; et *Pot.,* q. vii**, quod relatio in hoc differt ab aliis generibus accidentium, quod omnia alia genera, se-

* Num. xiv, 1.
* Loc. cit., n. 8.
* Num. xviii, 3.
* *Metaph.* Tract. III, cap. ii, fin., f. 58 v (Ven. 1508).
* Lect. 17; Did. IV, xv, 1.
* IV *Metaph.*, l. 2. Cf. supra n. xiv.
* Num. xiv, 2.
* Pag. 307.
* Num. ix, 1.
* Art. 1.
** Art. 8.

cundum proprias rationes, dicunt aliquid alicui inhaerens: quantitas enim est mensura substantiae, et qualitas substantiae dispositio. Relatio autem, secundum propriam rationem, dicit solum respectum ad aliud: *ad aliquid* enim dicuntur *quorum esse est ad aliud se habere.* Propter hoc inquit Sanctus Thomas* quod *ex hoc quod relatio in Deo ponitur, non sequitur esse aliquid in Deo dependens, sed solum quod in Deo est respectus aliquis,* idest habitudo et ordo ad aliquem terminum, *in quo ratio relationis consistit:* quia videlicet ratio relationis, secundum quam ab aliis generibus distinguitur, est ad aliquid respicere et ordinari tanquam ad terminum.

* In praesenti textu.

2. Sed tunc occurrit duplex dubium. Primum est ex Aureolo, apud Capreolum, XXXIII dist. Primi*. *Modus proprius praedicamenti accidentis non tollit modum communem accidentis, immo eum includit.* Ergo modus proprius relationis non tollit ordinem ad subiectum.

* Qu. 1, a. 2, p. 341 a.

Secundum est*: – videtur enim implicatio contradictionis quod in Deo sit respectus realis, et quod relatio in Deo existens non habeat esse dependens. Respectus enim realis non potest esse non existente termino quem respicit: et sic videtur de ratione respectus realis quod a termino dependeat.

* Vid. n. 4 hui. parag.

3. Ad primi dubii evidentiam, considerandum quod propria ratio relationis, quae est *esse ad alterum,* dupliciter accipi potest. Uno modo, in generali et illimitate: inquantum scilicet absolute importat dici ad aliud. Alio modo, in speciali et limitate: inquantum scilicet importat dici ad aliud *ex natura rei,* sive, *habens fundamentum in re.* Utroque modo sumpta est propria ratio praedicamenti *ad aliquid,* sed tamen alio et alio modo. Sumpta enim absolute et illimitate, est eius propria ratio prout propria ratio alicuius potest dici illa quae sibi convenit soli inter aliqua. Ista enim ratio convenit praedicamento *ad aliquid,* aliis vero praedicamentis non convenit: et ideo potest dici sibi propria in ordine ad alia praedicamenta, inquantum scilicet ipsum ad aliquid est absolute, illa vero non sunt ad aliquid. Non autem potest dici propria ratio tanquam dicens ultimum completivum praedicamenti *ad aliquid,* sive relationis praedicamentalis. Cum enim communis sit et relationi reali quae est in praedicamento, et ei quae non est in praedicamento, ac etiam relationi rationis, non potest esse ultimum completivum praedicamenti quod est accidens reale. – Sumpta vero cum hac limitatione, *habens fundamentum in re,* sive, *ex natura rei proveniens,* est propria eius ratio tanquam ultimum completivum praedicamenti dicens. Nam cum in ratione eius totali includatur quod sit accidens, et quod ad alterum tanquam ad oppositum relative dicatur ex natura rei: inquantum includit accidentis rationem, facit relationem a praedicamento substantiae differre; inquantum autem importat ordinem ad alterum ex natura rei provenientem, facit ultimate ab aliis differre praedicamentis accidentium.

Unde, cum inquit Sanctus Thomas relationem *secundum propriam rationem sui generis non dicere aliquid inhaerens**, non intelligitur de totali eius ratione: quia, cum illa includat rationem accidentis, necesse est quod ordinem dicat ad id in quo est. – Non etiam intelligitur de ratione quae ultimate complet rationem praedicamenti: quia, cum illa includat habere fundamentum in re, oportet ut aliquid in eo de quo dicitur ponat. – Sed intelligitur de propria ratione primo modo sumpta: scilicet, ut dicit absolute et illimitate ordinem ad alterum. Nam cum ista ratio sit relationi reali et relationi rationis communis, constat quod abstrahit ab utraque; et per consequens ex illa ratione absolute et illimitate sumpta nihil reale ponitur in eo quod dicitur relative.

* Cf. init. hui. parag.

Ad dubium ergo dicitur primo, quod modus proprius relationis qui est ad aliud dici absolute, qui est modus conveniens relationi inquantum absolute relatio est, non excludit modum accidentis; nec tamen illum includit; sed abstrahit a modo substantiae et accidentis, immo ab ente reali et ab ente rationis, sicut *animal* a rationali et irrationali.

Dicitur secundo, quod proprius modus ultimate constitutivus praedicamenti relationis non excludit modum accidentis: immo eius quandam determinationem dicit, sicut et alia praedicamenta accidentium. Dicit enim modum accidentis qui est inhaerere substantiae per modum referentis illam ad alterum, in natura rei fundatum. Nec huius oppositum tenet Sanctus Thomas, ut est ostensum: immo hic dicitur quod *habent proprium modum essendi secundum propriam rationem.* Arguit autem Aureolus ac si diceremus quod relatio, secundum propriam rationem ultimate praedicamenti completivam, nihil poneret in re. Quod non dicimus: sed dicimus quod, secundum propriam rationem quae ei convenit absolute inquantum relatio est, non autem inquantum relatio praedicamentalis est, non habet quod aliquid in re de qua praedicatur ponat.

4. Ad secundum dubium* respondetur quod aliud est dicere esse relationis ab alio non dependere: et aliud ipsam relationem non dependere ab alio *sub ratione relationis.* Verum est enim quod paternitas divina, sub ratione paternitatis, ab alio dependet: quia in ratione ipsius includitur Filius, et sic nec potest unum esse sine alio nec intelligi. Ipsum tamen esse paternitatis non dependet ab esse alterius: cum sit unum esse numero utriusque relativi, quod est esse divinae essentiae; idem enim esse non dependet realiter a seipso.

* Num. 2 hui. parag.

Cum autem dicitur quod de ratione respectus est quod a termino dependeat secundum esse: – dicitur quod hoc veritatem habet ubi relativa habent distincta esse: non autem ubi est unum et idem esse utriusque relativi, ut est in divinis, ubi est quidem quicquid ad rationem relationis pertinet, scilicet ordo et respectus, esse autem relationis est esse divinae essentiae, quod est unum.

5. Considerandum postremo, quod imperfectio relationis creatae in hoc consistit, ut ex dictis patet, quod suum esse dependet a subiecto, a fundamento, et a termino. Quod convenit sibi inquantum suum esse est accidentale, et postremum, et distinctum ab esse substantiae et ab esse aliorum accidentium. Ideo, ubi relatio, ut est in Deo, est idem substantiae cuius esse a nullo dependet, sequitur quod talis relatio non habet esse imperfectum. Et idcirco personae divinae, quae talibus relationibus distinguuntur, nullam ex ipsis imperfectionem trahunt*. Quia vero remanet tantum ordo unius ad alterum, in quo importatur sola distinctio secundum oppositos respectus, quae est minima distinctio, ideo bene etiam dicitur sequi *ut divinarum personarum discretio, sive distinctio*, sit minima.*

* Textus, *Per quod.*

* Vid. text. et var.

XIX. *Ad decimam** respondet et dicit primo quod, quamvis *Deus* substantialiter de Patre et Filio praedicetur, non tamen sequitur, si sint plures personae*, quod sint plures dii: sunt enim plures personae, propter pluralitatem relationum subsistentium; unus autem Deus, propter unitatem essentiae subsistentis. In hominibus autem non contingit ut aliqui sint unus homo: quia essentia humanitatis non est una numero in utroque; neque est subsistens, ut sit homo.

* Textus, *Patet etiam.*

* Cf. text. et var.

Ad evidentiam huius responsionis, considerandum est quod divinae personae sunt ipsae relationes subsistentes; quae quidem plures sunt propter pluralitatem respectuum; non autem propter pluralitatem esse aut essentiae, cum sint una essentia numero, et habeant unum esse. Ideo, sicut cum earum pluralitate quantum ad respectus stat earum unitas secundum essentiam et secundum esse; ita cum pluralitate personarum stat quod ipsae personae sint unus Deus. Unde illa propositio*, *Impossibile est inveniri pluralitatem ex parte subiectorum cum unitas est ex parte substantialis praedicati,* falsa est, si universaliter sumatur.

* Cf. cap. x, *Adhuc. Si Pater.*

Advertendum secundo, quod videtur velle Sanctus Thomas duo requiri ad hoc ut aliqua dicantur unum tale essentialiter et in concreto: scilicet et quod una numero essentia sit in illis; et quod illa essentia sit subsistens, ita quod abstractum et concretum sint idem. Propter hoc, de Deo loquens, inquit quod Pater et Filius sunt unus Deus, *propter unitatem essentiae subsistentis.* De homine autem loquens, ait quod non contingit ut aliqui sint unus homo: *quia essentia humanitatis neque est una numero in utroque, neque est subsistens, ut humanitas sit homo.*

Huius autem ratio est quia, cum concretum aliquid includat quod non includit abstractum, sicut *homo* impliciter includit accidentia, quae *humanitas* non includit; ad hoc ut aliqua dicantur unum tale in concreto, non solum requiritur quod essentia sit una numero in illis (dato quod posset esse una numero absque accidentibus huiusmodi eam limitantibus), sed requiritur etiam ut eadem accidentia sint in utroque. Ad hoc enim quod aliqui essent unus homo, non solum requireretur ut eandem numero haberent humanitatem, sed oporteret ut eadem etiam haberent accidentia, quibus hic homo habet ut sit hic homo. Unde, cum habet Sanctus Thomas pro regula* *nomen substantivum singulariter aut pluraliter dici ab unitate aut pluralitate formae,* per unitatem formae intelligit non tantum ipsam formae substantiam, quae est una, sed etiam accidentia quibus ipsa forma est una et individua, ubi forma non est ex se individua, sed per materiam signatam individuatur. Unde et cum inquit Tertia, q. III, a. 6*, quod, si plures personae divinae assumerent unam numero humanitatem, dicerentur unus homo, unam humanitatem vocat ipsam humanitatis essentiam cum accidentibus quibus fit haec et singularis: aliter enim humanitas non est una numero.

* Cf. supra cap. XI, n. XIV, 3.

* Ad 1.

XX. *Ad ultimam** respondet Sanctus Thomas quod, cum in Deo sit unitas essentiae et relationum distinctio, nihil prohibet in uno Deo illa opposita inveniri quae relationis distinctionem consequuntur, ut *generans et genitum,* quae relative opponuntur; et *genitum et ingenitum,* quae opponuntur ut affirmatio et negatio, quae oppositio invenitur ubicumque est aliqua distinctio.

* Textus, *Ex hoc autem.*

Ex iis vult habere quod utique opposita praedicata de Deo pluralitatem ostendunt: sed ostendunt pluralitatem relationum tantum, non autem essentiae.

2. Circa hanc responsionem duplex occurrit dubium. Primum est. Si affirmatio et negatio, quae est oppositio contradictoria, invenitur ubicumque est aliqua distinctio, et idcirco invenitur in divinis, sequitur distinctionem inter divinas personas esse maximam: quia contradictio est maxima oppositio maximaque distantia, eo quod extrema in nullo conveniant. Huius autem oppositum dixit superius Sanctus Thomas, inquiens *distinctionem divinarum personarum esse minimam**.

* Cf. n. XVIII, 4, fin.

Secundum dubium est: quia videtur velle Sanctus Thomas hic affirmationis et negationis oppositionem in oppositione relativa includi. Huius autem oppositum videtur tenere *de Potentia,* q. VII, a. 8 *, ubi vult in omnibus aliis oppositionibus includi negationem et affirmationem, non autem in relativa oppositione.

* Ad 4.

3. Ad primum dicitur quod contradictio, si formaliter et praecise sumatur ut ab omni alia oppositione praescindit, est maxima oppositio, et importat maximam distantiam. Sed si accipiatur ut est contracta et limitata in alia oppositione in qua includitur, sic non est maxima, sed est maior aut minor secundum conditionem eius oppositionis in qua includitur. Omnis enim alia oppositio includit affirmationis et negationis oppositionem, et aliquid super ipsam addit: sed illud additum non auget oppositionem, sed minuit, ut inquit Sanctus Thomas in Tractatu *de Quatuor Oppositis* *. Affirmatio ergo et negatio quae distinctionem divinarum personarum concomitatur, non facit illam esse maximam distinctionem, sed minimam: quia non est affirmatio et negatio simpliciter, sed limitata ad relativam oppositionem, quae minima est et minimam exigit distinctionem; dicit enim, verbi gratia, *paternitatem et non-paternitatem,* sed affirmationem in Patre, negationem vero in Filio.

* Opusculum XXXVII (Romae 1570).

4. Ad evidentiam secundi dubii, considerandum est, ex doctrina Sancti Thomae Primo, d. XXVI, q. II, a. 2, quod oppositio relativa ab oppositione contrarietatis et oppositione privationis et habitus differt, quia in illis alterum est ut perfectum et alterum est ut imperfectum, unumque privationem alterius includit: in relatione autem non est sic. Licet enim una relatio negationem alterius oppositae relationis includat in eodem supposito, illa tamen negatio non habet rationem privationis: quia privatio non est nisi secundum quod aliquid caret eo quod sibi debet inesse; relatio autem non ponit aliquid in eo quod relative dicitur, inquantum relatio est, sed dicit *ad aliquid,* sive respectum ad correlativum. Ideo negatio inclusa in relatione non negat aliquid in subiecto inquantum huiusmodi, sed tantum *ad aliquid.* Et propterea non habet rationem privationis.

Dicitur ergo ad dubium quod oppositio relativa includit oppositionem affirmationis et negationis, ut dicitur Primo, d. V, a. 1 *, et est hoc loco de mente Sancti Thomae. Sed non includit illam tanquam importantem privationem et imperfectionem in altero extremorum, quemadmodum aliae oppositiones. Et hoc intellexit in loco allegato *de Potentia,* etc.

* Ad 1.

# CAPITULUM DECIMUM QUINTUM

## DE SPIRITU SANCTO, QUOD SIT IN DIVINIS.

DIVINAE autem Scripturae auctoritas non solum nobis in divinis Patrem et Filium annuntiat, sed his duobus Spiritum Sanctum connumerat. Dicit enim Dominus, *Matthaei* ult.*: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti;* et I *Ioannis* V[7]: *Tres sunt qui testimonium dant in caelo, Pater, Verbum et Spiritus Sanctus.* Huius etiam Spiritus Sancti processionem quandam Sacra Scriptura commemorat. Dicit enim *Ioannis* XV[26]: *Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me.*

* Vers. 19

### Commentaria Ferrariensis

POSTQUAM determinavit Sanctus Thomas de persona Patris et Filii, vult de Spiritus Sancti persona determinare *. Circa hoc autem duo facit: primo, ostendit ex Sacra Scriptura Spiritum Sanctum esse; secundo, ostendit quid sit, capite sequenti.

* Cf. Comment. cap. II, init.

Primum ostendit primo, auctoritate *Matth.* ult., *Euntes* etc.; secundo, auctoritate I *Ioan.* V, *Tres sunt* etc.; tertio, auctoritate *Ioannis* XV, de eius processione mentionem facientis, ubi ait, *Cum venerit Paraclitus* etc.

Advertendum quod, licet necesse sit trinitatem personarum in divinis esse, hoc tamen ratione naturali probari non potest. Et ideo ad probandum Spiritum Sanctum esse non utitur Sanctus Thomas aliqua naturali ratione, sed tantum Sacrae Scripturae auctoritatibus.

# CAPITULUM DECIMUM SEXTUM

## RATIONES EX QUIBUS ALIQUI SPIRITUM SANCTUM EXISTIMAVERUNT ESSE CREATURAM.

Opinati sunt autem quidam Spiritum Sanctum creaturam esse, aliis creaturis excelsiorem: ad cuius assertionem Sacrae Scripturae testimoniis utebantur.

Dicitur enim *Amos* IV [13], secundum litteram Septuaginta: *Ecce, formans montes, et creans spiritum, et annuntians homini verbum eius.* Et *Zach.* XII [1]: *Dicit Dominus, extendens caelum, et fundans terram, et creans spiritum hominis in eo.* Videtur igitur quod Spiritus Sanctus sit creatura.

Adhuc. Dicit Dominus, *Ioan.* XVI [13], de Spiritu Sancto loquens: *Non loquetur a semetipso, sed quaecumque audiet, loquetur:* ex quo videtur quod nihil ultroneae potestatis auctoritate loquatur, sed iubenti per ministerium famuletur; loqui enim quae quis audit, famulantis esse videtur. Videtur igitur Spiritus Sanctus esse creatura Deo subiecta.

Item. *Mitti* inferioris esse videtur: cum in mittente importetur auctoritas. Spiritus autem Sanctus a Patre et Filio mittitur. Dicit enim Dominus, *Ioan.* XIV [26]: *Paraclitus Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia;* et *Ioan.* XV [26]: *Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre.* Spiritus ergo Sanctus et Patre et Filio minor esse videtur.

Adhuc. Scriptura divina, Filium Patri associans in his quae divinitatis esse videntur, de Spiritu Sancto mentionem non facit: ut patet *Matth.* XI [27], cum Dominus dicit: *Nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem quis novit nisi Filius,* de Spiritu Sancto mentione non facta. Et *Ioan.* XVII [3] dicitur: *Haec est vita aeterna, ut cognoscant te, solum Deum verum, et quem misisti, Iesum Christum,* ubi etiam de Spiritu Sancto mentio non fit. Apostolus etiam, *ad Rom.* I [7], dicit: *Gratia vobis et pax a Deo Patre nostro, et Domino Iesu Christo;* et I *ad Cor.* VIII [6]: *Nobis unus Deus Pater, ex quo omnia et nos in illo, et unus Dominus Iesus Christus, per quem omnia et nos per ipsum;* in quibus etiam nihil de Spiritu Sancto dicitur. Videtur igitur Spiritus Sanctus Deus non esse.

Amplius. Omne quod movetur creatum est: ostensum est enim in Primo* Deum immobilem esse. Spiritui autem Sancto Scriptura divina motum attribuit. Dicitur enim *Gen.* I [2]: *Spiritus Domini ferebatur super aquas.* Et *Ioel.* II [28]: *Effundam de spiritu meo super omnem carnem.* Videtur igitur Spiritus Sanctus creatura esse.

Praeterea. Omne quod potest augeri vel dividi, mutabile est et creatum. Haec autem Spiritui Sancto in Scripturis Sacris attribui videntur. Dicit enim Dominus, *Num.* XI [16,17], ad Moysen: *Congrega mihi septuaginta viros de senioribus Israel, et auferam de spiritu tuo, tradamque eis.* Et IV *Reg.* II [9,10], dicitur quod Eliseus ab Elia petiit, *Obsecro quod fiat spiritus tuus duplex in me,* et Elias respondit, *Si videris quando tollar a te, erit quod petisti.* Videtur ergo Spiritus Sanctus esse mutabilis, et non esse Deus.

Item. In Deum tristitia cadere non potest: cum tristitia passio quaedam sit, Deus autem impassibilis est*. Cadit autem tristitia in Spiritum Sanctum. Unde Apostolus dicit, *Ephes.* IV [30]: *Nolite contristare Spiritum Sanctum Dei.* Et *Isaiae* LXIII [10] dicitur: *Ipsi ad iracundiam provocaverunt, et afflixerunt Spiritum Sanctum eius.* Videtur igitur Spiritus Sanctus Deus non esse.

Adhuc. Deo non convenit orare, sed magis orari. Spiritui autem Sancto orare convenit: dicitur enim *ad Rom.* VIII [26]: *Ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Spiritus ergo Sanctus non esse Deus videtur.

Amplius. Nullus congrue donat nisi id cuius habet dominium. Sed Deus Pater dat Spiritum Sanctum, et similiter Filius. Dicit enim Dominus, *Lucae* XI [13]: *Pater vester de caelo dabit Spiritum bonum petentibus se;* et *Act.* V [32], Petrus dicit quod *Deus Spiritum Sanctum dedit obedientibus sibi.*

Ex his igitur videtur quod Spiritus Sanctus Deus non sit.

Item. Si Spiritus Sanctus verus Deus est, oportet quod naturam divinam habeat: et sic, cum Spiritus Sanctus *a Patre procedat,* ut dicitur *Ioan.* XV [26], necesse est quod ab eo naturam divinam accipiat. Quod autem accipit naturam eius a quo producitur, ab eo generatur: proprium enim est geniti ut in similem speciem sui principii producatur. Spiritus ergo Sanctus genitus erit, et per consequens Filius. Quod sanae fidei repugnat.

Praeterea. Si Spiritus Sanctus naturam divinam a Patre accipit et non quasi genitus, oportet divinam naturam duobus modis communicari: scilicet per modum generationis, quo procedit Filius; et per illum modum quo procedit Spiritus Sanctus. Hoc autem uni naturae competere non videtur, ut duobus modis communicetur, si quis universas naturas inspiciat. Oportet igitur, ut videtur, cum Spiritus Sanctus naturam per ge-

*Cap. XIII.

*Lib. I. cap. XVI; LXXXIX.

5 LXX] hanc (*ex* hoc) E. 6 et creans spiritum *om* αDWYZ. 8 Dicit *Ita* DHP*d*; Dixit *ceteri.* fundans *Ita* EWX*b*Pc; effundens *ceteri.* 16 esse videtur] esse G, est EX*b*. 19 Mitti *om* EG. 25 et Patre] a Patre EGX.

1 Haec ... attribui videntur] Hae ... attribuuntur W, Hoc ... attribui videtur EGNX*b*Pc. 5 tuo] meo E, tuo vel meo *b*. 6 ab Elia *om* BFHY; *scriptor* H *addit supra marginem.* 17 eius *om* EGNX*b*. 20 Spiritui autem Sancto] Spiritum autem Sanctum Pc. 22 nobis] nostris GN. 24 congrue] cõmune EG. 26 Filius *om* EG; X *legit:* et supra dicit Dominus.

nerationem non accipiat, quod nullo modo accipiat eam. Et sic videtur non esse verus Deus.

* Aug., *de Haeres.* XLIX.

Fuit autem haec positio Arii *, qui Filium et Spiritum Sanctum dixit esse creaturas: Filium tamen maiorem Spiritu Sancto, et Spiritum Sanctum eius ministrum; sicut et Filium minorem Patre esse dicebat. – Quem etiam quantum ad Spiritum Sanctum secutus est Macedonius, *qui de Patre et Filio recte sensit quod unius eiusdemque substantiae sint, sed hoc de Spiritu Sancto credere noluit, creaturam eum esse dicens**. Unde quidam Macedonianos *Semiarianos* vocant*: eo quod cum Arianis in parte conveniunt, et in parte differunt ab eisdem.

* Aug. *de Haeres.* LII.
* Ibid., LI.

5 et Spiritum Sanctum eius ministrum *Ita* Pd; eius ministrum NZ, et eius ministrum EGXYsWZc, et eius ministerium αDW. 6 sicut et] et sicut EG, sicut NX.
2 eiusdemque *Ita* EN; eiusdem BFGHXc, et eiusdem CDWZbPd; quod ... sint *om* Y.

## Commentaria Ferrariensis

* Cf. Comment. cap. praec.
** *tria.* Ita APS. Vid. Comment. cap. XXVI, *Ex omnibus praedictis ... infert s. Th. unum coroll.*

Ostenso quod Spiritus Sanctus sit, ostendendum restat quid sit*. Circa hoc autem tria** facit Sanctus Thomas: primo, ipsum esse verum Deum ostendit; secundo, quod procedat a Filio, cap. XXIV.

Circa primum tria facit: primo, adducit rationes ex quibus aliqui existimaverunt Spiritum Sanctum creaturam esse; secundo, determinat veritatem, cap. seq.; tertio, obiectionibus respondet, cap. XXIII.

Quantum ad primum, ait quosdam opinatos fuisse Spiritum Sanctum esse creaturam aliis excellentiorem, idque voluisse Sacrae Scripturae testimoniis confirmare.

*Primo,* quia *Amos* IV dicitur, secundum litteram Septuaginta, *Ecce, formans montes et creans spiritum* etc. Et *Zach.* XII: *Dicit Dominus, extendens caelum* etc.

*Secundo,* quia *Ioan.* XVI videtur poni tanquam creatura quae famuletur Deo, cum dicitur: *Non loquetur a semetipso* etc.

*Tertio,* quia a Patre et Filio mittitur: ut ostenditur cum dicitur, *Ioan.* XIV, *Paraclitus Spiritus Sanctus* etc.; et XV, *Cum venerit* etc.

*Quarto,* quia Scriptura, Filium Patri associans in iis quae divinitatis esse videntur, de Spiritu Sancto mentionem non facit: ut *Matth.* XI, *Nemo novit* etc.; et *Ioan.* XVII, *Haec est vita* etc.; et *ad Rom.* I, *Gratia vobis* etc.; et I *Cor.* VIII, *Nobis unus Deus* etc.

*Quinto.* Scriptura motum attribuit Spiritui Sancto, *Gen.* I, *Spiritus Domini* etc.; et *Ioel* II, *Effundam* etc. Ergo etc.

*Sexto.* Spiritus Sanctus potest augeri, minui et mutari. Ergo etc. – Probatur antecedens. Quia dicit Dominus, *Num.* XI, ad Moysen, *Congrega mihi* etc.; et IV *Reg.*, Eliseus ab Elia petiit, *Obsecro* etc.

*Septimo.* Cadit tristitia in Spiritum Sanctum. *Ad Ephes.* IV, *Nolite contristare*; et *Isaiae* LXIII, *Ipsi ad iracundiam* etc. Ergo etc.

*Octavo.* Spiritui Sancto convenit orare: *Rom.* VIII, *Ipse Spiritus* etc. Ergo etc.

*Nono.* Pater et Filius donant Spiritum Sanctum. *Luc.* XI, *Pater vester* etc. Et *Act.* V dicitur quod *Deus Spiritum Sanctum dedit* etc. Ergo etc.

*Decimo.* Si est Deus, habet divinam naturam. Et cum a Patre procedat, necesse est quod ab eo divinam naturam accipiat. Et sic sequitur quod sit genitus, et per consequens filius. Quod fidei repugnat.

*Undecimo.* Sequitur divinam naturam duobus modis communicari: scilicet modo quo procedit Filius, et modo quo procedit Spiritus Sanctus. Sed uni naturae hoc competere non videtur, ut duobus modis communicetur. Ergo etc.

Addit postremo Sanctus Thomas hanc fuisse Arii positionem, ponentis tam Filium quam Spiritum Sanctum minorem Patre, Filium tamen maiorem Spiritu Sancto. – Hunc etiam Macedonius quoad Spiritum Sanctum est secutus: unde et quidam Macedonianos *Semiarianos* vocant.

# CAPITULUM DECIMUM SEPTIMUM

## QUOD SPIRITUS SANCTUS SIT VERUS DEUS.

Ostenditur autem evidentibus Scripturae testimoniis quod Spiritus Sanctus sit Deus. Nulli enim templum consecratur nisi Deo; unde et in Psalmo* dicitur: *Deus in templo sancto suo.* Deputatur autem templum Spiritui Sancto: dicit enim Apostolus, I *ad Cor.* VI[19]: *An nescitis quoniam membra vestra templum sunt Spiritus Sancti?* Spiritus ergo Sanctus Deus est. Et praecipue cum membra nostra, quae templum Spiritus Sancti esse dicit, sint membra Christi: nam supra* praemiserat: *Nescitis quoniam corpora vestra membra sunt Christi?* Inconveniens autem esset, cum Christus sit verus Deus, ut ex superioribus* patet, quod membra Christi templum Spiritus Sancti essent, nisi Spiritus Sanctus Deus esset.

* Ps. X, 5.
* Vers. 15.
* Cap. III.

Item. A sanctis latriae servitus non nisi vero Deo exhibetur: dicitur enim *Deut.* VI[13]: *Dominum Deum tuum timebis, et illi soli servies.* Serviunt autem sancti Spiritui Sancto: dicit enim Apostolus, *Philipp.* III[3]: *Nos sumus circumcisio, qui Spiritui Deo servimus.* Et licet quidam libri habeant, *qui spiritu Domini servimus,* tamen graeci libri, et antiquiores latini, habent, *Qui Spiritui Deo servimus**. Et ex ipso graeco apparet quod hoc de servitute latriae intelligendum est, quae soli Deo debetur. Est igitur Spiritus Sanctus verus Deus, cui latria debetur.

* Cf. Aug. *de Trin.* I, VI, 13; *Contra duas Epist. Pelag.*, III, VI, 22 (P. L. XLII, 828; XLIV, 604).

Adhuc. Sanctificare homines proprium Dei opus est: dicitur enim *Levit.* XXII[32]: *Ego Dominus, qui sanctifico vos.* Est autem Spiritus Sanctus qui sanctificat: dicit enim Apostolus, I *Cor.* VI[11]:

5 Deputatur] spiritus deputatur αpW.
3 illi] ipsi EGNXb. 7 Domini] Deo EHNYsWbc. 9 quod *om* EGNXb; *pro* intelligendum est *quod* DHPc, intelligendum BCEFGWXb, intelligendum esse N, sit intelligendum Y, est intelligendum Z.

*Abluti estis, sanctificati estis, iustificati estis, in nomine Domini nostri Iesu Christi, et in Spiritu Dei nostri;* et II *ad Thess.* II[13], dicitur: *Elegit nos Deus primitias in salutem in sanctificatione Spiritus et fide veritatis.* Oportet igitur Spiritum Sanctum Deum esse.

Amplius. Sicut vita naturae corporis est per animam, ita vita iustitiae ipsius animae est per Deum: unde Dominus dicit, *Ioan.* VI[58]: *Sicut misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem, et qui manducat me, et ipse vivet propter me.* Huiusmodi autem vita est per Spiritum Sanctum: unde ibidem subditur*: *Spiritus est qui vivificat;* et *ad Rom.* VIII[13], dicit Apostolus: *Si Spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.* Spiritus ergo Sanctus divinae naturae est.

*Vers. 64.

Praeterea. Dominus, in argumentum suae divinitatis contra Iudaeos, qui sustinere non poterant ut se Deo aequalem faceret, asserit in se esse resuscitandi virtutem: dicens, *Ioan.* V[21]: *Sicut Pater suscitat mortuos et vivificat, sic et Filius quos vult vivificat.* Virtus autem resuscitativa ad Spiritum Sanctum pertinet: dicit enim Apostolus, *Rom.* VIII[11]: *Si Spiritus eius qui suscitavit Iesum Christum a mortuis, habitat in vobis, qui suscitavit Iesum Christum a mortuis, vivificabit et mortalia corpora vestra, propter inhabitantem Spiritum eius in vobis.* Spiritus ergo Sanctus est divinae naturae.

*Lib. II, cap. XXI.

Item. Creatio solius Dei opus est, ut supra* ostensum est. Pertinet autem creatio ad Spiritum Sanctum: dicitur enim in Psalmo*: *Emitte Spiritum tuum, et creabuntur;* et *Iob* XXXIII[4], dicitur: *Spiritus Dei fecit me;* et *Eccli.* I[9], dicitur de Deo: *Ipse creavit illam,* scilicet sapientiam, *Spiritu Sancto.* Est ergo Spiritus Sanctus divinae naturae.

*Ps. CIII, 30.

Adhuc. Apostolus dicit, I *ad Cor.* II[10,11]: *Spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei. Quis enim scit quae sunt hominis nisi spiritus hominis, qui in ipso est? Ita et quae Dei sunt nemo cognovit nisi Spiritus Dei.* Comprehendere autem omnia profunda Dei non est alicuius creaturae: quod patet ex hoc quod Dominus dicit, *Matth.* XI[27]: *Nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem quis novit nisi Filius.* Et *Isaiae* XXIV[16], ex persona Dei, dicitur: *Secretum meum mihi.* Ergo Spiritus Sanctus non est creatura.

Praeterea. Secundum praedictam Apostoli comparationem, Spiritus Sanctus se habet ad Deum sicut spiritus hominis ad hominem. Spiritus autem hominis intrinsecus est homini, et non est extraneae naturae ab ipso, sed est aliquid eius. Igitur et Spiritus Sanctus non est naturae extraneae a Deo.

Amplius. Si quis conferat verba Apostoli praemissa verbis Isaiae Prophetae, manifeste percipiet Spiritum Sanctum Deum esse. Dicitur enim *Isaiae* LXIV[4]: *Oculus non vidit, Deus, absque te, quae praeparasti expectantibus te.* Quae quidem verba Apostolus cum introduxisset*, subiungit verba praemissa, scilicet quod *Spiritus scrutatur profunda Dei**. Unde manifestum est quod Spiritus Sanctus illa profunda Dei cognoscit *quae praeparavit expectantibus eum.* Si ergo haec nullus vidit praeter Deum, ut Isaias dicit, manifestum est Spiritum Sanctum Deum esse.

*I *Cor.* II, 9.

*Cf. supra *Adhuc. Apostolus.*

Item. *Isaiae* VI[8,9] dicitur: *Audivi vocem Dei dicentis, Quem mittam, et quis ibit nobis? Et dixi, Ecce ego sum, mitte me. Et dixit, Vade, et dices populo huic, Audite audientes et nolite intelligere.* Haec autem verba Paulus Spiritui Sancto attribuit: unde dicitur *Act. ult.**, quod Paulus dixit Iudaeis: *Bene Spiritus Sanctus locutus est per Isaiam Prophetam dicens: Vade ad populum istum, et dic ad eos, Aure audietis et non intelligetis.* Manifestum est ergo Spiritum Sanctum Deum esse.

*Cap. XXVIII, 25, 26.

Adhuc. Ex Sacris Scripturis apparet Deum esse qui locutus est per prophetas: dicitur enim *Num.* XII[6], ex ore Dei: *Si quis fuerit inter vos propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum;* et in Psalmo* dicitur: *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus.* Manifeste autem ostenditur Spiritum Sanctum locutum esse in prophetis. Dicitur enim *Act.* I[16]: *Oportet enim impleri Scripturam quam praedixit Spiritus Sanctus per os David.* Et *Matth.* XXII*, Dominus dicit: *Quomodo dicunt scribae Christum filium David esse? Ipse enim dicebat in Spiritu Sancto: Dixit Dominus Domino meo, Sede a dextris meis.* Et II *Pet.* I[21] dicitur: *Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu Sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines.* Manifeste ergo ex Scripturis colligitur Spiritum Sanctum Deum esse.

*Ps. LXXXIV, 9.

*Vers. 43, 44; *Marc.* XII, 35, 36.

Item. Revelatio mysteriorum proprium opus Dei ostenditur in Scripturis: dicitur enim *Dan.* II[28]: *Est Deus in caelo revelans mysteria.* Mysteriorum autem revelatio opus Spiritus Sancti ostenditur: dicitur enim I *ad Cor.* II[10]: *Nobis revelavit Deus per Spiritum suum;* et XIV[2] dicitur: *Spiritus loquitur mysteria.* Spiritus ergo Sanctus Deus est.

Praeterea. Interius docere proprium opus Dei est: dicitur enim in Psalmo* de Deo: *Qui docet hominem scientiam;* et *Dan.* II[21]: *Dat sapientiam sapientibus, et scientiam intelligentibus disciplinam.* Hoc autem proprium opus Spiritus Sancti esse manifestum est: dicit enim Dominus, *Ioan.* XIV[26]: *Paraclitus Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia.* Spiritus ergo Sanctus est divinae naturae.

*Ps. XCIII, 10.

Adhuc. Quorum est eadem operatio, oportet esse eandem naturam. Est autem eadem operatio Filii et Spiritus Sancti. Quod enim Christus in

---

1 estis *pr. loco*] et Pc. 17 Dominus ... *infra* a 48 Praeterea *hom om* H. 20 resuscitandi *post* virtutem EX. dicens] docens EG. 25 qui ... mortuis *om* EGX*b*. 30 opus *post* est EGNX*b*. 36 Est ... naturae *om* EGNX. 51 intrinsecus *post* est EGNX*b*.
2 expectantibus *Ita* CEXP*c*; spectantibus *ceteri*. 5 Unde] idest non B, idest FW; Unde ... profunda Dei *hom om* EXpGHZ. 25 somnium] somnum FGHZ*b*, somnium idest per spiritum meum P*d*. 40 ostenditur] esse *addit* D. 42 Spiritus] esse *addit* D. 46 proprium *om* EGX, proprie N, populum Y. 50 esse *Ita* XsZP*c*, *ante* proprium Y *ubi* est D, *om ceteri*. 56 operatio] natura BFHY, H *se corrigit*, C *lac.*

sanctis loquatur, Apostolus ostendit, II *ad Cor.* ult.*, dicens: *An experimentum quaeritis eius qui in me loquitur, Christus?* Hoc etiam opus Spiritus Sancti esse manifeste apparet: dicitur enim *Matth.* x[20]: *Non vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.* Est ergo eadem natura Filii et Spiritus Sancti, et per consequens Patris: cum ostensum sit* Patrem et Filium unam esse naturam.

Amplius. Inhabitare mentes sanctorum proprium Dei est: unde Apostolus dicit, II *ad Cor.* VI[16]: *Vos estis templum Dei vivi: sicut dicit Dominus, Quoniam inhabitabo in illis.* Hoc autem idem Apostolus Spiritui Sancto attribuit: dicit enim, I *ad Cor.* III[16]: *Nescitis quia templum Dei estis, et Spiritus Sanctus habitat in vobis?* Est ergo Spiritus Sanctus Deus.

Item. Esse ubique proprium Dei est, qui dicit *Ier.* XXIII[24]: *Caelum et terram ego impleo.* Hoc Spiritui Sancto convenit. Dicitur enim *Sap.* I[7]: *Spiritus Domini replevit orbem terrarum;* et in Psalmo*: *Quo ibo a Spiritu tuo? Et quo a facie tua fugiam? Si ascendero in caelum, tu illic es,* etc. Dominus etiam discipulis dicit, *Act.* I[8]: *Accipietis virtutem supervenientis Spiritus Sancti in vos, et eritis mihi testes in Ierusalem, et in omni Iudaea et Samaria, et usque ad ultimum terrae.* Ex quo patet quod Spiritus Sanctus ubique est, qui ubicumque existentes inhabitat. Spiritus ergo Sanctus Deus est.

Praeterea. Expresse in Scriptura Spiritus Sanctus Deus nominatur. Dicit enim Petrus, *Act.* V[3]: *Anania, cur tentavit Satanas cor tuum mentiri te Spiritui Sancto?* Et postea subdit*: *Non es mentitus hominibus, sed Deo.* Spiritus ergo Sanctus est Deus.

Item. I *ad Cor.* XIV[2] dicitur: *Qui loquitur lingua, non hominibus loquitur, sed Deo: nemo enim audit, Spiritus autem loquitur mysteria:* ex quo dat intelligere quod Spiritus Sanctus loquebatur in his qui variis linguis loquebantur. Postmodum* autem dicit: *In lege scriptum est quoniam in aliis linguis et labiis aliis loquar populo huic, et nec sic exaudiet me, dicit Dominus.* Spiritus ergo Sanctus, qui loquitur mysteria diversis labiis et linguis, Deus est.

Adhuc. Post pauca subditur*: *Si omnes prophetent, intret autem quis infidelis vel idiota, convincitur ab omnibus, diiudicatur ab omnibus: occulta enim cordis eius manifesta fiunt, et ita, cadens in faciem, adorabit Deum, pronuntians quod vere Deus in vobis sit.* Patet autem per id quod praemisit, quod *Spiritus loquitur mysteria,* quod manifestatio occultorum cordis a Spiritu Sancto sit. Quod est proprium divinitatis signum: dicitur enim *Ierem.* XVII[9,10]: *Pravum est cor hominis et inscrutabile: quis cognoscet illud? Ego Dominus, scrutans corda et probans renes.* Unde ex hoc indicio etiam infidelis perpendere dicitur quod ille qui haec occulta cordium loquitur, sit Deus. Ergo Spiritus Sanctus Deus est.

Item. Parum post* dicit: *Spiritus prophetarum prophetis subiecti sunt: non enim est dissensionis Deus, sed pacis.* Gratiae autem prophetarum, quas *spiritus prophetarum* nominavit, a Spiritu Sancto sunt. Spiritus ergo Sanctus, qui huiusmodi gratias sic distribuit ut ex eis non dissensio, sed pax sequatur, Deus esse ostenditur in hoc quod dicit, *Non est dissensionis Deus, sed pacis.*

Amplius. Adoptare in filios Dei non potest esse opus alterius nisi Dei. Nulla enim creatura spiritualis dicitur filius Dei per naturam, sed per adoptionis gratiam: unde et hoc opus Filio Dei, qui verus Deus est, Apostolus attribuit, *ad Gal.* IV[4,5], dicens: *Misit Deus Filium suum, ut adoptionem filiorum reciperemus.* Spiritus autem Sanctus est adoptionis causa: dicit enim Apostolus, *ad Rom.* VIII[15]: *Accepistis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba, Pater.* Ergo Spiritus Sanctus non est creatura, sed Deus.

Item. Si Spiritus Sanctus non est Deus, oportet quod sit aliqua creatura. Planum est autem quod non est creatura corporalis. – Nec etiam spiritualis. Nulla enim creatura spirituali creaturae infunditur: cum creatura non sit participabilis sed magis participans. Spiritus autem Sanctus infunditur sanctorum mentibus, quasi ab eis participatus: legitur enim et Christus eo plenus fuisse*, et etiam Apostoli*. Non est ergo Spiritus Sanctus creatura, sed Deus.

Si quis autem dicat praedicta opera, quae sunt Dei, Spiritui Sancto attribui non per auctoritatem ut Deo, sed per ministerium quasi creaturae: – expresse hoc esse falsum apparet ex his quae Apostolus dicit, I *Cor.* XII[6], dicens: *Divisiones operationum sunt, idem vero Deus qui operatur omnia in omnibus;* et postea, connumeratis diversis donis Dei, subdit*: *Haec omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult.* Ubi manifeste expressit Spiritum Sanctum Deum esse: tum ex eo quod Spiritum Sanctum operari dicit quae supra dixerat Deum operari; tum ex hoc quod eum pro suae voluntatis arbitrio operari confitetur. Manifestum est igitur Spiritum Sanctum Deum esse.

* Vers. 3. * Cap. XI. * Ps. CXXXVIII, 7 sqq. * Vers. 4. * Vers. 21. * Vers. 24 sq. * I *Cor.* XIV, 32 sq. * Luc. IV, 1. * *Act.* II, 4. * Vers. 11.

---

1 II ad Cor.] II Col. BFH, II ad Col. CWZ, ad Col. D. 8 Patrem et Filium] Patris et Filii EX, Pa. et Fi. GN*b*. 9 unam esse naturam] unius esse naturae Y, unam naturam habere ZP*c*. 10 Inhabitare] in bonitate EG. 19 Hoc] Hoc etiam Y, Hoc enim *b*, Et hoc P. 21 Domini] Dei BDFHY. 23 Si] Et si F*b*P*c*. 29 qui ubicumque] ubique Y, qui ubique *c*, qui ubique et ubicumque P*d*. existentes] existens XP*c*, euntes C; alias existentes *notat margo* P. 32 Deus *Ita* DY *et post* nominatur WZ; *om ceteri.* 38 nemo] per *(spat.)* BCpF, per H, perventum Z, per hoc Y; W *lac.* 40 Sanctus *om* αWYZP*c*. 49 ab omnibus *alt. loco om* αWYZ. 50 manifesta fiunt] manifestavit EG*b*, manifesta sunt X.

2 sit] fit GNZP*c*. 6 indicio *Ita bd*; *om* D, iudicio *ceteri.* 11 Gratiae *Ita* W*b*P; Gratias *ceteri.* 14 non] non sit XP*c*. 20 Filio] qui Filio α, quod Filio DYsZ. 27 sed Deus *om* EGNX. 35 legitur enim *om* C, Luc. II *addunt* EG*b*. et Christus eo plenus fuisse *Ita* N*b et sine* eo P*c*; (et G) Christus ex eo plenus fuisse EG, et Christus plenus Spiritu Sancto fuisse X, plenus fuisse α, plenius fuisse (in Apostolis) D, plenos fuisse eo (Apostolos) W, eo plenus fuisse Stephanus Y, Stephanus plenus spiritu fuisse Z. 42 Divisiones *Ita* GWYZ*b*P*c*; *om* αEN, distinctiones D, dona X. 50 tum] tum etiam EGX*b*, etiam N.

## Commentaria Ferrariensis

Positis rationibus eorum qui Spiritum Sanctum creaturam esse existimaverunt, vult Sanctus Thomas veritatem determinare *. Circa hoc autem tria facit: primo, de substantia Spiritus Sancti determinat; secundo, quomodo quae de ipso dicuntur sint intelligenda, declarat, cap. XIX; tertio, de effectibus ipsi attributis pertractat, cap. XX.

* Cf. Comment. cap. praec., init.

Circa primum duo facit. Primo, ostendit quod Spiritus Sanctus sit verus Deus; secundo, quod sit subsistens persona, capite sequenti.

I. Quantum ad primum, *arguit primo sic.* Spiritui Sancto deputatur templum: dicitur enim I *Cor.* VI, *Nescitis* etc. Ergo etc. – Probatur consequentia. Tum quia nulli templum consecratur nisi Deo. – Tum quia membra nostra, quae templum sunt Spiritus Sancti, sunt etiam membra Christi. Inconveniens autem esset, cum Christus sit verus Deus, quod membra eius essent templum Spiritus Sancti nisi et ipse esset verus Deus.

*Secundo.* Serviunt sancti Spiritui Sancto. Dicitur enim *Philip.* III, *Nos sumus circumcisio, qui Spiritui Deo servimus,* ut et graeci et antiquiores latini codices habent; et ex ipso graeco apparet quod de servitute latriae intelligendum est. Ergo etc. – Probatur consequentia. Quia latriae servitus a sanctis non nisi vero Deo attribuitur, ut patet *Deut.* VI.

Advertendum, quod textus graecus in quibusdam exemplaribus sic habet, ἡμεῖς γάρ ἐσμεν ἡ περιτομή οἱ πνεύματι θεῷ λατρεύοντες: aliqui vero textus, οἱ πνεύματι θεοῦ λατρεύομεν. Sensus primi textus est: *Nos enim sumus circumcisio spiritu Deo servientes,* sive, *Deum colentes.* Quia tamen ly πνεύματι dativi casus est, accipit Sanctus Thomas tanquam sit sensus, *Spiritui Deo servientes,* dativo graeco dativum latinum correspondere faciens: et in hoc sensu ad suum propositum hac utitur auctoritate. Alii tamen graecae linguae periti, morem graecum attendentes, dativum illum casum pro ablativo in lingua latina transtulerunt. – Alterius textus sensus est, *Qui spiritu Dei,* sive, ut Sanctus Thomas interpretatur, *Qui spiritui Dei servimus.* – In utroque tamen textu constat, ut inquit Sanctus Thomas, quod de servitute latriae intelligit Apostolus: nam λατρεύω idem est quod *colo* sive, *latria servio et honoro.*

II. *Tertio.* Spiritus Sanctus est qui sanctificat: I *Cor.* VI, *Abluti* etc.; et II *Thess.* II, *Elegit* etc. Ergo etc. – Probatur consequentia. Quia sanctificare homines proprium Dei opus est, ut patet *Levit.* XXII.

*Quarto.* Vita iustitiae animae est per Spiritum Sanctum: *Ioan.* VI, *Spiritus est* etc.; et *ad Rom.* VIII, *Si Spiritu* etc. Ergo etc. – Probatur consequentia. Quia sicut vita naturae corporis est per animam, ita vita iustitiae ipsius animae est per Deum: unde Dominus, *Ioan.* VI, *Sicut misit* etc.

*Quinto.* Virtus resuscitativa ad Spiritum Sanctum pertinet: *Rom.* VIII, *Si Spiritus* etc. Ergo etc. – Probatur consequentia. Quia Dominus in argumentum suae divinitatis asserit in se esse resuscitandi virtutem, *Ioan.* V.

*Sexto.* Creatio pertinet ad Spiritum Sanctum: Psalmo, *Emitte Spiritum* etc.; *Iob* XXXIII, *Spiritus Dei* etc.; *Eccli.* I, dicitur de Deo, *Ipse creavit illam* etc. Ergo etc. – Patet consequentia. Quia creatio solius Dei est opus.

*Septimo. Spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei,* I *Cor.* II. Ergo etc. – Probatur consequentia. Quia comprehendere profunda Dei non est alicuius creaturae: unde *Matth.* XI, *Nemo novit Filium* etc.

*Octavo.* Spiritus Dei se habet ad Deum sicut spiritus hominis ad hominem, secundum Apostoli comparationem, I *ad Cor.* II. Ergo etc. – Probatur consequentia. Quia spiritus hominis est homini intrinsecus, et non est extraneae naturae ab ipso, sed est aliquid eius.

*Nono.* Spiritus illa profunda Dei cognoscit *quae praeparavit expectantibus eum,* ut patet ex Apostolo, haec praeallegato*. Ergo etc. – Patet consequentia. Quia loco nullus vidit praeter Deum, ut patet *Isaiae* LXIV.

* Cf. supra *Septimo.*

*Decimo. Isaiae* VI dicitur, *Audivi vocem Dei dicentis* etc. Sed illa Paulus Spiritui Sancto attribuit, *Act.* ult. Ergo etc.

*Undecimo.* Spiritus Sanctus locutus est in prophetis: unde dicitur *Act.* I, *Oportet enim impleri* etc.; et *Matth.* XII*, *Quomodo dicunt* etc.; et II *Pet.* I, *Non enim voluntate* etc. Ergo etc. – Probatur consequentia. Quia ex Sacris Scripturis apparet Deum esse qui locutus est per prophetas: ut *Num.* XII, *Si quis fuerit* etc.; et in Psalmo, *Audiam* etc.

* Cf. in marg. text. *Marc.* XII.

*Duodecimo.* Revelatio mysteriorum est opus Spiritus Sancti: I *Cor.* II, *Nobis revelavit* etc. Ergo etc. – Patet consequentia. Quia revelatio mysteriorum proprium opus Dei ostenditur *Dan.* II, *Est Deus* etc.

III. *Tertiodecimo.* Docere interius est proprium opus Spiritus Sancti: *Ioan.* XIV, *Paraclitus* etc. Ergo etc. – Patet consequentia. Quia interius docere proprium opus Dei est: unde Psalmo, *Qui docet* etc.; et *Dan.* II, *Dat sapientiam* etc.

Advertendum quod non inquit Sanctus Thomas absolute quod docere sit proprium opus Dei, sed quod docere *interius.* Ut enim egregie declarat Prima, q. CXVII, a. 1; et *Verit.*, q. XI, a. 1, sicut natura in sanatione est interius agens et principale, medicus autem est agens instrumentale coadiuvans naturam, et illi adminicula praebens; ita in acquisitione scientiae principale agens est lumen naturale intellectus, quo principia per se nota cognoscit, per quae in aliorum cognitionem devenit; magister autem dicitur causare scientiam in discipulo exterius agendo, *proponendo videlicet aliqua instrumenta et adminicula, quibus intellectus discipuli utitur ad scientiam acquirendam: puta, proponendo ei aliquas propositiones minus universales, quas discipulus ex praecognitis diiudicare potest; vel proponendo sensibilia exempla, vel aliqua huiusmodi, quibus intellectus addiscentis manuducitur in cognitionem veritatis ignotae; et etiam proponendo ordinem principiorum ad conclusiones.*

Quia ergo interius agens et principale est lumen naturale intellectus; exterius autem agens ministerium exhibendo est homo docens; et solus Deus est causa interioris luminis naturalis: ideo bene dicitur quod interius docere est proprium opus Dei. – Est etiam opus proprium Dei per novam illuminationem interius docere.

IV. *Quartodecimo.* Eadem est operatio Filii et Spiritus Sancti: loqui scilicet in sanctis. De Filio enim apparet II *Cor.* ult., *An experimentum* etc.; de Spiritu Sancto autem dicitur *Matth.* X, *Non vos estis* etc. Ergo etc. – Probatur consequentia. Quia quorum est eadem operatio (scilicet eodem modo), oportet esse eandem naturam.

*Quintodecimo.* Inhabitare mentes sanctorum Apostolus Spiritui Sancto attribuit, I *Cor.* III, *Nescitis* etc. Ergo etc. – Probatur consequentia. Quia inhabitare mentes sanctorum est proprium Dei: II *Cor.* VI, *Vos estis* etc.

*Sextodecimo.* Spiritus Sanctus est ubique: dicitur enim *Sap.* I, *Spiritus* etc.; et in Psalmo, *Quo ibo* etc.; et *Act.* I, *Accipietis* etc. Ergo etc. – Patet consequentia. Quia esse ubique est proprium Dei: *Ier.* XXIII, *Caelum* etc.

*Decimoseptimo.* Petrus*, *Act.* V, expresse Spiritum Sanctum Deum nominat, ubi ait, *Anania cur* etc. – Primae* etiam *Cor.* XIV, datur intelligi quod Spiritus Sanctus sit Deus, cum dicitur, *Qui loquitur lingua* etc. – Idem* etiam datur intelligi ex eo quod subditur, *Si omnes prophetent* etc.; ubi manifestare occulta cordis Deo attribuitur; quod etiam *Ier.* XVII, ostenditur. Constat autem ex iis quae praemisit, scilicet quod *Spiritus loquitur mysteria,* quod manifestatio occultorum cordis a Spiritu Sancto sit. – Item* parum post dicit, *Spiritus prophetarum* etc.: ubi ostenditur, cum gratiae prophetarum a Spiritu Sancto sint; et sint *a Deo pacis,* secundum ipsum Apostolum; quod Spiritus Sanctus sit Deus.

* Vid. Parag. *Praeterea. Expresse.*
* Parag. *Item. I ad Cor.*
* Parag. *Adhuc. Post pauca.*
* Parag. *Item. Parum post.*

*Decimooctavo.* Spiritus Sanctus est adoptionis causa: *ad Rom.* VIII, *Accepistis Spiritum* etc. Ergo etc. – Pro-

batur consequentia. Quia adoptare in filios Dei solius Dei est. Unde etiam attribuitur Filio, *ad Gal.* IV, *Misit Deus* etc.

V. *Ultimo.* Non est creatura corporalis, neque spiritualis. Ergo est Deus. – Probatur antecedens. Quia Spiritus Sanctus infunditur sanctorum mentibus quasi ab eis participatus: legitur enim et Christus plenus fuisse, et etiam Apostoli. Nulla autem creatura spirituali creaturae infunditur: cum creatura non sit participabilis, sed magis participans.

2. Circa rationem hanc, cum probatur nullam creaturam spiritualem creaturae spirituali infundi, quia creatura non est participabilis, sed participans: dubium occurrit. Quia si loquamur de participatione formae a materia, constat quod Spiritus Sanctus non est sic participabilis, sed bene creatura. – Si vero loquamur de participatione causae ab effectu, manifestum est a substantiis separatis multos effectus causari, qui virtute ipsarum participant. – Si autem loquamur de participatione secundum essentiam, ita videlicet quod unum habeat partem essentiae alterius, constat quod nec etiam Spiritus Sanctus hoc modo a creatura participabilis est.

3. Ad huius evidentiam, considerandum est, ex iis quae habentur in fine sequentis capituli; et in Secundo, d. VIII, a. 5, ad 3; item *Verit.*, q. XXVIII, a. 2, ad 8, quod propositio Sancti Thomae non aliter intelligenda est quam de participatione secundum substantiam: ita scilicet quod substantia unius sit in altera tanquam intra essentiam eius operans, et participatione suae substantiae aliam bonam efficiens. Sic enim solus Deus est participabilis a mente humana: quia ipse solus intra eius essentiam operatur, ipsam creans et conservans in esse; et ipse solus est sua bonitas, ut dici possit quod suae essentiae et substantiae participatione mens humana est bona. Nulla autem creatura dat aut conservat esse mentis humanae: licet possit causare aliquod spirituale lumen in ipsa. Nec etiam eius bonitas est eius substantia, sed est aliquid essentiae superadditum. Ideo, si qua bonitas ab ipsa causatur in mente humana, ipsa creatura non dicitur participari secundum suam substantiam, sed secundum perfectiones superadditas: neque dicitur esse intra substantiam mentis, sed extrinsecus aliquid operari.

Ad dubium ergo dicitur quod non loquimur hic de participatione formae a materia; nec de participatione qua participans habet partem essentiae rei participatae; sed de participatione qua effectus participat secundum suam substantiam et secundum suum esse ipsam virtutem et essentiam causae; et etiam de participatione qua forma exemplaris dicitur participari secundum suam substantiam ab exemplato, inquantum exemplatum est quaedam participata seu imperfecta similitudo substantiae sui exemplaris. Et sic patet quod nulla creatura, sed solus Deus, est a mente humana participabilis.

VI. Posset autem ad praedictas rationes responderi quod praedicta opera in rationibus enumerata Spiritui Sancto attribuuntur, non per auctoritatem sicut Deo, sed per ministerium. – Sed contra arguit Sanctus Thomas auctoritate Apostoli, dicentis I *Cor.* XII, postquam diversa dona enumeravit, *Haec omnia operatur* etc. Ex quibus verbis dat intelligere Spiritum Sanctum Deum esse: tum quia ipsum dicit operari ea quae supra dixerat operari Deum; tum quia eum pro suae voluntatis arbitrio operari confitetur.

Advertendum quod differentia est inter eum qui operatur per auctoritatem, tanquam videlicet dominus, et eum qui operatur tanquam minister, quia is qui operatur ut dominus, operatur ut vult; is autem qui operatur ut minister, operatur non secundum suae voluntatis arbitrium, sed secundum voluntatem eius cuius est minister. Idcirco bene infert Sanctus Thomas Spiritum Sanctum Deum esse, ex eo quod ea quae Deo tanquam eius proprii effectus attribuuntur, ipse pro suo dividit arbitrio et operatur.

# CAPITULUM DECIMUM OCTAVUM

## QUOD SPIRITUS SANCTUS SIT SUBSISTENS PERSONA.

Sed quia quidam Spiritum Sanctum asserunt non esse personam subsistentem, sed vel ipsam divinitatem Patris et Filii, ut quidam Macedoniani di-
*Aug. *de Haeres.*, LII. xisse perhibentur*; vel etiam aliquam accidentalem perfectionem mentis a Deo nobis donatam, puta sapientiam vel caritatem, vel aliquid huiusmodi, quae participantur a nobis sicut quaedam accidentia creata: contra hoc ostendendum est Spiritum Sanctum non esse aliquid huiusmodi.

Non enim formae accidentales proprie operantur, sed magis habens eas pro suae arbitrio voluntatis: homo enim sapiens utitur sapientia cum vult. Sed Spiritus Sanctus operatur pro
*Cap. praec., fin. suae arbitrio voluntatis, ut ostensum est*. Non igitur est aestimandus Spiritus Sanctus velut aliqua accidentalis perfectio mentis.

Item. Spiritus Sanctus, ut ex Scripturis docemur, causa est omnium perfectionum humanae mentis. Dicit enim Apostolus, *ad Rom.* V[5]: *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis;* et I *ad Cor.* XII[8–11]: *Alii per Spiritum datur sermo sapientiae, alii sermo scientiae, secundum eundem Spiritum,* et sic de aliis. Non ergo Spiritus Sanctus est aestimandus quasi aliqua accidentalis perfectio mentis humanae, cum ipse omnium huiusmodi perfectionum causa existat.

Quod autem in nomine Spiritus Sancti designetur essentia Patris et Filii, ut sic a neutro personaliter distinguatur, repugnat his quae divina Scriptura de Spiritu Sancto tradit. Dicitur enim *Ioan.* XV[26], quod Spiritus Sanctus *procedit a Patre;* et *Ioan.* XVI[14], quod *accipit a Filio:* quod non potest de divina essentia intelligi, cum essentia divina a Patre non procedat, nec a Filio accipiat. Oportet igitur dicere quod Spiritus Sanctus sit subsistens persona.

---

5 aliquam accidentalem perfectionem] perfectionem accidentalem aliquam EGNX. 8 sicut ... contra] sicut (sic *b*, sed GX) contra EGX*b*. 13 homo ... 15 voluntatis *hom om* EGN. 16 velut] esse velut D; X *legit:* aestimandum Spiritum Sanctum esse aliquam accidentalem perfectionem mentis; E: aestimandum Spiritum Sanctum vel aliqua *etc.*

3 Cor.] Col. αDWZ. 10 in nomine Spiritus Sancti] Spiritus Sanctus in nomine αW, Spiritus Sancti nomine Y, etiam Spiritus Sanctus (designetur) nomine Z, Spiritus Sancti nomine non D. 11 ut] et DP*d*. 13 de Spiritu] Spiritui EGNX*b*. 17 a Patre non] neque a Patre *b*, a Patre neque EGX; *pro* nec, neque EGNX*b*.

Item. Sacra Scriptura manifeste de Spiritu Sancto loquitur tanquam de persona divina subsistente: dicitur enim *Act.* XIII[2]: *Ministrantibus illis Domino et ieiunantibus, dicit illis Spiritus Sanctus: Segregate mihi Barnabam et Saulum in opus ad quod assumpsi eos;* et infra*: *Et ipsi quidem, missi a Spiritu Sancto, abierunt;* et *Act.* XV[28], dicunt Apostoli: *Visum est Spiritui Sancto et nobis nihil ultra imponere oneris vobis* etc.; quae de Spiritu Sancto non dicerentur nisi esset subsistens persona. Est igitur Spiritus Sanctus subsistens persona.

* Vers. 4.

Amplius. Cum Pater et Filius sint personae subsistentes et divinae naturae, Spiritus Sanctus non connumeraretur eisdem nisi et ipse esset persona subsistens in divina natura. Connumeratur autem eisdem: ut patet *Matth.* ult.*, dicente Domino discipulis, *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti;* et II *ad Cor.* ult.*, *Gratia Domini nostri Iesu Christi, et caritas Dei, et communicatio Sancti Spiritus, sit semper cum omnibus vobis;* et I *Ioan.* ult.*, *Tres sunt qui testimonium dant in caelo, Pater, Verbum et Spiritus Sanctus, et hi tres unum sunt.* Ex quo manifeste ostenditur quod non solum sit persona subsistens, sicut Pater et Filius, sed etiam cum eis essentiae habeat unitatem.

* Cap. xxviii, 19.

* Cap. xiii, 13.

* Cap. v, 7.

Posset autem aliquis contra praedicta calumniari, dicens aliud esse *Spiritum Dei,* et aliud *Spiritum Sanctum.* Nam in quibusdam praemissarum auctoritatum nominatur *Spiritus Dei**, in quibusdam vero *Spiritus Sanctus.* – Sed quod idem sit *Spiritus Dei* et *Spiritus Sanctus,* manifeste ostenditur ex verbis Apostoli dicentis, I *ad Cor.* II[10], ubi, cum praemisisset, *Nobis revelavit Deus per Spiritum Sanctum,* ad huius confirmationem inducit: *Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei;* et postea concludit: *Ita et quae sunt Dei, nemo novit nisi Spiritus Dei;* ex quo manifeste apparet quod idem sit Spiritus Sanctus et Spiritus Dei.

* Cap. praec., p. 69 a, 2, 34, 41.

Idem apparet ex hoc quod *Matth.* X[20], Dominus dicit: *Non estis vos qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis.* Loco autem horum verborum Marcus dicit*: *Non estis vos loquentes, sed Spiritus Sanctus.* Manifestum est igitur idem esse Spiritum Sanctum et Spiritum Dei.

* Cap. xiii, 11.

Sic ergo, cum ex praemissis auctoritatibus* multipliciter appareat Spiritum Sanctum non esse creaturam, sed verum Deum; manifestum est quod non cogimur dicere eodem modo esse intelligendum quod Spiritus Sanctus mentes sanctorum impleat et eos inhabitet, sicut diabolus aliquos implere vel inhabitare dicitur: habetur enim *Ioan.* XIII[27], de Iuda, quod *post bucellam introivit in eo Satanas;* et *Act.* V[3], dicit Petrus, ut quidam libri habent: *Anania, cur implevit Satanas cor tuum?* Cum enim diabolus creatura sit, ut ex superioribus* est manifestum, non implet aliquem participatione sui; neque potest mentem inhabitare per suam substantiam*; sed dicitur aliquos implere per effectum suae malitiae, unde et Paulus dicit ad quendam, *Act.* XIII[10]: *O plene omni dolo et omni fallacia!* Spiritus autem Sanctus, cum Deus sit, per suam substantiam mentem inhabitat, et sui participatione bonos facit: ipse enim est sua bonitas, cum sit Deus; quod de nulla creatura verum esse potest. Nec tamen per hoc removetur quin per effectum suae virtutis sanctorum impleat mentes.

* In hoc cap. et praeced.

* Lib. II, cap. xv.

* Cf. cap. praec., *Item. Si Spiritus.*

8 dicunt *Ita* ZsY; dicitur dicunt *ceteri.* 15 et ipse] ipse Pc. 20 Cor.] Col. αWYZ. Domini nostri *om* ENX. 23 I. *om* αWYZ. 4 novit] vidit αWYZ. 5 sit] sint BCF, sunt YPc, est *b.* 7 Idem] Item DEGNXZ*b*P*d.* Dominus *post* dicit DEGNX*b.* 10 horum] istorum Pc. 17 dicere *Ita* P *et post* modo Y; *om ceteri*; esse *om* D. 19 diabolus] dicimus EG*b*; *pro* dicitur habetur, dicitur *b.* 22 eo] eum XZP. 27 inhabitare] sua participatione vel *addunt* P*d.*

## Commentaria Ferrariensis

* Cf. Comment. cap. praec., Introd.

PROBATO quod Spiritus Sanctus sit Deus, vult Sanctus Thomas ostendere quod sit etiam subsistens persona *, contra dicentes ipsum esse divinitatem Patris et Filii; et contra dicentes ipsum esse aliquam accidentalem perfectionem mentis, sapientiam videlicet vel caritatem, vel aliquid huiusmodi. Ostenditur enim quod non est aliquid huiusmodi: et arguitur primo, quod accidentalis forma non sit; secundo, quod non sit Patris et Filii divinitas *.

* Num. II.

I. Primum ostenditur dupliciter. *Primo.* Spiritus Sanctus operatur pro suae arbitrio voluntatis: ut patet ex dictis superius*. Formae autem accidentales non proprie operantur, sed magis habens eas utitur eis pro suo arbitrio. Ergo etc.

* Cap. praec., fin.

*Secundo.* Spiritus Sanctus est causa omnium perfectionum humanae mentis: ut patet *Rom.* V, *Caritas Dei* etc.; et I *ad Cor.* XII, *Alii per Spiritum.* Ergo etc.

II. Secundum vero, scilicet quod *nomine Spiritus Sancti non designatur essentia Patris et Filii, tanquam a neutro personaliter distinguatur,* ostenditur tripliciter.

*Primo.* Spiritus Sanctus procedit a Patre, *Ioan.* XV; et accipit a Filio, *Ioan.* XVI. Sed neutrum horum convenit essentiae divinae. Ergo etc.

*Secundo.* Sacra Scriptura manifeste de Spiritu Sancto loquitur tanquam de persona divina subsistente: ut patet *Act.* XIII, et XV. Ergo etc.

*Tertio.* Spiritus Sanctus connumeratur Patri et Filio, quae sunt personae subsistentes et divinae naturae. Ergo etc. – Probatur antecedens ex eo quod dicitur *Matt.* ult., *Euntes* etc.; et II *Cor.* ult., *Gratia Domini* etc.; et I *Ioan.* ult., *Tres sunt* etc.

2. Si quis diceret aliud esse *Spiritum Sanctum,* et aliud *Spiritum Dei* – in quibusdam enim praemissarum auctoritatum nominatur Spiritus Dei, in quibusdam vero Spiritus Sanctus: – manifeste ostenditur quod idem sit Spiritus Dei et Spiritus Sanctus, ex processu Apostoli I *Cor.* II; et ex eo quod ubi, *Matt.* X, dicitur, *Spiritus Patris vestri,* Marcus dicit, *Spiritus Sanctus.*

III. Ex istis infert Sanctus Thomas quod non cogimur dicere eodem modo intelligendum esse Spiritum Sanctum mentes sanctorum implere et eas inhabitare, sicut diabolus aliquos implere et inhabitare dicitur, *Ioan.* XIII, et *Act.* V. Quia diabolus, cum sit creatura, non implet aliquem neque inhabitat participatione sui, vel per suam substantiam, sed tantum per effectum suae malitiae, ut habetur *Act.* XIII, *O plene* etc. Spiritus autem Sanctus, cum sit Deus, per suam substantiam mentem inhabitat, et sui participatione bonos facit. – Nec tamen per hoc removetur quin per effectum suae virtutis sanctorum impleat mentes.

IV. Circa hoc ultimum dictum, considerandum est quod duobus modis potest intelligi substantiam spiritualem mentem hominis implere: uno modo, per effectum suae virtutis, quia videlicet aliquis effectus virtutis ipsius ab ipsa causatur in mente; alio modo, per propriam substantiam. Primo modo, substantia spiritualis creata potest mentem hominis implere et inhabitare, quia aliquem effectum in ipsa causare potest, directe vel indirecte agendo, ut in superioribus * est ostensum: non autem potest secundo modo inhabitare. Sed Deus utroque modo implere mentem hominis potest. Et ideo, postquam dixit Sanctus Thomas quod Spiritus Sanctus secundum suam substantiam mentes sanctorum inhabitat dando illis esse, ut in capite praecedenti est ostensum; addidit quod *non excluditur per hoc quin per effectum suae virtutis eas inhabitet:* nam virtutes a Deo in mentem causantur.

* Lib. III, cap. LXXVIII sqq.

V. Sed tunc occurrit dubium. Nam substantia spiritualis ibi est secundum suam substantiam ubi operatur*. Si ergo operatur aliquid in mentibus sanctorum, illuminando videlicet aut aliquid aliud agendo, sequitur quod in mentibus sanctorum sit secundum suam substantiam. Ergo non tantum per effectum suae virtutis.

* Cf. fin. Comment.

Pro huius solutione, advertendum est, ex doctrina Sancti Thomae II *Sent.*, d. VIII, a. 5, ad 3, quod, cum esse intra aliquid sit esse intra terminos eius, secundum quod substantia spiritualis est intra terminos alicuius, ita dicitur esse intra ipsum. Cum autem duplex sit terminus rei, scilicet *terminus corporalis quantitatis,* ut invenitur in corporibus; et *terminus essentiae,* ut invenitur in omni creatura: intra terminos corporalis quantitatis substantia spiritualis esse potest, quia intra illos potest operari; non autem potest esse intra terminos essentiae, neque sicut pars, neque sicut virtus dans esse, quia esse, maxime rerum spiritualium, est per creationem, ut ostensum est in praecedentibus *.

* Lib. II, cap. XXI, *Adhuc. Effectus.*

Ideo potest esse substantia spiritualis intra corpora, et ipsa corpora implere et inhabitare, secundum terminos corporeae quantitatis. Non autem potest esse intra mentem humanam, quae nullos habet terminos corporeae quantitatis, sed tantum essentiae, intra quam intrat et operatur solum is qui dat esse menti, scilicet ipse Deus: quamvis etiam substantia creata circa ipsam mentem aliquid possit extrinsecus operari, quod est esse in ipsa per suae virtutis effectum.

Cum ergo dicitur quod substantia spiritualis ibi est secundum substantiam ubi operatur: – dicitur quod, si proportionaliter sumantur ibi esse et ibi operari, sic propositio est universaliter vera. Substantia enim spiritualis, si in aliquo operatur tanquam intra ipsius terminos operans, intra illud est et illud inhabitat. Similiter, si in aliquo est tanquam extrinsecus operans aliquid in ipso, extrinsecus est in eo: quod tamen improprie est unam substantiam esse in alia. Unde et, si subsumatur minor ad hunc sensum, quod substantia creata aliquid operatur in mentibus sanctorum tanquam intra ipsarum terminos operans, falsa est. Si vero subsumatur ad alium sensum, videlicet quod operatur in mentibus sanctorum tanquam extrinsecus operans, et non intra essentiam, tunc vera est; et vera conclusio, scilicet quod substantia creata sit secundum substantiam in mentibus sanctorum tanquam aliquid extrinsecum; quod tamen, ut dicebatur, est improprie dictum. – Si vero sumatur dicta propositio ad hunc sensum, quod in ea re in qua operatur quomodocumque substantia spiritualis (sive inquam intra terminos rei agendo, sive extrinsecus aliquid operando), intra ipsam est et ipsam implet aut inhabitat: falsa est.

A doctoribus autem ponitur *ibi esse ubi operatur,* ad hunc sensum, quod in eo loco est secundum substantiam suam, in quo est corpus in quod operatur. Et sic habet veritatem.

# CAPITULUM DECIMUM NONUM

## QUOMODO INTELLIGENDA SUNT QUAE DE SPIRITU SANCTO DICUNTUR.

SANCTARUM igitur Scripturarum testimoniis edocti, hoc firmiter de Spiritu Sancto tenemus, quod verus sit Deus, subsistens, et personaliter distinctus a Patre et Filio. Oportet autem considerare qualiter huiusmodi veritas utcumque accipi debeat, ut ab impugnationibus infidelium defendatur.

Ad cuius evidentiam praemitti oportet quod in qualibet intellectuali natura oportet inveniri voluntatem. Intellectus enim fit in actu per formam intelligibilem inquantum est intelligens, sicut res naturalis fit actu in esse naturali per propriam formam. Res autem naturalis per formam qua perficitur in sua specie, habet inclinationem in proprias operationes et proprium finem, quem per operationes consequitur: *quale enim est unumquodque, talia operatur* *, et in sibi convenientia tendit. Unde etiam oportet quod ex forma intelligibili consequatur in intelligente inclinatio ad proprias operationes et proprium finem. Haec autem inclinatio in intellectuali natura voluntas est, quae est principium operationum quae in nobis sunt, quibus intelligens propter finem operatur: finis enim et bonum est voluntatis obiectum. Oportet igitur in quolibet intelligente inveniri etiam voluntatem.

* Cf. III *Ethic.*, V 17; s. Th. l. 13.

Cum autem ad voluntatem plures actus pertinere videantur, ut desiderare, delectari, odire, et huiusmodi, omnium tamen amor et unum principium et communis radix invenitur. Quod ex his accipi potest. Voluntas enim, ut dictum est, sic se habet in rebus intellectualibus sicut naturalis inclinatio in rebus naturalibus, quae et naturalis appetitus dicitur. Ex hoc autem oritur inclinatio naturalis, quod res naturalis habet affinitatem et convenientiam secundum formam, quam diximus esse inclinationis principium, cum eo ad quod movetur, sicut grave cum loco inferiori. Unde etiam hinc oritur omnis inclinatio voluntatis, quod per formam intelligibilem aliquid apprehenditur ut conveniens vel afficiens. Affici autem ad aliquid, inquantum huiusmodi, est

b 2 quibus intelligens] in quibus intellectus EGX *et sine* in N*b*P*c*. 5 etiam] etiam et P*c*. 8 et unum] unum EGN*b*. 20 vel afficiens *ita* Y*b*P*d*; vel affici αDEGN, vel affine W, vel afflictivum Z, *om* X, vel afficitur *c*.

amare ipsum. Omnis igitur inclinatio voluntatis, et etiam appetitus sensibilis, ex amore originem habet. Ex hoc enim quod aliquid amamus, desideramus illud si absit, gaudemus autem cum adest, et tristamur cum ab eo impedimur, et odimus quae nos ab amato impediunt, et irascimur contra ea.

Sic igitur quod amatur non solum est in intellectu amantis, sed etiam in voluntate ipsius: aliter tamen et aliter. In intellectu enim est secundum similitudinem suae speciei: in voluntate autem amantis est sicut terminus motus in principio motivo proportionato per convenientiam et proportionem quam habet ad ipsum. Sicut in igne quodammodo est locus sursum ratione levitatis, secundum quam habet proportionem et convenientiam ad talem locum: ignis vero generatus est in igne generante per similitudinem suae formae.

Quia igitur ostensum est quod in omni natura intellectuali est voluntas; Deus autem intelligens est, ut in Primo * ostensum est: oportet quod in ipso sit voluntas: non quidem quod voluntas Dei sit aliquid eius essentiae superveniens, sicut nec intellectus, ut supra * ostensum est, sed voluntas Dei est ipsa eius substantia. Et cum intellectus etiam Dei sit ipsa eius substantia, sequitur quod una res sint in Deo intellectus et voluntas. Qualiter autem quae in aliis rebus plures res sunt, in Deo sint una res, ex his quae in Primo * dicta sunt, potest esse manifestum.

Et quia ostensum est in Primo * quod operatio Dei sit ipsa eius essentia; et essentia Dei sit eius voluntas*: sequitur quod in Deo non est voluntas secundum potentiam vel habitum, sed secundum actum. Ostensum est autem quod omnis actus voluntatis in amore radicatur. Unde oportet quod in Deo sit amor.

Et quia, ut in Primo * ostensum est, proprium obiectum divinae voluntatis est eius bonitas, necesse est quod Deus primo et principaliter suam bonitatem et seipsum amet. Cum autem ostensum sit quod amatum necesse est aliqualiter esse in voluntate amantis; ipse autem Deus seipsum amat: necesse est quod ipse Deus sit in sua voluntate ut amatum in amante. Est autem amatum in amante secundum quod amatur; amare autem quoddam velle est; velle autem Dei est eius esse, sicut et voluntas eius est eius esse; esse igitur Dei in voluntate sua per modum amoris, non est esse accidentale, sicut in nobis, sed essentiale. Unde oportet quod Deus, secundum quod consideratur ut in sua voluntate existens, sit vere et substantialiter Deus.

Quod autem aliquid sit in voluntate ut amatum in amante, ordinem quendam habet ad conceptionem qua ab intellectu concipitur, et ad ipsam rem cuius intellectualis conceptio dicitur verbum: non enim amaretur aliquid nisi aliquo modo cognosceretur; nec solum amati cognitio amatur, sed secundum quod in se bonum est. Necesse est igitur quod amor quo Deus est in voluntate divina ut amatum in amante, et a Verbo Dei, et a Deo cuius est Verbum, procedat.

Cum autem ostensum sit quod amatum in amante non est secundum similitudinem speciei, sicut intellectum in intelligente; omne autem quod procedit ab altero per modum geniti, procedit secundum similitudinem speciei a generante: relinquitur quod processus rei ad hoc quod sit in voluntate sicut amatum in amante, non sit per modum generationis, sicut processus rei ad hoc quod sit in intellectu habet rationem generationis, ut supra * ostensum est. Deus igitur procedens per modum amoris, non procedit ut genitus. Neque igitur filius dici potest.

Sed quia amatum in voluntate existit ut inclinans, et quodammodo impellens intrinsecus amantem in ipsam rem amatam; impulsus autem rei viventis ab interiori ad spiritum pertinet: convenit Deo per modum amoris procedenti ut *spiritus* dicatur eius, quasi quadam spiratione existente.

Hinc est quod Apostolus Spiritui et Amori impulsum quendam attribuit: dicit enim, *Rom.* VIII[14]: *Qui Spiritu Dei aguntur, hi filii Dei sunt;* et II *ad Cor.* V[14]: *Caritas Christi urget nos.*

Quia vero omnis intellectualis motus a termino denominatur; amor autem praedictus est quo Deus ipse amatur: convenienter Deus per modum amoris procedens dicitur *Spiritus Sanctus;* ea enim quae Deo dicata sunt, *sancta* dici consueverunt.

* Cap. XLIV.
* Ibid., cap XLV, LXXIII.
* Cap. XXXI
* Cap. XLV.
* Ibid. cap. LXXIII.
* Cap. LXXIV.
* Cap XI, *Rursus considerandum* (p. 35 a 4).

29 quae] haec quae Pc. 40 eius *post* bonitas EGNX*b*. 45 amat] amet *b*; *pro* necesse, necessario EX. 46 Est ... amante *hom om* EGNX. 47 amatur] amator EX, amor *supra ras.* G.

6 ut *om* DEGNXY*b*. 23 relinquitur] igitur *addunt* EGX*b*. 25 sicut ... 27 generationis *hom om* EGN. 35 eius quasi quadam spiratione existente (*idest*: cum persona quae per modum amoris procedit quasi quadam spiratione existat, *quoad constructionem orationis cf.* II cap. 75, p. 474, a, 38, non quasi individuatione a corporibus causata) *Ita b*; eius spiratione (impulsione W) quasi quadam spiratione (inspiratione C, aspiratione Pc) existente αDNWYPc, eius spiratione existente EZ, a spiratione eius existente G; X *legit*: cum spiritus eius dicatur in spiratione quasi quadam spiratione (existente *om*). 38 dicit] dicitur Pc.

## Commentaria Ferrariensis

POSTQUAM ostendit Sanctus Thomas quoniam Spiritus Sanctus et est Deus, et est persona subsistens a Patre et Filio realiter distincta; ut ab infidelibus huiusmodi veritas defendatur, quomodo hoc accipi debeat, ostendit*. Et primo, praemittit quaedam necessaria ad propositum; secundo, declarat intentum *.

Cf. Comment. cap. XVII, init.
* Infra, num. V.
* Vid. num. III.

I. Primum quod praemittit * est quod *in omni intelligente oportet voluntatem inveniri.* Probatur. Sicut res naturalis fit actu in esse naturali per propriam formam, ita intellectus fit in actu, inquantum est intelligens, per formam intellectualem. Sed res naturalis per propriam formam habet inclinationem in proprias operationes et in proprium finem, quem per eas consequitur: quia *quale unumquodque est, talia operatur,* et in sibi convenientia tendit. Ergo et in intelligente ex forma intelligibili sequitur inclinatio ad proprias operationes et proprium finem.

Hanc autem dicimus *voluntatem:* in nobis enim voluntas est principium operationum quae in nobis, idest nostra potestate sunt, quibus intellectus propter finem operatur: cum finis et bonum sit obiectum voluntatis. Ergo etc.

2. Attendendum primo, quod intellectus et est proprietas naturae intelligibilis tanquam accidentalis forma ipsam naturaliter concomitans; et est talis proprietas per quam natura intelligibilis intelligit. Ideo dupliciter potest dici fieri in actu: uno modo, inquantum est naturalis proprietas; alio modo, inquantum ad intelligendum ordinatur. Primo modo, fit in actu inquantum inhaeret naturae intelligibili: sicut et quaelibet alia forma accidentalis est in actu per hoc quod suo inhaeret subiecto. Secundo autem modo, fit in actu per hoc quod informatur specie rei intelligibilis. Ut ergo ostenderet Sanctus Thomas de quo modo actualitatis intellectus intelligebat, non dixit absolute quod fit in actu per formam intelligibilem, sed addidit, *inquantum est intelligens,* dans intelligere quod intendit de actualitate ipsius secundum quod constituitur in actu intelligendi.

3. Attendendum secundo quod, cum ad hoc dentur potentiae ut natura per illas tendat in propria obiecta; et obiectum voluntatis sit finis et bonum: pertinet ad voluntatem ut illarum operationum quibus natura intelligibilis tendit ad finem et bonum, sit principium. Quod ergo addit Sanctus Thomas, *finis enim et bonum est obiectum voluntatis,* ponitur tanquam ratio eius quod dictum est, voluntatem esse principium operationum quibus intellectus, idest natura intelligibilis, operatur propter finem. Si enim obiectum voluntatis est finis, oportet ut per ipsam voluntatem natura intelligibilis tendat ad finem: et sic, quod sit principium operationum quae a natura intelligibili ordinantur ad finem.

II. Sed circa rationem qua probatur in natura intelligibili esse voluntatem, ex conditione scilicet formae naturalis, dubitatur. Ex hac enim non videtur concludi quod voluntas sit in natura intelligibili tanquam potentia particularis ab intellectuali forma et intellectu distincta, quod videtur intendere Sanctus Thomas. Nam cum inclinatio consequens formam naturalem non sit aliqua forma a naturali forma distincta, sed sit ipsa forma cum habitudine ad finem; eodem modo dici poterit quod formam quidem intelligibilem sequitur inclinatio in bonum intelligentis et in eius propriam operationem, sed talis inclinatio non est aliquid distinctum a forma ipsa intelligibili. Et sic non sequitur in natura intelligibili esse voluntatem tanquam potentiam per se ab aliis distinctam.

2. Ad huius evidentiam, considerandum est primo, quod per illam comparationem non intendit Sanctus Thomas omnimodam ponere similitudinem inter inclinationem consequentem formam naturalem, et inclinationem consequentem formam intelligibilem, sed intendit secundum quandam proportionalitatem arguere: quod scilicet, sicut ad formam naturalem sequitur inclinatio in proprias operationes et proprium finem suo modo, ita secundum modum convenientem naturae intelligibili, ad formam intelligibilem sequitur inclinatio in proprias operationes et proprium finem intelligentiae.

Considerandum secundo, ex doctrina tradita *Verit.*, q. XXII, a. 3, quod proprius modus animatorum est ut ad ea opera quae sunt ipsorum propria, speciales potentiae deputentur, in quo ab inanimatis differunt. Ideo, ubi invenitur aliqua operatio quae secundum aliquem modum est propria animatorum, licet et inanimatis aliquo modo conveniat, oportet specialem potentiam illi adaptare: sicut, quia moveri localiter a seipso est animalium proprium, ad motum localem animalium datur specialis potentia, quae vis motiva dicitur. Appetere autem speciali modo convenit animalibus, inquantum invenitur in eis appetitus et movens appetitum: *bonum enim apprehensum,* et per consequens existens in appetente, *movet appetitum* *. Ideo specialis potentia quae dicitur appetitus, ad hunc actum ordinatur. In natura vero intellectuali est adhuc altior modus: quia non solum est in ipsa appetitus et movens appetitum, scilicet bonum apprehensum per intellectum, sed etiam ipse actus appetendi est liber, inquantum in potestate appetentis est appetere bonum apprehensum per intellectum, et non appetere. Ideo oportet et appetitum naturae intelligibilis, qui voluntas dicitur, specialem potentiam esse ab aliis distinctam.

*Cf. III *de Anima*, x, 2; s. Th. l. 15.

3. Ratio ergo Sancti Thomae efficax est: quia sufficit ipsi probare quod in natura intelligibili sit inclinatio in propriam operationem et in bonum eius suo modo. Constat enim quod proprius modus ipsius est ut inclinatio, si in natura intelligibili invenitur formam consequens intellectam, habeat specialem potentiam ab aliis distinctam, sicut et particulari modo sibi actus convenit appetendi.

III. Secundum quod praemittit Sanctus Thomas* est quod *omnium actuum voluntatis amor est principium et communis radix.* Probatur dupliciter. Primo ratione, sic. Ex hoc oritur inclinatio naturalis, quod res naturalis habet affinitatem et convenientiam secundum formam, quae est inclinationis principium, cum eo ad quod movetur: ut patet in gravi. Ergo et omnis inclinatio voluntatis hinc oritur quod per formam intelligibilem aliquid apprehenditur ut conveniens vel afficiens. Affici autem ad aliquid, inquantum huiusmodi, est amare ipsum. Ergo etc.

*Cf. init. Comment.

Secundo probatur inductive: quia videlicet ex hoc quod aliquid amamus, desideramus illud si absit, gaudemus cum adest, tristamur cum ab eo impedimur, et odimus quae nos ab ipso impediunt, et irascimur contra ea.

2. Ad evidentiam rationis, considerandum est ex doctrina Sancti Thomae I$^{a}$ II$^{ae}$, q. XXV, a. 2; q. XXVI, a. 1; et q. XXVIII, a. 1, quod amor nihil aliud est quam aptitudo, sive proportio et complacentia appetitus ad bonum: dicitur enim quis bonum aliquid amare inquantum illi afficitur, et in eo complacet tanquam in aliquo sibi convenienti et proportionato. Ideo volens Sanctus Thomas ostendere amorem esse communem radicem omnium actuum voluntatis, assumit quod omnis inclinatio voluntatis hinc oritur quod aliquid apprehenditur ut conveniens et afficiens, idest, ut perfectivum appetentis, et ipsum ad se trahens. Vult enim habere quod ex hac apprehensione prima inclinatio voluntatis est complacentia in tali bono et affectio ad illud, in quo ratio amoris consistit. Et ideo, sicut illa apprehensio est origo simpliciter omnium actuum voluntatis, ita amor, qui est primus actus voluntatis illam apprehensionem concomitans, est inter omnes actus voluntatis primus, et omnium aliorum actuum principium et origo.

IV. Tertium quod praemittit Sanctus Thomas est quod *id quod amatur est et in intellectu amantis et in voluntate, sed diversimode:* quia in intellectu est secundum similitudinem suae speciei, sicut ignis genitus in igne generante; in voluntate autem amantis sicut terminus motus in principio motivo, per convenientiam et proportionem quam habet ad ipsum, sicut locus sursum est quodammodo in gravi.

Advertendum quod, sicut res intellecta dicitur esse in intelligente per similitudinem suae formae, non quia ipsa res secundum suum esse naturale informet intellectum, sed quia in intellectu est forma quaedam intelligibilis quae est rei intellectae similitudo, ita quod rem intellectam esse in intellectu nihil aliud est quam in intellectu esse ipsius similitudinem; ita rem amatam esse in amante sicut terminus motus est in principio motivo per convenientiam et proportionem, non est rem amatam inhaerere amanti secundum suam essentiam aut secundum suam similitudinem, sed in amante esse aliquam complacentiam et proportionem atque affectionem, per quam in ipsam inclinetur rem amatam; per talem enim connaturalitatem et affectionem sive complacentiam, quae est amor, amans est quodammodo res amata; sicut una res quae est alteri proportionata, et est principium motivum in illam, est quodammodo ipsa. Dicitur autem amatum esse in amantis voluntate *sicut in principio motivo,* quia in voluntate existens causat desiderium rei amatae, si est absens; et est causa et principium omnis alterius motus quo in rem amatam amans movetur. – De hoc etiam habes a Sancto Thoma I$^{a}$ II$^{ae}$, q. XXVIII, a. 2.

Hinc patet error Aureoli, apud Capreolum in Primum, d. x*, putantis amatum non posse esse in amante nisi sit in ipso per essentiam aut per similitudinem. Dicitur enim quod est alius modus, scilicet per affectionem et complacentiam, aut per quandam habitualem inclinationem ex frequentatione actus amandi in voluntate derelictam.

*Art. 2, p. 12 (Turon. 1900).

V. Ex istis Sanctus Thomas, ut propositum ostendat*, *infert primo,* quod *In Deo est voluntas, cum sit intelligens:* non quidem quod sit aliquid superadditum essentiae, sed est ipsa Dei substantia, sicut et intellectus. Et cum etiam intellectus Dei sit eius substantia, sequitur quod una res sint in Deo intellectus et voluntas.

*Cf. init. Comment.

Advertendum quod in absolutis quidem valet ista consequentia, *Hoc est divina substantia. Et illud est divina substantia. Ergo hoc et illud sunt una res:* quia, cum unum nihil aliud sit quam substantia divina, et similiter aliud, non apparet in illis per quid habeant realiter distingui. Sed in iis quae relative opponuntur, non tenet talis consequentia, propter ipsam relativam oppositionem, quae realem distinctionem exigit inter ea quae relative opponuntur. Non enim valet, *Pater est Dei essentia. Et Filius est Dei essentia. Ergo Pater et Filius sunt una res:* quia, licet sint divina essentia, habent tamen oppositas relationes, quarum una non est alia, licet et ipsae a divina essentia non distinguantur. Quamvis et haec possint una res dici, si nomen *rei* pro absoluto sumatur. Sed de iis inferius erit latior sermo.

2. *Infert secundo,* quod *In Deo est amor.* Quia voluntas in Deo est secundum actum, non autem secundum potentiam vel habitum; idest, semper est in actu volendi: cum operatio Dei sit eius essentia, et eius essentia sit eius voluntas. Omnis autem actus voluntatis in amore radicatur.

*Infert tertio,* quod *Necesse est ut Deus sit in sua voluntate sicut amatum in amante.* Quia, cum proprium obiectum divinae voluntatis sit eius bonitas, necesse est quod Deus seipsum et suam bonitatem primo et principaliter amet. Ostensum est autem quod amatum necesse est aliqualiter esse in voluntate amantis.

*Infert quarto,* quod *Deus, secundum quod consideratur ut in sua voluntate existens, est vere et substantialiter Deus.* Probatur. Amatum est in amante secundum quod amatur. Amare quoddam velle est: quia videlicet amare est velle bonum. Velle Dei est eius esse: sicut et eius voluntas. Ergo esse Dei in voluntate non est esse accidentale, ut in nobis, sed essentiale. Ergo etc.

Advertendum quod Deum, secundum quod est in sua voluntate, esse vere et substantialiter Deum, nihil aliud est quam amorem quo Deus seipsum amat, esse substantialiter Deum. Dictum est enim superius* quod amatum esse in voluntate amantis nihil aliud est quam in voluntate esse affectionem et complacentiam, sive amorem, ad ipsum. Et ideo, si esse amoris Dei, quod est velle divinum, per quod producitur, – sicut esse Verbi est intelligi, et consequenter intelligere, ut superius* est dictum – est idem quod divinum esse, sequitur Deum, secundum quod est in sua voluntate, esse et substantialiter Deum.

*Num. III, 2.

*Cap. XI; Comment. 38 b, parag. XI, 2.

3. *Infert quinto,* quod *Amor quo Deus est in voluntate divina ut amatum in amante, et a Verbo Dei, et a Deo cuius est Verbum, procedit.* Probatur. Quia amatum esse in voluntate amantis ordinem quendam habet et ad conceptionem qua ab intellectu concipitur, quia non amaretur nisi aliquo modo cognosceretur; et ad ipsam rem cuius intellectualis conceptio dicitur verbum, quia non solum amati cognitio amatur, sed etiam ipsum secundum quod in se bonum est.

Advertendum quod Sanctus Thomas, brevitati studens, ex hoc quod amatum habet quendam ordinem ad conceptionem intellectus, statim concludit ipsum a verbo Dei procedere: cum tamen in illa consequentia multa implicentur. Supponit enim in divinis non esse alium ordinem realem quam ordinem originis: unde, si amatum habet ordinem ad conceptionem intellectus, oportet illum esse ordinem originis. Constat autem illum non esse ordinem quo conceptio procedat ab amore: cum amor conceptionem intellectus praesupponat. Ideo, si est ordo inter illa, necesse est ut amoris ad verbum et ad conceptionem intellectus sit ordo tanquam id a quo originatur et procedit.

Attendendum quoque quod ex hac ratione Sancti Thomae non potest haberi quod bonum intellectum sit in nobis causa formalis effectiva volitionis, ut quidam Thomistarum voluerunt, sicut verbum in divinis est productivum amoris. Quia quod hoc sit in divinis, est quia non potest ibi esse alius ordo realis quam ordo originis per modum efficientis, secundum quod una persona ab alia procedit: et ideo, cum amor ad verbum realem ordinem habeat, necesse est ut in divinis ille ordo sit talis ordo originis. Hoc autem non est naturaliter scitum, sed creditum. In nobis autem potest esse ordo causae finalis et formalis; et ille invenitur inter verbum intellectus nostri et amorem, ut in superioribus* est ostensum; non autem ordo originis effective, quia verbum nostri intellectus habet, ex imperfecta sui activitate, quod solum sit causa amoris, quantum ad eius specificationem, formaliter tantum, non autem quantum ad exercitium elicitive. Unde ordo qui in nobis est unius rationis, in divinis alterius rationis est.

*Lib. I, cap. LXXII; Comment. VI, p. 212.

VI. *Infert sexto,* quod *Deus procedens per modum amoris non procedit ut genitus, et consequenter Filius dici non potest.* Probatur. Quia amatum non est in amante secundum similitudinem speciei. Omne autem quod procedit ab altero per modum geniti, procedit secundum similitudinem speciei a generante.

Ad huius evidentiam, considerandum est quod amorem ad tria possumus comparare: scilicet ad rem amatam, a qua aliquo modo causatur, scilicet per modum finis et formae specificantis, ut superius* est ostensum; ad ipsam voluntatem praecise sumptam; et ad utrumque simul tanquam ad totalem causam, inquantum res amata, ut cognita, est voluntati ratio agendi per modum specificantis actum. Ad nullum autem istorum comparatus amor procedit in ratione similitudinis secundum eandem rationem speciei. Si enim comparemus amorem ad ipsam solam voluntatem: sic constat quod non sunt similia secundum rationem speciei amor productus et voluntas. Si etiam comparemus ad rem amatam: sic non procedit secundum rationem similitudinis; quia amor productus non est similitudo rei amatae, sed affectio et impulsus in ipsam. Si denique comparemus ad utrumque simul tanquam ad completam causam, sic etiam manifestum est quod non procedit secundum rationem similitudinis: cum non sit similitudo formae quae est ratio agendi, ut dictum est; dicitur enim proprie aliquid produci simile agenti quando assimilatur agenti secundum formam quae est sibi ratio agendi. Quia autem propria comparatio effectus ad suam causam est comparatio ad ipsam totalem causam; et secundum talem comparationem quod procedit per modum amoris, non procedit secundum rationem similitudinis, idest, tanquam simile producenti: ideo absolute inquit Sanctus Thomas huiusmodi productionem non esse secundum rationem similitudinis, quia non producitur amor similis rei amatae, quae, inquam, secundum quod est cognita, est voluntati ratio amandi.

*Num. V, 3, fin.

2. Si autem arguatur, quia omne agens, praesertim naturale, producit sibi simile secundum formam per quam agit: – dicitur primo, quod duplex est similitudo: una, secundum convenientiam in forma; alia secundum proportionem. Prima similitudo non requiritur inter omne agens et suum effectum. Sed bene requiritur secunda, quae in hoc consistit ut agens habeat virtutem proportionatam ad talem effectum producendum; sicut est similitudo inter virtutem motivam et motum sive *ubi.* Et hoc modo conceditur esse similitudinem inter voluntatem et amorem. Sed haec ad rationem generationis non sufficit.

Dicitur secundo quod, licet omne agens aliquo modo ageret sibi simile, non tamen oportet ut omne agat sibi simile *secundum eandem rationem speciei,* quod ad rationem verae generationis requiritur, et de qua intendit Sanctus Thomas cum inquit amorem non procedere in ratione similitudinis. Patet enim in productionibus aequivocis, puta cum aliquid a sole producitur in iis inferio-

ribus, non esse similitudinem secundum eandem rationem speciei inter producens et productum.

3. Ex iis patet processionem per modum amoris a processione verbi differre. Quia in processione verbi, ipsum verbum non solum est simile rei intellectae, cum sit eius similitudo expressa et eiusdem rationis cum ipsa; sed est etiam simile totali agenti, scilicet aggregato ex intellectu et specie intelligibili, quae est sibi ratio agendi tanquam forma intellectionis elicitiva. Et ideo non est mirum quod processio secundum intellectum habeat rationem generationis, ad quam pertinet ut producatur aliquid simile generanti: non autem processio secundum voluntatem.

4. Advertendum autem quod hic loquitur Sanctus Thomas absolute de processione amoris inquantum huiusmodi, non autem de tali processione in determinata natura. Quia in natura divina quod procedit ut amor, est simile producenti: sed hoc non convenit sibi inquantum est amoris processio absolute, sed inquantum est processio *amoris divini;* oportet enim in divinis omne procedens esse consubstantiale producenti, et eiusdem naturae cum ipso.

VII. *Infert septimo,* quod *Convenit Deo per modum amoris procedenti ut spiritus dicatur, eius spiratione quasi quadam aspiratione existente**. Probatur. Quia amatum est in amante ut inclinans et quodammodo impellens amantem in rem ipsam amatam. Impulsus autem rei viventis ab interiori ad spiritum pertinet. – Confirmatur auctoritate Apostoli, *ad Rom.* VIII, et II *Cor.* V, spiritui et amori impulsum quendam attribuentis.

* Cf. text. et var

Adverte quod addit Sanctus Thomas procedens per modum amoris spiritum dici, *eius spiratione quasi quadam aspiratione existente:* idest, existente quasi quadam vitali motione et impulsione, sive quadam attractione aut emissione aeris. Quia, ut dicitur inferius, cap. XXIII*, nomen *spiritus* a respiratione animalium sumptum est, in qua aer cum quodam motu infertur et emittitur.

* Initio capitis.

*Infert ultimo,* quod *Convenienter Deus per modum amoris procedens dicitur Spiritus Sanctus.* Probatur. Quia omnis intelligibilis motus a termino denominatur. Amor autem praedictus est quo Deus amatur. *(Supple)* Ergo a Deo denominatur. Ergo convenienter dicitur *Spiritus Sanctus:* quia, *(supple)* cum Deus sit sanctus, ea quae Deo dicata sunt, *sancta* dici consueverunt. Idest haec denominatio, ut sancta dicantur, illis rebus attribuitur quae in Deum ordinantur et illi sunt dicata.

VIII. Advertendum quod Sanctus Thomas ex dictis relinquit tanquam manifestum id quod intendebat declarare, scilicet quod *Spiritus Sanctus sit Deus, et sit personaliter distinctus a Patre et Filio.* Ex hoc enim processu constat quod idem est Spiritus Sanctus quod Amor divinus. Ostensum est autem quod divinus Amor est vere et substantialiter Deus; et quod procedit a Verbo Dei, et a Deo, cuius est Verbum, idest a Patre et Filio; et per consequens quod ab ipsis personaliter distinguitur. Ideo relinquitur Spiritum Sanctum et vere Deum esse, et a Patre et Filio esse personaliter distinctum.

IX. Sed remanet dubium. Videtur enim velle Sanctus Thomas ex hoc processu quod Spiritus Sanctus sit ipse actus amoris, quae videtur esse opinio Scoti in VI et X distinctione Primi*; immo etiam ipsius Divi Thomae I *Sent.*, d. XXXII, q. I, a. 1; non autem quod sit aliquid per actum voluntatis productum. Quia hic videtur semper loqui de amore prout est actus voluntatis: praesertim cum probat Deum esse vere et substantialiter Deum secundum quod consideratur ut in sua voluntate existens, *quia amare est quoddam velle, et velle Dei est eius esse,* etc.* Hoc autem videtur repugnare ei quod dicitur Prima, q. XXXVII, a. 1, ubi inquit Sanctus Thomas quod, *sicut ex hoc quod aliquis rem aliquam intelligit, provenit quaedam intellectualis conceptio rei intellectae, quae dicitur verbum; ita ex hoc quod aliquis rem aliquam amat, provenit quaedam impressio rei amatae in affectu amantis;* et hanc impressionem vocat Spiritum Sanctum.

* Apud Capreolum, vol. I, 264; vol. II, 13.

* Vid. textum parag. *Et quia ut in Primo.*

2. Respondetur quod Spiritus Sanctus est profecto aliquid per actum productum, ut manifeste patet loco allegato*. Et hoc etiam sentit Sanctus Thomas hoc loco**, cum inquit *amorem quo Deus est in voluntate divina ut amatum in amante, a Verbo, et a Deo cuius est Verbum, procedere;* et cum inquit hunc amorem esse *quo Deus amatur*;* nomine enim *amoris* intelligit non ipsum actum amoris, sed id quod per talem actum amoris producitur. Quia enim ea quae ad voluntatem pertinent, non ita habent propria nomina sicut ea quae pertinent ad intellectum, ideo quandoque uno nomine utimur ad significandum tam id quod per actum amandi producitur, quam ipsum amandi actum. Propter quod quandoque dicit Sanctus Thomas quod Spiritus Sanctus est ipse actus amoris, ut patet I *Sent.**, intendens quod est *aliquid actu amoris productum,* sed nomine ipsius actus significatum.

* Sc. I*, XXXVII, 1. ** Parag. *Quod autem.*

* Parag. *Quia vero.*

* Cf. num. 1 hui. parag., init.

3. Quod autem adducitur particulariter ex verbis Sancti Thomae, non obstat. Quia non vult per illa verba quod Deus, ut existens in voluntate, sit formaliter ipsum amare et ipsum velle divinum: sed vult arguere sicut in superioribus* de Verbo divino arguebatur quod erat Deus, quia suum esse est ipsum intelligi, quod est idem secundum rem quod intelligere divinum, intelligere autem Dei est suum esse. Vult ergo sic Sanctus Thomas arguere. Amatum est in amante secundum quod amatur: idest, per affectionem actu amandi productam qua amans in amatum inclinatur et quodammodo impellitur. Sed esse ipsius affectionis est amari, idest actus amoris passivae productionis modo significatus, et ipsum amari est actus ipse qui dicitur *amare* ex parte voluntatis, et *amari* ex parte affectionis productae. Ergo esse amati, secundum quod est in amante, est ipsum amare. – Tunc ultra. Ipsum amare est velle. Ergo esse illius affectionis secundum quam est in voluntate, est velle. Sed velle Dei est eius esse. Ergo esse illius affectionis secundum quam Deus est in voluntate, est esse Dei: quod est esse substantiale, non autem esse accidentale, ut in nobis accidit. Ergo ipsa affectio, sive amor productus, secundum quem dicitur Deus esse in voluntate, est vere et substantialiter Deus: quia esse divinum non convenit nisi ei quod vere est Deus.

* Cap. XI. parag. *Cum autem.*

X. Sed huic determinationi videntur obstare verba Sancti Thomae *Verit.*, q. IV, a. 2, ad 7. Ponit enim ibi differentiam inter intellectum et voluntatem, quia *intellectus habet aliquid in se procedens per modum operationis, et aliquid per modum operati; voluntas autem non habet aliquid in se procedens per modum operati, sed tantum per modum operationis.* Et sic videtur quod Spiritus Sanctus, qui per voluntatem producitur, non sit aliquid procedens per actum voluntatis, sed ipsa voluntatis operatio.

2. Ad hoc respondetur primo, quod non vult excludere Sanctus Thomas ibidem omne operatum aut productum ab actu voluntatis, sed tantum productum quod sit similitudo rei volitae. Differunt enim intellectus et voluntas, quia intellectus per suum actum producit in seipso rei intellectae similitudinem, conceptio enim intellectus est similitudo expressa rei intellectae: voluntas autem non producit in se per actum amandi similitudinem rei amatae, licet producat quandam formam per quam in rem amatam inclinatur, sicut grave per gravitatem ad locum deorsum inclinatur. Et ista responsio haberi potest et ex iis quae hoc loco dicuntur; et ex iis quae habentur *Verit.*, q. X, a. 9, ad 7*.

* Ad 7 inter argg. primo loco posita.

3. Secundo responderi potest quod, quia ea quae ad voluntatem pertinent, non sunt ita nota, nec habent ita propria nomina sicut ea quae pertinent ad intellectum; ideo personae per modum voluntatis productae non ita assignatur proprium nomen quod personaliter tantum dicatur, et quod sit proprium nomen rei productae per actum voluntatis, sicut hoc nomen, *Verbum,* assignatur ei quod per actum intellectus ad intra producitur, sed nomine ipsius operationis, scilicet nomine *Amoris,* significatur. Ex quo sequitur quod terminus per actum voluntatis productus non significatur per modum termini, sed per modum operationis: cum *amor* per prius significet operationem quam terminum operationis. Ex hoc etiam

optime sequitur ut nomen *amoris* et essentialiter accipi possit, si accipiatur ut nomen operationis absolute; et personaliter, si accipiatur ut nomen personae. Cum ergo inquit Sanctus Thomas voluntatem non habere aliquid in se procedens per modum operati, intelligitur quoad modum significandi et quoad nominis proprietatem. Sensus enim est quod in voluntate non est aliquid quod habeat proprium et distinctum nomen significans per modum operati: sed id quod vere est operatum, habet nomen significans ipsum per modum operationis, scilicet nomen *Amoris*.

Haec responsio manifeste haberi potest ex iis quae dicit Sanctus Thomas Prima, q. xxxvii, a. 1*. Prima tamen responsio est melior. Quia rationem huius differentiae quae adducitur in auctoritate adducta* inter intellectum et voluntatem, assignat Sanctus Thomas, eo quod *operatio voluntatis terminatur ad res, in quibus est bonum et malum; operatio autem intellectus terminatur in mente, in qua est verum et falsum;* nullam autem ibi mentionem facit de proprietate nominationis.

*Cf. num. ix, 1.

*Num. x, 1.

4. Sed tamen nec illa responsio sufficere videtur ad intentionem Sancti Thomae. Nam in illa responsione ponit quod *amor non dicitur personaliter, sed bene Verbum, quia in voluntate non est processio nisi per modum operationis, non autem per modum operati, in intellectu autem est processio per modum operati.* Per hoc autem quod non procedat in voluntate aliquid per modum similis, non tollitur quin amor dici possit personaliter, dummodo aliquid producatur in voluntate per modum operati.

Propter quod potest tertio responderi, addendo ad responsionem quod in voluntate non est aliquid productum per modum operati, quod scilicet sit obiectum voluntatis per modum voliti, sed bene in intellectu aliquod operatum producitur quod est intellectus obiectum. Per ipsum enim actum intelligendi producitur intrinsece obiectum intellectus in esse actuali intelligibili: non autem per actum voluntatis producitur volitum in esse actuali voliti in ipsa voluntate. Cum hoc autem stat quod in voluntate producatur aliqua impressio et inclinatio voluntatis in rem volitam.

Patet autem hanc esse mentem Sancti Thomae ibidem*, tum ex diversa comparatione intellectus ad rem intellectam, et voluntatis ad rem volitam, quam ibi ponit; tum ex applicatione responsionis ad argumentum. Ex hoc enim quod obiectum intellectus secundum esse quoddam intelligibile manifeste producitur in intellectu nostro, ideo proprium nomen producti et operati in intellectu habemus, nomen scilicet *verbi*, et ex hoc habet nomen Verbi quod dicatur personaliter. Quia vero volitum non producitur in voluntate per actum voluntatis, ideo nullum nomen obiecti producti in voluntate habemus quod habeat in divinis, quantum est ex se, personaliter dici. Et quia etiam non ita manifeste apparet aliquid aliud per actum voluntatis in voluntate produci, licet aliquid producatur, nullum nomen proprium habemus ad significandum aliquid tale productum quod personaliter dicatur in divinis. Et ideo *amoris* nomen, quod apud nos secundum communem usum est nomen operationis, non autem operati, *non ita habet quod personaliter dicatur sicut nomen Verbi:* licet secundum quandam accommodationem etiam personaliter dicatur.

*Num. x, 1.

# CAPITULUM VIGESIMUM

## DE EFFECTIBUS ATTRIBUTIS SPIRITUI SANCTO IN SCRIPTURIS RESPECTU TOTIUS CREATURAE.

Oportet autem, secundum convenientiam praedictorum, considerare effectus quos Spiritui Sancto Sacra Scriptura attribuit.

Ostensum est enim in superioribus* quod bonitas Dei est eius ratio volendi quod alia sint, et per suam voluntatem res in esse producit. Amor igitur quo suam bonitatem amat, est causa creationis rerum: unde et quidam antiqui philosophi *amorem deorum* causam omnium esse posuerunt, ut patet in I *Metaph.**; et Dionysius dicit, IV cap. *de Div. Nom.**, quod *divinus amor non permisit ipsum sine germine esse.* Habitum est autem ex praemissis* quod Spiritus Sanctus procedit per modum amoris quo Deus amat seipsum. Igitur Spiritus Sanctus est principium creationis rerum. Et hoc significatur in Psalmo*: *Emitte Spiritum tuum et creabuntur.*

*Lib. I, cap. LXXV.

*Cap. IV, 1; S. Th. l. 5.

*S. Th. l. 9.

*Cap. praec.

*Ps. CIII, 30.

Ex hoc etiam quod Spiritus Sanctus per modum amoris procedit; amor autem vim quandam impulsivam et motivam habet: motus qui est a Deo in rebus, Spiritui Sancto proprie attribui videtur. Prima autem mutatio in rebus a Deo existens intelligitur secundum quod ex materia creata informi species diversas produxit. Unde hoc opus Spiritui Sancto Sacra Scriptura attribuit: dicitur enim *Gen.* I[2]: *Spiritus Domini ferebatur super aquas.* Vult enim Augustinus per *aquas* intelligi materiam primam*: super quam Spiritus Domini ferri dicitur, non quasi ipse moveatur, sed quia est motionis principium.

*I *de Gen. ad litt.*, cap. XV.

Rursus. Rerum gubernatio a Deo secundum quandam motionem esse intelligitur, secundum quod Deus omnia dirigit et movet in proprios fines. Si igitur impulsus et motio ad Spiritum Sanctum ratione amoris pertinet, convenienter rerum gubernatio et propagatio Spiritui Sancto attribuitur. Unde *Iob* XXXIII[4] dicitur: *Spiritus Domini fecit me;* et in Psalmo*: *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam.*

*Ps. CXLII, 10.

Et quia gubernare subditos proprius actus domini est, convenienter Spiritui Sancto dominium attribuitur. Dicit enim Apostolus, II *ad Cor.* III[17]: *Spiritus autem Dominus est.* Et in Symbolo fidei* dicitur: *Credo in Spiritum Sanctum Dominum.*

*In Symb. Nic

Item. Vita maxime in motu manifestatur: moventia enim seipsa *vivere* dicimus, et universaliter quaecumque a seipsis aguntur ad operandum.

b 17 domini] dominii EFXYZb. 22 moventia enim seipsa vivere] viventia enim esse et vivere E, viventia enim se esse vivere G, viventia enim seipsa movere (moveri NsG) NWsG, viventia enim se moventia vivere X.

Si igitur ratione amoris Spiritui Sancto impulsio et motio competit, convenienter etiam sibi attribuitur vita. Dicitur enim *Ioan.* VI[64]: *Spiritus est qui vivificat;* et *Ezech.* XXXVII[5]: *Dabo vobis Spiritum et vivetis.* Et in Symbolo fidei * nos in Spiritum Sanctum *vivificantem* credere profitemur. Quod etiam et nomini *Spiritus* consonat: nam etiam corporalis vita animalium est per spiritum vitalem a principio vitae in cetera membra diffusum.

* In Symb. Nic.

3 Spiritus] Christus α.
1 vivificantem] et vivificantem EX. 4 cetera] creaturae EGX.

### Commentaria Ferrariensis

POSTQUAM determinavit Sanctus Thomas de substantia Spiritus Sancti, vult de effectibus qui ei attribuuntur in Scripturis determinare *. Circa hoc autem duo facit: primo, determinat de effectibus illi attributis respectu totius creaturae; secundo, de iis qui sibi attribuuntur respectu creaturae rationalis, capite sequenti.

* Cf. Comment. cap. XVII, init.

I. Quantum ad primum, ostendit quod convenienter Spiritui Sancto attribuuntur effectus divini toti creaturae communes.

1. *Et primo arguit de creatione, sic.* Deus per suam voluntatem res in esse producit; et bonitas sua est ei ratio volendi quod alia sint. Ergo amor quo suam bonitatem amat, est causa creationis rerum. Ergo et Spiritus Sanctus. – Confirmatur auctoritate antiquorum philosophorum, *amorem deorum* causam omnium esse ponentium, ut patet I *Metaph.;* et auctoritate Dionysii, IV cap. *de Div. Nom.*, dicentis quod *divinus amor non permisit eum sine germine esse.* Item auctoritate Psalmi, *Emitte Spiritum* etc.

Advertendum quod divina bonitas non est Deo ratio volendi quod alia sint, nisi inquantum ipsa est volita et amata: ex amore enim suae bonitatis vult Deus eam diffundere et communicare. Ideo bene Sanctus Thomas, ex eo quod ipsa divina bonitas est Deo ratio quod alia velit, infert amorem bonitatis ipsius esse causam creationis rerum.

2. *Secundo, probat ipsum esse causam quod Deus ex materia creata informi species diversas produxerit.* Et arguit sic. Amor vim quandam impulsivam et motivam habet. Ergo motus qui est a Deo in rebus, Spiritui Sancto, per modum amoris procedenti, attribuitur. Sed prima mutatio in rebus a Deo existens intelligitur secundum quod ex materia creata informi diversas species produxit. Ergo etc. – Confirmatur auctoritate *Gen.* I, *Spiritus Domini ferebatur super aquas,* idest super materiam primam, secundum Augustinum, tanquam motionis principium: quia videlicet affectio voluntatis divinae erat ad formandum diversas species ex materia creata.

Advertendum quod prima rerum productio non dicitur mutatio, sed *creatio*: quia non fuerunt res productae secundum suam materiam ex aliquo subiecto. Sed bene formatio et distinctio specierum dicitur mutatio: quia ex materia prius creata diversae species sunt constitutae; et hoc secundum Augustini expositionem. Dicitur autem haec *prima mutatio,* quia nulla ipsam praecessit: prius enim intelligitur creari informis materia, deinde statim per diversas formas actuari.

3. *Tertio, ostendit rerum gubernationem et propagationem Spiritui Sancto attribui.* Et arguit sic. Rerum gubernatio a Deo secundum quandam motionem esse intelligitur, secundum quod Deus omnia dirigit et movet in proprios fines. Ergo etc. – Probatur consequentia. Quia impulsus et motio ad Spiritum Sanctum, ratione amoris, idest inquantum procedit ut amor, attribuitur. – Confirmatur auctoritate *Iob* XXXIII, *Spiritus Domini* etc. Item Psalmi, *Spiritus tuus* etc.

4. *Quarto, ostendit convenienter sibi attribui dominium:* II *Cor.* III; et in Symbolo. – Probatur. Quia gubernare subditos proprius actus domini est.

5. *Quinto, ostendit quod convenienter sibi attribuitur vita: Ioan.* VI; et *Ezech.* XXXVII; et in Symbolo. Probatur. Quia vita maxime in motu manifestatur: moventia enim seipsa, et se agentia ad operandum, vivere dicimus. Impulsio autem et motio Spiritui Sancto, inquantum est amor, convenit. – Confirmatur. Quia hoc etiam nomini *Spiritus* consonat: corporalis enim vita animalium inest per spiritum vitalem, a principio vitae in cetera membra diffusum.

II. Advertendum quod effectus hic enumerati non sic in Scripturis intelliguntur attribui Spiritui Sancto quasi non sint toti Trinitati communes: sed quia ipsi secundum quandam appropriationem conveniunt, propter convenientiam ad modum suae processionis, inquantum includit essentiale attributum quod est voluntas; ut est de mente Sancti Thomae Prima, q. XLV, a. 6.

Ideo rationes Scoti in Secundo, d. I, contra Sanctum Thomam non militant, quibus arguere videtur quod Filius et Spiritus Sanctus non sint Patri ratio agendi secundum ea quae ipsis sunt propria, quasi diversae causalitates secundum suas proprietates ipsis conveniant. Hoc enim non dicit Sanctus Thomas.

# CAPITULUM VIGESIMUM PRIMUM

## DE EFFECTIBUS ATTRIBUTIS SPIRITUI SANCTO IN SACRA SCRIPTURA RESPECTU RATIONALIS CREATURAE, QUANTUM AD EA QUAE DEUS NOBIS LARGITUR.

CONSIDERANDUM est etiam, quantum ad effectus quos proprie in natura rationali facit, quod ex hoc quod divinae perfectioni utcumque assimilamur, huiusmodi perfectio a Deo nobis dari dicitur: sicut sapientia a Deo nobis donatur secundum quod divinae sapientiae utcumque assimilamur. Cum igitur Spiritus Sanctus procedat per modum amoris quo Deus seipsum amat, ut ostensum est *; ex hoc quod huic amori assimilamur Deum amantes, Spiritus Sanctus a Deo nobis dari dicitur. Unde Apostolus dicit, *Rom.* V[5]: *Caritas Dei*

* Cap. XIX.

1 Considerandum] NXpEG *non incipiunt novum capitulum.* 5 a Deo nobis] nobis a Deo DEGNX.

*diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.*

Sciendum tamen est quod ea quae a Deo in nobis sunt, reducuntur in Deum sicut in causam efficientem, et exemplarem. In causam quidem efficientem, inquantum virtute operativa divina aliquid in nobis efficitur. In causam quidem exemplarem, secundum quod id quod in nobis a Deo est, aliquo modo Deum imitatur. Cum ergo eadem virtus sit Patris et Filii et Spiritus Sancti, sicut et eadem essentia; oportet quod omne id quod Deus in nobis efficit, sit, sicut a causa efficiente, simul a Patre et Filio et Spiritu Sancto. *Verbum* tamen *sapientiae**, quo Deum cognoscimus, nobis a Deo immissum, est proprie repraesentativum Filii. Et similiter amor quo Deum diligimus, est proprium repraesentativum Spiritus Sancti. Et sic caritas quae in nobis est, licet sit effectus Patris et Filii et Spiritus Sancti, tamen quadam speciali ratione dicitur esse in nobis per Spiritum Sanctum*.

Quia vero effectus divini non solum divina operatione esse incipiunt, sed etiam per eam tenentur in esse, ut ex superioribus patet*, nihil autem operari potest ubi non est, oportet enim operans et operatum in actu esse simul, sicut movens et motum*: necesse est ut, ubicumque est aliquis effectus Dei, ibi sit ipse Deus effector. Unde, cum caritas, qua Deum diligimus, sit in nobis per Spiritum Sanctum, oportet quod ipse etiam Spiritus Sanctus in nobis sit, quandiu caritas in nobis est. Unde Apostolus dicit, I *Cor.* III[16]: *Nescitis quoniam templum Dei estis, et Spiritus Sanctus habitat in vobis?* – Cum igitur per Spiritum Sanctum Dei amatores efficiamur; omne autem amatum in amante est, inquantum huiusmodi: necesse est quod per Spiritum Sanctum Pater etiam et Filius in nobis habitent. Unde Dominus dicit, *Ioan.* XIV[23]: *Ad eum veniemus,* scilicet diligentem Deum, *et mansionem apud eum faciemus.* Et I *Ioan.* III[24], dicitur: *In hoc scimus quoniam manet in nobis de Spiritu quem dedit nobis.*

Rursus. Manifestum est quod Deus maxime amat illos quos sui amatores per Spiritum Sanctum constituit, non enim tantum bonum nisi amando conferret, unde *Proverb.* VIII[17] dicitur ex persona Domini: *Ego diligentes me diligo; – non quasi nos prius dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos,* ut dicitur I *Ioan.* IV[10]. Omne autem amatum in amante est. Necesse est igitur quod per Spiritum Sanctum non solum Deus sit in nobis, sed etiam nos in Deo. Unde dicitur I *Ioan.* IV[16]: *Qui manet in caritate, in Deo manet, et Deus in eo;* et iterum*: *In hoc intelligimus quoniam in eo manemus, et ipse in nobis, quoniam de Spiritu Suo dedit nobis.*

Est autem hoc amicitiae proprium, quod amico aliquis sua secreta revelet. Cum enim amicitia coniungat affectūs, et duorum faciat quasi cor unum, non videtur extra cor suum aliquis illud protulisse quod amico revelat: unde et Dominus dicit discipulis, *Ioan.* XV[15]: *Iam non dicam vos servos, sed amicos meos: quia omnia quae audivi a Patre meo, nota feci vobis.* Quia igitur per Spiritum Sanctum amici Dei constituimur, convenienter per Spiritum Sanctum hominibus dicuntur revelari divina mysteria. Unde Apostolus dicit, I *ad Cor.* II[9,10]: *Scriptum est quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus diligentibus se: nobis autem revelavit Deus per Spiritum Sanctum.*

Et quia ex his quae homo novit, formatur eius loquela, convenienter etiam per Spiritum Sanctum homo loquitur divina mysteria: secundum illud I *Cor.* XIV[2]: *Spiritu loquitur mysteria;* et *Matth.* X[20]: *Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis.* Et de prophetis dicitur II *Pet.* I[21], quod *Spiritu Sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines.* Unde etiam in Symbolo fidei* dicitur de Spiritu Sancto: *Qui locutus est per prophetas.*

Non solum autem est proprium amicitiae quod amico aliquis revelet sua secreta propter unitatem affectus, sed eadem unitas requirit quod etiam ea quae habet, amico communicet: quia, *cum homo amicum habeat ut se alterum**, necesse est quod ei subveniat sicut et sibi, sua ei communicans; unde et proprium amicitiae esse ponitur *velle et facere bonum amico**; secundum illud I *Ioan.* III[17]: *Qui habuerit substantiam huius mundi, et viderit fratrem suum necessitatem habentem, et clauserit viscera sua ab eo: quomodo caritas Dei manet in eo?* Hoc autem maxime in Deo habet locum, cuius velle est efficax ad effectum. Et ideo convenienter omnia dona Dei per Spiritum Sanctum nobis donari dicuntur: secundum illud I *Cor.* XII[8]: *Alii datur per Spiritum sermo sapientiae; alii autem sermo scientiae secundum eundem Spiritum;* et postea*, multis enumeratis: *Haec omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult.*

Manifestum est autem quod, sicut ad hoc quod corpus aliquod ad locum ignis perveniat, oportet quod igni assimiletur levitatem acquirens, ex qua motu ignis proprio moveatur; ita ad hoc quod homo ad beatitudinem divinae fruitionis, quae Deo propria est secundum suam naturam, perveniat, necesse est, primo quidem quod per spirituales perfectiones Deo assimiletur; et deinde secundum eas operetur; et sic tandem praedictam beatitudinem consequetur. Dona autem spiritualia nobis per Spiritum Sanctum dantur, ut ostensum est. Et sic per Spiritum Sanctum Deo

* Cf. Dan. I, 20.
* Vid. *Rom.* VIII supra.
* Lib. III, cap. LXV.
* VII *Phys.*, II; s. Th. l. 3 sq.
* Vers. 13.
* In Symb. Nicaeno.
* IX *Eth.*, IV, 5; s. Th. l. 4.
* Ibid., n. 1.
* Vers 11.

7 quidem] vero YZP. 27 ut] quod EGN*b*, enim X. 28 ipse] et ipse BHYP*c*. 38 XIV *Ita* CZP*c*; XIII *ceteri*. 39 diligentem] diligenti αGN*cd*, diligentes E. 50 prior] prius αGW; *pro* ipse . . . nos, etc. E. 51 igitur *Ita* YsGP*c*; *om ceteri*.
17 etiam *Ita* P*c*; *om* EZ, et *ceteri*. 19 loquitur] est qui loquitur P*d*; 18 secundum . . . sq mysteria *hom. om* EGX. 23 etiam] et DEGNXZ*b*. 31 ei *om* EGX*b*. 35 habentem] habere DN(pZ?)*b*, ha C; E *truncat post* mundi. 41 Alii *Ita* YZP*c*; Alii quidem *b*, *om ceteri*. 43 enumeratis] habet N, connumeratis dicit X, virtutibus enumeratis subdit *b*; *addunt* dicit D, additur Z, ait P*d*; et postea . . . 45 vult *om* E. 50 beatitudinem *post* fruitionis BCHP*c*. 52 quidem *om* EGN*b*. 55 consequetur] consequatur EXYZ.

configuramur; et per ipsum ad bene operandum habiles reddimur; et per eundem ad beatitudinem nobis via paratur. Quae tria Apostolus insinuat nobis, II *Cor.* I[21,22], dicens: *Unxit nos Deus; et signavit nos; et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.* Et *Ephes.* I[13]: *Signati estis Spiritu promissionis Sancto, qui est pignus hereditatis nostrae.* *Signatio* enim ad similitudinem configurationis pertinere videtur; *unctio* autem ad habilitatem hominis ad perfectas operationes; *pignus* autem ad spem qua ordinamur in caelestem hereditatem, quae est beatitudo perfecta.

Et quia ex benevolentia quam quis habet ad aliquem, contingit quod eum sibi adoptat in filium, ut sic ad eum hereditas adoptantis pertineat; convenienter Spiritui Sancto adoptio filiorum Dei attribuitur; secundum illud *Rom.* VIII[15]: *Accepistis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba, Pater.*

Per hoc autem quod aliquis alterius amicus constituitur, omnis offensa removetur, amicitiae enim offensa contrariatur: unde dicitur *Proverb.* X[12]: *Universa delicta operit caritas.* Cum igitur per Spiritum Sanctum Dei amici constituamur, consequens est quod per ipsum nobis a Deo remittantur peccata: et ideo Dominus dicit discipulis, *Ioan.* XX[22]: *Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittentur.* Et ideo *Matth.* XII[31], blasphemantibus in Spiritum Sanctum peccatorum remissio denegatur, quasi non habentibus illud per quod homo remissionem consequitur peccatorum.

Inde etiam est quod per Spiritum Sanctum dicimur renovari, et purgari, sive lavari: secundum illud Psalmi*: *Emitte Spiritum tuum et creabuntur, et renovabis faciem terrae;* et *Ephes.* IV[23]: *Renovamini Spiritu mentis vestrae;* et *Isaiae* IV[4]: *Si abluerit Dominus sordes filiorum* Sion, et sanguinem filiarum* laverit de medio eius, in Spiritu iudicii et Spiritu ardoris.*

* Ps. CIII, 30.

* Vulg. filiarum.

* Vulg. Jerusalem.

---

3 paratur] praeparatur P*d*. insinuat *Ita* EHXsZP; insinuatur Z, insinuavit *ceteri*. 9 habilitatem *Ita* DEWX; humilitatem CpY*b*, habilitionem G, habilitationem *ceteri*.

1 amicitiae enim offensa] amicitia (amicitiae *d*) enim offensae P*d*. 8 remittentur] eis *addunt* CEXY*b*. 9 XII *Ita* ZP; XI *ceteri*. in *om* ZP*d*. 12 consequitur] consequatur G*b et post* peccatorum DEX. 13 Inde] Idem X. 14 sive lavari *om* NsG. 20 Spiritu ardoris] ardoris EN*b*, erroris G, adoris X.

## Commentaria Ferrariensis

Sicut ostendit Sanctus Thomas effectus divinos qui toti creaturae conveniunt, convenienter in Sacra Scriptura Spiritui Sancto attribui*; ita vult ostendere effectus creaturae rationali particulariter collatos sibi etiam attribui convenienter*. Et primo, hoc ostendit de illis effectibus quos Deus rationali creaturae largitur; secundo, de effectibus quibus Spiritus Sanctus eam movet in Deum, capite sequenti.

* Cap. praec.

* Cf Comment. cap. praeced. init.

I. Quantum ad primum, ostendit primo, quod *caritas datur nobis per Spiritum Sanctum, et quod etiam ipse Spiritus Sanctus datur.* Probat autem sic. Ex hoc quod divinae perfectioni assimilamur utcumque, huiusmodi perfectio a Deo nobis dari dicitur: sicut sapientia nobis a Deo donatur secundum quod sapientiae divinae utcumque assimilamur. Ergo ex hoc quod, Deum amantes, assimilamur amori quo Deus seipsum amat, qui est Spiritus Sanctus, nobis Spiritus dari dicitur. – Confirmatur auctoritate Apostoli, *Rom.* V, *Caritas Dei* etc.

Advertendum quod non vult Sanctus Thomas per hoc ostendere ipsam divinam personam in seipsa nobis dari, hoc enim inferius* ostendet: sed vult modum loquendi Scripturae cum inquit Spiritum Sanctum nobis dari, manifestare. Intelligitur enim, *secundum suam similitudinem.* Sicut enim, cum datur nobis aliqua perfectio quae est divinae sapientiae similitudo, dicitur dari nobis sapientia divina; ita, cum datur nobis caritas, qua Deum amamus, quae est quaedam similitudo divini amoris et Spiritus Sancti, quo Deus seipsum amat, dicitur dari nobis divinus amor atque Spiritus Sanctus.

* Num. II.

2. Pro maiori autem declaratione, notat Sanctus Thomas quod ea quae a Deo in nobis sunt, reducuntur in Deum et sicut in causam efficientem, et sicut in causam exemplarem. Primum est secundum quod virtute divina operativa aliquid in nobis efficitur. Secundum vero est inquantum id quod in nobis a Deo est, aliquo modo Deum imitatur. Ex quo infertur quod, cum eadem sit virtus omnium divinarum personarum, oportet id quod Deus in nobis efficit, esse ab omnibus divinis personis simul effective. *Verbum* tamen *sapientiae,* quo Deum cognoscimus, nobis a Deo immissum, est proprie repraesentativum Filii; et amor quo Deum diligimus, est repraesentativum proprie Spiritus Sancti; idest, illud refertur in Filium tanquam in causam exemplarem, istud vero in Spiritum Sanctum. Et sic caritas in nobis, licet sit effectus totius Trinitatis, quodam tamen speciali modo dicitur esse in nobis per Spiritum Sanctum, idest tanquam per causam exemplarem, quia amor creatus habet similitudinem ad Spiritum Sanctum ratione suae processionis, inquantum procedit ut amor.

II. Ostendit secundo Sanctus Thomas quod *oportet Spiritum Sanctum in nobis esse, quandiu caritas est in nobis.* Probatur. Caritas in nobis est per Spiritum Sanctum, et per eum tenetur in esse. Ergo etc. – Probatur antecedens quoad secundam partem. Quia effectus divini non solum divina operatione esse incipiunt, sed etiam tenentur in esse. – Consequentia vero probatur quia, cum operans et operatum in actu oporteat simul esse, nihil operari potest ubi non est. Et sic necesse est ut, ubicumque est aliquis effectus Dei, ibi sit et ipse Deus effector. – Confirmatur auctoritate Apostoli, I *Cor.* IV, *Nescitis* etc.

III. Ostendit tertio, quod *per Spiritum Sanctum etiam Pater et Filius in nobis habitant, et nos quoque in Deo sumus.* Primum ostenditur quia per Spiritum Sanctum Dei amatores constituimur. Omne autem amatum, inquantum huiusmodi, est in amante, ut superius* est ostensum. – Confirmatur auctoritate *Ioan.* XIV, *Ad eum* etc.; et I *Ioan.* III, *In hoc* etc.

* Cap. XIX. *Sic igitur.* Comm. Num. IV.

Secundum vero ostenditur, quia Deus maxime amat quos sui amatores per Spiritum Sanctum constituit: *Proverb.* VIII, *Ego diligentes* etc.; et I *Ioan.* IV, *Non quasi nos* etc. Omne autem amatum est in amante.

Confirmatur utraque pars simul auctoritate I *Ioan.* IV, *Qui manet* etc.

IV. Ostendit quarto, quod *convenienter per Spiritum Sanctum dicuntur hominibus secreta revelari.* Probatur. Quia per ipsum amici Dei constituimur. Est autem hoc amicitiae proprium, quod amico aliquis sua secreta revelat: cum amicitia coniungat affectus, et faciat quasi cor unum. Unde et Dominus, *Ioan.* XV, *Iam non dicam* etc. – Confirmatur auctoritate Apostoli, I *Cor.* II, *Scriptum est* etc.

Ex iis sequitur quod convenienter etiam homo per Spiritum Sanctum *divina loquitur mysteria,* ut dicitur I *Cor.* XIV,

*Matth.* x, et II *Pet.* i, atque etiam in Symbolo: quia ex iis quae homo novit, formatur eius loquela.

V. Ostendit quinto, quod *convenienter omnia dona Dei per Spiritum Sanctum nobis donari dicuntur:* iuxta illud I *Cor.* xii, *Alii datur* etc. Probatur. Quia unitas affectus inter amicos requirit quod ea quae habet, amico communicet: unde amicitiae proprium ponitur *velle et facere bonum amico.* Propterea I *Ioan.* iii, dicitur quod *qui habuerit substantiam* etc. Hoc autem in Deo maxime locum habet, cuius velle est efficax ad agendum.

Ostendit sexto, quod *per Spiritum Sanctum Deo configuramur; ad bene operandum habiles reddimur; et ad beatitudinem nobis via praeparatur:* quae tria insinuat nobis Apostolus, II *Cor.* i, *Unxit nos Deus* etc.; et *Ephes.* i, *Signati* etc. Probatur. Quia ad hoc ut homo ad divinae fruitionis beatitudinem, quae Deo secundum naturam est propria, perveniat, necesse est ut per spirituales perfectiones Deo assimiletur; et secundum eas operetur; et tandem praedictam beatitudinem consequatur. Declaratur exemplo corporis ad locum ignis pervenientis. Dona autem spiritualia nobis per Spiritum Sanctum dantur.

Ostendit septimo, quod *convenienter Spiritui Sancto adoptio filiorum Dei attribuitur: ad Rom.* viii, *Accepistis* etc. Probatur. Quia ex benevolentia quam quis habet ad aliquem, contingit quod eum sibi adoptat in filium.

Ostendit octavo, quod *per Spiritum Sanctum nobis a Deo remittuntur peccata: Ioan.* xx; et *Matth.* xii. Probatur. Quia per hoc quod aliquis amicus alterius constituitur, omnis offensa removetur: quia amicitia contrariatur offensae; unde *Proverb.* x, *Universa delicta.* Per Spiritum Sanctum autem amici Dei constituimur.

Ex hoc sequitur quod *per Spiritum Sanctum renovari dicimur et purgari, sive lavari:* Psalmo, *Emitte Spiritum* etc.; et *Ephes.* iv, *Renovamini* etc.; et *Isaiae* iv, *Si abluerit* etc.

# CAPITULUM VIGESIMUM SECUNDUM

## DE EFFECTIBUS ATTRIBUTIS SPIRITUI SANCTO SECUNDUM QUOD MOVET CREATURAM IN DEUM.

His igitur consideratis quae per Spiritum Sanctum in Sacris Scripturis nobis a Deo fieri dicuntur, oportet considerare quomodo per Spiritum Sanctum moveamur in Deum.

Et primo quidem, hoc videtur esse amicitiae maxime proprium, simul conversari ad amicum. Conversatio autem hominis ad Deum est per contemplationem ipsius: sicut et Apostolus dicebat, *Philipp.* iii[20]: *Nostra conversatio in caelis est.* Quia igitur Spiritus Sanctus nos amatores Dei facit, consequens est quod per Spiritum Sanctum Dei contemplatores constituamur. Unde Apostolus dicit, II *Cor.* iii[18]: *Nos autem omnes, revelata facie gloriam Dei speculantes, in eandem imaginem transformamur a claritate in claritatem, tanquam a Domini Spiritu.*

Est autem et amicitiae proprium quod aliquis in praesentia amici delectetur, et in eius verbis et factis gaudeat, et in eo consolationem contra omnes anxietates inveniat: unde in tristitiis maxime ad amicos consolationis causa confugimus. Quia igitur Spiritus Sanctus Dei nos amicos constituit, et eum in nobis habitare facit et nos in ipso, ut ostensum est*; consequens est ut per Spiritum Sanctum gaudium de Deo et consolationem habeamus contra omnes mundi adversitates et impugnationes. Unde et in Psalmo* dicitur: *Redde mihi laetitiam salutaris tui, et Spiritu principali confirma me;* et *Rom.* xiv[17]: *Regnum Dei est iustitia et pax et gaudium in Spiritu Sancto;* et *Act.* ix[31] dicitur: *Ecclesia habebat pacem et aedificabatur, ambulans in timore Dei, et consolatione Spiritus Sancti replebatur.* Et ideo Dominus Spiritum Sanctum *Paraclitum*, idest *Consolatorem*, nominat, *Ioan.* xiv[26]: *Paraclitus autem Spiritus Sanctus,* etc.

Similiter autem et amicitiae proprium est consentire amico in his quae vult. Voluntas autem Dei nobis per praecepta ipsius explicatur. Pertinet igitur ad amorem quo Deum diligimus, ut eius mandata impleamus: secundum illud *Ioan.* xiv[15]: *Si diligitis me, mandata mea servate.* Unde, cum per Spiritum Sanctum Dei amatores constituamur, per ipsum etiam quodammodo agimur ut praecepta Dei impleamus: secundum illud Apostoli, *Rom.* viii[14]: *Qui Spiritu Dei aguntur, hi filii Dei sunt.*

Considerandum tamen est quod a Spiritu Sancto filii Dei aguntur non sicut servi, sed sicut liberi. Cum enim liber sit *qui sui causa est**, illud libere agimus quod ex nobis ipsis agimus. Hoc vero est quod ex voluntate agimus: quod autem agimus contra voluntatem, non libere, sed serviliter agimus; sive sit violentia absoluta, ut *quando totum principium est extra, nihil conferente vim passo**, puta cum aliquis vi impellitur ad motum; sive sit violentia voluntario mixta, ut cum aliquis vult facere vel pati quod minus est contrarium voluntati, ut evadat quod magis voluntati contrariatur. Spiritus autem Sanctus sic nos ad agendum inclinat ut nos voluntarie agere faciat, inquantum nos amatores Dei constituit. Filii igitur Dei libere a Spiritu Sancto aguntur ex amore, non serviliter ex timore. Unde Apostolus, *Rom.* viii[15], dicit: *Non accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed Spiritum adoptionis filiorum.*

Cum autem voluntas ordinetur in id quod est vere bonum, sive propter passionem sive pro-

* I *Metaph.*, II, 9; 8 Th. l. 3.

* III *Eth.*, cap. I, 12; 8 Th. l. 2.

* Cap. praec.

* Ps. L, 14.

1 His] NpEGX *non incipiunt novum capitulum.* 3 oportet] etiam *addunt* EGN*b*. 31 et pax ... 32 pacem *om* G; et Act ... pacem *om* E, *post* 34 replebatur *ponit b*.

3 autem et] etiam EX, etiam et NsG. 10 praecepta Dei] praecepta eius DZ, Dei praecepta EGNX*b*. 23 voluntario] voluntaria BNZ, voluntarie GFY. 29 libere] liberi EX*b*. 35 sive *pr. loco*] si *c*, quando sive P*d*.

pter malum habitum aut dispositionem homo ab eo quod est vere bonum, avertatur, serviliter agit, inquantum a quodam extraneo inclinatur, si consideretur ipse ordo naturalis voluntatis. Sed si consideretur actus voluntatis ut inclinatae in apparens bonum, libere agit cum sequitur passionem aut habitum corruptum; serviliter autem agit si, tali voluntate manente, propter timorem legis in contrarium positae, abstinet ab eo quod vult. Cum igitur Spiritus Sanctus per amorem voluntatem inclinet in verum bonum, in quod naturaliter ordinatur, tollit et servitutem qua, servus passionis et peccati effectus, contra ordinem voluntatis agit; et servitutem qua, contra motum suae voluntatis, secundum legem agit, quasi legis servus, non amicus. Propter quod Apostolus dicit, II *Cor.* III [17]: *Ubi Spiritus Domini, ibi libertas;* et *Galat.* V [18]: *Si Spiritu ducimini, non estis sub lege.*

Hinc est quod Spiritus Sanctus facta carnis mortificare dicitur, secundum quod per passionem carnis a vero bono non avertimur, in quod Spiritus Sanctus per amorem nos ordinat: secundum illud *Rom.* VIII [13]: *Si Spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.*

---

2 avertatur] avertitur WP; *cf. var. praeced.* 6 libere] liber W*b*. 12 tollit *Ita* P; removet W, *om ceteri.* et servitutem] in servitutem Y, et secundum virtutem E. 13 et peccati *om* W, *post* effectus E, et praedicti peccati F; D *legit*: qua servilis passionis affectus. 1 agit *om* BD. et servitutem qua] in servitutem quae (qua Y) BY, et servitutem quae CDFH, et servitute qua N, et secundum virtutem qua *bd* 9 non *om* EGX.

## Commentaria Ferrariensis

RESTAT ultimo loco declarandum quod convenienter effectus per quos movemur in Deum, Spiritui Sancto attribuuntur *.

* Cf. Comment. cap. praec., init.

I. Et primo, ostendit Sanctus Thomas quod *per Spiritum Sanctum contemplatores Dei constituimur.* Probatur. Quia Spiritus Sanctus nos amatores Dei facit. Videtur autem hoc amicitiae maxime proprium esse, simul conversari ad amicum. Conversatio vero hominis ad Deum est per contemplationem ipsius: ut *ad Philipp.* III, *Nostra conversatio in caelis est.* – Confirmatur auctoritate Apostoli II *Cor.* III, *Nos autem* etc.

Secundo, ostendit quod *per Spiritum Sanctum gaudium de Deo habemus, et consolationem contra omnes mundi adversitates et impugnationes:* propter quod Dominus vocat ipsum *Paraclitum,* idest *Consolatorem, Ioan.* XIV. Probatur. Quia est amicitiae proprium quod aliquis in praesentia amici delectetur; et in eius verbis et factis gaudeat; et in eo consolationem contra omnes anxietates inveniat; unde ad amicos consolationis gratia in tristitiis confugimus. Spiritus Sanctus autem nos Dei amicos constituit, et eum in nobis habitare facit et nos in ipso. – Confirmatur auctoritate Psalmi, *Redde mihi* etc.; *ad Rom.* XIV, *Regnum Dei* etc.; *Act.* IX, *Ecclesia habebat pacem* etc.

II. Tertio, ostendit quod *per Spiritum Sanctum quodammodo agimur ut praecepta Dei impleamus:* iuxta illud Apostoli, *Rom.* VIII, *Qui Spiritu Dei* etc. Probatur. Quia, cum amicitiae proprium sit consentire amico in iis quae vult; voluntas autem Dei per praecepta explicetur: pertinet ad amorem quo Deum diligimus, ut eius mandata impleamus, iuxta illud *Ioan.* XIV, *Si diligitis* etc. Per Spiritum Sanctum autem Dei amatores constituimur.

2. Quia autem posset aliquis dicere: Si a Spiritu Sancto agimur ad observationem mandatorum Dei, ergo coacti bene operamur, quia agi est eorum quae ab alio moventur: – hoc removens Sanctus Thomas inquit quod a Spiritu Sancto filii Dei aguntur, non sicut servi, sed sicut liberi. Sic enim nos Spiritus Sanctus, inquantum amatores Dei constituit, ad agendum inclinat ut nos voluntarie agere faciat, non autem serviliter ex timore: iuxta illud *Rom.* VIII, *Non accepistis* etc. Libere enim agimus quod ex nobis ipsis agimus, idest, non ab alio coacti: hoc autem est quod ex voluntate agimus. Sed serviliter agimus quod agimus contra voluntatem: sive per violentiam absolutam, sive per violentiam voluntario mixtam.

3. Ad huius evidentiam, considerandum est primo, quod dicitur aliquid *agi ad aliquid,* quando ad aliquid agendum ab altero movetur. Et si quidem actio illi determinetur ab altero omnino, ita quod ipsum non sit indifferens ad agendum, sed agat praecise secundum inclinationem sibi ab altero ad unum determinatam, sic dicitur *simpliciter agi:* sicut bruta dicuntur agi, inquantum sunt eis operationes a natura determinatae ad unum. Si autem actio non determinetur sibi ab altero, sed sic quidem moveatur ab altero, sive inclinetur ad agendum, quod tamen in potestate sua sit agere et non agere, sive agere hoc modo aut illo; tale dicitur agi non simpliciter, sed *secundum quid,* quia non determinatur sibi actio ab extrinseco ad unum, sed ipsum se determinat, sed tamen aliqualiter inclinatur ad agendum ab extrinseco. Quia ergo sic Spiritus Sanctus nos ad agendum inclinat quod libere tamen operamur et ex proprio arbitrio, tanquam habentes in nostra potestate sequi aut non sequi Spiritus Sancti inclinationem et motionem, ideo dicimur ab ipso agi non simpliciter, sed secundum quid. Propter hoc dixit Sanctus Thomas quod per Spiritum Sanctum *quodammodo agimur* ut praecepta Dei impleamus.

Considerandum secundo, quod dicitur agi aliquid contra voluntatem per violentiam absolutam, non quia actui elicito voluntatis possit absolute violentia et coactio inferri, *cum actus voluntatis sit inclinatio quaedam procedens ab interiori principio* *;* sed quia huiusmodi violentia actibus exterioribus, contra voluntatem, inferri potest; ut inquit Sanctus Thomas I II[ae], q. VI, a. 4. Propter hoc non dedit Sanctus Thomas exemplum de actu interiori voluntatis, sed de motu exteriori ad quem quis ab alio per vim impellitur, dum scilicet unus per violentiam ad motum alium impellit.

* I[a] II[ae], loco statim citando.

Considerandum tertio quod, cum violentum sit *cuius principium est extra, nil conferente vim passo,* dicitur simpliciter violentia quando totum principium motus omnino est extrinsecum, et passum nihil ex se confert ad motum: idest, neque habet activum principium neque passivum ad talem motum naturaliter inclinatum. Dicitur autem violentia secundum quid, quae hic vocatur *violentia voluntario mixta,* quando principium motus non est omnino extrinsecum, sed partim extrinsecum est et partim intrinsecum: hoc est, talis motus non est omnino secundum inclinationem principii intrinseci, sed est aliquo modo secundum eius inclinationem et aliquo modo contra. Sicut proiectio mercium in mare causa salutis est quidem contra voluntatis inclinationem, inquantum mercator, absolute loquendo, vellet mercium conservationem: in casu autem est secundum voluntatem, inquantum per ipsam mercium proiectionem evitatur maius malum, scilicet amissio vitae. Unde hoc est aliquo modo a principio extrinseco, scilicet a maris tempestate et timore maioris mali, aliquo modo cogente et violentante ipsum ad id quod est contra eius inclinationem si res absolute consideretur: licet, omnibus consideratis, sit simpliciter et absolute volitum, ut habetur I II[a], eadem quaestione, art. 6. Et ideo inquit Sanctus

Thomas esse violentiam voluntario mixtam *cum quis vult facere aut pati quod minus est contrarium voluntati, ut evadat quod magis voluntati contrariatur.*

III. Quarto, ostendit quod *convenienter dicitur ab Apostolo,* II *Cor.* III, *Ubi Spiritus Domini, ibi libertas;* et *ad Galat.* V, *Si Spiritu ducimini, non estis sub lege.*

Ad huius autem probationem, praemittit quod, cum voluntas ordinetur in id quod est vere bonum, si per passionem aut malum habitum sive dispositionem homo avertatur ab eo quod est vere bonum, serviliter quidem agit inquantum a quodam extraneo inclinatur, si consideretur ipse ordo naturalis voluntatis: sed si consideretur actus voluntatis ut iam inclinatae in apparens bonum, agit libere cum passionem aut habitum corruptum sequitur; cum autem, tali voluntate manente, propter timorem legis positae in contrarium, abstinet ab eo quod vult, serviliter agit.

Hoc supposito, probat intentum sic. Spiritus Sanctus per amorem voluntatem inclinat in verum bonum, in quod voluntas naturaliter inclinatur; et removet servitutem qua, servus passionis et peccati effectus, contra ordinem voluntatis agit, atque etiam servitutem qua homo, contra motum suae voluntatis, agit secundum legem, quasi legis servus, non amicus. Ergo etc.

Sequitur ex eadem ratione quod *convenienter dicitur Spiritus Sanctus facta carnis mortificare, Rom.* VIII: quia videlicet per carnis passionem a vero bono non avertimur, in quod Spiritus Sanctus per amorem nos ordinat.

IV. Ad evidentiam eorum quae dicuntur, advertendum est quod duplicem ordinem voluntatis Sanctus Thomas intendit, secundum duplicem eius considerationem. Potest enim voluntas considerari dupliciter: scilicet secundum naturam suam absolute; et secundum quod est in homine aliquo habitu malo aut mala dispositione inclinata. Similiter duplex est ordo, sive inclinatio ipsius: unus scilicet naturalis, hoc est, voluntati conveniens secundum suam naturam absolute consideratam; alius secundum inclinationem mali habitus aut dispositionis in homine existentis, idest, qui convenit voluntati secundum quod inclinatur in aliquid ex habitu aut ex passione et huiusmodi.

Vult ergo S. Thomas quod secundum utramque considerationem voluntatis potest homo et libere et serviliter operari. – Secundum quidem absolutam considerationem homo libere agit, quando fertur in id quod est vere et simpliciter bonum: quia illud est secundum omnimodam et naturalem voluntatis inclinationem ut a proprio principio movetur, scilicet a recto iudicio rationis. – Agit autem serviliter, quando fertur in id quod non est vere bonum, sed tantum bonum apparens, quod scilicet aliquam habet similitudinem boni et tamen vere non est bonum: quia non fertur in illud secundum naturalem inclinationem voluntatis, sed contra eius inclinationem naturalem, dum contra eius ordinem inclinatur in aliquid non a recta ratione, quae est eius proprium principium motivum, sed ab aliquo extraneo pervertente iudicium rationis, scilicet a passione aut ab habitu malo vel mala dispositione, quae sunt extranea a proprio eius motivo principio. Ideo inquit Sanctus Thomas hominem, secundum quod a vero bono per passionem aut malum habitum vel malam dispositionem avertitur, serviliter agere, *inquantum a quodam extraneo inclinatur,* si consideretur ipse ordo naturalis voluntatis. – Secundum quoque alteram considerationem, homo libere quidem agit quando sequitur passionem aut habitum corruptum: sicut enim voluntas absolute considerata libere agit quando aliquid agit secundum rectam rationem, quae est eius proprium motivum, ita voluntas, ut inclinata et mota a passione et habitu corrupto, libere agit quando aliquid agit ex passione et habitu corrupto, quia eius proprium motivum, inquantum huiusmodi, est passio aut habitus corruptus, sive iudicium quod ex istis procedit. – Serviliter autem agit quando, stante tali voluntate, scilicet inclinata ut dictum est, homo abstinet ab eo quod vult propter timorem poenae a lege impositae: sicut cum quis habet voluntatem inclinatam ad furtum, sed tamen a furto abstinet propter timorem mortis, quam scit per leges esse furibus decretam. Dicitur autem hoc modo serviliter agere, quia agit non solum [non] secundum proprium motivum voluntatis sic consideratae, quod est concupiscentia et amor rei alienae, sed secundum extraneum principium, scilicet timorem, et contra huiusmodi voluntatis inclinationem.

Dicitur itaque Spiritus Sanctus in nobis causare libertatem: tum quia voluntatem inclinat per amorem in verum bonum, secundum quod accipitur libertas voluntatis primo modo consideratae. – Tum quia removet et illam servitutem qua homo per passionem et peccatum agit contra voluntatem absolute consideratam; et illam qua homo, contra motum suae voluntatis, secundum legem agit; dum videlicet homo ex amore boni agit, non autem ex timore poenae.

V. Ex iis patet non sic esse verba Apostoli intelligenda, ut quidam male sunt interpretati, quasi iusti, *qui Spiritu Dei ducuntur,* non sint divinae legi subiecti. Hoc enim esse non potest, ut declarat Sanctus Thomas II *Cor.* III*: *cum praecepta Dei sint humanae voluntatis regula, nulla autem voluntas creata sit quam non oporteat regulari et dirigi divina regula.* Sed intelligitur, ut hic dicitur, et *ad Galat.* V*, a Sancto Thoma, quod iusti, sive qui Spiritu Sancto ducuntur, non sunt sub divina lege *tanquam coacti,* idest, tanquam ex timore aut coactione contra eorum voluntatem operantes ea quae legis sunt: cum agant ea quae sunt legis omnino voluntarie et ex amore virtutis. Sed bene sunt sub lege inquantum ad ea quae sunt legis obligantur: et sic sunt sub lege *obligante,* non autem *cogente.* Sic etiam dicuntur iusti esse liberi a lege, ut dicitur I II$^{ae}$, q. XCIII, a. 6, ad 1, inquantum libere et voluntarie omnino quod est legis observant*: non autem coacti timore poenae et superioris mandato, sicut mali, qui quod legis est non observarent nisi esset divinum praeceptum, et nisi timerent pro legis transgressione puniri.

VI. Sed contra ea quae dicta sunt videtur esse quod Apostolus, *Rom.* VIII*, Spiritui Sancto tribuit timorem servilem, sicut et adoptionem, dum inquit: *Non enim accepistis Spiritum servitutis iterum in timore, sed Spiritum adoptionis filiorum.*

Respondetur, ex doctrina S. Thomae *ad Rom.* VIII*, ubi praedicta verba exponit, quod in timore servili, quo quis bonum facit timore poenae a Deo infligendae, duo sunt: scilicet timor Dei tanquam punitoris, inquantum scilicet quis Deum timet; et fuga mali poenae tantum, non autem mali culpae, inquantum quis non refugit malum culpae, sed tantum poenae, habet enim voluntatem inclinatam ad malum, sed timore poenae abstinet. Quantum ad primum, talis timor est a Spiritu Sancto, quia ut sic est laudabilis: et ad hunc sensum intelligenda sunt verba Apostoli. Quantum ad secundum non est a Spiritu Sancto, sed ex culpa hominis: sicut et fides informis, quantum ad id quod est fidei, est a Spiritu Sancto, non autem eius informitas. Et quantum ad hoc Spiritus Sanctus, mentem inhabitans per caritatem, timorem et servitutem excludit. Et ad hunc sensum loquitur hic Sanctus Thomas. Licet enim Spiritus Sanctus aliquo modo causet timorem servilem, non tamen inhabitans per caritatem ipsum causat, immo magis excludit.

* Lect. 3, ad vers. 17.

* Lect. 5, ad vers. 18.

* Cf. Lib. III cap. 128 in fine, ib. Praef. XVII b, § 16.

* Vers. 15.

* Lect. 3, ad loc. cit.

# CAPITULUM VIGESIMUM TERTIUM

## SOLUTIO RATIONUM SUPRA INDUCTARUM CONTRA DIVINITATEM SPIRITUS SANCTI.

*Cap xvi.

RESTAT autem solvere supra positas rationes*, quibus concludi videbatur quod Spiritus Sanctus sit creatura, et non Deus.

*Cf. ibid. *Dicitur enim.*

Circa quod considerandum est primo*, quod nomen *spiritus* a respiratione animalium sumptum videtur, in qua aer cum quodam motu infertur et emittitur. Unde nomen *spiritus* ad omnem impulsum et motum vel cuiuscumque aerei corporis trahitur: et sic ventus dicitur *spiritus,* secundum illud Psalmi*, *Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, quae faciunt verbum eius.* Sic etiam vapor tenuis diffusus per membra ad eorum motus, *spiritus* vocatur. Rursus, quia aer invisibilis est, translatum est ulterius *spiritus* nomen ad omnes virtutes et substantias invisibiles et motivas. Et propter hoc et anima sensibilis, et anima rationalis, et angeli, et Deus, *spiritus* dicuntur: et proprie Deus per modum amoris procedens, quia amor virtutem quandam motivam insinuat. – Sic igitur quod Amos dicit, *creans spiritum,* de vento intelligit: ut nostra translatio expressius habet; quod etiam consonat ei quod praemittitur, *formans montes.* – Quod vero Zacharias de Deo dicit, quod est *creans,* vel *fingens spiritum hominis in eo,* de anima humana intelligit. Unde concludi non potest quod Spiritus Sanctus sit creatura.

*Ps. CXLVIII. 8.

Similiter autem nec ex hoc quod Dominus dicit de Spiritu Sancto, *Non loquetur a semetipso, sed quaecumque audiet loquetur,* concludi potest quod sit creatura*. Ostensum est enim quod Spiritus Sanctus est Deus* de Deo procedens**. Unde oportet quod essentiam suam ab alio habeat: sicut et de Filio Dei dictum est supra*. Et sic, cum in Deo et scientia et virtus et operatio Dei sit eius essentia, omnis Filii et Spiritus Sancti scientia et virtus et operatio est ab alio: sed Filii a Patre tantum, Spiritus autem Sancti a Patre et Filio. Quia igitur una de operationibus Spiritus Sancti est quod loquatur in sanctis viris, ut ostensum est*, propter hoc dicitur quod *non loquitur a semetipso,* quia a se non operatur. – *Audire* autem ipsius est accipere scientiam, sicut et essentiam, a Patre et Filio, eo quod nos per auditum scientiam accipimus: est enim consuetum in Scriptura ut divina per modum humanorum tradantur. Nec movere oportet quod dicit, *audiet,* quasi de futuro loquens, cum accipere Spiritum Sanctum sit aeternum: nam *aeterno* verba cuiuslibet temporis aptari possunt, eo quod aeternitas totum tempus complectitur.

*Cap. XVI, *Adhuc. Dicit.*
*Cap. XVII; XVIII, *Quod autem.*
**Cap XIX.
*Cap. XI, *Et quamvis.*
*Cap. XXI, *Et quia ex his.*

Secundum eadem etiam apparet quod missio qua Spiritus Sanctus mitti dicitur a Patre et Filio, non potest concludere eum esse creaturam*. Dictum est enim supra* quod Filius Dei secundum hoc missus fuisse dicitur, quod in carne visibili hominibus apparuit, et sic novo quodam modo fuit in mundo, quo prius non fuerat, scilicet visibiliter, in quo tamen fuerat semper invisibiliter ut Deus. Quod autem hoc Filius ageret, ei a Patre fuit: unde et secundum hoc a Patre dicitur missus. – Sic autem et Spiritus Sanctus visibiliter apparuit: vel *in specie columbae* super Christum in baptismo*; vel *in linguis igneis* super Apostolos*. Et licet non fuerit factus columba vel ignis, sicut Filius factus est homo; tamen sicut in signis quibusdam ipsius in huiusmodi visibilibus speciebus apparuit; et sic etiam ipse quodam novo modo, scilicet visibiliter, in mundo fuit. Et hoc ei fuit a Patre et Filio: unde et ipse a Patre et Filio dicitur missus. Quod non minorationem in ipso, sed processionem ostendit.

*Cap. XVI, *Item. Mitti.*
*Cap. VIII, *Ex praemissis etiam.*
*Matth. III, 16; Marc. I, 10; Luc. III, 22.
*Act. II, 3.

Est tamen et alius modus quo tam Filius quam Spiritus Sanctus invisibiliter mitti dicuntur. Patet enim ex dictis* quod Filius procedit a Patre per modum notitiae, qua Deus cognoscit seipsum; et Spiritus Sanctus procedit a Patre et Filio per modum amoris, quo Deus amat seipsum. Unde, sicut dictum est*, cum aliquis per Spiritum Sanctum amator Dei efficitur, Spiritus Sanctus est inhabitator ipsius: et sic quodam novo modo in homine est, scilicet secundum novum proprium effectum ipsum inhabitans. Et quod hunc effectum in homine faciat Spiritus Sanctus, est ei a Patre et Filio: et propter hoc a Patre et Filio invisibiliter dicitur mitti. Et pari ratione, in mente hominis Filius dicitur mitti invisibiliter, cum aliquis sic in divina cognitione constituitur quod ex tali cognitione Dei amor procedat in homine. Unde patet quod nec iste etiam modus missionis in Filio aut Spiritu Sancto minorationem inducit, sed solum processionem ab alio.

*Cap. XI, *Et quamvis.* Cap. XIX, *Et quia.*
*Cap. XXI, *Quia vero.*

Similiter etiam nec Spiritum Sanctum a divinitate excludit quod Pater et Filius interdum connumerantur, non facta mentione de Spiritu

3 et *om* EGNX. 7 qua *ita* Yc, quo *ceteri.* 9 et motum] aut motum EGNX*b*, vel motum (*om sequenti* vel) D. 12 spiritus] et spiritus FHWZP. 13 etiam] enim et EGNX*b*. 15 est ulterius spiritus nomen] spiritus nomen est ulterius ENX, est ulterius G, est nomen spiritus ulterius *b*. 17 invisibiles *Ita* EHXZsGPc; et invisibiles *ceteri.* 30 Non loquetur *Ita* YP; Non enim loquetur E, Non enim loquitur XsG*b*, Non loquitur *ceteri.* 41 Spiritus Sancti *om* EGX*b*, *post* est N. 48 tradantur] credantur αY.

7 concludere] concludi D. 10 visibili] visibilis EGHX. 12 fuerat *post* semper ZPc. 14 ei *om* EX, *ante* ageret pG. unde et] unde EGNX*b*. 16 vel in specie] in specie Z, et in specie P*d*; *pro* vel in linguis, et in linguis P. 19 sicut] si BAF; est *om* αGWYZ. 22 novo *om* Z*b*, *post* modo N, *ante* quodam X. visibiliter] visibili EGNY*b*, visibilis Z. 34 novo *om* Z, *post* modo *b*, *ante* quodam EX; *pro* in homine est, est in homine EGNX*b*, in eo est D. 36 ipsum inhabitans . . . effectum *hom om* EG, et quod hoc sE, in homine secundum novum proprium effectum ipsum inhabitans et quod hunc effectum X. 48 connumerantur *Ita* DENFXc; connominatur *b*, connumeratur *ceteri.*

*Cap. XVI. *Adhuc. Scriptura.*

*Cf. cap. VIII. *Ex quo etiam.*

Sancto*: sicut nec Filium a divinitate excludit quod interdum fit mentio de Patre, non facta mentione de Filio*. Per hoc enim tacite Scriptura insinuat quod quicquid, ad divinitatem pertinens, de uno trium dicitur, de omnibus est intelligendum, eo quod sunt unus Deus. Nec etiam potest Deus Pater sine Verbo et Amore intelligi, nec e converso: et propter hoc in uno trium omnes tres intelliguntur. Unde et interdum fit mentio de solo Filio, in eo quod commune est tribus: sicut est illud *Matth.* XI[27], *Neque Patrem quis novit nisi Filius:* cum tamen et Pater et Spiritus Sanctus Patrem cognoscant. Similiter etiam de Spiritu Sancto dicitur I *Cor.* II[11]: *Quae sunt Dei, nemo novit nisi Spiritus Dei:* cum tamen certum sit quod ab hac cognitione divinorum neque Pater neque Filius excludantur.

*Cap. XVI, *Amplius. Omne.*

Patet etiam quod non potest ostendi Spiritus Sanctus esse creatura per hoc quod de ipso in Scriptura Sacra aliqua ad motum pertinentia dicta inveniuntur*. Sunt enim accipienda metaphorice. Sic enim et Deo aliquando Scriptura Sacra motum attribuit: ut est illud *Gen.* III[8], *Cum audissent vocem Domini deambulantis in paradiso;* et XVIII[21], *Descendam, et videbo utrum clamorem opere compleverint.* Quod ergo dicitur, *Spiritus Domini ferebatur super aquas,* intelligendum est eo modo dictum esse sicut dicitur quod voluntas fertur in volitum, et amor in amatum. Quamvis et hoc quidam non de Spiritu Sancto, sed de aere intelligere velint, qui habet naturalem locum super aquam, unde ad eius multimodas transmutationes significandas, dictum est quod *ferebatur super aquas.* – Quod etiam dicitur, *Effundam de Spiritu meo super omnem carnem,* ea ratione dictum esse oportet intelligi qua Spiritus Sanctus dicitur mitti hominibus a Patre vel Filio, ut dictum est*. In verbo autem *effusionis* abundantia effectus Spiritus Sancti intelligitur; et quod non stabit in uno, sed ad plures deveniet, a quibus etiam quodammodo in alios derivetur, sicut patet in his quae corporaliter effunduntur.

*Supra in hoc Cap., *Secundum eadem.*

*Cap. XVI, *Praeterea. Omne.*

Similiter autem quod dicitur, *Auferam de spiritu tuo tradamque eis**, non ad ipsam essentiam seu personam Spiritus Sancti referendum est, cum indivisibilis sit: sed ad ipsius effectus, secundum quos in nobis habitat, qui in homine possunt augeri et minui; non tamen ita quod id quod subtrahitur uni, idem numero alteri conferatur, sicut in rebus corporalibus accidit; sed quia aliquid simile potest accrescere uni in quo alii decrescit. Nec tamen requiritur quod ad hoc quod accrescat uni, alteri subtrahatur: quia res spiritualis potest simul absque detrimento cuiuslibet a pluribus possideri. Unde nec intelligendum est quod de donis spiritualibus oportuerit aliquid subtrahi Moysi ad hoc quod aliis conferretur, sed ad actum sive ad officium referendum est: quia quod Spiritus Sanctus prius per solum Moysen effecerat, postea per plures implevit. – Sic etiam nec Elisaeus petiit ut Spiritus Sancti essentia seu persona duplicata augeretur: sed ut duos effectus Spiritus Sancti qui fuerant in Elia, scilicet prophetia et operatio miraculorum, essent etiam in ipso. – Quamvis etiam non sit inconveniens quod effectum Spiritus Sancti unus alio abundantius participet, secundum duplam vel quantamcumque aliam proportionem: cum mensura utriusque sit finita. Non tamen hoc praesumpsisset Elisaeus petere, ut in effectu spirituali superaret magistrum.

*Cap. XVI, *Item. In Deum.*

*Ps. CV, 40.

Patet etiam ex consuetudine Sacrae Scripturae quod per quandam similitudinem humani animi passiones transferuntur in Deum*: sicut dicitur in Psalmo*: *Iratus est furore Dominus in populum suum.* Dicitur enim Deus iratus per similitudinem effectus: punit enim, quod et irati faciunt; unde et ibidem subditur: *Et tradidit eos in manus gentium.* – Sic et Spiritus Sanctus *contristari* dicitur per similitudinem effectus: deserit enim peccatores, sicut contristati deserunt contristantes.

Est etiam consuetus modus loquendi in Sacra Scriptura ut illud Deo attribuatur quod in homine facit: secundum illud *Gen.* XXII[12]: *Nunc cognovi quod timeas Dominum,* idest, *nunc cognoscere feci.* Et hoc modo dicitur quod Spiritus Sanctus *postulat**, quia postulantes facit: facit enim amorem Dei in cordibus nostris, ex quo desideramus ipso frui, et desiderantes postulamus.

*Cap. XVI, *Adhuc. Deo.*

Cum autem Spiritus Sanctus procedat per modum amoris quo seipsum Deus amat; eodem autem amore Deus se et alia propter suam bonitatem amat: manifestum est quod ad Spiritum Sanctum pertinet amor quo Deus nos amat. Similiter etiam et amor quo nos Deum amamus: cum nos Dei faciat amatores, ut ex dictis patet*. Et quantum ad utrumque, Spiritui Sancto competit *donari**. Ratione quidem amoris quo Deus nos amat, eo modo loquendi quo unusquisque dicitur *dare amorem suum* alicui cum eum amare incipit: – quamvis Deus neminem ex tempore amare incipiat, si respiciatur ad voluntatem divinam qua nos amat; effectus tamen sui amoris ex tempore causatur in aliquo, cum eum ad se trahit. Ratione autem amoris quo nos Deum amamus, quia hunc amorem Spiritus Sanctus facit in nobis: unde secundum hunc amorem in nobis habitat, ut ex dictis* patet, et sic eum habemus ut cuius ope fruimur. Et quia hoc est Spiritui Sancto a Patre et Filio, quod per amorem quem in nobis causat, in nobis sit et ha-

*Cap. XXI, *Sciendum tamen.*

*Vide cap XVI, *Amplius. Nullus.*

*Cap. XXI, *Quia vero.*

6 sunt] sint GN*b*, sit EX. 7 Verbo et] vero E, Verbo G. 22 et Deo] dictum de eo ENsG. 25 XVIII] eodem XVIII *b*, eiusdem XVIII N, Gen. XVIII XsG, Num. XVIII E, et enim XVIII G. 28 dictum esse] dictum DW, quo dictum est Pc. 34 Quod etiam dicitur] quod enim EX, et quod etiam G. 38 effusionis] fusionis αYZ; *rasa* pW. 44 tradamque] et tradam EGX. 48 ita quod *om* EG*b*; et quod CN; E *om hom* 49 idem ... 51 uni. 52 requiritur quod ad hoc quod accrescat uni] quod accrescit requiritur ut (quod G) EGX, requiritur quod ad hoc quod accrescit uni idest quod *b*, requiritur ad hoc ut accrescat uni quod P.

1 conferretur *Ita* XP*c*; confertur EN, conferetur pG, conferatur *ceteri.* 3 quod *post* Spiritus Sanctus *b*, *om* EGNX. 10 effectum] effectus ENWY*b*, effectibus P. 12 mensura utriusque sit] mensurata sit virtus uniuscuiusque atque P*d*. 35 procedat] procedit EGNX. 46 Deus] Deum αEG; *pro* neminem, nemo sG; quamvis ... incipiat *om* W. 54 ope] opere CDFNWZ. 55 a Patre et Filio *om* N*b*; X *legit:* hoc est Spiritum Sanctum a Patre et Filio dari quod per amorem *etc.*

beatur a nobis; convenienter dicitur a Patre et Filio nobis *dari*. Nec per hoc Patre et Filio minor ostenditur: sed ab ipsis habet originem. Dicitur etiam et a seipso dari nobis, inquantum amorem secundum quem nos inhabitat, simul cum Patre et Filio in nobis causat*.

* Cf. I P., XLIII, 8.

Quamvis autem Spiritus Sanctus verus sit Deus, et veram naturam divinam habeat a Patre et Filio, non tamen oportet quod filius sit*. Filius enim dicitur aliquis ex eo quod genitus est: unde, si res aliqua naturam alterius ab eo acciperet non per genituram, sed per alium quemcumque modum, ratione filiationis careret; ut puta si aliquis homo, virtute sibi divinitus ad hoc concessa, faceret hominem ex aliqua sui corporis parte, vel etiam exteriori modo, sicut facit artificiata, productus homo producentis filius non diceretur, quia non procederet ab eo ut natus. Processio autem Spiritus Sancti rationem nativitatis non habet, ut supra* ostensum est. Unde Spiritus Sanctus, licet a Patre et Filio divinam naturam habeat, non tamen eorum filius dici potest.

* Cap. XVI, *Item. Si Spiritus.*

* Cap. XIX, *Cum autem ostensum*

Quod autem in sola natura divina pluribus modis natura communicatur*, rationabile est. Quia in solo Deo eius operatio est suum esse. Unde, cum in eo, sicut in qualibet intellectuali natura, sit intelligere et velle, id quod procedit in eo per modum intellectus ut Verbum, aut amoris et voluntatis ut Amor, oportet quod habet esse divinum, et sit Deus. Et sic tam Filius quam Spiritus Sanctus est verus Deus.

* Cap. XVI, *Praeterea. Si Spiritus.*

Haec igitur de Spiritus Sancti divinitate dicta sint. Alia vero quae circa eius processionem difficultatem habent, ex his quae de nativitate Filii dicta sunt*, considerare oportet.

* Cap. XIII, XI

---

2 nobis ... Filio *hom om* EG. 3 Dicitur etiam et] Dicitur etiam CY, Dicitur enim et EX, Dicitur enim N, et etiam D. 11 aliqua] aliquam αD.
8 sicut] sicut et P*d*. 12 Et sic ... Deus *hom om* EGX. 15 sint] sunt CDEGNXY*b*.

## Commentaria Ferrariensis

POSTQUAM determinavit Sanctus Thomas veritatem circa divinitatem Spiritus Sancti, vult ad rationes in contrarium adductas respondere*.

* Cf. Comment. cap. XVI, init.

I. Pro solutione autem *ad primum,* praemittit quod nomen *spiritus* a respiratione animalium sumptum videtur, in qua aer cum quodam motu infertur et emittitur. - Unde ad omnem impulsum et motum cuiuscumque aerei corporis trahitur: sic enim et ventus dicitur spiritus in Psalmo*, *Ignis, grando* etc.; et vapor tenuis per membra diffusus ad eorum motus. – Quia vero aer invisibilis est, translatum est etiam nomen *spiritus* ad omnes virtutes et substantias invisibiles et motivas: et sic anima sensibilis et rationalis, et angeli, et Deus, praecipue procedens per modum amoris, spiritus dicuntur.

* Ps. CXLVIII, 8.

Tunc *ad primam rationem* dicit quod propheta Amos per *spiritum* intelligit ventum. Zacharias vero per *spiritum hominis* intelligit animam humanam, non autem Spiritum Sanctum.

II. *Ad secundam* dicit primo, quod dicitur Spiritus Sanctus loqui in sanctis viris *non a semetipso,* quia a se non operatur. Ab alio enim, scilicet a Patre et Filio, sicut habet essentiam, ita habet et scientiam et virtutem et operationem, quae sunt idem cum essentia.

Dicit secundo, quod *audire* ipsius est accipere scientiam a Patre et Filio.

Dicit tertio, quod non debet nos movere quod dicit *audiet* in futuro, cum accipere Spiritus Sancti sit aeternum: quia aeterno verba cuiuslibet temporis aptari possunt, cum aeternitas totum tempus complectatur.

Adverte quod, ex hoc quod aeternitas omnem differentiam temporis complectitur, verba futuri temporis de Deo dici intelliguntur, non quia Deus aliquid in futurum expectet, sed quia aeternaliter futuro nobis tempori coexistit. Unde quod dicitur de Spiritu Sancto quod *audiet,* non sic intelligitur quasi sit accepturus scientiam a Patre et Filio et nondum acceperit: sed quod suum accipere scientiam, quod est aeternum, futuro tempori coexistit, in quo quae a Patre aeternaliter accipit, nobis manifestabit.

III. *Ad tertiam* dicit quod, cum duplex sit missio Spiritus Sancti, sicut et Filii: scilicet visibilis, ut cum apparuit in specie columbae super Christum, et in linguis igneis super Apostolos; et invisibilis, ut cum homo fit Dei amator per Spiritum Sanctum, et ipse Spiritus Sanctus hominem inhabitat: – nulla istarum minorationem inducit, sed solum dicit processionem ab alio. Nihil enim aliud significatur cum dicitur in allegata auctoritate Spiritus Sanctus a Christo missus, quam quod novo quodam modo in mundo fuit, scilicet visibiliter, et quod hoc ei fuit a Patre et Filio. Et similiter intelligendum est cum dicitur invisibiliter missus: quia videlicet per novum proprium effectum hominem inhabitat, et quod est ei a Patre et Filio quod hunc effectum faciat in homine. Eodem etiam modo dicitur Filius a Patre missus: visibiliter quidem, quia in carne visibili hominibus apparuit; invisibiliter autem, cum aliquis sic in divina cognitione constituitur quod ex ea Dei amor in ipso procedat; et utrumque istorum convenit Filio a Patre.

Advertendum circa hoc quod dictum est, Spiritum Sanctum invisibiliter mitti *per novum proprium effectum,* quod non est intelligendum *effective,* ut ex superioribus* patet, quasi videlicet sit aliquis effectus Spiritus Sancti quem ipse solus efficiat, et non aliae divinae personae: sed *exemplariter* tantum. Amor enim creatus quo Deum amamus, inquantum huiusmodi, est ab amore quo Deus seipsum amat exemplariter deductus et formatus.

* Cap. XXI, n. I,

2. Sed occurrit dubium. Videtur enim velle Sanctus Thomas de ratione missionis esse ut a mittente procedat. Hoc autem non videtur verum. Quia secundum Augustinum, II *de Trin.**, Filius mittitur a se et a Spiritu Sancto; et Spiritus Sanctus a Filio et a se. Constat autem quod neque Filius procedit a se aut Spiritu Sancto; neque Spiritus Sanctus a se procedit.

* Cap. V.

Respondetur ex doctrina Sancti Thomae Prima, q. XLIII, a. ult., quod nomen *missionis* duo significat in divinis. Aliquando enim significat processionem personae missae a persona mittente, et novum modum essendi ipsius in creatura. Et hoc est principale significatum. Et sic sola persona procedens mittitur, et solum ab eo a quo procedit. – Aliquando autem significat personae missae processionem ab aliquo licet non a mittente, et novum modum essendi ipsius in creatura. Et hoc est secundarium significatum. Et sic ad hoc ut persona aliqua mittatur, requiritur ut sit procedens, et ut novum modum habeat in creatura: non autem requiritur quod procedat a mittente. Loquitur ergo Sanctus Thomas hic de principali significato missionis: Augustinus autem de secundario significato.

3. Sed adhuc remanet dubium. Secundum hanc enim responsionem, mitti etiam in secundario significato includit *produci,* licet non a mittente. Videtur autem hoc contradictionem implicare. Si enim mitti includit produci, oportet

ut mittere includat *producere*. Et sic oportet ut persona mittens producat personam missam: et consequenter quod mitti sit produci a mittente.

Respondetur quod *mitti includere produci* dupliciter potest intelligi: uno modo, formaliter et in recto; alio modo, materialiter et in obliquo. Primo modo, mitti, quantum ad suum secundarium significatum, non includit produci: sed tantum secundo modo. Non enim sic mitti formaliter est produci: sed, personam ab alia productam in aliquo novo modo fieri. Ideo non oportet ut mittere includat producere.

Per hoc patet rationes Scoti in XIV distinctione Primi* (quas tamen et ipse solvit), non esse contra mentem Sancti Thomae. Procedunt enim ac si diceremus quod mitti, quantum ad suum secundarium significatum, formaliter includit produci. Vide apud Capreolum in Primo, d. XV et XVI*.

IV. *Ad quartam* dicit quod non fieri quandoque mentionem de Spiritu Sancto, dum Pater et Filius commemorantur, ipsum a divinitate non excludit: sicut nec Filius excluditur cum fit mentio de Patre, non facta de ipso mentione. Per hoc enim insinuat tacite Scriptura quod quicquid, ad divinitatem pertinens, de uno trium dicitur, de omnibus est intelligendum, eo quod sint unus Deus. Nec etiam posset Deus Pater sine Verbo et Amore intelligi, nec e converso. Et ideo in uno trium omnes tres intelliguntur. Unde in huiusmodi interdum fit mentio de Filio, ut *Matth.* XI, *Neque Patrem quis novit* etc., cum tamen et Pater et Spiritus Sanctus Patrem cognoscat: interdum etiam de Spiritu Sancto, ut I *Cor.* II, *Quae sunt Dei* etc., cum tamen a divinorum cognitione neque excludatur Pater neque Filius.

V. Circa hanc responsionem, quantum ad id quod dicitur, *Patrem non posse intelligi sine Verbo et Amore, nec e converso,* dubium primo occurrit, quia ista non sunt correlativa sub istis nominibus; nec unum est de intrinseca ratione alterius, ut videtur. Ideo non apparet quomodo unum non possit intelligi sine aliis.

Dubium secundo occurrit quia, etiam posito quod unum sine aliis intelligi non possit, non tamen sequitur quod in uno omnes intelligantur quantum ad idem praedicatum: ut videtur velle Sanctus Thomas. Quamvis enim in humanis pater non possit intelligi sine filio, non tamen, cum pater dicitur esse sapiens, intelligitur quod et filius sapiens sit.

2. Ad primum horum dicitur quod non ad illum sensum dicit Sanctus Thomas Patrem non posse intelligi sine Verbo et Amore quia sint correlativa, aut unum sit de formali ratione alterius: – hoc enim nihil ad propositum faceret, ut patet ex secundo dubio; et ex Prima, q. XXXI, 4; et I *Sent.*, d. XXI, q. I, 2 – sed quia sunt unius numero essentiae. Ex unitate enim essentiae sequitur quod non potest intelligi essentia Dei Patris quin intelligatur essentia Verbi et Amoris divini. Et ideo in uno trium omnes tres intelliguntur quantum ad essentiam eorum, et quantum ad ea quae eorum oppositionem relativam non concomitantur.

3. Ad secundum dubium respondetur quod ex intellectu omnium in uno, modo exposito, sequitur ut etiam in uno omnes intelligantur quantum ad praedicata essentialia: de iis enim loquitur Sanctus Thomas. Nam cum huiusmodi concomitentur essentiam divinam; et in intellectu unius personae divinae omnes intelligantur quantum ad essentiam: sequitur ut, cum de una persona aliquod essentiale praedicatum dicitur, non excludantur aliae duae. – Nec valet quod adducitur de patre et filio in creaturis: quia in illis pater et filius non habent unam numero essentiam, sicut est in divinis.

VI. *Ad quintam* dicit primo, quod motus metaphorice attribuitur Spiritui Sancto: sicut et cum de Deo dicitur, *Gen.* III, *Cum audissent* etc.; et XVIII, *Descendam* etc. Intelligitur enim, cum dicitur Spiritus Sanctus *ferri super aquas,* sicut dicitur quod voluntas fertur in volitum et amor in amatum. – Quamvis quidam hoc de aere intelligere velint, qui naturalem locum habet super aquas, ad cuius multimodas transmutationes significandas dictum est quod *ferebatur super aquas.*

Dicit secundo, quod dictum Ioelis intelligendum est ea ratione qua Spiritus Sanctus dicitur mitti hominibus a Patre vel Filio. Verbo autem *effusionis* abundantia effectus Spiritus Sancti intelligitur: quod scilicet ad plures deveniet, a quibus etiam quodammodo in alios derivetur, ut patet in iis quae corporaliter effunduntur.

Adverte quod Sanctus Thomas non dicit absolute *a quibus in alios derivetur,* sed addit *quodammodo:* quia effectus Spiritus Sancti, qui est caritas, non potest principaliter ab homine causari, sed tantum dispositive et ministerialiter, ut patet IV *Sententiarum**.

VII. *Ad sextam* dicit primo, quod illud dictum *Numerorum* non est ad ipsam essentiam Spiritus Sancti referendum, sed ad ipsius effectus, qui in homine possunt augeri et minui, inquantum aliquid simile potest accrescere uni in quo alius decrescit.

Dicit secundo, quod non oportet, ad hoc ut accrescat uni, quod alteri subtrahatur: quia res spiritualis potest simul absque detrimento cuiuslibet a pluribus possideri. Unde non est intelligendum quod de bonis spiritualibus oportuerit aliquid subtrahi Moysi ad hoc quod aliis conferretur, sed ad actum vel officium referendum est: quia quod prius Spiritus Sanctus per solum Moysen effecerat, postea per plures implevit. – Eodem modo dicendum est quod Elisaeus duos effectus Spiritus Sancti qui erant in Elia, scilicet prophetiam et operationem miraculorum, petiit: non autem quod essentia seu persona Spiritus Sancti duplicata augeretur; aut quod in effectu spirituali superaret magistrum: – quamvis non sit inconveniens effectuum Spiritus Sancti unum alio abundantius participare, secundum duplam aut quamcumque aliam proportionem, etc.

VIII. *Ad septimam* dicit quod Spiritus Sanctus *contristari* dicitur per similitudinem effectus: deserit enim peccatores, sicut contristati deserunt contristantes. Ex consuetudine namque Scripturae, per quandam similitudinem humani animi passiones transferuntur in Deum.

*Ad octavam* dicit quod Spiritus Sanctus *postulare* dicitur, quia nos postulantes facit, causando in nobis amorem Dei, quo desideramus ipso frui, et desiderantes postulamus: sicut etiam dicitur *Gen.* XXII, *Nunc cognovi quod timeas Dominum,* idest, *Nunc cognoscere feci.* Est enim in Sacra Scriptura consuetum ut illud Deo attribuatur quod in homine facit.

*Ad nonam* dicitur quod, cum Spiritus Sanctus procedat per modum amoris, et nos faciat Dei amatores, competit sibi *donari.* Ratione quidem amoris quo Deus nos amat, eo modo loquendi quo dicitur quis *dare amorem suum alicui* cum eum amare incipit: – quamvis ex tempore Deus neminem amare incipiat, si ipsa voluntas respiciatur: sed effectus sui amoris ex tempore causetur in aliquo. Ratione vero amoris quo nos Deum amamus, quia hunc Spiritus Sanctus facit in nobis, et secundum eum in nobis habitat eumque habemus, ut cuius ope fruimur, idest, ut cuius auxilio potimur. Et quia hoc est Spiritui Sancto a Patre et Filio, convenienter dicitur a Patre et Filio nobis dari. In hoc autem ostenditur non quod ipsis minor sit, sed quod ab ipsis originem habet. Dicitur et a seipso nobis dari: inquantum dictum amorem simul cum Patre et Filio in nobis causat.

Adverte quod ex ista responsione habetur assumptum hoc esse falsum: *Nullus congrue donat nisi id cuius habet dominium.* Dicitur enim quod in divinis etiam quis congrue donat id cuius est principium originativum, licet eius proprie dominium non habeat.

IX. *Ad decimam* inquit quod, licet Spiritus Sanctus verus sit Deus, et veram naturam divinam habeat a Patre et Filio, non tamen oportet quod sit filius: quia processio Spiritus Sancti rationem nativitatis non habet. Dicitur enim aliquis filius ex eo quod genitus est: nam si res aliqua naturam alterius ab eo acciperet non per genituram, sed per alium quemcunque modum, ratione filiationis careret. Declaratur exemplo, si videlicet homo ex aliqua sui corporis parte hominem faceret, vel exteriori modo,

* Fol. 77 v (Ven. 1497).

* Tom. II, 63.

* Dist. 1, q. 1, a. 4, qu* 1.

sicut artificiata: nam homo productus non diceretur producentis filius.

Adverte, ut ex superioribus* constat, quod idcirco processio Spiritus Sancti rationem nativitatis aut generationis non habet, licet ipse naturam divinam accipiat, quia ex ratione sua, qua est processio per modum voluntatis sive per modum amoris, non habet ut productum sit simile producenti, sed magis quod sit impressio et inclinatio quaedam in rem amatam: de ratione autem generationis est quod genitum sit simile generanti.

* Cap. XIX, *Cum autem ostensum.*

X. *Ad ultimam* dicit quod rationabile est in sola divina natura pluribus modis naturam communicari. Quia, cum in solo Deo eius operatio sit suum esse, id quod procedit in eo per modum intellectus, aut per modum amoris et voluntatis, oportet quod habeat esse divinum et sit Deus.

Advertendum ex ista responsione quod illa propositio, *Unius naturae est tantum unus communicationis modus**, habet veritatem in natura creata tantum, in qua operatio distinguitur ab esse operantis, et ideo non oportet per omnem processionem eius communicari naturam, sed tantum per unum modum: non autem in natura divina, in qua operatio est idem quod esse Dei, et ideo per omnem eius processionem ad intra oportet communicari naturam cuius esse Dei est proprium. Propter hoc inquit Sanctus Thomas* quod *in sola natura divina pluribus modis naturam communicari rationabile est, quia in Deo solo eius operatio est suum esse.* Sic enim constat quod intelligere et velle divinum, quibus ad intra producitur Filius et Spiritus Sanctus, sunt idem quod divinum esse: et ideo oportet ut producta, quorum esse est intelligere et velle, naturam divinam habeant, utpote divinum habentia esse.

* Cf. arg. cui respondetur, *Praeterea. Si Spiritus.*

* In praesenti responsione.

2. Sed circa hanc responsionem dubitatur. Admittit enim haec responsio quod in creaturis una natura uno tantum modo communicatur. Contra hoc autem est quia sunt aliquae naturae quae per putrefactionem et per propagationem producuntur: ostensum enim est in praecedentibus* quod producta per putrefactionem, et per generationem, sunt eiusdem speciei, secundum mentem Sancti Thomae. Constat autem quod per generationem produci, et per putrefactionem, sunt diversi modi communicationis naturae.

* Lib. III. cap. LXIX, Comment. n. VII sqq.

Respondetur dupliciter. Primo, quod illa propositio habet veritatem in naturis perfectis: instantia autem datur in naturis imperfectis.

Secundo, quod illa propositio est universaliter vera in omni natura, *intelligendo communicationem ut est ab individuo illius naturae.* Sensus est enim quod una natura tantum uno modo communicari potest a supposito et individuo illius naturae. Contra autem hunc sensum patet quod instantia nulla est.

ULTIMO inquit Sanctus Thomas haec de Spiritus Sancti divinitate dicta esse: difficultates vero circa eius processionem, ex iis quae de nativitate Filii dicta sunt, considerari oportere.

# CAPITULUM VIGESIMUM QUARTUM

## QUOD SPIRITUS SANCTUS PROCEDAT A FILIO.

QUIDAM vero circa Spiritus Sancti processionem errare inveniuntur, dicentes Spiritum Sanctum a Filio non procedere. Et ideo ostendendum est Spiritum Sanctum a Filio procedere.

Manifestum est enim ex Sacra Scriptura quod Spiritus Sanctus est Spiritus Filii: dicitur enim *Rom.* VIII[9]: *Si quis Spiritum Christi non habet, hic non est eius.* – Sed ne aliquis posset dicere quod alius sit Spiritus qui procedit a Patre, et alius qui est Filii, ostenditur ex verbis eiusdem Apostoli quod idem Spiritus Sanctus sit Patris et Filii. Nam hoc quod inductum est, *Si quis Spiritum Christi non habet, hic non est eius,* subiunxit postquam dixerat, *Si Spiritus Dei habitat in nobis,* etc. – Non autem potest dici Spiritus Sanctus esse Spiritus Christi ex hoc solo quod eum habuit tanquam homo, secundum illud *Luc.* IV[1], *Iesus, plenus Spiritu Sancto, regressus est a Iordane.* Dicitur enim *Galat.* IV[6]: *Quoniam estis filii Dei, misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra, clamantem, Abba, Pater.* Ex hoc ergo Spiritus Sanctus nos facit filios Dei, inquantum est Spiritus Filii Dei. Efficimur autem filii Dei adoptivi per assimilationem ad Filium Dei naturalem: secundum illud *Rom.* VIII[29]: *Quos praescivit, et praedestinavit fieri conformes imaginis Filii eius, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus.* Sic igitur est Spiritus Sanctus Spiritus Christi, inquantum est Filius Dei naturalis. Non potest autem secundum aliam habitudinem Spiritus Sanctus dici Spiritus Filii Dei nisi secundum aliquam originem: quia haec sola distinctio in divinis invenitur. Necesse est igitur dicere quod Spiritus Sanctus sic sit Filii quod ab eo procedat.

Item. Spiritus Sanctus a Filio mittitur: secundum illud *Ioan.* XV[26]: *Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre.* Mittens autem auctoritatem aliquam habet in missum. Oportet igitur dicere quod Filius habeat aliquam auctoritatem respectu Spiritus Sancti. Non autem dominii vel maioritatis, sed secundum solam originem. Sic igitur Spiritus Sanctus est a Filio. – Si quis autem dicat quod etiam Filius mittitur a Spiritu Sancto, quia dicitur *Luc.* IV[18,21], quod Dominus dixit in se impletum illud *Isaiae**, *Spiritus Domini super me, evangelizare pauperibus misit me:* – sed considerandum est quod Filius a Spiritu Sancto mittitur secundum naturam assumptam. Spiritus autem Sanctus non assumpsit naturam creatam, ut secundum eam possit dici missus a Filio, vel Filius habere auctoritatem respectu ipsius. Relinquitur igitur quod respectu personae aeternae Filius super Spiritum Sanctum auctoritatem habeat.

* Cap. LXI, 1.

9 hic] hinc BFH. 12 Sanctus *om* DENW, Sancti BF; Sanctus sit *om* C. 19 Spiritu Sancto] gratia EGX. 12 missum] missionem EG, missione *b*. 18 quia *Ita* WPc; *om* EGNX, quod *αZb*, secundum quod D, eo quod Y. 21 sed *omnes, at abundare videtur.*

Amplius. *Ioan.* XVI[14], dicit Filius de Spiritu Sancto: *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet.* Non autem potest dici quod accipiat id quod est Filii, non tamen accipiat a Filio: utputa si dicatur quod accipiat essentiam divinam, quae est Filii a Patre; unde et subditur*, *Omnia quaecumque habet Pater, mea sunt. Propterea dixi vobis quia de meo accipiet:* – si enim omnia quae Patris sunt et Filii sunt, oportet quod auctoritas Patris, secundum quam est principium Spiritus Sancti, sit et Filii. Sicut ergo Spiritus Sanctus accipit de eo quod est Patris a Patre, ita accipit de eo quod est Filii a Filio.

* Vers. 15.

Ad hoc etiam induci possunt auctoritates doctorum Ecclesiae, etiam Graecorum. Dicit enim Athanasius*: *Spiritus Sanctus a Patre et Filio, non factus nec creatus nec genitus, sed procedens.* – Cyrillus etiam, in Epistola sua*, quam Synodus Chalcedonensis recepit*, dicit: *Spiritus Veritatis nominatur et est Spiritus Veritatis, et profluit ab eo, sicut denique et ex Deo Patre.* – Didymus etiam dicit, in libro *de Spiritu Sancto**: *Neque quid est aliud Filius exceptis his quae ei dantur a Patre; neque alia est Spiritus Sancti substantia praeter id quod ei datur a Filio.* – Ridiculosum est autem quod quidam concedunt Spiritum Sanctum *esse a Filio,* vel *profluere ab ipso,* sed non *procedere ab ipso.* Verbum enim *processionis* inter omnia quae ad originem pertinent, magis invenitur esse commune: quicquid enim quocumque modo est ab aliquo, ab ipso procedere dicimus. Et quia divina melius per communia quam per specialia designantur, verbum *processionis* in origine divinarum personarum maxime est accomodum. Unde si concedatur quod Spiritus Sanctus *sit a Filio,* vel *profluat ab eo,* sequitur quod *ab eo procedat.*

* Symbolum S. Athanasii.
* Ep. XVII (al. XV), *ad Nestorium* (P. G. LXXVII, p. 117). Cf. *de Potentia,* qu. X, a. 4, ad 13.
* Actione II.
* In vers. S. Hieron., n. 37 (P. L. LXXIII).

Item. Habetur in determinatione Quinti Concilii*: *Sequimur per omnia sanctos patres et doctores Ecclesiae, Athanasium, Hilarium, Basilium, Gregorium Theologum et Gregorium Nyssenum, Ambrosium, Augustinum, Theophilum, Ioannem Constantinopolitanum, Cyrillum, Leonem, Proclum: et suscipimus omnia quae de recta fide et condamnatione haereticorum exposuerunt.* Manifestum est autem ex multis auctoritatibus Augustini, et praecipue in libro *de Trinitate,* et *super Ioannem,* quod Spiritus Sanctus sit a Filio. Oportet igitur concedi quod Spiritus Sanctus sit a Filio sicut et a Patre.

* Consessione I (Mansi, Concil., Tom. IX, p. 183).

Hoc etiam evidentibus rationibus apparet. In rebus enim, remota materiali distinctione, quae in divinis personis locum habere non potest, non inveniuntur aliqua distingui nisi per aliquam oppositionem. Quae enim nullam oppositionem habent ad invicem, simul esse possunt in eodem, unde per ea distinctio causari non potest: album enim et triangulare, licet diversa sint, quia tamen non opponuntur, in eodem esse contingit. Oportet autem supponere, secundum fidei Catholicae documenta, quod Spiritus Sanctus a Filio distinguatur: aliter enim non esset trinitas, sed dualitas in personis. Oportet igitur huiusmodi distinctionem per aliquam oppositionem fieri. Non autem oppositione *affirmationis et negationis**: quia sic distinguuntur entia a non entibus. – Nec etiam oppositione *privationis et habitus:* quia sic distinguuntur perfecta ab imperfectis. – Neque etiam oppositione *contrarietatis.* Quia sic distinguuntur quae sunt secundum formam diversa: nam contrarietas, ut philosophi docent*, est *differentia secundum formam.* Quae quidem differentia divinis personis non convenit, cum earum sit una forma, sicut una essentia: secundum illud Apostoli, *Philipp.* II[6], de Filio dicentis, *qui cum in forma Dei esset,* scilicet Patris. – Relinquitur igitur unam personam divinam ab alia non distingui nisi oppositione *relationis:* sic enim Filius a Patre distinguitur secundum oppositionem relativam patris et filii. Non enim in divinis personis alia relativa oppositio esse potest nisi secundum originem. Nam relative opposita vel supra *quantitatem* fundatur, ut duplum et dimidium; vel super *actionem et passionem,* ut dominus et servus, movens et motum, pater et filius. Rursus, relativorum quae super quantitatem fundantur, quaedam fundantur super diversam quantitatem, ut *duplum et dimidium, maius et minus;* quaedam super ipsam unitatem, ut *idem,* quod significat unum in substantia; et *aequale,* quod significat unum in quantitate; et *simile,* quod significat unum in qualitate. Divinae igitur personae distingui non possunt relationibus fundatis super diversitatem *quantitatis:* quia sic tolleretur trium personarum aequalitas. Neque iterum relationibus quae fundantur super *unum:* quia huiusmodi relationes distinctionem non causant, immo magis ad convenientiam pertinere inveniuntur, etsi forte aliqua eorum distinctionem praesupponunt. In relationibus vero omnibus super *actionem vel passionem* fundatis, semper alterum est ut subiectum, et inaequale secundum virtutem, nisi solum in relationibus *originis,* in quibus nulla minoratio designatur, eo quod invenitur aliquid producere sibi simile et aequale secundum naturam et virtutem. Relinquitur igitur quod divinae personae distingui non possunt nisi *oppositione relativa secundum originem.* – Oportet igitur quod, si Spiritus Sanctus a Filio distinguitur, quod sit ab eo: non enim est dicere quod Filius sit a Spiritu

* Cf. Categ., cap. VIII (X), *de Oppositio.*
* IX *Metaph.*, IX, 5; S. Th. lib. X, l. II. – V *Physic.* V, 3; S. Th. l. 8.

1 XVI] XVIII ENX *et supra ras* G. 2 accipiet] et annuntiabit vobis *addunt* P*d*.7 Propterea ... 9 Patris sunt *hom om* EG. 11 sit et] sit etiam NX*b*; sit ... Sanctus *om* EG*d*. Sicut ergo] scilicet in quantum X, Sicut ergo et P; *cf. var. praeced.* 14 Ad hoc] Adhuc WXZ*b*P. 19 recepit *om* EG, recipit NWX, rececipit Z. 20 nominatur ... Veritatis *hom om* EGX; et *ante* profluit *om* EG. 25 Ridiculosum] Ridiculum Z; P*d om* ei datur ... 26 autem quod *et post* quidam concedunt *addunt* videlicet. 27 vel profluere] et profluere EGX, secundum quod profluxit NsG; vel profluere ab ipso *om* Z. 28 ab ipso *om* Y, ab eo EGX*b*; sed ... ipso *hom om* DP*d*. 35 accomodum *Ita* EGN; accomodatum X, attendendum *ceteri.* 41 et *om* P*d*. 43 Proclum] *Ita* DF; Proculum EGNXsW*bc*, Proulum CWZ, Proillum BH, Paulinum Y, Probum P*d*. 44 condemnatione] damnatione P*d*. 47 et super *Ita* DsGP*c*; super *ceteri.* 48 Oportet ... a Filio *hom om* EGXY. 49 sicut et a Patre *om* EXpGP*c*, sicut a Patre BH.

4 contingit] contingunt *b*. 15 secundum formam *post* diversa EGNX*b*. 17 differentia *om* EGX*b*. 34 unum in] unum DFHpY, ipsa EGX. 42 immo] sed EGNX*b*. 44 praesupponunt] supponunt Y, praesupponant DNZsG. 45 actionem vel passionem *Ita* WXZ*b*; actione et passione. 53 quod si] si DEGNXZ*b*.

Sancto, cum Spiritus Sanctus magis Filii esse dicatur, et a Filio detur.

Item. A Patre est Filius et Spiritus Sanctus. Oportet igitur Patrem referri et ad Filium et ad Spiritum Sanctum ut principium ad id quod est a principio. Refertur autem ad Filium ratione paternitatis, non autem ad Spiritum Sanctum: quia tunc Spiritus Sanctus esset filius; paternitas enim non dicitur nisi ad filium. Oportet igitur in Patre esse aliam relationem qua referatur ad Spiritum Sanctum, et vocetur *spiratio*. Similiter, cum in Filio sit quaedam relatio qua refertur ad Patrem, quae dicitur *filiatio*, oportet quod in Spiritu Sancto sit etiam alia relatio qua referatur ad Patrem, et dicatur *processio*. Et sic secundum originem Filii a Patre sint duae relationes, una in originante, alia in originato, scilicet *paternitas* et *filiatio*; et aliae duae ex parte originis Spiritus Sancti, scilicet *spiratio* et *processio*. Paternitas igitur et spiratio non constituunt duas personas, sed ad unam personam Patris pertinent: quia non habent oppositionem ad invicem. Neque igitur filiatio et processio duas personas constituerent, sed ad unam pertinerent, nisi haberent oppositionem ad invicem. Non est autem dare aliam oppositionem nisi secundum originem. Oportet igitur quod sit oppositio originis inter Filium et Spiritum Sanctum, ita quod unus sit ab alio.

Adhuc. Quaecumque conveniunt in aliquo communi, si distinguantur ad invicem, oportet quod distinguantur secundum aliquas differentias per se, et non per accidens, pertinentes ad illud commune: sicut homo et equus conveniunt in *animali*, et distinguuntur ab invincem, non per album et nigrum, quae se habent per accidens ad animal, sed per rationale et irrationale, quae per se ad animal pertinent; quia, cum animal sit quod habet animam, oportet quod hoc distinguatur per hoc quod est habere animam talem vel talem, utputa rationalem vel irrationalem. Manifestum est autem quod Filius et Spiritus Sanctus conveniunt in hoc quod est *esse ab alio*, quia uterque est a Patre: et secundum hoc Pater convenienter differt ab utroque, inquantum est innascibilis. Si igitur Spiritus Sanctus distinguatur a Filio, oportet quod hoc sit per differentias quae per se dividant hoc quod est *ens ab alio*. Quae quidem non possunt esse nisi differentiae eiusdem generis, scilicet ad originem pertinentes, ut unus eorum sit ab alio. Relinquitur igitur quod ad hoc quod Spiritus Sanctus distinguatur a Filio, necesse est quod sit a Filio.

Amplius. Si quis dicat Spiritum Sanctum distingui a Filio, non quia sit a Filio, sed propter diversam originem utriusque a Patre: – in idem hoc realiter redire necesse est. Si enim Spiritus Sanctus est alius a Filio, oportet quod alia sit origo vel processio utriusque. Duae autem origines non possunt distingui nisi per terminum, vel principium, vel subiectum. Sicut origo equi differt ab origine bovis ex parte termini: secundum quod hae duae origines terminantur ad naturas specie diversas. Ex parte autem principii: ut si supponamus in eadem specie animalis quaedam generari ex virtute activa solis tantum; quaedam autem, simul cum hac, ex virtute activa seminis. Ex parte vero subiecti, differt generatio huius equi et illius secundum quod natura speciei in diversa materia recipitur. Haec autem distinctio quae est ex parte subiecti, in divinis personis locum habere non potest: cum sint omnino immateriales. Similiter etiam ex parte termini, ut ita liceat loqui, non potest esse processionum distinctio: quia unam et eandem divinam naturam quam accipit Filius nascendo, accipit Spiritus Sanctus procedendo. Relinquitur igitur quod utriusque originis distinctio esse non potest nisi ex parte principii. Manifestum est autem quod principium originis Filii est Pater solus. Si igitur processionis Spiritus Sancti principium sit solus Pater, non erit alia processio Spiritus Sancti a generatione Filii: et sic nec Spiritus Sanctus distinctus a Filio. Ad hoc igitur quod sint aliae processiones et alii procedentes, necesse est dicere quod Spiritus Sanctus non sit a solo Patre, sed a Patre et Filio.

Si quis vero iterum dicat quod differunt processiones secundum principium inquantum Pater producit Filium per modum intellectus ut Verbum, Spiritum autem Sanctum per modum voluntatis quasi Amorem: – secundum hoc oportebit dici quod secundum differentiam voluntatis et intellectus in Deo Patre distinguantur duae processiones et duo procedentes. Sed voluntas et intellectus in Deo Patre non distinguuntur secundum rem, sed solum secundum rationem: ut in primo libro ostensum est*. Sequitur igitur quod duae processiones et duo procedentes differant solum ratione. Ea vero quae solum ratione differunt, de se invicem praedicantur: verum enim dicetur quod divina voluntas est intellectus eius, et e converso. Verum ergo erit dicere quod Spiritus Sanctus est Filius, et e converso: quod est Sabellianae impietatis*. Non igitur sufficit ad distinctionem Spiritus Sancti et Filii dicere quod Filius procedat per modum intellectus, et Spiritus Sanctus per modum voluntatis, nisi cum hoc dicatur quod Spiritus Sanctus sit a Filio.

* Cap. XLV, LXXIII.

* Supra, cap. V.

Praeterea. Ex hoc ipso quod dicitur quod Spiritus Sanctus procedit per modum voluntatis, et Filius per modum intellectus, sequitur quod Spiritus Sanctus sit a Filio. Nam amor procedit a verbo: eo quod nihil amare possumus nisi verbo cordis illud concipiamus.

Item. Si quis diversas species rerum consideret, in eis quidam ordo ostenditur: prout viventia

---

3 Filius] et Filius FW*b*P*c*. 10 qua] quae FP. 12 refertur] referatur EX. 16 sint] sunt DXP. 19 scilicet spiratio] inspiratio EN, spir atio GZ. 30 ad invicem] ab invicem EP. 46 sit per] sit secundum EGNX*b*. 47 ens] esse P*d*. 51 hoc quod] hoc ut P*d*. 56 realiter *om* EGNX*b*, *post* necesse est D, *post* redire Z.

24 nec] non erit D; *post* distinctus *addunt* est EGNX, esset Y. 39 Sequitur] Sequetur DFHZP*c*. 43 dicetur] dicitur H, erit dicere Z, dicere E, dicere est G, est enim dicere X, est dicere P*c*. 50 dicatur] dicatur quod dicatur *d*, dicatur etiam P.

sunt supra non viventia, et animalia supra plantas, et homo super alia animalia, et in singulis horum diversi gradus inveniuntur secundum diversas species; unde et Plato species rerum dixit esse numeros *, qui specie variantur per additionem vel subtractionem unitatis. Unde in substantiis immaterialibus non potest esse distinctio nisi secundum ordinem. In divinis autem personis, quae sunt omnino immateriales, non potest esse alius ordo nisi originis. Non igitur sunt duae personae ab una procedentes, nisi una earum procedat ab altera. Et sic oportet Spiritum Sanctum procedere a Filio.

* Cf. VII *Phys.*, IV, 14; s. Th. l. 8.

Adhuc. Pater et Filius, quantum ad unitatem essentiae, non differunt nisi in hoc quod hic est Pater et hic est Filius. Quicquid igitur praeter hoc est, commune est Patri et Filio. Esse autem principium Spiritus Sancti est praeter rationem paternitatis et filiationis: nam alia relatio est qua Pater est Pater, et qua Pater est principium Spiritus Sancti, ut supra* dictum est. Esse igitur principium Spiritus Sancti est commune Patri et Filio.

* Supra, *Item. A Patre.*

Amplius. Quicquid non est contra rationem alicuius, non est impossibile ei convenire, nisi forte per accidens. Esse autem principium Spiritus Sancti non est contra rationem Filii. Neque inquantum est Deus: quia Pater est principium Spiritus Sancti. Neque inquantum est Filius: eo quod alia est processio Spiritus Sancti et Filii; non est autem repugnans id quod est a principio secundum unam processionem, esse principium processionis alterius. Relinquitur igitur quod non sit impossibile Filium esse principium Spiritus Sancti. Quod autem non est impossibile, potest esse. *In divinis autem non differt esse et posse* *. Ergo Filius est principium Spiritus Sancti.

* III *Phys.*, IV, 9; s. Th. l. 7.

---

2 super] supra CEGH. et in] cum αWYZ, cum in DPc; *pro* inveniuntur, inveniantur DHP.
9 quia Pater est] quia Pater est est BFH, quia Pater qui Deus est P*d*. 11 Filii] alia Filii P*d*.

## Commentaria Ferrariensis

QUIA in praecedentibus saepe suppositum est Spiritum Sanctum a Filio procedere, et hoc aliquam difficultatem habet: ut huiusmodi tollatur difficultas, vult Sanctus Thomas ostendere veritatem*. Circa hoc autem duo facit: primo, ostendit propositum; secundo, rationes adversariorum solvit, capite sequenti.

* Cf. Comment. cap. XVI, init.

Quantum ad primum, probat dupliciter propositum: auctoritatibus scilicet; et rationibus *.

* Num. V.

I. *Primo* ergo probatur ex auctoritate Apostoli *Rom.* VIII. Ibi enim Spiritus Sanctus dicitur *Spiritus Filii*. Non potest autem secundum aliam habitudinem Spiritus Sanctus dici Spiritus Filii Dei nisi secundum aliquam originem: cum haec sola distinctio inveniatur in divinis. Ergo etc.

Si dicatur quod alius est Spiritus qui procedit a Patre, et alius qui est Filii: – ex verbis Apostoli praecedentibus, quibus dixit, *Si Spiritus Dei habitat in vobis,* hoc convincitur esse falsum.

Si etiam dicatur quod Spiritus Sanctus est Spiritus Christi inquantum eum habuit ut homo, secundum illud *Luc.* IV, *Iesus plenus* etc.: – contra arguitur. Spiritus Sanctus nos facit filios Dei inquantum est Spiritus Filii Dei: ut patet *ad Galat.* IV, cum dicitur, *Quoniam estis* etc. Sed efficimur filii Dei adoptivi per assimilationem ad Filium Dei naturalem: iuxta illud *Rom.* VIII, *Quos praescivit* etc. Ergo Spiritus Sanctus est Spiritus Christi inquantum est Filius Dei naturalis; – supple, Ergo non inquantum est homo.

II. *Secundo* probatur ex eo quod *Ioan.* XV dicitur Spiritus Sanctus *a Filio mitti.* Mittens enim auctoritatem aliquam habet in missum. Ergo Filius aliquam auctoritatem habet respectu Spiritus Sancti. Non autem dominii vel maioritatis. Ergo secundum solam originem. Ergo etc.

Si dicatur hanc rationem non valere, quia etiam Filius mittitur a Spiritu Sancto, ut ostenditur *Luc.* IV: – hoc non obstat. Quia Filius a Spiritu Sancto mittitur secundum humanam naturam assumptam. Hoc autem non potest dici de Spiritu Sancto, qui naturam creatam non assumpsit.

2. Advertendum, ex doctrina Sancti Thomae Prima, q. XLIII, a. ult., quod non solum potest dici quod Filius Dei missus est a Spiritu Sancto secundum humanam naturam ad praedicandum, sed etiam aliquo modo concedi potest quod ipsa persona Filii a Spiritu Sancto mittitur: si, inquam, intelligatur persona mittens esse *principium effectus secundum quem attenditur missio.* Sic enim tota Trinitas mittit personam missam: inquantum tota Trinitas est causa illius effectus secundum quem missio attenditur. Sed tunc non oportet ut mittens habeat auctoritatem super personam missam, sed sufficit ut habeat auctoritatem super effectum secundum quem dicitur mitti.

3. Attendendum secundo quod, si proprie accipiatur *auctoritas*, importatur nomine ipso ratio *principii non de principio:* dicitur enim *auctor* qui alicuius rei est principium et hoc ab alio non habet. Sed tamen, extenso vocabulo, omnis relatio principii producentis potest auctoritas nominari. Cum ergo dicitur quod mittens auctoritatem aliquam habet in missum, accipitur auctoritas secundo modo, non autem primo modo. Filius enim, licet sit principium Spiritus Sancti, hoc tamen habet a Patre: unde proprie non potest dici auctor Spiritus Sancti. Sed bene Pater auctor eius dici potest: quia quod sit eius principium, a seipso habet, non autem ab alio. – Intelligitur etiam de mittente quantum ad primarium eius significatum, non autem quantum ad secundarium: iuxta ea quae in praecedenti capite dicta sunt *.

* Comment. n. 1, 3.

III. *Tertio* probatur, quia *Ioan.* XVI, dicit Filius de Spiritu Sancto, *Ille me* etc.

Si dicatur quod Spiritus Sanctus accipit id quod est Filii, puta essentiam, non tamen ab ipso, sed a Patre; – contra hoc est quia subditur, *Omnia quae habet Pater mea sunt* etc. Si enim omnia quae habet Pater, sunt Filii, ipsius etiam erit auctoritas Patris secundum quam est principium Spiritus Sancti.

2. Sed videtur haec replica non esse sufficiens. Sicut enim non valet, *Omnia quae habet Pater sunt Filii, Ergo relatio paternitatis, quae est Patris, est etiam Filii:* ita non valet, *Ergo auctoritas Patris est etiam Filii.* Illa enim propositio intelligitur de absolutis.

Respondetur, iuxta dicta in praecedentibus *, quod Christi propositio intelligenda est de iis quae Patri conveniunt *non inquantum Filio opponitur relative.* Cum enim nulla sit distinctio inter Patrem et Filium nisi ea quam facit oppositio relativa, oportet illis omnia communia esse exceptis illis in quibus relative opponuntur. Cum autem Pater opponatur Filio paternitate, non relatione principii ad Spiritum Sanctum, bene sequitur ex eo quod omnia quae sunt Patris, sunt etiam Filii, quod Filio conveniat auctoritas respectu Spiritus Sancti, non autem paternitas.

* Cf. cap. XIV, n. VI sqq.

IV. *Quarto* probatur ex auctoritate doctorum Ecclesiae, etiam Graecorum. Nam Athanasius dicit ipsum *a Patre et Filio procedere;* Cyrillus dicit eum *a Veritate profluere, sicut et ex Deo Patre;* Didymus etiam concedit ipsum esse a Filio, et ab ipso profluere.

Sed quia posset quis dicere quod Cyrillus et Didymus concedunt ipsum a Filio *esse* et *profluere,* non autem *procedere,* addidit Sanctus Thomas quod verbum *processionis* inter omnia ad originem pertinentia, magis invenitur commune. Et ideo in origine divinarum personarum maxime est attendendum *: quia divina magis per communia quam per specialia designantur. Unde, si concedatur Spiritus Sanctus esse vel profluere a Filio, sequitur quod ab eo procedat.

* Cf. text. 91 a. 35 et var.

Advertendum quod idcirco Sanctus Thomas doctorum Graecorum auctoritatibus innititur, quia Graeci Spiritum Sanctum procedere a Filio negabant. Contra quos in Tractatu qui *Contra Errores Graecorum* inscribitur, latius disputavit *.

* Opusc. I, cap. XXXII, §§ 2-32 (Romae 1570).

*Quinto* probatur, quia in determinatione Quinti Concilii, scilicet Constantinopolitani, ut habetur *Potentia Dei,* q. X, a. 4, ad 13, dicitur: *Sequimur per omnia sanctos patres et doctores Ecclesiae, Athanasium,* etc. Multis autem Augustini auctoritatibus, praecipue in libro *de Trin.,* et *super Ioan.,* manifestum est quod Spiritus Sanctus a Filio procedit.

V. Secundo loco arguitur rationibus *. Quae quidem non simpliciter demonstrant, sed ostendunt oportere Spiritum Sanctum a Filio procedere, supposita divinarum personarum trinitate.

* Cf. init. Comment. et infra n. VII, XII, XIII, XVIII.

*Prima ratio est.* Oportet distinctionem divinarum personarum per aliquam oppositionem fieri. Sed non possunt personae divinae per aliam oppositionem distingui quam per oppositionem relativam originis. Ergo, si Spiritus Sanctus a Filio distinguitur, oportet quod sit ab eo: cum non possit dici quod Filius sit a Spiritu Sancto, eo quod Spiritus Sanctus *Filii esse* dicatur, et *a Filio detur.*

Probatur maior. Quia, remota materiali distinctione, quae in divinis personis locum habere non potest, non inveniuntur aliqua distingui nisi per aliquam oppositionem: ea enim quae nullam oppositionem habent, simul esse possunt, ut patet in albo et triangulari.

Minor autem probatur sic. Distinctio divinarum personarum non fit per oppositionem *affirmationis et negationis.* Quia sic distinguuntur entia a non entibus. – Nec per oppositionem *privationis et habitus.* Quia sic distinguuntur perfecta ab imperfectis. – Nec per oppositionem *contrarietatis.* Quia illa, secundum Philosophum *, est differentia secundum formam, quae differentia divinis personis non convenit. – Nec per oppositionem relativam quae super quantitate fundatur. Quia non per eam quae fundatur *super diversitate quantitatis,* quia tolleretur personarum aequalitas; non etiam per eam quae fundatur *in unitate,* quia huiusmodi relationes distinctionem non causant, etsi forte aliquae earum distinctionem praesupponant; nec per oppositionem relativam quae in *actione et passione* fundatur, alia videlicet ab oppositione originis, quia in iis semper alterum est ut subiectum et inaequale secundum virtutem, nisi in relationibus *originis,* in quibus nulla minoratio designatur, cum inveniatur aliquid producere sibi simile et aequale secundum virtutem. Ergo etc.

* Vide loca cit. in text.

VI. Circa istam propositionem, *Non inveniuntur aliqua distingui nisi per aliquam oppositionem,* advertendum quod intelligitur non de distinctione formarum et naturarum accidentalium, quia sunt aliquae formae et naturae distinctae quae nullam habent ad invicem oppositionem, sicut triangulus et albedo: sed intelligitur de distinctione formali substantiarum subsistentium. Tales enim substantiae non distinguuntur nisi per aliquam oppositionem: idest, principia quibus ab invicem formaliter distinguuntur, oportet esse opposita, *accipiendo oppositionem largo modo, ut scilicet etiam distincta per perfectum et imperfectum dicuntur opposita.* Sic enim exponit Sanctus Thomas I *Sent.,* d. XXVI, q. II, a. 2. Ut enim hic dicitur, si non opponuntur aliquae formae, possunt simul esse in eodem. Et si possunt simul esse in eodem, non possunt esse ratio distinctionis formalis rei subsistentis: non enim necesse est aliqua distingui per illas formas quae subiectum distinctum non exigunt, sed in eodem esse possunt.

2. Circa illam propositionem, *Per oppositionem negationis et affirmationis distinguuntur entia a non entibus,* advertendum quod *non ens* dupliciter accipi potest: scilicet simpliciter; et in genere, quod scilicet est non ens tale. Si accipiatur primo modo, sic intelligenda est propositio de oppositione contradictoria simpliciter et absolute, non autem de ea ad aliquam materiam contracta. Non enim, cum dicimus, *hoc est album, hoc non est album,* album et non album necesse est esse distincta sicut ens et non ens simpliciter: cum non album possit esse ens, puta homo. Immo, ut dicitur *Pot.,* q. X, art. 5, *veritas cuiuslibet negativae fundatur supra veritatem affirmativae, sicut veritas huius negativae, Aethiops non est albus, fundatur super veritatem huius, Aethiops est niger. Et ideo* (ut ibidem dicitur) *oportet omnem differentiam quae est per oppositionem affirmationis et negationis,* scilicet de aliquo ente, *reduci in differentiam alicuius affirmativae oppositionis.*

Si autem accipiatur *non ens* secundo modo, sic intelligenda est propositio de oppositione affirmationis et negationis determinata ad aliquod genus. Per affirmationem enim hanc et negationem, *Nix est alba, Corvus non est albus,* distinguitur hoc ens quod est *nix,* ab hoc non ente quod est *non nix,* scilicet a corvo, sive album a non albo.

Utroque modo propositio habet veritatem in proposito. Quia cum Spiritus Sanctus non sit simpliciter non ens, non potest esse inter Filium et Spiritum Sanctum distinctio per oppositionem affirmationis et negationis simpliciter. – Item, cum non quaeratur de distinctione Filii et Spiritus Sancti quae est per habere et non habere eandem formam, puta per hoc quod est *esse Filium* et *non esse Filium;* sed de principiis formalibus positivis quibus ab invicem distinguuntur: non est dicendum quod distinguantur per oppositionem affirmationis et negationis determinatam ad certum genus aut ad certam formam, cum sic solum distinguatur ens a non ente, idest habens aliquam determinatam formam a non habente illam formam, non autem distinguantur aliqua principiis formalibus positivis.

3. Circa id quod inquit Sanctus Thomas de relationibus quae super unitatem fundantur, quod *magis ad convenientiam pertinere videntur, etsi forte aliquae earum distinctionem praesupponant,* advertendum quod aliquae huiusmodi relationes, scilicet *similitudo* et *aequalitas,* proprie loquendo, praesupponunt distinctionem, quia idem non dicitur sibi ipsi simile et aequale: *identitas* autem non praesupponit distinctionem, quia idem suppositum sibi ipsi est idem. Propter hoc addit Sanctus Thomas, *etsi forte aliquae earum distinctionem praesupponant.* Loquitur autem dubitative, quia sunt aliqui tenentes quod huiusmodi relationes, etiam si sint reales, requirunt quidem distinctionem suppositorum, sed non fundamentorum. Tenet autem ipse quod etiam fundamentorum distinctionem requirunt: verumtamen, quia de hoc nunc non vult disputare, non assertive hoc ponit, sed dubitative.

VII. *Secunda ratio est* *. In Patre sunt duae relationes: scilicet paternitas et spiratio, quarum una refertur ad Filium, alia ad Spiritum Sanctum, cum a Patre sit Filius et Spiritus Sanctus. Similiter duae sunt relationes ex parte Filii et Spiritus Sancti: scilicet filiatio et processio, quarum una Filius refertur ad Patrem, et alia Spiritus Sanctus. Sed duae primae non constituunt duas personas, idest, non faciunt dualitatem personarum sive distinctionem, sed ad unam personam Patris pertinent: quia non opponuntur. Ergo et aliae duae ad unam personam pertinerent nisi ad invicem haberent oppositionem. Non est autem dare aliam oppositionem quam secundum originem. Ergo etc.

* Cf. num. XII.

Adverte quod Sanctus Thomas, de relatione Patris ad Spiritum Sanctum loquens, inquit, *vocetur spiratio,* de relatione vero Spiritus Sancti ad ipsum, *vocetur processio:* quia, ut dictum est superius *, origini amoris non ita nomina sunt imposita sicut generationi, et similiter relationibus huiusmodi originem consequentibus. Sed Sanctus Thomas, ut eas aliquibus nominibus explicare possit, illis nomina *spirationis* et *processionis* imponit, quamvis illa

* Cap. XIX. *Sed quia* Comm. VII et X 3.

magis sint nomina originis quam relationis. Penuria enim vocabulorum facit ut eodem nomine et ipsa origo, et relatio quae eam consequitur, nominentur.

VIII. Sed contra fundamentum dictarum rationum arguitur a Scoto et Aureolo. Arguit enim primo Scotus, I *Sent.*, d. XI, q. II*, probando quod, etiam si Spiritus Sanctus non procederet a Filio, adhuc posset ab ipso personaliter distingui. Et primo, sic. *Quocumque formaliter aliquid constituitur in esse, eodem distinguitur a quocumque distinctione convenienti tali entitati. Sed Filius constituitur in esse personali filiatione. Ergo et ea distinguitur ab omni alia persona. Igitur, per impossibile vel possibile, circumscripto quocumque alio, maxime posteriori filiatione, remanebit Filius filiatione distinctus personaliter a quacumque persona.* Ergo etc.

*Fol. 72 rb (Ven. 1497).

Secundo*. *Si Pater, per impossibile, non spiraret, sed Filius, adhuc Pater paternitate distingueretur a Filio et Spiritu Sancto, sicut paternitate constituitur in esse personali.* Ergo etc.

*Fol. 72 v a.

Tertio *. *Generatio distinguitur a spiratione, circumscripto, per impossibile, omni alio a ratione generationis et spirationis, aut saltem circumscripto hoc quod spiratio activa esset a Filio: dum tamen staret distinctio principiorum generandi et spirandi. Ergo et quolibet tali circumscripto, staret distinctio Filii et Spiritus Sancti. Probatur consequentia: quia impossibile est unam personam duabus productionibus tōtalibus accipere esse.*

*Ibid.

Quarto*. *Quodlibet habens aliquod esse, distinguitur, distinctione convenienti tali esse, a quocumque alio per aliquid quod est de ratione eius inquantum habet tale esse. Ergo Filius distinguitur personaliter per aliquid quod est de ratione eius inquantum est persona. Spiratio activa non est huiusmodi.* Ergo etc.

*Fol. 72 r b.

Ultimo*, ex responsione quam dat ad auctoritatem Boetii dicentis quod *relatio multiplicat trinitatem* *, argui potest contra fundamentum dictarum rationum, scilicet quod personae divinae non possunt distingui nisi per oppositionem relativam. Rationes disparatae accipiendi naturam *non tantum habent distinctionem, sed etiam incompossibilitatem, sive incompossibilem rationem, in eodem supposito: quia persona quae disparatis modis acciperet naturam, non unico modo haberet naturam.* Ergo non per solam relativam oppositionem possunt divinae personae distingui.

*Fol. 72 v a.

*De Trin.*, cap. VI.

2. Aureolus* etiam arguit ex hoc fundamento, quod generari et spirari sunt incompossibilia; et talis incompossibilitas passivae generationis et passivae spirationis est primo ex suis formalibus rationibus, non autem ex eo quod generari coniungatur spirare; aut quia spirare in aliquo genere causae sit huius incompossibilitatis causa. Ex istis dicit ad rationes Sancti Thomae, quod falsum est omnem distinctionem in divinis esse per relationes oppositas: sed bene verum est quod est per relationes incompossibiles.

*Apud Capreolum, I *Sent.*, d. XI, q. I, a. 1 (p. 21).

IX. Pro declaratione huius materiae, considerandum primo quod, cum loquimur de distinctione duorum positivorum, et de eorum positiva distinctione, quaerendo propter quid distinguuntur, non sufficit aliquid in uno ponere quod in altero non inveniatur, quia sic etiam potest distingui ens a non ente; et talis distinctio magis est negativa, sive privativa, quam positiva distinctio. Quod enim Sortes sit albus et non Plato, non facit ipsorum positivam distinctionem: nam sicut Plato non est albus, ita et chimaera non est alba, et sic Sortes, per hoc quod est albus, distinguitur etiam a chimaera, quae est non ens, sicut habens albedinem a non habente albedinem. Et etiam distinctio Sortis albi a Platone non albo, est distinctio privativa, sive negativa: quia non consideratur in utroque distinctorum aliquod positivum per quod unum ab altero distinguatur, sed tantum quod unum aliquid habeat quod alterum non habet. Oportet ergo in utroque extremorum quae positive distinguuntur, esse aliquid positivum, per quod ab altero distinguatur: ita videlicet quod sint aliqua positiva in ipsis quae, propter suam incompossibilitatem in eodem subiecto, causent distinctionem eorum in quibus inveniuntur.

In proposito ergo, licet Filius in divinis distinguatur a Spiritu Sancto per filiationem tanquam habens filiationem a non habente ipsam; cum quaerimus tamen de eorum distinctione positiva et formali, quaerendo per quid unum ab altero, tanquam formali principio positivo, distinguatur; non sufficit dicere quod distinguuntur quia Filius habet filiationem, non autem Spiritus Sanctus; sed oportet in unoquoque illorum assignare aliquod positivum per quod ab altero distinguatur, et quod, propter suam incompossibilitatem in eadem persona cum principio alterius, formaliter personalem distinctionem causet.

2. Considerandum secundo, quod aliter loquendum est de personis in natura humana, et aliter in divinis. Nam persona quaelibet humana est aliquid absolutum, et per absoluta in suo esse personali constituitur, et per absoluta ab omni alia persona humana distinguitur, unde duorum hominum distinctio est omni ex parte absoluta. Persona autem divina est aliquid relativum, immo est ipsa subsistens relatio, et per relationem constituitur in esse personali, distinguiturque per relationem ab omni alia persona in natura divina, et sic duarum divinarum personarum distinctio est omnino relativa. Cum ergo investigantur principia positiva quibus personae distinguuntur personaliter, investiganda sunt principia talia quae sint formalia principia distinctionis relativae inter ipsas. Et quia solae relationes sunt talia principia, ideo investigandae sunt relationes quae inter ipsas divinas personas relativam ponant distinctionem.

3. Considerandum tertio, quod absolutum in hoc differt a relativo, quod ipsum dicitur ad se, relativum autem dicitur ad alterum. Et sicut absolutum generaliter sumptum dicitur quod in se aliquid est, et non ex ordine ad alterum; absolutum vero hoc et speciale dicitur quod est in se hoc determinatum, puta album: ita relativum generaliter sumptum dicitur *ad aliquid;* hoc vero relativum dicitur quod ad hoc determinatum, tanquam ad proprium correlativum ordinem dicit; nam pater dicitur ad filium et non ad aliquid aliud, et duplum ad dimidium, et sic de aliis. Quia ergo unumquodque constitutivum et distinctivum alicuius secundum modum suae rationis et naturae habet ut constituat et distinguat, forma quae est absoluta habet absoluta distinctione distinguere. Et quia absoluta distinctio aliquorum quae sub uno genere continentur, est per formas oppositas ad illud genus pertinentes, cum genus per oppositas differentias dividatur; per ipsam formam absolutam per quam res constituitur in esse, habet res ut ab omnibus speciebus sui generis positiva distinctione distinguatur, non autem ab omnibus aliis, ut est de mente Sancti Thomae *Quolib.* IV, q. IV, a 2 *. Relatio autem habet relativa distinctione distinguere. Et quia relatio ad alterum dicitur, et determinata relatio dicitur ad determinatum correlativum, relatione per quam aliquid constituitur in esse ad aliud habet res ut distinguatur a proprio correlativo, non autem ab omni alio. Non enim res sic constituta, inquantum huiusmodi, distinguitur ab alio relative quia sit talis in se absolute, sed quia ad aliud et ad hoc determinatum respectum dicit. Et ideo, cum ad solum correlativum dicatur, ab ipso solo correlativo relative distinguitur. Unde si aliquae relationes quae non sint relative oppositae, sint incompossibiles in eodem, sicut relatio dupli et quadrupli respectu eiusdem, et relatio similitudinis et dissimilitudinis; ex eorum incompossibilitate non accipitur distinctio relativa aliquorum, sed aliqua alia distinctio, quae etiam ex formis absolutis provenit, puta *disparata* aut *contraria.*

*Al. *Quodl.* IV, a. 7.

Cum igitur distinctio divinarum personarum sit tantum relativa distinctio; et relativa distinctio non sit nisi inter oppositas relationes: optime sequitur divinas personas per solam oppositionem relativam habere distingui, quod est fundamentum Sancti Thomae in hac materia. Ex quo sequitur quod, cum sola oppositio relationum originis sit in divinis; et Filius non originetur a Spiritu Sancto: si Spiritus Sanctus non originaretur a Filio, non posset ab ipso personaliter distingui.

X. Istis suppositis, facile est obiectionibus * satisfacere. Ad primum enim Scoti dupliciter responderi potest. Primo,

*Num. VIII.

iuxta ea quae dicta sunt, quod assumptum est falsum, loquendo de distinctione relativa et de constitutivo in esse relativo, quo modo aliquid dicitur constituere et distinguere divinas personas. Non enim quocumque aliquid constituitur in esse relativo, eo distinguitur ab omni alio relative: sed a correlativo tantum, sive ab eo cui opponitur relative. Non enim per dupli relationem, qua aliquid constituitur in esse dupli, distinguitur duplum ab omni alio relative, puta a triplo aut quadruplo, sed tantum a subduplo: quia non refertur duplum ad triplum aut quadruplum, sed ad subduplum; est enim duplum subdupli duplum, non autem tripli aut quadrupli. Et similiter dicitur quod filiatione Filius distinguitur tantum a Patre, non autem a Spiritu Sancto: quia filiatione refertur ad Patrem, non autem ad Spiritum Sanctum.

Secundo responderi potest, ut Capreolus respondet*, et est de mente Sancti Thomae in Quolibet allegato, quod assumptum illud est verum de distinctione secundum affirmationem et negationem quae est per habere et non habere eandem formam: non autem de distinctione positiva, quae est secundum oppositionem formae ad formam, ut est distinctio quam inter divinas personas investigamus.

* Loc. cit., a. 2. p. 27.

Si autem instetur, quia unumquodque per suam formam distinguitur ab omnibus quae sunt sui generis positiva distinctione; personae autem divinae sunt tanquam species unius generis; et sic videtur quod unaquaeque persona per suam proprietatem constitutivam ab omnibus aliis personis distinguatur: – dicitur quod maior non est vera de his contentis sub uno genere quae tantum relative distinguuntur. Nam cum unum relativum ad unum tantum correlativum referatur, per suam formam per quam in esse relativo constituitur habet distingui a suo tantum correlativo, non autem ab aliis.

2. Ad secundum, negatur conditionalis assumpta, loquendo de propria distinctione personarum. Si enim Pater nullo modo spiraret aut produceret Spiritum Sanctum, nulla relatione originis referretur ad Spiritum Sanctum. Et cum nec etiam paternitate ad ipsum relative dicatur, nullo modo posset ab ipso relative distingui, quae est propria distinctio divinarum personarum. Sequeretur autem quod a Spiritu Sancto essentialiter distingueretur: et sic Spiritus Sanctus non esset Deus. Nam cum Spiritus Sanctus non posset esse idem quod Pater, alioquin generaret Filium sicut Pater; nec ab eo relative distingueretur: sequitur quod essent per absoluta distincti.

3. Ad tertium, etiam negatur assumptum, loquendo de reali distinctione. In Patre enim generare et spirare non distinguuntur nisi ratione, sicut neque paternitas et spiratio: quia oppositionem aliquo modo relativam non habent. Nec sufficit distinctio principiorum, scilicet intellectus et voluntatis, ut inquit Sanctus Thomas*: quia nec illa distinguuntur nisi ratione. Eodem modo, generari et spirari sola ratione distinguerentur, si Filius non spiraret. Et consequenter Filius et Spiritus Sanctus essent sola ratione distincti.

* In hoc cap., *Si quis vero.*

4. Ad quartum, negatur etiam assumptum, de distinctione relativa. Non enim oportet ut a quocumque aliquid habens esse personale distinguitur personaliter relative, per aliquid distinguatur quod sit de essentia eius inquantum habet esse personale: sed potest per aliquam aliam relationem adiunctam personae personaliter distingui.

Advertendum tamen quod aliter dicitur Filius distingui personaliter a Patre filiatione; et aliter personaliter distingui spiratione a Spiritu Sancto. Filiatione enim distinguitur a Patre tanquam primo constitutivo personae, et primo distinctivo formaliter a Patre: spiratione autem distinguitur personaliter a Spiritu Sancto non tanquam constitutivo, sed solum tanquam distinctivo personae per filiationem constitutae a persona quae per oppositam relationem constituitur. Quia enim relatio realis distinguit ab opposito relative realiter, si id cui intelligitur advenire sit persona, et per oppositam relationem alia persona constituatur: oportet ut faciat personalem distinctionem, non quidem tanquam personam constituens, sed tanquam personam constitutam a persona per suum oppositum in esse personali constituta relative distinguens.

Si quis autem propositionem Scoti inductive probet: quia videlicet nihil distinguitur quantitative nisi per aliquid quod est de ratione quanti; et nihil qualitative distinguitur nisi per aliquid quod est de ratione qualis; nihilque distinguitur personaliter in hominibus nisi per aliquid quod est de ratione personae, et sic de aliis: – dicitur quod non est eadem ratio de distinctione horum, et de distinctione divinarum personarum. Quia illa, cum absolute distinguantur, per illud principium quo constituuntur in aliquo esse, ab omnibus aliis sui generis distinguuntur: una autem persona divina, quia ab alia non distinguitur nisi relative, per suum principium quo constituitur in esse personali, non distinguitur ab omnibus aliis personis, sed tantum ab illa cui per tale principium opponitur relative. Ideo, si ab alio distinguitur cui non opponitur relative, hoc non est propter aliquid quod sit de ratione eius, sed per aliam relationem quae intelligitur supposito constituto advenire.

5. Ad ultimum dicitur quod, si Spiritus [Sanctus] non procederet a Filio, Filius et Spiritus Sanctus non essent duae personae, nec essent duae processiones realiter distinctae sive disparatae: sed, sicut una persona posset aliqua ratione dici Filius et aliqua ratione Spiritus Sanctus, ita eadem productio aliqua ratione posset dici generatio et aliqua ratione spiratio. Et sic non sequitur quod una persona acciperet naturam disparatis modis et incompossibilibus realiter distinctis: sed uno tantum modo reali, licet forte pluribus modis secundum rationem.

Si instetur quia Anselmus, *de Processione Spiritus Sancti,* cap. 1*, ait quod, *licet adhuc non constet Spiritum Sanctum a Filio procedere, constat tamen quod Filius et Spiritus Sanctus distinguuntur, quia iste est ex Deo nascendo, ille procedendo:* – respondetur, ex Sancto Thoma, *Potentia Dei,* q. x, a. 5, ad 2, quod istud non dicit Anselmus assertive, tanquam, remota oppositione relativa, ex diverso modo procedendi possent realiter distingui Filius et Spiritus Sanctus: sed accipit tanquam ab adversariis concessum, volens ex eo convincere quod Filius producit Spiritum Sanctum. Si enim distinguuntur quia iste est ex Deo nascendo, ille vero procedendo; et non possunt habere istos modos diversos procedendi nisi Spiritus Sanctus procedat e Filio: sequitur quod necesse sit eos concedere quod Spiritus Sanctus a Filio procedat.

* Fine (Pat. Lat. CLVIII, 288). – Cf. Aureolum apud Capreolum, Lib. I, dist. xi, p. 21.

6. Per haec patet etiam responsio ad fundamentum Aureoli*. Dicitur enim quod incompossibilitas spirationis passivae et generationis non provenit ex earum rationibus formalibus praecise in ordine ad intellectum et voluntatem, sed ex origine unius personae ab alia. Si enim poneretur quod Spiritus Sanctus non procederet a Filio, sed ambo procederent a solo Patre; illae processiones non essent incompossibiles, sed esset, ut dictum est*, una processio realiter; sicut Filius et Spiritus Sanctus una essent realis persona, licet ratione distinguerentur.

* Num. viii, 2.

* Parag. 5 hui. num.

De hac materia vide Capreolum in Primo, d. xi*.

* Loc. cit.

XI. Ex praedictis autem patet quod illa propositio a Sancto Thoma saepenumero assumpta, scilicet quod *sola oppositio relativa facit realem distinctionem inter relationes et inter personas divinas,* non est sic intelligenda quasi oporteat omnes relationes divinas realiter distinctas ex suis formalibus rationibus relative opponi, idest, ad se mutuo referri: – nam constat quod filiatio et similiter paternitas a processione realiter distinguuntur, et tamen ad illam ex propriis rationibus relativam oppositionem non habent, – sed quod oportet illas vel ex propriis rationibus relative opponi, vel uni illarum, tanquam supposito subsistenti, inesse relationem oppositam. Primo enim modo, paternitas a filiatione distinguitur: secundo autem modo, distinguuntur paternitas et filiatio a processione. Filiationi enim, quae relatio subsistens est et incommunicabilis, inest spiratio, quae ad processionem relativam habet oppositionem: et nisi illi spiratio conveniret, a processione nullo modo realiter distingueretur. Unde dici potest quod filiatio, licet ex se non opponatur processioni

relative formaliter, opponitur tamen illi relative *subiective:* inquantum scilicet spirationi substat, quae processioni opponitur relative.

Ad eundem sensum intelligitur quod inquit Sanctus Thomas Prima, q. xxx, a. 2: cum, inquam, dicit quod *oportet duas relationes oppositas ad duas personas pertinere: si quae autem relationes oppositae non sunt, ad eandem personam necesse est eas pertinere.* Intelligitur enim quod relationes oppositae altero illorum modorum; aut scilicet formaliter et ex suis propriis rationibus, sicut paternitas et filiatio opponuntur; aut subiective, sicut opponuntur filiatio et processio: ad diversas personas pertinent. Quae vero neutro istorum modorum opponuntur, ut filiatio et spiratio, ad eandem personam necesse est eas pertinere: filiatio enim et spiratio ad personam Filii pertinent, spiratio vero et paternitas ad personam Patris. Et si filiatio et processio nullo dictorum modorum opponerentur, non essent realiter distinctae, sed tantum secundum rationem.

* Cf. num. VII: XIII, *Sed hanc.*

XII. *Tertia ratio est**. Filius et Spiritus Sanctus conveniunt in hoc quod est esse ab alio, quia uterque est a Patre: secundum quod Pater convenienter differt ab utroque, inquantum est innascibilis. Ergo, si Spiritus Sanctus distinguatur a Filio, oportet quod hoc sit per differentias per se dividentes hoc quod est *esse ab alio**. Sed hae non possunt esse nisi differentiae eiusdem generis, scilicet ad originem pertinentes, ut unus eorum sit ab alio. Ergo etc. – Probatur prima consequentia. Quia quaecumque conveniunt in aliquo communi, si distinguantur ad invicem, oportet ut distinguantur secundum aliquas differentias per se. Declaratur in homine et equo, habentibus convenientiam in *animali.*

* Cf. text. et var.

Advertendum quod *innascibilitas,* secundum quam inquit Sanctus Thomas convenienter distingui Patrem a Filio et Spiritu Sancto, secundum doctrinam Sancti Thomae Prima, q. xxxiii, a. 4; et I *Sent.*, d. xxviii, q. 1, a. 1, dicit aut *negationem generationis passivae,* in genere principii personaliter dicti in divinis, quo modo non convenit Filio, cui convenit passiva generatio, nec Spiritui Sancto, cui non convenit esse principium alterius divinae personae; aut omnino *negationem essendi ab alio,* quo etiam modo neque convenit Filio neque Spiritui Sancto, cum sint ab alio, sed tantum Patri. Hic ergo videtur Sanctus Thomas accipere innascibilitatem in secunda significatione: quia *innascibile* ponit tanquam oppositum huius communis quod est *esse ab alio;* et secundum hoc inquit Patrem a Filio et Spiritu Sancto convenienter distingui.

XIII. Sed ad hanc rationem posset quis respondere quod utique Filius et Spiritus Sanctus distinguuntur differentiis per se huius quod est *esse ab alio:* non tamen per hoc quod unus est ab alio, sed per hoc quod unus est a Patre nascendo, alius vero procedendo; ita videlicet quod distinguuntur per diversam originem a Patre.

Sed hanc responsionem impugnat Sanctus Thomas sequenti ratione, *quae est quarta**, sic. Aut istae origines distinguuntur per terminum; aut per principium; aut per subiectum. Non per subiectum: cum divinae personae sint omnino immateriales. Non per terminum, ut ita liceat loqui*: quia unam et eandem naturam quam accipit Filius nascendo, accipit Spiritus Sanctus procedendo. Non etiam per principium: quia, si Spiritus Sanctus non sit a Filio, solus Pater erit principium Filii et principium Spiritus Sancti. Ergo etc.

* Cf. n. XII, XVIII.

* Cf. n. 3 huius parag. XIII.

2. Si dicatur quod differunt secundum principium, inquantum Pater producit Filium per modum intellectus, ut Verbum; Spiritum Sanctum autem per modum voluntatis, quasi Amorem: – *contra arguitur primo**, quia oportebit dicere quod secundum differentiam voluntatis et intellectus in Deo Patre distinguuntur duae processiones et duo procedentes. Sed ista in Deo Patre non distinguuntur re, sed tantum ratione. Ergo oportebit dicere quod duae processiones et duo procedentes differunt sola ratione. Hoc autem est falsum: quia tunc verum esset dicere quod Spiritus Sanctus est Filius, sicut verum est dicere quod voluntas Dei est eius intellectus; quod est Sabellianae impietatis. Ergo non sufficit dicere quod Filius procedat per modum intellectus et Spiritus Sanctus per modum voluntatis, nisi cum hoc dicatur quod Spiritus Sanctus est a Filio.

* Cf. n. XVII.

3. Advertendum quod, volens ostendere Sanctus Thomas non esse distinctionem divinarum processionum ex parte termini, utitur hoc modo loquendi, *similiter etiam ex parte termini, ut ita liceat loqui:* quia secundum rei veritatem, persona producta non est proprie terminus productionis, cum ipsa productio non habeat proprie rationem viae aut fluxus, hoc enim aliquam imperfectionem et potentialitatem dicit; sed utimur istis nominibus in divinis ut secundum nostrum modum intelligendi et nominandi divina explicemus, concipiendo productionem per modum cuiusdam viae et fluxus, ipsam vero personam productam per modum termini.

XIV. Ad hanc autem rationem responderi potest ex dictis Aureoli, apud Capreolum, Primo, d. XIII*, quod illa divisio est insufficiens. Neque enim istae processiones distinguuntur per terminum, neque per principium, neque per subiectum: sed *seipsis formaliter primo.* Tum quia *in nobis ita est.* – Tum quia *nulla res distinguitur formaliter per aliquid extrinsecum ab ea: cum omnis res per suam propriam realitatem ab omni alia re distinguatur.*

* Art. 1, p. 47 II.

Confirmantur ex dictis Scoti I *Sent.*, d. XIII*. Quia *generatio formaliter seipsa est generatio, et spiratio seipsa formaliter est spiratio. Et sic non oportet quaerere quibus distinguantur: quia tota ratio formalis unius est non eadem toti formali rationi alterius.*

* Fol. 76 v.

XV. Pro huius declaratione, considerandum est quod aliud est esse differentiam essentialem alicuius, qua intrinsece differt ab alio; et aliud est esse id a quo sumitur differentia. Primum necesse est esse intrinsecum rei, quia essentia rei non constituitur ex extrinsecis: secundum autem potest esse extrinsecum. Quando enim aliquid ad alterum ex sua ratione formali ordinem habet, non inconvenit ut ex illo species et differentia eius sumatur: hoc enim nihil aliud est dictu quam quod ideo res est talis naturae et speciei, quia ad hoc ordinatur. Verbi gratia, visio idcirco est visio, idest actus talis speciei, quia ad colorem terminatur; et auditio talem habet speciem, quia ordinatur ad sonum; et visio differt ab auditione quia ipsa comprehenditur color, ista vero comprehenditur sonus; non quod color et sonus sint formales et intrinsecae differentiae visionis et auditionis, sed quia ab ipsis intrinsecae eorum differentiae tanquam a formis extrinsecis sumuntur.

In proposito ergo, generatio et spiratio habent ex se ordinem ad terminos per ipsas productos, et ad principia a quibus intelliguntur elici: cum sint actus producentis, et ad hoc intelligantur a producente elici, ut terminis natura producentis communicetur. Idcirco specificatio ipsorum, et eorum formalis distinctio, necesse est ut primo sumatur ex principiis aut terminis: licet proxime ex eorum formalibus differentiis intrinsecis distinguantur; eo inquam modo quo poni potest differentia constitutiva in divinis actionibus et species.

Ratio ergo Sancti Thomae procedit de primis distinctivis generationis et spirationis. Et de iis verum est dicere quod distinctio eorum sumitur aut ex principiis aut ex terminis. Actiones enim et passiones, sive motus, ex huiusmodi distinctionem accipiunt, ut patet per Aristotelem, V *Phys.**: non quia sint *eiusdem rationis formae fluentes cum formis terminantibus,* ut inquit Scotus, loco praeallegato*. Constat enim quod, quantum ad formale, alia est ratio motus et actionis, et alia ratio termini: licet quantum ad materiale motus et actionis, eadem ratio sit ipsorum et termini, scilicet quia ex intrinseco ad terminos et ad principia ordinem habent.

* Cap. 1, 5; s.Th. l. 1.

* Cf. Capreol., l. c., p. 48 *Quinto.*

2. Ad primum itaque Aureoli, quo probat generationem et spirationem in divinis distingui seipsis formaliter primo: dicitur quod etiam in nobis actio intellectus et voluntatis distinguuntur ex principiis et terminis, non autem ex seipsis primo formaliter.

Ad secundum dicitur quod non inconvenit rem aliquam ex aliquo sibi intrinseco habente ordinem ad aliquod

extrinsecum, distingui primo per extrinsecum: licet proxime per suam propriam realitatem et intrinsecam differentiam sive rationem distinguatur.

Ad confirmationem ex verbis Scoti, dicitur eodem modo. Generatio enim seipsa proxime est generatio, et similiter spiratio. Primo autem ex suo principio et termino hoc habet. Quia enim per modum intellectus et naturae producitur Filius, ideo habet eius productio ut sit generatio; et quia Spiritus Sanctus producitur per modum voluntatis, ideo habet eius productio ut sit spiratio; licet proxime habeat productio Filii quod sit generatio, et productio Spiritus Sancti quod sit spiratio, quia illa est productio similis ex se, ista vero non, sed inclinationis cuiusdam et impellentis in rem amatam.

Cetera quae ad hanc materiam pertinent, vide apud Capreolum, loco praeallegato *.

* Scil. I *Sent.*, d. XIII.

XVI. Sed occurrit dubium circa rationem praedictam *. Arguit enim Sanctus Thomas quod divinae processiones non possunt realiter distingui eo quod una sit per modum intellectus, alia vero per modum voluntatis, quia sola ratione distinguerentur, sicut intellectus et voluntas. Videtur enim haec consequentia non valere. Nam non inconvenit aliqua sola ratione distingui, et tamen esse causam distinctionis realis. Intellectus enim creatus et voluntas distinguuntur realiter ex suorum obiectorum distinctione, scilicet ex distinctione intelligibilis et volibilis, sive ex distinctione entis et boni: et tamen ista sola ratione distinguuntur. Ergo, quamvis intellectus divinus et voluntas sola ratione distinguantur, potest ex eorum distinctione sumi realis distinctio processionum.

* Num. XIII, 2.

Responderi ad hoc potest quod aliter loquendum est de principio distinctivo per modum causae finalis: et aliter de principio distinctivo per modum principii productivi, sive elicitivi. Quia enim finis non est causa nisi secundum quod est in intentione; et ad diversitatem finium, inquantum huiusmodi, sufficit diversitas rationum intentarum ab agente etiam in eadem re: non inconvenit agentem propter finem diversa realiter ordinare ad fines sola ratione distinctos, et idcirco talem diversitatem causare, quia diversos fines intendit; si enim fuerint diversae rationes intentae ab agente, erunt diversi fines absolute. – Principium autem productivum sive elicitivum operationis, praesertim naturaliter agens, est causa secundum quod habet esse. Ideo, proprie loquendo, non dicuntur diversa principia productiva aut elicitiva operationum realiter et specifice distinctarum, quantum est ex ipsis principiis, nisi habeant diversa esse, et consequenter sint realiter distincta. Secundum enim unum et idem esse non producuntur primo actiones specifice et realiter distinctae, nisi aliud concurrat.

Potentiae ergo diversae, sicut intellectus et voluntas, distinguuntur realiter ex distinctione rationis suorum obiectorum: quia ex obiectis tanquam ex causis finalibus dependent, ut inquit Sanctus Thomas *Verit.*, q. XV, a. 2. Non autem productiones divinae possunt distingui realiter ex sola distinctione rationis intellectus et voluntatis: quia ex ipsis dependent tanquam ex principiis ipsarum elicitivis. Unde propositio Sancti Thomae quam assumit ad probandum praedictam consequentiam, I *Sent.*, d. XIII, q. 1, a. 2, scilicet, *Principium non est debilius principiato*, proprie intelligenda est de principio productivo et elicitivo operationis, non autem de principio finali.

* Num. XIII 2.

XVII. *Secundo arguitur contra datam responsionem* *. Spiritus Sanctus procedit per modum voluntatis, et Filius per modum intellectus. Ergo sequitur quod Spiritus Sanctus sit a Filio. Probatur sequela. Quia amor procedit a verbo: cum nihil amare possimus nisi illud verbo cordis concipiamus.

2. Sed contra istam rationem instari potest, primo: nam non valet, *Non possumus intelligere sine sensu, Ergo intellectio est a sensu sicut a principio productivo.* Ergo etiam non valet, *Nihil amare possumus nisi illud mente concipiamus, Ergo amor producitur a verbo.*

Secundo instari potest. In nobis non est verum quod amor procedat effective a conceptione boni: cum secundum doctrinam Sancti Thomae, ut in praecedentibus * est ostensum, bonum non moveat voluntatem effective, sed tantum per modum finis. Ergo ex hoc quod nihil amare possumus nisi illud verbo cordis concipiamus, non sequitur quod Amor in Deo procedat a Verbo tanquam a principio productivo.

* Lib. I, c. LXXII, *Item. In virtutibus.* - Comment. X.

3. Ad primum horum dupliciter potest responderi. Primo, quod supponit Sanctus Thomas bonum esse motivum voluntatis, tanquam ex superioribus * manifestum. Ideo optime sequitur, si bonum voluntatem ad amorem non potest movere nisi verbo concipiatur, quod ipsum verbum sit amoris productivum. Ideo instantia nulla est.

* Cap. XIX, Comment. 1, 3; cf. Lib. III, cap. 3, *Adhuc. Agens.*

Secundo responderi potest quod etiam illa consequentia est bona, *Non possumus intelligere sine sensu*, tanquam scilicet origine intellectionis, *Ergo intellectio producitur a sensu:* aut, inquam, mediate, aut immediate.

4. Ad secundum respondetur, iuxta ea quae in praecedentibus determinavimus *, quod Sanctus Thomas ex eo quod in nobis invenitur secundum modum nostrum, arguit proportionaliter ita esse in Deo secundum modum suum. In nobis autem amor procedit a bono, sive a conceptione boni, realiter. Ideo arguit quod etiam in Deo Amor a Verbo realiter procedat: supposita tamen, ex fide, reali distinctione personarum. Sed in nobis origo amoris a verbo est in genere causae formalis et finalis tantum *: in Deo autem etiam in ratione tantum principii productivi, quia in divinis non potest esse alia ratio principii realiter distincti ab eo quod est a principio, nisi ratio principii productivi.

* Cap. XIX, Comment. V.

* Loc. cit. V 3 in fine.

XVIII. *Quinta ratio est* *. In substantiis immaterialibus non potest esse distinctio nisi secundum ordinem: inquantum videlicet una est supra aliam. Declaratur: quia videtur in diversis speciebus esse ordo quidam et gradus, etiam secundum Platonem. Sed in divinis personis, quae sunt immateriales, non potest esse alius ordo quam ordo originis. Igitur non sunt duae personae ab una procedentes nisi una earum procedat ab altera. Ergo etc.

* Cf. n. XIII, *Sed hanc.*

Advertendum quod in divinis personis dicitur esse solus ordo originis, quia ibi non est ordo secundum gradus, ut una persona sit alia perfectior, neque aliquis alius ordo qui aliquam imperfectionem importet, sed tantum ordo qui importatur in hoc quod dicitur *a quo est alius* et *qui est ab alio,* qui a nobis dicitur ordo originis: hic enim ordo nullam imperfectionem importat.

Non obstat autem quod Deus potest immediate omnia producere, et sic non videtur ordo requiri inter species productas. Dicitur enim quod, si ponatur omnia a Deo immediate produci, tollitur quidem ordo causalitatis inter illa, non tamen tollitur ordo gradus et perfectionis: nam si specie distinguantur, necesse est ut unum alio sit perfectius.

XIX. *Sexta ratio est.* Esse principium Spiritus Sancti est praeter rationem paternitatis et filiationis. Ergo est commune Patri et Filio. – Probatur consequentia. Quia, cum Pater et Filius non differant nisi in hoc quod hic est Pater et hic est Filius, quicquid est praeter hoc, est commune Patri et Filio.

Ad hanc rationem dicit Aureolus, apud Capreolum, distinctione XI *, quod negari posset quod Pater et Filius differant solum in hoc quod hic est Pater, hic vero Filius. *Posset enim dici quod differunt quia in Patre est activa spiratio, cui opponitur filiatio hoc modo, quod generatio et spiratio sunt simultaneae productiones, et ideo repugnat spirato quod generet, et genito quod spiret.*

* Art. 1, p. 25.

Sed haec responsio frivola est. Quamvis enim illae productiones simultaneae sint secundum durationem, ex hoc tamen non tollitur quin sit commune Patri et Filio spirare, et quod Filio conveniat habitudo producentis ad Spiritum Sanctum: sicut, licet Pater et Filius sint coaeterni, non tollitur tamen quin Pater sit principium Filii.

XX. *Ultima ratio est.* Esse principium Spiritus Sancti non est contra rationem Filii: neque inquantum est Deus, quia hoc convenit Patri, qui est Deus; neque inquantum est Filius, quia alia est processio Spiritus Sancti et alia Filii, non est autem inconveniens id quod est a principio secundum unam processionem, esse principium processionis alterius. Ergo non est impossibile Filium esse prin-

cipium Spiritus Sancti. Ergo potest hoc esse. Ergo ita est. – Probatur prima consequentia. Quia quicquid non est contra rationem alicuius, non est impossibile ei convenire. – Secunda vero: quia quod non est impossibile, potest esse. – Tertia autem: quia *in divinis non differt esse et posse.*

*Loc. ult. cit.

Ad istam rationem dicit Aureolus* quod per eam pari ratione argui posset quod Spiritus Sanctus generat Filium: *quia non repugnat hoc ei inquantum est productus, quia in creaturis videmus quod productum generare potest.*

Sed et haec responsio nulla est. Licet enim Spiritui Sancto non repugnet inquantum est productus, quod generet Filium, repugnat tamen ei inquantum est productus ut amor per modum voluntatis. Amor enim praesupponit verbum, ut superius* patuit. Repugnat autem cuilibet ut sit principium productivum eius quod praesupponit.

* Cap. XIX, *Quod autem.* - Comment. V, 3.

# CAPITULUM VIGESIMUM QUINTUM

## RATIONES OSTENDERE VOLENTIUM QUOD SPIRITUS SANCTUS NON PROCEDAT A FILIO, ET SOLUTIO IPSARUM.

QUIDAM vero, pertinaciter veritati resistere volentes, quaedam in contrarium inducunt, quae vix responsione sunt digna. Dicunt enim quod Dominus, de processione Spiritus Sancti loquens, eum a Patre procedere dixit, nulla mentione facta de Filio: ut patet *Ioan.* XV[26], ubi dicitur: *Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum Veritatis, qui a Patre procedit.* Unde, cum de Deo nihil sit sentiendum nisi quod in Scriptura traditur, non est dicendum quod Spiritus Sanctus procedat a Filio.

Sed hoc omnino frivolum est. Nam propter unitatem essentiae, quod in Scripturis de una persona dicitur, et de alia oportet intelligi, nisi repugnet proprietati personali ipsius, etiam si dictio exclusiva adderetur. Licet enim dicatur *Matth.* XI[27], quod *nemo novit Filium nisi Pater,* non tamen a cognitione Filii vel ipse Filius, vel Spiritus Sanctus excluditur. Unde etiam si diceretur in Evangelio quod Spiritus Sanctus non procedit nisi a Patre, non per hoc removeretur quin procederet a Filio: cum hoc proprietati Filii non repugnet, ut ostensum est*. – Nec est mirum si Dominus Spiritum Sanctum a Patre procedere dixit, de se mentione non facta: quia omnia ad Patrem referre solet, a quo habet quicquid habet; sicut cum dicit, *Ioan.* VII[16]: *Mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me, Patris.* Et multa huiusmodi in verbis Domini inveniuntur, ad commendandam in Patre auctoritatem principii. – Nec tamen in auctoritate praemissa omnino reticuit se esse Spiritus Sancti principium: cum dixit eum *Spiritum Veritatis,* se autem prius dixerat *Veritatem**.

* Cap. praec., *Amplius. Quicquid.*

* Cap. XIV, 6.

Obiiciunt etiam quod in quibusdam Conciliis* invenitur sub interminatione anathematis prohibitum ne aliquid addatur in Symbolo in Conciliis ordinato: in quo tamen de processione Spiritus Sancti a Filio mentio non habetur. Unde arguunt Latinos anathematis reos, qui hoc in Symbolo addiderunt.

* Vid. Comment., n. II.

Sed haec efficaciam non habent. Nam in determinatione Synodi Chalcedonensis* dicitur quod Patres apud Constantinopolim congregati doctrinam Nicaenae Synodi corroboraverunt, *non quasi aliquid minus esset inferentes, sed de Spiritu Sancto intellectum eorum, adversum eos qui Dominum eum respuere tentaverunt, Scripturarum testimoniis declarantes.* Et similiter dicendum est quod processio Spiritus Sancti a Filio implicite continetur in Constantinopolitano Symbolo*, in hoc quod ibi dicitur quod *procedit a Patre:* quia quod de Patre intelligitur, oportet et de Filio intelligi, ut dictum est*. Et ad hoc addendum suffecit auctoritas Romani Pontificis, per quam etiam inveniuntur antiqua Concilia esse confirmata.

* Actione V (Mansi vol. VII, p. 114).

* Mansi vol. III, p. 566.

* Supra *Sed hoc;* et cap. VIII, *Cum ergo,* in fine.

Inducunt etiam quod Spiritus Sanctus, cum sit simplex, non potest esse a duobus; et quod Spiritus Sanctus, si perfecte procedat a Patre, non procedit a Filio; et alia huiusmodi. Quae facile est solvere etiam parum in theologicis exercitato. Nam Pater et Filius sunt unum principium Spiritus Sancti, propter unitatem divinae virtutis, et una productione producunt Spiritum Sanctum: sicut etiam tres personae sunt unum principium creaturae, et una actione creaturam producunt.

1 Quidam. NGpE *non incipiunt novum capitulum.* vero pertinaciter veritati resistere volentes] autem pertinaciter volentes resistere veritati EGNX; autem *etiam b.* 4 Dominus] Deus EGX. 10 sentiendum] faciendum αDZpW. in Scriptura traditur] Scriptura traditur (traditP) P*d.* 22 removeretur] removet EG, removeret X, removetur *b.* 23 procederet] procedat EGNX. 24 est mirum] videtur E, videntur G, mirum NX. 28 cum dicit] dicitur EG*b*, cum dicitur X. 31 auctoritatem] veritatem X, auctoritatem ... 34 dixerat *om* EG. 32 reticuit] tacuit XY, obticuit P*c*.

1 Conciliis] de Conciliis αY. 3 in Conciliis] ibi (nisi ZsY) in Conciliis αWYZ. 4 tamen *om* EGX*b*. 8 haec ... habent] hoc ... habet EGNXY*b*. 17 continetur in] continetur et in EGX*b*. 18 a Patre *om* P*d*. 20 suffecit] sufficit P*d*. 21 per quam] per quem NXZ. 25 Sanctus *om* αDGW. procedat] procedit EGNXZ*b*. 27 theologicis] theologia P*d*. exercitato] exercitata α, exercitatis DWZP*d*.

### Commentaria Ferrariensis

DETERMINATA veritate circa Spiritus Sancti processionem, vult Sanctus Thomas rationes quorundam in contrarium adductas solvere*: quamvis, ut inquit, vix responsione sint dignae.

* Cf. cap. praec., Introd.

I. *Prima ratio est,* quia Dominus, de processione Spiritus Sancti loquens, eum a Patre procedere dixit, nulla mentione facta de Filio: ut patet *Ioan.* XV, ubi dicitur, *Cum venerit Paraclitus* etc. De Deo autem nihil sentiendum est nisi quod in Scriptura dicitur.

Sed dicit primo Sanctus Thomas quod, propter essentiae unitatem, quod in Scripturis de una persona dicitur, et de alia oportet intelligi, nisi repugnet proprietati per-

sonali ipsius, etiam si dictio exclusiva adderetur: ut patet cum dicitur *Matth.* XI, quod ***nemo novit Filium nisi Pater;*** constat enim quod non excluditur Spiritus Sanctus a cognitione Filii, neque etiam ipsemet Filius. Ideo, si etiam diceretur in Evangelio Spiritum Sanctum non procedere nisi a Patre, non propter hoc removeretur quin a Filio procederet, cum hoc proprietati Filii non repugnet.

Dicit secundo, non esse mirum Dominum sic locutum fuisse: quia omnia ad Patrem referre solet, a quo habet quicquid habet; sicut cum dicit, *Ioan.* VII, *Mea doctrina* etc.

Dicit tertio, quod in auctoritate praemissa non omnino Dominus obticuit* se esse Spiritus Sancti principium, cum dixit eum esse Spiritum Veritatis: se enim esse Veritatem prius dixerat.

* Cf. textum et variantem.

II. Circa primum dictum huius responsionis dubium occurrit. Non enim videtur quod unitas essentiae in Patre et Filio sit sufficiens ratio ut esse principium Spiritus Sancti conveniat Filio sicut et Patri. Unitas enim essentiae non facit ut communia sint nisi ea quae essentiam concomitantur. Esse autem principium Spiritus Sancti non est de concomitantibus divinam essentiam, alioquin etiam ipsi Spiritui Sancto conveniret: sed importat relationem originis. Ergo etc.

Respondetur, et dicitur primo, quod non in solam unitatem essentiae hoc retulit Sanctus Thomas, sed cum hoc, in non repugnantiam ad proprietatem personalem Filii.

Dicitur secundo, quod duplicia sunt quae divinam essentiam concomitantur. Quaedam enim concomitantur divinam essentiam simpliciter et absolute; et huiusmodi sunt ea quae *attributa* nuncupamus; et haec sunt omnibus divinis [personis] communia. Quaedam vero ipsam concomitantur, non simpliciter et absolute, sed in illis suppositis in quibus nihil ei repugnans aut oppositum invenitur. Hoc modo virtus spirativa, ut comprehendit habitudinem ipsam principii, concomitatur divinam essentiam: invenitur enim ubi non est opposita habitudo aut aliquid repugnans. Et quia in Patre et Filio non est aliquid repugnans spirativae virtuti et spirationi, sed bene in Spiritu Sancto, in quo est habitudo spirati: ideo in Patre et Filio est virtus spirativa, non autem in Spiritu Sancto, qui est spiratus, et habet relationem spirationi activae oppositam. – Cum ergo dicitur quod esse principium Spiritus Sancti non concomitatur divinam essentiam: dicitur quod, licet non concomitatur ipsam simpliciter et absolute, ipsam tamen concomitatur in supposito in quo non est aliquid repugnans tali relationi principii. Et ideo optime inquit Sanctus Thomas quod, propter unitatem essentiae, quod dicitur de una persona, intelligitur et de alia, nisi repugnet personali proprietati ipsius: quia videlicet omne huiusmodi concomitatur essentiam aut simpliciter, aut in supposito in quo nihil est repugnans.

2. Si dicatur quod paternitas convenit Patri, et tamen non convenit Spiritui Sancto, in quo non est aliquid repugnans paternitati, nam processio, quae est proprietas Spiritus Sancti, non opponitur relative ad paternitatem: – respondetur quod, licet processio non opponatur relative paternitati, procedens tamen opponitur relative Patri tanquam principio productivo sui: et ideo in Spiritu Sancto est aliquid repugnans paternitati, inquantum in ipso est processio repugnans spirationi existenti in Patre; propter quod non potest eadem persona divina procedens esse et Pater.

Patet haec responsio a simili ex dictis Sancti Thomae *Pot.*, q. x, a. ult., ad 13, ubi ait quod, ***licet filiatio non opponatur relative processioni, tamen procedens opponitur relative Filio: et per hoc processio a filiatione distinguitur.***

3. Sed videtur quod ista responsio non satisfaciat. Si enim ideo paternitas non est in Spiritu Sancto quia, licet processio non repugnet paternitati, repugnat tamen spirationi quae paternitati coniungitur: sequetur quod, eadem ratione, essentia divina, quae est in Patre, non erit in Spiritu Sancto, quia processio repugnat spirationi, quae coniungitur essentiae.

Respondetur quod non est eadem ratio de essentia et paternitate: quia essentia est communis; paternitas autem est incommunicabilis proprietas Patris. Modo, quod est commune in divinis, stat cum relationibus oppositis, non autem quod incommunicabile est: sicut *animal* stat cum rationali et irrationali, non autem *Sortes* cum albo et nigro simul.

III. *Secunda obiectio est,* quia in Symbolo in Conciliis ordinato, de processione Spiritus Sancti a Filio mentio non habetur. In quibusdam autem Conciliis, scilicet Ephesino* et Chalcedonensi, invenitur sub interminatione anathematis prohibitum ne aliquid addatur Symbolo in Conciliis ordinato.

* Actione VI, fin. (Mansi, IV, p. 1362).

Respondet Sanctus Thomas, et dicit primo, quod processio Spiritus Sancti a Filio implicite continetur in Constantinopolitana Synodo, in hoc quod dicitur quod a Patre procedit: quia quod de Patre intelligitur, oportet et de Filio intelligi, ut dictum est*. Et ideo nihil additur illi. Declaratur per id quod dicitur in Chalcedonensi Synodo de Synodo Constantinopolitana.

* Cap. VIII, Comment. I 4, et cap. praec. III 2.

Dicit secundo, quod ad hoc addendum, scilicet quod Spiritus Sanctus a Filio procedat, sufficit* auctoritas Romani Pontificis, per quam etiam antiqua Concilia inveniuntur esse confirmata.

* Cf. text. et var.

2. Circa primum dictum responsionis considerandum est, ex doctrina Sancti Thomae, Prima, q. XXXVI, a. 2, ad 2; et *Pot.*, q. x, a. 4, ad 13, quod ***in Symbolo Nicaeno doctrina Catholicae fidei sufficienter tradita fuit. Et ideo sancti patres in sequentibus Conciliis non intenderunt aliquid addere, sed propter insurgentes haereses explicite posuerunt quod in illa implicite continebatur.*** Unde quia insurrexerat post Nicaenam Synodum haeresis dicens Spiritum Sanctum non esse Deum, in Concilio Constantinopolitano* fuit hoc expresse positum in Symbolo. – Similiter, quia post Constantinopolitanum Concilium insurrexit error dicentium Spiritum Sanctum a Filio non procedere, in quodam concilio in occidentalibus partibus congregato expressum hoc fuit, et in Symbolo explicite positum. Quod tamen implicite continebatur in eo quod dicebatur a Patre procedere. – De istis Conciliis vide in *Decretis,* dist. XVI.

* Conc. Const. I.

3. Circa secundum dictum, advertendum quod Sanctus Thomas tenet Romani Pontificis auctoritatem esse auctoritate Concilii superiorem, cum ait ***antiqua Concilia fuisse auctoritate ipsius confirmata:*** nam confirmatio ad superiorem pertinet. Addit etiam in locis praeallegatis, et in Tractatu *Contra impugnantes Religionem**, quod sola Romani Pontificis auctoritate synodus congregari potest, et quod ad ipsum a synodo potest appellari: quae duo ostendant ipsum esse synodo superiorem. Haec autem sumit Sanctus Thomas ex *Decretis,* dist. XVII; et *Extra, de Elect.*, cap. *Significasti**. Quod autem ad ipsum pertineat symboli constitutio, ostendit II$^{a}$ II$^{ae}$, q. I, a. 10, ***quia ad ipsum pertinet ea quae sunt fidei determinare: unde dixit Dominus Petro, Ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua, et tu, aliquando conversus, confirma fratres tuos.*** Sed quia nimis longum esset hic discutere an Papa sit supra Concilium, hanc quaestionem praetermittam: praesertim cum, post Ioannem de Turrecremata, sit etiam a Reverendissimo Cardinali Caietano ingeniosissime pertractata*.

* Opusc. XIX, cap. IV, p. 137 (Rom. 1570).

* Al. *Decretal. Gregorii IX,* I, Tit. VI, cap. IV.

* *De Comparat. auct. Papae et Conc.*

IV. *Tertia obiectio est* quia, cum Spiritus Sanctus sit simplex, non potest esse a duobus: et quia, si perfecte procedit a Patre, non procedit a Filio.

Respondet Sanctus Thomas quod haec facile solvi possunt. Quia Pater et Filius sunt unum principium Spiritus Sancti, propter unitatem divinae virtutis; et una productione producunt Spiritum Sanctum.

Adverte quod ex ista responsione satisfacit optime Sanctus Thomas duabus partibus obiectionis. Cum enim dicitur quod, quia est simplex, non potest esse a duobus: satisfacit, quia simplex potest esse a duobus habentibus unam numero virtutem, et per consequens habentibus unius principii rationem. Cum etiam dicitur quod, quia perfecte procedit a Patre, non procedit a Filio: optime negatur consequentia implicita. Si enim diversis virtutibus et di-

versis productionibus Pater et Filius producerent, valeret ista consequentia, *Pater perfecte producit Spiritum Sanctum, Ergo non Filius.* Sed quia et una virtute et una productione producunt, ideo consequentia non tenet: immo sequitur, *Pater perfecte producit, Ergo et Filius,* quia una est virtus Patris et Filii.

2. Sed videtur quod dicta responsio non sufficiat. Licet enim una sit virtus Patris et Filii, per hoc tamen non tollitur superfluitas sive accidentalitas Filii in productione Spiritus Sancti, si Spiritus Sanctus perfecte procedat a Patre. Dicitur enim effectus aliquis perfecte ab aliqua causa procedere quando non indiget ad sui productionem alia causa eiusdem generis et eiusdem ordinis: si enim navis aliqua posset ab uno sufficienter trahi, non requireret plures ad hoc ut traheretur. Similiter ergo, si Spiritus Sanctus perfecte et sufficienter a Patre producitur, sequitur quod non necessario procedat a Filio, quantumcumque eandem virtutem habeat quam habet Pater, et una productione cum ipso producat.

Respondetur, et dicitur primo, quod effectum perfecte ab aliqua causa procedere, potest intelligi et ex parte effectus, inquantum scilicet tota perfectio effectus ab ipsa producitur: et ex parte causae, quia scilicet in causa est perfecta et completa virtus effectus productiva. Utroque modo dicitur Spiritus Sanctus perfecte a Patre procedere. Nam et omnis eius perfectio a Patre procedit; et in Patre est perfecta virtus Spiritus Sancti productiva.

Dicitur secundo, quod ex hoc non sequitur Filium esse superfluum, aut non esse necessarium, in productione Spiritus Sancti. – Cum autem hoc probatur quia dicitur effectus a causa perfecte procedere quando non indiget alia causa: dicitur quod intelligitur de alia causa alia virtute, et alia numero operatione producente; non autem de alia causa, sive de alio principio, in quo eadem virtus et eadem operatio numero invenitur quae est in illa causa a qua perfecte procedit. Immo, ut habetur ex Prima Parte, q. XXXVI, a. 2, ad 6; et I *Sent.*, d. XI, a. 1, ad ult., quando est una numero virtus et una operatio plurium, ut est in Patre et Filio, si ab uno procedit effectus, necessario procedit ab alio: sicut et creatura, licet procedat perfecte a Patre, non tamen excluditur quin procedat a Filio et Spiritu Sancto; immo necesse est ut ab illis etiam perfecte procedat, cum eadem sit virtus creativa in omnibus divinis personis, eademque numero operatio.

3. Ex iis patet rationem Scoti cum arguit, in I *Sent.*, d. XII*, quod, *quia voluntas est aeque perfecta in uno supposito sicut in duobus; et unum suppositum aeque perfectum est, perfectione requisita ad suppositum agens, sicut duo: ideo voluntas aeque potest esse principium producendi in uno sicut in duobus,* – nullam esse. Nam ex eo quod voluntas est aeque perfecta in uno supposito sicut in duobus etc., non sequitur quod possit ita esse principium producendi in uno solo sicut in duobus. Immo sequitur oppositum. Ex eo enim quod est eadem numero voluntas in duobus, et aeque perfecta, sequitur quod non potest esse principium producendi in uno quin sit principium producendi in duobus, scilicet in Patre et Filio, in quibus non est relatio spirationi opposita. * Fol. 37 v.

# CAPITULUM VIGESIMUM SEXTUM

## QUOD NON SUNT NISI TRES PERSONAE IN DIVINIS, PATER, FILIUS ET SPIRITUS SANCTUS.

Ex his igitur quae dicta sunt, accipere oportet quod in divina natura tres personae subsistunt, Pater et Filius et Spiritus Sanctus, et quod hi tres sunt unus Deus, solis relationibus ad invicem distincti. Pater enim a Filio distinguitur paternitatis relatione, et innascibilitate; Filius autem a Patre relatione filiationis; Pater autem et Filius a Spiritu Sancto spiratione, ut ita dicatur; Spiritus autem Sanctus a Patre et Filio processione amoris, qua ab utroque procedit.

Praeter has tres personas non est quartam in divina natura ponere. Personae enim divinae, cum in essentia conveniant, non possunt distingui nisi per relationem originis, ut ex dictis* patet. Has autem originis relationes accipere oportet, non secundum processionem in exteriora tendentem, sic enim procedens non esset co-essentiale suo principio: sed oportet quod processio interius consistat. Quod autem aliquid procedat manens intra suum principium, invenitur solum in operatione intellectus et voluntatis, ut ex dictis* patet. Unde personae divinae multiplicari non possunt nisi secundum quod exigit processio intellectus et voluntatis in Deo. Non est autem possibile quod in Deo sit nisi una processio secundum intellectum: eo quod suum intelligere est unum et simplex et perfectum, quia intelligendo se intelligit omnia alia. Et sic non potest esse in Deo nisi una Verbi processio. Similiter autem oportet et processionem amoris esse unam tantum: quia etiam divinum velle est unum et simplex, amando enim se amat omnia alia. Non est igitur possibile quod sint in Deo nisi duae personae procedentes: una per modum intellectus ut Verbum, scilicet Filius; et alia per modum amoris, ut Spiritus Sanctus. Est etiam et una persona non procedens, scilicet Pater. Solum igitur tres personae in Trinitate esse possunt.

Item. Si secundum processionem oportet personas divinas distingui; modus autem personae quantum ad processiones non potest esse nisi triplex; ut scilicet sit aut omnino non procedens, quod Patris est; aut a non procedente procedens, quod Filii est; aut a procedente procedens quod Spiritus Sancti est: impossibile est igitur ponere plures quam tres personas.

Licet autem in aliis viventibus possint relationes originis multiplicari, ut scilicet sint in natura humana plures patres et plures filii, in divina natura hoc omnino impossibile est esse. Nam

* Cap. XXIV, *Hoc etiam.*

* Cap. XI, *Hoc autem:* XIX, *Sic igitur.*

5 ad invicem] ab invicem P*c*. 12 Praeter] autem *addunt* YZ; tres *om* Z. 26 sit nisi] sit EG, non sit nisi Y.
2 et simplex] simplex EGN*b*. 6 unum] tantum *addunt* P*d*. 11 amoris ut] amoris scilicet ut P*d*. 19 a non procedente *Ita* EWYZsHNP*c*; non procedente αN, de non procedente DGX*b*. 20 a procedente] procedente α*b*, ex procedente Z. 25 in divina] tamen *addunt* YP. 26 esse *om* EGNX*b*.

filiatio, cum in una natura sit unius speciei, non potest multiplicari nisi secundum materiam aut subiectum, sicut est etiam de aliis formis. Unde, cum in Deo non sit materia aut subiectum; et ipsae relationes sint subsistentes, ut ex supra* dictis patet: impossibile est quod in Deo sint plures filiationes. Et eadem ratio est de aliis. Et sic in Deo sunt solum tres personae.

* Cap. XIV, *Similiter etiam*; et *Quamvis autem in Deo.*

Si quis autem obiiciens dicat quod in Filio, cum sit perfectus Deus, est virtus intellectiva perfecta, et sic potest producere verbum; et similiter, cum in Spiritu Sancto sit bonitas infinita, quae est communicationis principium, poterit alteri divinae personae naturam divinam communicare: – considerare debet quod Filius est Deus ut genitus, non ut generans: unde virtus intellectiva est in eo ut in procedente per modum verbi, non ut in producente verbum. Et similiter, cum Spiritus Sanctus sit Deus ut procedens, est in eo bonitas infinita ut in persona accipiente, non ut in communicante alteri bonitatem infinitam. Non enim distinguuntur ab invicem nisi solis relationibus, ut ex supra* dictis patet. Tota igitur plenitudo divinitatis est in Filio, et eadem numero quae est in Patre: sed cum relatione nativitatis, sicut in Patre cum relatione generationis activae. Unde, si relatio Patris attribueretur Filio, omnis distinctio tolleretur. Et eadem ratio est de Spiritu Sancto.

* Cap.] XIV l. c.; et XXIV, l c.

Huius autem divinae Trinitatis similitudinem in mente humana possumus considerare. Ipsa enim mens, ex hoc quod se actu intelligit, verbum suum concipit in seipsa: quod nihil aliud est quam ipsa intentio intelligibilis mentis, quae et *mens intellecta* dicitur, in mente existens. Quae dum ulterius seipsam amat, seipsam producit in voluntate ut amatum. Ulterius autem non procedit intra se, sed concluditur circulo, dum per amorem redit ad ipsam substantiam a qua processio incoeperat per intentionem intellectam: sed fit processio ad exteriores effectus, dum ex amore sui procedit ad aliquid faciendum. Et sic tria in mente inveniuntur: mens ipsa, quae est processionis principium, in sua natura existens; et mens concepta in intellectu; et mens amata in voluntate. Non tamen haec tria sunt una natura: quia intelligere mentis non est eius esse, nec eius velle est eius esse aut intelligere. Et propter hoc etiam mens intellecta et mens amata non sunt personae: cum non sint subsistentes. Mens etiam ipsa, in sua natura existens, non est persona: cum non sit totum quod subsistit, sed pars subsistentis, scilicet hominis.

In mente igitur nostra invenitur similitudo Trinitatis divinae quantum ad processionem, *quae multiplicat Trinitatem**: cum ex dictis manifestum sit esse in divina natura Deum ingenitum, qui est totius divinae processionis principium, scilicet Patrem; et Deum genitum per modum verbi in intellectu concepti, scilicet Filium; et Deum per modum amoris procedentem, scilicet Spiritum Sanctum. Ulterius autem intra divinam naturam nulla processio invenitur, sed solum processio in exteriores effectus. In hoc autem deficit a repraesentatione divinae Trinitatis, quod Pater et Filius et Spiritus Sanctus sunt unius naturae, et singulis horum est persona perfecta, eo quod intelligere et velle sunt ipsum esse divinum, ut ostensum est*. Et propter hoc, sic consideratur divina similitudo in homine sicut similitudo Herculis in lapide: quantum ad repraesentationem formae, non quantum ad convenientiam naturae. Unde et in mente hominis dicitur esse *imago Dei**: secundum illud *Gen.* I[26]: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram.*

* Cf. Boetium *de Trinit.*, VI (Lips. 1871).

* Lib. I, cap. XLV, LXXIII.

* Cf. cap. XI, *Verbum autem.*

Invenitur etiam in aliis rebus divinae Trinitatis similitudo: prout quaelibet res in sua substantia una est; et specie quadam formatur; et ordinem aliquem habet. Sicut autem ex dictis* patet, conceptio intellectus in esse intelligibili est sicut informatio speciei in esse naturali: amor autem est sicut inclinatio vel ordo in re naturali. Unde et species naturalium rerum a remotis repraesentat Filium: ordo autem Spiritum Sanctum. Et ideo, propter remotam repraesentationem et obscuram in irrationabilibus rebus, dicitur in eis esse Trinitatis *vestigium*, non *imago:* secundum illud *Iob* XI[7]: *Numquid vestigia Dei comprehendes* etc.

* Cap. XI, *Et quamvis haec.* seqq. - Cap. XIX, *Ad cuius evidentiam* seqq.

ET HAEC DE DIVINA TRINITATE AD PRAESENS DICTA SUFFICIANT.

---

3 est *post* etiam EGNX*b*. 9 quis *post* autem EGNX*b*. 15 debet] oportet EG*b*. 18 in producente] in procedente FY *et sine* in EGX. 25 quae est] quae EN*b*. 32 actu *om* EGNX, se actu *om b*. 34 mentis *om* NsG. 35 mens intellecta] mens intellectiva αDY, intentio intellecta P. 43 inveniuntur *Ita* sWP*c*; invenimus *ceteri*.

6 quod subsistit sed pars] sed subsistit sed E, (quod subsistit *supra marg.*) sed (pars *supra ras.*) G; pars *om* X. 21 singulis] singulum D, in singulis G, singulus P. 31 etiam in] etiam et in FHNW*b*. 35 conceptio] corruptio EGN. 36 naturali *om* EGNX. 38 naturalium *post* rerum EGNX*b*.

## Commentaria Ferrariensis

* Cf. Comment. cap. XVI, init., cum nota in margine.

Ex omnibus praedictis de divina Trinitate, infert Sanctus Thomas unum corollarium*, scilicet: *Quod in natura divina tres Personae subsistunt: scilicet Pater, Filius et Spiritus Sanctus. Et quod ii tres sunt unus Deus, solis relationibus ad invicem distincti: nam Pater a Filio distinguitur paternitate et innascibilitate; ab ipso vero distinguitur Filius filiatione; Pater et Filius a Spiritu Sancto distinguuntur spiratione, ut ita dicatur; Spiritus autem Sanctus ab ipsis processione amoris. Et praeter has Personas non est quartam in divina natura ponere.*

Huius corollarii ultimam tantum partem probat Sanctus Thomas, quoniam reliquae manifestae sunt. Circa quod tria facit: primo, ostendit propositum*; secundo, excludit quorundam obiectionem*; tertio, ostendit in creaturis esse quandam divinae Trinitatis similitudinem*.

* Num. I.
* Num. V.
* Num. VII.

Adverte autem, ut dicebatur superius*, quod, quia iis quae ad voluntatis processionem pertinent, non sunt ita nomina imposita sicut iis quae ad processionem pertinent intellectus, ideo eodem nomine significamus et productionem activam Spiritus Sancti, et relationem ipsam consequentem, scilicet nomine *spirationis*. Et ideo dixit Sanctus Thomas quod Pater et Filius a Spiritu Sancto distinguuntur spiratione, *ut ita dicatur*.

* Cf. cap. XIX; Comm. X, 3.

Occurrit autem dubium. Nam inquit primo Sanctus Thomas quod tres personae solis relationibus sunt distinctae. Postmodum inquit Patrem distingui a Filio innascibilitate: cum tamen innascibilitas non sit relatio, sed magis negatio.

Respondetur, ex doctrina Sancti Thomae Prima, q. xxxiii, a. 4, ad 3, quod innascibilitas *etiam ad relationem pertinet:* non quidem directe, sed reductive, *inquantum negatio reducitur ad genus affirmationis, sicut non-album ad genus qualitatis;* dicit enim negationem nativitatis et filiationis, quae est relatio.

I. *Prima ergo ratio* qua ostenditur non esse quartam personam in divinis, est haec. Personae divinae non possunt multiplicari nisi secundum quod exigit processio intellectus et voluntatis: quia non possunt distingui nisi per relationem originis; has autem oportet accipere secundum operationes immanentes intellectus et voluntatis, ut ex dictis* patet. Sed in Deo non potest esse nisi una processio secundum intellectum, et una secundum voluntatem: quia suum intelligere est unum et simplex et perfectum, et similiter suum velle. Ergo non sunt nisi duae personae procedentes. Et est una etiam non procedens, scilicet Pater. Ergo etc.

* Cap. xi, xix, ll. cc. in Textu.

Advertendum quod ratio haec fundatur super unitate actus numerali et formali, non autem super unitate numerali tantum, quae est unitas identica: quia sic intellectus et voluntas sunt unum, et sic, si de hac unitate intelligeretur, sequeretur quod Filius et Spiritus Sanctus essent una persona. Sed ratio in hoc fundatur, quod actus intellectus, qui est formaliter unus, est etiam unus numeraliter; et similiter actus voluntatis. Quae ad hanc rationem pertinent, superius, cap. xiii*, sunt explicata. Ideo circa ipsam non oportet amplius immorari.

* Comment. num ii, iii.

II. *Secunda ratio* procedit si ponatur personas distingui secundum processiones. Et arguitur sic. Non potest esse nisi triplex modus personae quantum ad processiones: scilicet, ut sit aut omnino non procedens, quod est Patris; aut a non procedente procedens, quod est Filii; aut a procedente procedens, quod est Spiritus Sancti. Ergo non possunt esse nisi tres personae.

Si dicatur quod relationes originis multiplicari possunt secundum unam speciem processionis: sicut in aliis viventibus, puta in natura humana sunt plures patres et plures filii: – contra arguitur, quia filiatio, cum in una natura sit unius speciei, non potest multiplicari nisi secundum materiam aut subiectum, sicut est de aliis formis. In Deo autem non est materia aut subiectum. Et ipsae relationes sunt subsistentes.

2. Adverte ex verbis Sancti Thomae errorem arguentium* contra ipsum tanquam contra dicentem non posse multiplicari individua in una specie nisi per materiam ex qua componantur; et inducentium articulos Parisienses*, in quibus de hac materia fit mentio. Nam cum dicat hic filiationem, *sicut et alias formas,* non posse multiplicari nisi per materiam aut subiectum, constat quod non intendit per solam *materiam ex qua* individua unius speciei multiplicari, sed aut *per materiam ex qua,* aut *per materiam in qua,* idest per subiectum. Unde, cum aliquando inquit ipsa multiplicari per materiam, nomine *materiae* omne subiectum intelligit, ut patet ex hoc loco.

* Apud Capreolum, loc. infra citando.

* Aureolus ibi, p. 288 col. 2.

Adverte etiam quod duas rationes tangit Sanctus Thomas, quare filiatio in divinis non multiplicatur per materiam aut subiectum. Una est, quia in Deo non est materia aut subiectum. – Altera est, quia ipsae relationes sunt subsistentes: ex quo patet quod in subiecto non sunt, sicut nec alia subsistentia; et consequenter quod per subiectum multiplicari non possunt.

III. Sed contra praedictum fundamentum, scilicet quod *per subiectum multiplicatio numeralis fiat,* arguunt multi, apud Capreolum, in Primo, d. vii*, praecipue Scotus, in V Metaphysicae: quia videlicet plures formae solo numero distinctae in eodem subiecto simul inveniuntur; sicut plura lumina in una parte diaphani; et plures species in eadem parte oculi; et plures paternitates in eodem patre.

* Qu. ii, a. 2 (p. 286 sqq.).

2. Sed ad omnia ista dicitur quod falsum est plura talia, solo numero distincta, esse in uno adaequato subiecto. Hoc enim est contra mentem Aristotelis, V *Metaph.** dicentis *unum numero esse quorum materia est una.*

* S. Th. lect. 8. - Did. lib. IV, vi, 15.

Nec est verum quod plura lumina sint in eadem parte diaphani. Nam si eidem aeri appropinquentur duo luminaria, non causantur duo lumina, sed unum intensius quam si ab uno tantum causaretur. Nec radius directus et reflexus sunt duo*: sed unus intensior in puncto reflexionis quam alibi.

* Cf. Aureol. apud Capreol. l. c., p. 288, *Septimo.*

Non est etiam verum plures species eiusdem rationis, solo numero distinctas, esse in eadem parte oculi aut aeris. Nam si ponantur duo visibilia in distinctis locis, constat quod eorum species in aere et in oculo non sunt eiusdem rationis, quia una repraesentat unum visibile cum suo situ et figura, et alia repraesentat aliud visibile cum alio situ: species autem visibiles quae diversa secundum speciem repraesentant, non sunt eiusdem rationis. – Si autem duo visibilia omnino similia in eodem situ ponerentur, puta duo ova (quod quidem non nisi per miraculum fieri potest), unam tantum speciem causarent in oculo, intensiorem tamen quam si ab uno tantum causaretur, quae quidem esset duorum repraesentativa. Et si prius unum causaret speciem, postea aliud in eodem situ poneretur, secundum non causaret aliam speciem, sed priorem intenderet. Puto tamen quod in tali casu per illam unicam speciem non possent illa duo visibilia per sensum distincte cognosci.

Non est denique verum in uno patre esse plures paternitates, ut superius* est ostensum, de mente Sancti Thomae: sed unica paternitate pater refertur ad plures filios. Tum quia est unicum in ipso fundamentum. – Tum quia nullum filiorum respicit tanquam terminum adaequatum, sed absolute *filium.* Et ideo, mortuo uno filio aliis remanentibus, non desinit filiatio: quia remanet eius terminus adaequatus, licet desinat respectus filiationis ad filium mortuum.

* Cap. xiv, Comment. n. xv.

IV. Sed contra istam responsionem, inquantum ponit a pluribus corporibus luminosis unicum tantum numero lumen in eadem parte aeris causari, potest argui, primo, quia tunc non posset dari aliqua radiorum intersecatio. Quod est contra Perspectivae documenta.

Secundo quia, si pluribus corporibus luminosis plura corpora opaca opponantur, causabuntur plures umbrae. Hoc autem non posset esse nisi ab illis plura causarentur lumina.

Tertio, quia communis propositio est quod *Maius lumen offuscat minus.* Hoc autem esse non posset nisi maius lumen et minus essent duo lumina simul in eodem subiecto existentia.

2. Respondetur quod utique verum est a duobus corporibus luminosis non causari in eadem aeris parte duo lumina, sed unicum, intensius tamen quam si ab uno tantum luminoso corpore causaretur. Hoc enim est de mente Sancti Thomae II *Sent.,* d. xiii, a. 3, ad 2.

Unde ad primum in oppositum, negatur sequela. Non enim intersecatio radiorum est accipienda ad modum duorum corporum sese in aliquo puncto tangentium, quasi scilicet ipsi radii, distincti existentes, sese in aliquo puncto contingant: sed quia diversi radii a diversis corporibus luminosis provenientes in aliquo puncto unum lumen efficiuntur, intensius tamen quam esset si ab uno tantum corpore lucido causaretur, ex eo quod utraque virtus illuminativa ad idem punctum concurrit. Et hoc videtur intendere Sanctus Thomas loco allegato, cum inquit quod *non intelligitur coniunctio et separatio luminum nisi secundum intensionem et remissionem luminis.*

Ad secundum potest dupliciter responderi, negando minorem. Primo, quod corpus oppositum non privat lumen ab uno corpore luminoso causatum: sed lumen quod erat intensum, posito tali obstaculo, fit ex illa parte remissum ad quam actio illius corporis luminosi non potest libere pervenire. – Secundo quod, licet unius luminis sit tantum una privatio perfecta, totaliter videlicet ipsum auferens, possunt tamen ipsius esse plures imperfectae privationes, quarum scilicet unaquaeque ipsum imperfecte et pro aliqua sui parte removeat, inquantum in subiecto extenso extensionem habet, sicut et divisionem. Ideo non sequitur, si

sunt plures umbrae, quod sint plura lumina, quando quaelibet umbra lumen imperfecte tantum et partialiter privat; sicut accidit in proposito, quando plura corpora pluribus luminosis opponuntur.

Ad tertium dicitur, ut haberi potest ex doctrina Sancti Thomae Tertia, q. v, a. 4, ad 2; et q. ix, a. 1, ad 2, quod illa propositio, *Maius lumen offuscat minus,* intelligitur de lumine se tenente ex parte corporis illuminantis. Corpus enim luminosius suo lumine impedit ne corporis minus lucidi lumen, sive lux, distincte videri possit: sicut lumen solis impedit ne lux stellarum videatur in die. Non autem habet veritatem de lumine ex parte corporis illuminati se tenente; quasi, inquam, in uno corpore, aut in una aeris parte, sint duo lumina distincta, aliquod scilicet maius et aliquod minus, et minus a maiore occultetur; immo lumen a corpore minus lucido causatum, superveniente lucidiori corpore, intenditur et perficitur.

3. Ex his solutionibus patet primo, quod illa propositio Perspectivorum, *Radios visibilium impermixte medium illustrare,* non intendit in medio esse plura lumina realiter et secundum esse distincta, sed quod idem lumen habet distinctas dependentias ad diversa visibilia, et illa distincte repraesentat.

Patet secundo, aliam propositionem Perspectivorum, scilicet, *Lucem fortem orientem super visum et medium quaedam visibilia occultare,* veritatem habere de visibilibus in se consideratis, non autem in suo effectu.

4. Ex iis patet vanam esse rationem arguentium posse esse plures filios in divinis, *quia praecedens distingueretur a subsequente per co-oppositam relationem**. Constat enim quod hoc non posset esse nisi essent plures filiationes. Quae cum non possint nisi per subiectum multiplicari, necesse esset ponere in Deo subiectum et compositionem; et ipsas non esse subsistentes; quorum utrumque manifeste falsum est.

* Apud Capreol. l. c., p. 289, *Quarto.*

V. Quantum ad secundum, removet Sanctus Thomas quandam obiectionem*. Videtur enim quod sint plures filii, et plures spiritus sancti. In Filio enim, cum sit perfectus Deus, est virtus intellectiva perfecta; et in Spiritu Sancto est bonitas infinita, quae est communicationis principium. Ergo etc.

* Cf. init. Comment.

Respondet Sanctus Thomas illam consequentiam non valere: quia, cum Filius sit Deus ut *genitus,* virtus intellectiva est in ipso ut in procedente per modum verbi, non ut in producente verbum. Est enim in Filio tota plenitudo divinitatis, et eadem numero quae est in Patre, sed cum relatione nativitatis, in Patre vero cum relatione generationis activae: alioquin non distinguerentur Pater et Filius, cum solis relationibus distinguantur. Similiter, cum Spiritus Sanctus sit Deus *procedens,* est in eo bonitas infinita ut in persona accipiente, non ut in communicante alteri, scilicet ad intra. Ideo ratio non sequitur. – De efficacia huius responsionis, vide superius, cap. xiii*.

* Comment. num. iv, v.

VI. Posset autem ulterius argui contra praedictam conclusionem: primo, quia posse generare est aliqua dignitas Patris; immo etiam genuisse Filium Deum est dignitas. Omnis autem dignitas est Filio attribuenda.

Secundo, quia ex Philosopho, IV *Meteor.**, *perfectum est unumquodque cum potest sibi simile generare.*

* Cap. iii, 1.

2. Sed ad primum dicitur primo, de mente Sancti Thomae Prima, q. xlii, a. 4, ad 2, quod *dignitas est absolutum, et ad essentiam pertinet. Et ideo, sicut eadem essentia est in Patre et Filio, ita et eadem dignitas: sed in Patre est paternitas, in Filio est filiatio.*

Dicitur secundo, quod committitur fallacia *figurae dictionis,* arguendo sic: *Omnis dignitas est Filio attribuenda. Posse generare, sive generare, est dignitas. Ergo est in Filio.* Mutatur enim *quid* in *ad aliquid.* Nam dignitas est absolutum; et posse generare, sive generare, est relativum, dicit enim absolutum cum respectu. Et ratione quidem absoluti, pertinet ad dignitatem, non autem ratione relationis. Ideo non sequitur, si omnis dignitas est in Filio, quod in ipso sit posse generare: sed tantum quod in ipso sit id absolutum quod includitur in hoc quod dicitur, *posse generare.*

3. Ad secundum dicitur primo, quod tunc aliquid est perfectum quando habet potentiam generandi sibi simile, idest, quando sibi non deest illud absolutum quod nomine potentiae generativae importatur. Et sic concessum est in praecedentibus* esse potentiam generandi. Non autem oportet ut habeat ipsam quantum ad relationem quam dicit, quia relatio nullam perfectionem dicit.

* Cap. xiii; Comment. v, 2.

Dicitur secundo, quod propositio Aristotelis habet veritatem in rebus materialibus, in quibus possunt esse plura individua eiusdem speciei: non autem in rebus immaterialibus.

Dicitur tertio, quod non habet veritatem in natura in qua, propter eius perfectionem, non potest esse nisi unus Filius immaterialis, cuiusmodi est natura divina.

VII. Quantum ad tertium*, ostendit Sanctus Thomas similitudinem divinae Trinitatis in creaturis aliquo modo inveniri: et primo, in mente humana; secundo, in aliis rebus.

* Cf. init. Comment.

In mente igitur humana est similitudo quantum ad hoc quod, sicut in divinis est Deus ingenitus, qui est totius divinae processionis principium, scilicet Pater; et Deus genitus per modum verbi in intellectu concepti, scilicet Filius; et Deus per modum amoris procedens, scilicet Spiritus Sanctus; nec invenitur alia processio intra divinam naturam, sed solum processio in exteriores effectus: ita, cum mens, seipsam intelligendo, verbum suum concipit in seipsa; et seipsam amando, seipsam producit in voluntate ut amatum; et ulterius non procedit intra se, sed tantum ad exteriores effectus, ex amore sui aliquid faciendo; in mente tria inveniuntur, scilicet mens ipsa, quae est processionis principium, in sua natura existens; et mens concepta in intellectu; et mens amata in voluntate. – Differentia tamen est inter trinitatem mentis et trinitatem Dei, quia Pater et Filius et Spiritus Sanctus sunt unius naturae, et singulum* horum est persona perfecta: in mente autem illa tria non sunt unius naturae, quia nec intelligere mentis nec velle est eius esse; mens etiam intellecta et mens amata non sunt personae, cum non sint subsistentes; sed nec etiam ipsa mens, in sua natura existens, est persona, cum sit pars subsistentis, non autem totum. Et propter hoc, in homine consideratur divina similitudo sicut similitudo Herculis in lapide: quantum scilicet ad repraesentationem formae, non autem quantum ad convenientiam naturae. Unde et in mente hominis dicitur esse *imago Dei,* secundum illud *Gen.* i, *Faciamus* etc.

* Cf. text. et var.

In aliis vero rebus invenitur similitudo divinae Trinitatis inquantum quaelibet res *in sua substantia est una,* per quod videlicet repraesentat Patrem, qui est principium non de principio; et *specie quadam formatur,* per quod repraesentat Filium, conceptio enim intellectus in esse intelligibili est sicut informatio speciei in esse naturali; et *ordinem quendam habet,* per quod repraesentat Spiritum Sanctum, amor enim est sicut inclinatio vel ordo in re naturali. Addit autem Sanctus Thomas quod, propter hanc remotam et obscuram repraesentationem, in irrationalibus creaturis dicitur esse *vestigium Trinitatis,* non autem *imago:* secundum illud *Iob* xi, *Numquid vestigia Dei comprehendes?*

VIII. Ad evidentiam eorum quae hic dicuntur de imagine, considerandum primo, ex doctrina Sancti Thomae Prima, q. xciii, a. 2, ad 4; et I *Sent.*, d. iii, q. iii, ad 4, quod *imago* dupliciter accipi potest. Uno modo, pro similitudine qua artificiatum speciem artis quae est in mente artificis imitatur. Et sic creatura quaelibet est imago illius rationis exemplaris, sive *ideae,* quam habet in mente divina. Sic autem non loquimur hic de imagine. – Alio modo, pro similitudine qua alterum quid imitatur secundum speciem et naturam: quo modo dicimus filium regis esse eius imaginem, sive etiam eius statuam. Et hoc modo loquimur hic de imagine. Unde ad rationem imaginis hoc modo acceptae tria requiruntur: scilicet quod sit similitudo alicuius; quod sit ab eo expressa, saltem tanquam ab exemplari; et quod sit similitudo secundum speciem, vel ad minus secundum aliquod accidens speciei, et praecipue secundum figuram, quae est speciei demonstrativa.

2. Considerandum secundo, quod aliquid dicitur similitudo alicuius secundum speciem, quando est eiusdem speciei et eiusdem naturae secum. Sed quia in Deo proprie non est species neque differentia, cum Deus non sit limitatae naturae entis, sed sit ipsum esse subsistens; dicitur homo habere imaginem Dei, et esse illi similis secundum speciem, quia convenit cum Deo in supremo gradu naturae in quo creatura possit Deo assimilari, scilicet in gradu intellectuali, qui tenet locum ultimae differentiae in Deo secundum nostrum modum intelligendi. Unde, quia in eadem ratione, analoga tamen, supremi gradus divini, assimilatur homo Deo, ideo dicitur illi similis *secundum naturam et secundum speciem.* Est enim homo secundum mentem naturae intellectualis, sicut Deus; et in mente humana invenitur processio verbi secundum intellectum, et processio amoris secundum voluntatem, sicut in mente divina. Quod in aliis creaturis inferioribus non invenitur.

3. Considerandum tertio, quod duplex est imago: scilicet perfecta; et imperfecta. Perfecta est illa quae attenditur secundum aequalitatem perfectionis naturae: sicut filius est perfecta imago patris. Et hoc modo non ponitur in homine imago Dei. Quod quidem significavit Sanctus Thomas hic, cum dixit quod non invenitur in eo Dei similitudo *quantum ad convenientia naturae,* scilicet secundum aequalitatem perfectionis. – Imperfecta autem similitudo est quae attenditur quidem secundum convenientiam in natura aliquo modo, sed non secundum aequalitatem, sicut imago Herculis in cupro: statua enim cupri non est eiusdem naturae cum Hercule quantum ad substantiam, convenit tamen cum ipso in figura, quae est proprium accidens speciei humanae. Et hoc modo ponitur imago Dei in homine: quia divina natura excedit quidem in infinitum humanam, sed tamen in homine invenitur similitudo supremi gradus divini nobis noti secundum quandam analogiam et proportionem. Hoc significavit Sanctus Thomas hic cum dixit quod *sic consideratur divina similitudo in homine sicut similitudo Herculis in lapide, quantum ad repraesentationem formae,* idest figurae. Attenditur enim haec comparatio quantum ad hoc, quod sicut lapis non assimilatur Herculi quantum ad naturam speciei, sed quantum ad aliquid quod speciem consequitur, ita mens humana non repraesentat trinitatem personarum tanquam existens eiusdem naturae specificae cum Deo, sed tanquam habens aliquam similitudinem Dei longe a natura divina deficientem, ac si accidens naturae divinae, ut ita liceat loqui, repraesentaret. Hoc etiam significatur per auctoritatem adductam ex Scriptura, *Gen.* 1. Nam cum dicitur, *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram,* denotatur in homine esse imperfectam Dei imaginem: *ista enim praepositio «ad»,* ut inquit Sanctus Thomas loco praeallegato*, *quendam accessum significat, qui competit rei distanti.*

*Sc. Prima, xciii, art. 1.

IX. Ad evidentiam quoque eius quod dicitur de *vestigio,* sciendum quod vestigium differt ab imagine, quia imago repraesentat secundum similitudinem speciei, modo exposito: vestigium autem non, sed repraesentat sicut effectus repraesentat suam causam, cum qua non est eiusdem rationis aut speciei. Sed tamen per ipsum devenitur in causae cognitionem, ex eo quod in ipso apparet causalitas causae, sicut impressio derelicta ex motu animalis dicitur eius vestigium: non enim est eiusdem speciei aut rationis, sed tamen per illam impressionem ostenditur animal per illum locum transisse. Eadem ratione, cinis dicitur vestigium ignis; et desolatio terrae vestigium hostilis exercitus.

Per hunc modum in creatura irrationali dicitur esse vestigium Trinitatis. Quia in ipsa non est similitudo supremi gradus naturae divinae, scilicet intellectualis; et per consequens non est in ea processio verbi per intellectum, nec processio amoris per voluntatem; sed tamen ista aliquo modo repraesentat, inquantum ipsa est effectus, et haec in prima causa producente necesse est esse. Secundum enim quod aliqua creatura est substantia una creata, repraesentat substantiam Patris, qui est principium non de principio, in quo quaedam unitas intelligitur. – Secundum vero quod habet quandam formam et speciem, repraesentat Verbum, secundum quod forma artificiati ex conceptione artis dependet. Et hoc intellexit Sanctus Thomas cum dixit quod *conceptio intellectus in esse intelligibili est sicut informatio speciei in esse naturali:* idest, conceptio intellectus, quae habet esse intelligibile in intellectu, est exemplar secundum quod formatur species et natura extra intellectum, quantum ad suum esse naturale. Et ideo convenienter dicitur quod per creaturam irrationalem inquantum habet speciem, repraesentatur Verbum divinum: ex hoc enim quod a Deo per intellectum producitur, devenimus in hanc cognitionem, quod in Deo est aliquod verbum. – Secundum vero quod habet ordinem ad aliquid, repraesentat Spiritum Sanctum, inquantum ex hoc cognoscimus in Deo esse amorem et voluntatem, quibus creatura ordinatur ad bonum. Et haec est assignatio vestigii quam ponit Augustinus in VI *Trin.** * Cap. x.

Quia igitur creaturae irrationales non repraesentant Deum et Trinitatem divinam tanquam similes illi secundum speciem modo prae-exposito*, sed tanquam effectus a similitudine causae deficientes, et magis causalitatem quam speciem causae repraesentantes; ideo hanc repraesentationem vocat Sanctus Thomas *repraesentationem a remotis et obscuram,* atque *repraesentationem per modum vestigii.* – Vide de hac materia Capreolum in Primo, d. III, q. III. * Num. VIII, 2.

Quia in praecedentibus suppositum saepenumero est *divinas personas per relationes originis et constitui et distingui,* videndum postremo est quid in hac re difficultatem faciat in doctrina Sancti Thomae. Nam reliquas difficultates abunde dissolvit Capreolus I *Sent.,* dist. XXVI.

I *bis. Primo difficultatem facit**, quia tenet Sanctus Thomas relationes huiusmodi esse idem realiter cum divinis personis, et ab ipsis solo modo significandi per abstractum et concretum distingui: divinae enim personae, apud ipsum, *sunt ipsae relationes subsistentes,* ut dicitur Prima, q. XL, a. 2, ad 1; et a. 3. Non apparet autem quomodo idem possit constituere seipsum formaliter: semper enim oportet constitutivum esse a constituto distinctum. * Cf. III *bis.*

*Secundo facit difficultatem**, quia tenet *Pot.,* q. VIII, a. 3, ad 7; et q. X, a. 5, ad 12, quod relationes constituunt hypostases *inquantum sunt divina essentia:* quaestione vero X, a. 3, dicit quod relatio constituit *inquantum est divina, quia ex hoc habet quod sit idem cum divina essentia.* Ex hoc enim videtur quod primo ipsa divina essentia sit constitutiva hypostasis, non autem relatio. * Cf. IV *bis.*

*Tertio facit difficultatem**, quia apud ipsum *relatio non constituit inquantum relatio, sed bene distinguit:* ut patet Prima, q. XL, a. 4; et *Pot.,* q. VIII, a. 3*. Et sic non videtur quod magis dicendum sit divinas personas *per relationes originis* constitui quam *per origines,* aut *per essentiam,* aut per aliquid huiusmodi. Cum enim in Deo sint idem realiter omnia, exceptis ipsis personis, non est aliquid magis attribuendum uni quam alteri, nisi hoc sibi ex sua ratione formali conveniat. * Cf. V *bis.* * Ad 9

II *bis.* Ad evidentiam horum, considerandum est primo, quod dupliciter possumus loqui de divinis personis: uno modo, secundum se, ut scilicet extra nostrum intellectum sunt in suo esse reali; alio modo, ut sunt in nostra cognitione, et a nobis determinatis nominibus explicantur. Si primo modo de ipsis loquamur, non oportet aliquid quaerere per quod constituantur et distinguantur. Cum enim simplicissimae sint, non convenit accipere in ipsis distinctionem constituentis et constituti, sive distinguentis et distincti: Pater enim et paternitas sunt omnino idem ex parte rei, et eandem rationem formalem fundant. Unde sic concedendum est quod seipsis constituuntur et distinguuntur, idest, non per aliquid ab ipsis distinctum realiter aut formaliter: sicut et de Deo verum est dicere quod seipso est Deus, cum ex parte rei Deus et deitas sint omnino idem; et de Gabriele verum est dicere quod seipso est Gabriel, si consideretur secundum se ex parte rei, ipsa enim eius natura seipsa est haec et individua, et non per aliquid aliud. – Quod autem hoc sit de mente Sancti Thomae, patet Prima Parte, q. XL, a. 2, ad 1. Respondendo enim ad hoc argumentum: *Simplicia seipsis distinguuntur; Personae divinae sunt maxime simplices; Ergo*

*seipsis distinguuntur,* – ait: *Dicendum quod personae sunt ipsae relationes subsistentes. Unde non repugnat simplicitati divinarum personarum quod relationibus distinguantur.* Per hanc enim responsionem non satisfit argumento nisi concedendo quod seipsis personae divinae distinguantur, secundum quod habent esse extra intellectum in suo esse reali, quia videlicet personae sunt ipsae relationes subsistentes. Hoc autem expressius ponit I *Sent.,* d. XXVI, q. II, a. 1, ad 5, ubi, ad simile argumentum respondendo, ait quod *etiam personae divinae distinguuntur seipsis, inquantum personae secundum rem sunt ipsae relationes.*

Si autem secundo modo considerentur, sic quaeri potest per quid constituantur et distinguantur. Cum enim divina cognoscere non possimus nisi ex perfectionibus in creaturis inventis, et illa secundum modum creaturarum significemus, ut ex superioribus* patet: ad significandum subsistentiam et perfectionem divinorum, utimur nominibus concretis, quia apud nos ea quae sunt perfecta et subsistentia sunt composita; ad significandum autem earum simplicitatem, utimur nominibus abstractis, quia illis simplices formas significamus. Et sic unam et eandem rem in divinis significamus nomine abstracto et nomine concreto, diversis tamen respectibus: naturam enim divinam nomine *Dei* et *deitatis* significamus; et hypostasim Patris significamus nomine *Patris* et nomine *paternitatis.* Quia ergo hoc nomen *Pater* est nomen concretum, et consequenter significat, quantum ad modum significandi ex parte nominis se tenentem, cum quadam compositione; et omne quod significatur per modum compositi, significatur ut tale per aliquid simplex: ideo convenienter quaeritur per quid Pater habet quod sit Pater; sive, per quid constituitur, et per quid distinguitur ab aliis suppositis quae sunt in divina natura; et dicimus quod *paternitate* est Pater, sicut Deus est Deus *deitate.* In quo quidem non ostenditur aliqua distinctio inter Patrem et paternitatem ex parte rei, sed tantum diversus modus significandi. Una enim et eadem res est paternitas subsistens: ut significatur nomine concreto, significatur ut constituta, quia significatur per modum compositi; ut autem significatur nomine abstracto, significatur ut constituens, quia significatur per modum simplicis, scilicet ut quo aliquid est Pater.

* Lib. I, cap. XXX.

2. Considerandum secundo, quod illo modo quo ponitur in persona divina, secundum modum nostrum intelligendi et significandi, constituens et constitutum, non intelligitur talis constitutio per modum alicuius totius aut integralis aut essentialis, quasi constitutum aut plures partes integrales habeat aut plures partes essentiales, ex quibus intelligatur constitui: sed per modum constitutionis formalis a forma totius, quae scilicet est ipsum totum; sicut humanitas constituit hominem, *gabrielitas* Gabrielem, et deitas Deum. Sic enim nihil aliud significatur quam quod humanitas sit quo homo est homo, et gabrielitas quo Gabriel est Gabriel, et deitas quo Deus est Deus. In hoc autem modo constitutionis non oportet esse, ex parte rei, distinctionem inter constituens et constitutum, neque realem causalitatem: sed sufficit diversus modus significandi secundum abstractum et concretum. Sicut enim Deus deitate est Deus, si diversus modus significandi consideretur: ita, si consideretur res ipsa in se, Deus seipso, et non aliquo alio, est Deus. Cum ergo dicimus *personam divinam constitui et distingui relatione**, intelligimus quod, quantum ad modum significandi, relatio, in abstracto significata, est id quo ipsa persona est haec, puta Pater, et quo distinguitur: licet, quantum est ex parte rei, una persona seipsa sit talis, puta Pater, et seipsa ab altera distinguatur, inquantum est ipsa subsistens relatio. Et hoc consonat iis quae de hac constitutione a Sancto Thoma dicuntur.

* Vid. introduct. *Quia in praecedentibus*, ante parag. 1 *bis*.

III *bis.* Ad primum itaque dubium*, patet ex dictis quod ex parte rei, personae divinae sunt idem quod ipsae relationes, et non constituuntur per ipsas: sed ex parte modi significandi, intelliguntur constitui. Cum autem arguitur, quod idem non constituit seipsum formaliter: – dicitur quod verum est si secundum se et secundum entitatem suam consideretur: falsum est autem si consideretur secundum quod est in nostra cognitione, et secundum quod diversis modis significatur; eadem enim res, significata nomine abstracto, intelligitur ut constituens seipsam secundum quod nomine concreto significatur.

* Num. 1 *bis*, *Primo*.

Ex quo patet argumenta Gregorii et Aureoli*, procedentia ex hoc quod Pater et paternitas sunt idem secundum rem, aut non esse contra mentem Sancti Thomae; aut nullius efficaciae esse.

* Apud Capreolum, loc. cit.

Patet etiam ex hoc quod, cum inquit Sanctus Thomas Prima, q. XL, a. 2, *relationes distinguere vel constituere personas inquantum sunt ipsae personae subsistentes,* non specificat ly *inquantum* rationem formalem qua relatio constituit: sed explicat modum constituendi. Non enim sic constituunt ut sint aliquid ab ipsis personis distinctum: sed sic quod sunt ipsae personae constitutae secundum rem et secundum rationem formalem; sicut et deitas, quae intelligitur constituere Deum, est idem realiter et formaliter cum Deo quantum ad rei significatae rationem.

IV *bis.* Ad evidentiam secundi dubii*, attendendum primo, quod aliter loquendum est de relationibus creatis, et aliter de relationibus divinis. Relationes enim creaturarum accidentia sunt, et adduntur substantiae rei quae ab ipsis denominatur: relationes autem divinae, quibus dicimus personas constitui, non sunt accidentia, neque adveniunt substantiae divinae, sed sunt ipsa divina essentia, et sunt ipsae personae. Ex quo alia differentia sequitur. Nam relationibus creaturarum non convenit nisi id quod accidentis est: relationibus autem divinis, inquantum divinae sunt, convenit etiam id quod est substantiae, cum sint idem realiter quod divina essentia, quae est substantia. Et hoc convenit sibi non tantum materialiter, sed etiam formaliter: quia de ratione relationis divinae est quod sit substantia, sicut de ratione realis relationis creatae est quod sit accidens.

* Num. 1 *bis*, *Secundo*.

Attendendum secundo, ex doctrina Sancti Thomae, *Pot.*, q. VIII, a. 3, quod, *si in divinis non supponeretur trinitas personarum, non oporteret inquirere aliud constitutivum et distinctivum hypostasis praeter divinam essentiam: ipsa enim deitate Deus est aliquid in se indivisum et ab omnibus quae non sunt Deus distinctum.* Sed quia, secundum fidem, ponimus unam essentiam in tribus personis; et consequenter divinam essentiam ponimus communem: ipsa non potest poni principium constitutivum et distinctivum hypostasis, de cuius ratione est quod sit incommunicabilis et distincta relative ab alia hypostasi quae in eadem natura invenitur. Et ideo oportet, praeter essentiam, aliud tale constitutivum ponere quod, ultra rationem subsistentis, habeat etiam rationem incommunicabilis et proprii, faciatque hypostasim ab alia hypostasi relative distingui. Oportet ergo ut relatio quae ponitur divinam essentiam constituere, praeter rationem substantiae, habeat etiam rationem incommunicabilis formae, et rationem distinguentis relative ab hac divina persona tanquam a suo correlativo, ut possit facere suum constitutum esse subsistens, esse incommunicabile, et esse relative ab alia persona divina distinctum.

Attendendum tertio quod, licet relatio ista tria in se habeat, ipsaque supposito communicet; quia tamen primum cui convenit subsistere in divinis est divina essentia, ex qua intelligimus omnia alia in divinis habere ut subsistant; relationi convenit constituere rem subsistentem, non ex aliqua sua propria ratione, qua distinguatur ab essentia, sed ex ratione essentiae, cui identificatur, et ex qua ipsa etiam habet ut subsistat; constituere vero rem incommunicabilem et relative distinctam, convenit sibi ex sua propria ratione, qua distinguitur ab essentia; ex eo enim quod ipsa est forma incommunicabilis, gerens vicem omnium principiorum individuantium, reddit personam incommunicabilem; ex eo vero quod est talis relatio, puta paternitas, distinguit relative personam ab alia persona, scilicet a Filio.

2. Dicitur ergo quod, cum inquit Sanctus Thomas relationem constituere personam *inquantum est essentia,* intelligitur tantum quantum ad subsistentiam personae, non autem quantum ad omnia quae sunt de ratione personae.

Cum instatur contra, quia ex hoc sequitur divinam essentiam esse primo constitutivam hypostasis, non autem relationem: – dicitur quod non est inconveniens essentiam esse primo constitutivam hypostasis *secundum quid,* scilicet quantum ad hoc tantum quod est subsistere; quamvis *simpliciter,* scilicet quantum ad omnia quae sunt de ratione hypostasis, relatio sit constitutiva, ut identificatur essentiae, et ut aliquas alias rationes praeter rationem essentiae includit.

Quod autem hoc sit de mente Sancti Thomae, patet. Nam in QQ. *de Potentia,* loco allegato*, ait quod *relationes faciunt hypostases subsistentes inquantum sunt essentia divina: quia relatio, inquantum relatio, non habet quod subsistat vel subsistere faciat.* Et ibidem, ad 9, ait quod *relatio distinguit inquantum est relatio, constituit vero hypostasim inquantum est divina essentia, et utrumque facit inquantum est divina essentia et relatio.*

* Sc. VIII, 3, ad 7.

3. Non obstat autem huic quod Sanctus Thomas Prima, q. XL, a. 2, constitutionem personae attribuit relationi ut ab essentia distinguitur; et a. 3* ait quod *Pater paternitate est Pater, et quis, et hypostasis;* et similia in pluribus locis dicuntur. Potest enim, primo, dici quod loquitur Sanctus Thomas de constitutione suppositi quantum ad ea quae sunt propria unicuique, scilicet quantum ad propriam incommunicabilitatem et propriam distinctionem ab aliis personis: non autem quantum ad subsistere, quod est sibi et aliis commune. – Secundo, potest dici quod etiam loquitur quantum ad completam constitutionem personae. Complete enim constituere personam convenit relationi inquantum includit essentiae rationem, et alias rationes illi superaddit, ex quo habet quod ab essentia formaliter distinguatur, sicut homo distinguitur ab animali: licet non conveniat relationi ex illa ratione particulari quam superaddit essentiae.

* Ad. 2.

4. Ex iis patet quam vanae sint rationes Scoti, apud Capreolum*, quibus ostenditur esse in Deo aliquod suppositum absolutum, eo quod divinae essentiae ex se subsistere conveniat. Constat enim ex dictis ad rationem hypostasis divinae, supposita Trinitatis fide, pertinere non solum quod subsistat, quod utique habet ab essentia divina, et a relatione inquantum est ipsa essentia: sed etiam ut sit distincta ab alia hypostasi divina, quod sibi ex relatione inquantum relatio est, convenit.

* Loc. cit., sc. 1, XXVI, p. 218.

V *bis.* Ad evidentiam tertii dubii*, considerandum primo quod, cum omnes divinae personae sint aeternae; et in aeternitate non sit prius et posterius; neque etiam in ipsis divinis personis aliqua sit prioritas aut posterioritas extra intellectum: nullum est instans in quo una persona prius sit constituta et indivisa in se quam ab aliis personis sit distincta, sed omnes simul aeternaliter sunt constitutae et distinctae. Et ideo, cum de ratione personae divinae sit ut sit indivisa in se et divisa ab alia divina persona; et illud proprie constituere dicatur divinam personam quod et ipsam indivisam facit in se, et distinctam ab alia cui relative opponitur; relatio divina, quae utrumque simul facit, simpliciter dicitur personae constitutiva; licet, inquantum relatio, non constituat ipsam in esse hypostatico indiviso in se, sed tantum relative constituat et relative distinguat.

* Num. 1 *bis, Tertio.*

VI *bis.* Considerandum secundo, quod apud Thomistas varia est interpretatio huius quod dicitur, *relationem non esse constitutivam inquantum est relatio.* Aliqui enim* interpretantur quod paternitas dupliciter considerari potest: scilicet *ut concepta,* et *ut exercita.* Ut concepta quidem, sub expressa ratione paternitatis, constituit hypostasim: non autem ut exercita. Unde non constituit inquantum relatio, idest, non constituit exercendo actum relationis ut relatio est, sed exercendo actum hypostaticae formae. Unde dicunt quod paternitas, ut praecedit generationem, constituit et distinguit relativam personam Patris in esse hypostatico relativo realiter et formaliter, sed non relative exercito: et sic vocatur paternitas non ut relatio, sed ut constitutiva. Ut consequitur autem generationem, constituit et distinguit eandem personam non in esse hypostatico, sed in esse relativo relative exercito: et ideo vocatur *paternitas ut relatio.*

* Cf. VII *bis.*

2. Sed haec interpretatio, licet sit subtilis, non tamen videtur esse ad mentem Sancti Thomae; nec esse vera*; et etiam videtur in seipsa contradictionem implicare*. Primum ostenditur sic. Quod convenit alicui secundum suam rationem formalem, convenit sibi inquantum huiusmodi: sicut quod convenit animali secundum suam formalem rationem, convenit sibi inquantum animal est. Sed, per te, constituere hypostasim subsistentem convenit paternitati secundum expressam rationem paternitatis. Ergo hoc convenit sibi inquantum paternitas est. Sed hoc est contra mentem Sancti Thomae, dicentis quod *relatio, ut est relatio, non constituit**. Ergo etc.

* Cf. statim 3.
* Cf. statim 4.
* Cf. 1 *bis, Tertio,* init.

Dicetur forte quod relatio constituit quidem inquantum relatio, idest, *inquantum habet rationem relationis:* non constituit autem inquantum relatio, idest, *inquantum actum relationis exercet.* – Sed haec responsio nulla est. Tum quia absolute verum est dicere, secundum usum philosophorum, et praecipue Sancti Thomae, *Hoc convenit huic inquantum tale,* quando sibi secundum suam formalem rationem convenit. – Tum quia, quando aliqua causa causat secundum aliquam rationem, tunc exercetur actus illius rationis: exercere enim actum alicuius rationis est ipsam ad operationem applicare. Si ergo relatio secundum rationem relationis constituit, sequitur quod exerceat actum relationis.

3. Secundum* etiam ostenditur sic. Nulla res sub una ratione determinata exercet actum formalem alterius rationis: essentia enim divina sub ratione sapientiae, non facit Deum formaliter iustum, sed sapientem. Ergo paternitas, sub expressa ratione paternitatis, non exercet actum hypostaticae formae, si per formam hypostaticam intelligatur alia ratio a relationis ratione, ut dicit scilicet actum paternitatis ut paternitas est, qui est referre ad alterum.

* Cf. supra 2 init.

4. Tertium* ostenditur sic. Nihil aliud est formam proprium actum circa aliquid exercere, quam dare illi suum effectum formalem: sicut albedinem exercere proprium actum circa parietem, nihil aliud est quam facere ipsum formaliter album. Sed effectus formalis relationis inquantum relatio, est constituere aliquid formaliter in esse relativo, et ipsum relative distinguere. Ergo relatio quae hoc facit in aliquo, exercet actum suum circa illud. Ergo contradictionem implicat dicere quod paternitas divina, sub expressa ratione paternitatis, ut actum generationis praecedit, constituit et distinguit personam relativam in esse relativo formaliter, sed non relative exercito, quod isti dicunt: sicut implicat contradictionem, albedinem hominem constituere formaliter in esse qualitativo, sed non qualitative exercito.

* Cf. ibid.

VII *bis.* Alii vero dicunt, ut Capreolus in XXVI distinctione Primi*, et magis mea opinione ad mentem Sancti Thomae, quod relatio, sub expressa ratione relationis, puta paternitatis, non constituit divinam personam, sed sub ratione formae incommunicabilis naturae intellectualis.

* Tertia concl., fin., p. 217.

Ad cuius evidentiam, considerandum primo quod, cum relatio, puta paternitas, in Deo sit idem realiter quod divina essentia; et sit substantia per se subsistens, quod absolutum importat; non inconvenit ipsam et conceptu absoluto concipi, et conceptu relativo. Eadem enim res quae est extra omne genus, et plurium generum in se perfectiones eminenter continet, potest utroque conceptu concipi, propter suam illimitationem. Et ideo non inconvenit ipsam, secundum nostrum modum intelligendi, ut uno conceptu concipitur unum formaliter efficere; aliud vero ut concipitur alio conceptu.

2. Considerandum secundo quod, licet non sit ordo prioris et posterioris in divinis, ut scilicet in aliquo priori extra intellectum Pater prius sit hypostasis quam generet, et quam a Filio relative distinguatur; ex parte tamen intellectus nostri invenitur ordo quidam. Quia enim, apud nos, prius suppositum generans constituitur in esse quam generet, prius etiam intelligimus in divinis Patrem in esse constitutum, deinde Filium generare. Quia vero relatio qua Pater refertur ad Filium, inquantum huiusmodi, idest, inquantum dicit respectum ad alterum, sequitur actum generationis; ideo Pater in illo priori quo concipitur a nobis

ut praecedens generationem et constitutus in esse hypostatico, non concipitur ut aliquid relativum, et ut positive distinctus a Filio, cum tunc Filius non intelligatur esse in illo priori; sed ut aliquid absolutum. Concipitur enim ut substantia per se subsistens, in se indivisa, incommunicabilis, in quo nullus respectus ad Filium importatur. Unde nullum inconveniens est si forma quam significamus ut constitutivam Patris, intelligatur in illo priori in quo constituit ipsum antequam generet, ipsum constituere sub aliqua ratione absoluta: cum non intelligatur constituere in esse relativo ad Filium, sed in esse subsistenti absoluto.

3. Dicitur ergo quod paternitas, cum sit et forma incommunicabilis, et relatio, dupliciter potest concipi: scilicet sub ratione relationis; et sub ratione formae incommunicabilis gerentis vicem omnium principiorum individuantium in rebus creatis. Si consideretur inquantum relatio est, id est, ut ad Filium ordinem dicit, distinguit Patrem a Filio relative, non autem constituit ipsum in esse hypostatico subsistenti. Si autem consideretur sub ratione formae incommunicabilis, sic constituit hypostatice, sed non distinguit a Filio relative. Et hoc est quod intendit Sanctus Thomas dum inquit quod *relatio, inquantum relatio, non constituit divinam personam, sed bene distinguit**. Unde dicendum est quod persona divina constituitur quidem per relationem, quia illa sola, inter ea quae significantur ut formae, non autem ut operationes, est incommunicabilis: sed tamen illa relatio, dum concipitur a nobis ut constitutiva personae, ante actum notionalem ac personalem, praescindendo constitutionem in esse incommunicabili a distinctione ab alia persona, concipitur conceptu absoluto, et sic non constituit sub expressa ratione relationis. Hoc autem non est inconveniens: quia, ut dictum est, tunc concipitur persona, non ut quid relativum, sed ut quid absolutum.

* Vid. I *bis, Tertio.*

4. Cum autem arguitur* quod tunc non magis debet dici per relationes constitui divinas personas, quam per origines aut per essentiam: – negatur consequentia. Quia principium huiusmodi constitutivum oportet et esse incommunicabile; et significari per modum formae intrinsecae. Quorum primum non convenit essentiae, quae communis est: secundum vero non convenit origini, quae, etiam inquantum realis est, *significatur ut egrediens a principio, et ut via quaedam a re vel ad rem,* ut dicitur Prima, q. XL, a. 2. Paternitati autem divinae utrumque convenit: est enim incommunicabilis pluribus; et significatur per modum formae, non quidem inquantum relatio absolute, sed inquantum realis relatio divina. Unde sibi convenit constituere ex sua ratione formali, non quidem sibi conveniente ut est relatio, sed inquantum est substantia incommunicabilis.

Potest etiam dici quod principium constitutivum personae divinae non solum constituit ipsam in esse, sed etiam in esse distincto relative ab alia persona divina. Utrumque autem convenit relationi: distinguere quidem, ex sua propria et formali ratione inquantum est relatio, ut superius* est ostensum; constituere autem in esse subsistenti ex alia ratione, ut est declaratum. Distinguere autem non convenit essentiae aut origini formaliter. Ideo magis dicendum est personas constitui per relationes originis quam per essentiam aut per ipsas origines.

* IV *bis, Attendendum tertio.*

SECUNDUM ergo hanc declarationem, manifesta est opinio Sancti Thomae: et constat rationes Scoti contra Sanctum Thomam in XXVIII distinctione Primi, q. III; et *Quolibetis,* Quolib. IV, contra ipsum non procedere.

# CAPITULUM VIGESIMUM SEPTIMUM

## DE INCARNATIONE VERBI SECUNDUM TRADITIONEM SACRAE SCRIPTURAE

* Cap. IV *in fine;* et cap. VIII.

QUONIAM autem supra*, cum de generatione divina ageretur, dictum est Dei Filio, Domino Iesu Christo, quaedam secundum divinam naturam, quaedam secundum humanam convenire, quam ex tempore assumendo, Dei aeternus Filius voluit incarnari: de ipso nunc Incarnationis mysterio restat dicendum*. Quod quidem inter divina opera maxime rationem excedit: nihil enim mirabilius excogitari potest divinitus factum quam quod verus Deus, Dei Filius, fieret homo verus. Et quia inter omnia mirabilissimum est, consequitur quod ad huius maxime mirabilis fidem omnia alia miracula ordinentur: cum *id quod est in unoquoque genere maximum, causa aliorum esse videatur**.

* Cf. Prooemium seu cap. I, fin.

* Cf. *Metaph.* I α, I, 5; S. Th. II, I. 2.

Hanc autem Dei incarnationem mirabilem, auctoritate divina tradente, confitemur. Dicitur enim *Ioan.* I[14]: *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis.* – Et Apostolus Paulus, *Philipp.* II[6,7], dicit, de Filio Dei loquens: *Cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est se esse aequalem Deo: sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo.*

Hoc etiam ipsius Domini Iesu Christi verba manifeste ostendunt: cum de se quandoque loquatur humilia et humana, ut est illud, *Pater maior me est**, et, *Tristis est anima mea usque ad mortem**, quae ei secundum humanitatem assumptam conveniunt; quandoque vero sublimia et divina, ut est illud, *Ego et Pater unum sumus**, et, *Omnia quae habet Pater, mea sunt**, quae certum est ei secundum naturam divinam competere.

* Ioan. XIV, 28.
* Matt. XXVI, 38.
* Ioan. X, 30.
* Ibid. XVI, 15.

Ostendunt etiam hoc ipsius Domini facta quae de ipso leguntur. Quod enim timuit, tristatus est, esuriit, mortuus est, pertinet ad humanam naturam. Quod propria potestate infirmos sanavit, quod mortuos suscitavit, et quod elementis mundi efficaciter imperavit, quod daemones expulit, quod peccata dimisit, quod a mortuis cum voluit resurrexit, quod denique caelos ascendit, divinam in eo virtutem demonstrant.

14 miracula] mirabilia CP*d*. 15 genere *om* CP. 17 mirabilem *om* EGX, *ante* Dei N. 20 Paulus *om* EWXYZP. 22 se *post* esse DWXYP*c*.

3 etiam] etiam et α*Ycd*, et W. 17 sanavit *Ita* DWXP; sanat *ceteri*.

### Commentaria Ferrariensis

Postquam determinavit Sanctus Thomas de iis quae ad divinam pertinent Trinitatem, incipit de divini Verbi incarnatione, et de iis quae ad ipsam sequuntur, determinare*. Circa hoc autem duo facit: primo, determinat de Verbi incarnatione; secundo, de effectibus Christi incarnati in nobis, cap. LVI. – Circa primum duo facit: primo, ostendit Deum esse incarnatum; secundo, convenientiam Incarnationis ostendit, cap. L. – Circa primum duo facit: primo, ostendit Deum esse incarnatum; secundo, movet quaedam dubia contra ipsam Incarnationem, cap. XL.

*Cf. Comment. cap. 2, init.

Circa primum duo facit: primo, ostendit propositum auctoritate Sacrae Scripturae; secundo, errores circa hanc Incarnationem excludit, capite sequenti.

I. Quantum ad primum, praemittit, ad ordinem doctrinae insinuandum, quod, quia Dei Filio Domino Iesu Christo dictum est superius quaedam secundum divinam naturam, quaedam secundum humanam convenire, quam ex tempore assumendo voluit incarnari: de ipso Incarnationis mysterio dicendum restat.

Praemittit secundo, quod Incarnatio inter divina opera maxime rationem excedit. Et quia hoc mirabilissimum est inter omnia, sequitur quod ad huius maxime mirabilis fidem omnia alia mirabilia* ordinantur: cum *id quod est in unoquoque genere maximum, causa aliorum esse videatur.*

*Cf. text. et var.

II. Attendendum primo, quod Incarnatio ponitur a Sancto Thoma *miraculum omnium miraculorum,* III *Sent.,* d. III, q. II, a. 2; IV *Sent.,* d. XI*; et *de Pot.,* q. VI, a. 2, ad 9: eo quod et sit de primo ordine miraculorum, de iis scilicet quae solus Deus facere potest; et in illo ordine supremum gradum teneat, eo quod hoc sit maxime remotum a facultate naturae, iuxta ea quae superius determinata sunt in Tertio libro, ubi de miraculis agebatur*.

*Qu. 1, a. 3, qu$^a$ 3, fin.

*Cap. CI.

Et ideo hic dicitur quod maxime rationem excedit, et quod est mirabilissimum opus. Quanto enim aliquid magis est supra facultatem naturae, et ab ea magis recedit, tanto ipsum magis miramur, et minus capere nostra ratione possumus, eo quod nostra ratio a sensibilibus et naturalibus cognitionem accipiat.

Attendendum secundo, ex QQ *de Pot.,* ubi supra, quod *alia opera miraculosa inducunt ad hoc ut hoc ipsum Incarnationis miraculum credatur: non enim inconveniens est unum miraculum ad alterius fidem inducere.* Idcirco hic dicitur quod *ad fidem huius miraculi omnia alia mirabilia ordinantur.*

III. Istis suppositis, probat intentum. *Primo,* ex auctoritate *Ioan.* I, ubi dicitur, *Et Verbum caro* etc.

*Secundo,* ex auctoritate Apostoli, *Philipp.* II, ubi ait, *Cum in forma Dei* etc.

*Tertio,* ex verbis ipsius Domini Iesu Christi, aliquando humilia de se loquentis, quae ei secundum humanitatem assumptam conveniunt; aliquando vero sublimia et divina, quae certum est ei secundum divinam naturam convenire.

*Quarto,* ex ipsius Domini factis: quorum quaedam ad humanitatem pertinent, ut quod timuit etc.; quaedam vero ad divinitatem, ut quod propria potestate infirmos sanabat, etc.

Advertendum quod posuit Sanctus Thomas miracula Christi ostendere eius divinitatem, eo quod ipsa *propria potestate* faciebat. Quia operari miracula virtute divina participata etiam hominibus potest convenire: sed operari miracula propria potestate solius Dei est. De ratione enim miraculi est quod ea solus Deus facere possit, scilicet propria virtute: aut quantum ad substantiam facti, aut quantum ad modum faciendi.

# CAPITULUM VIGESIMUM OCTAVUM

## DE ERRORE PHOTINI CIRCA INCARNATIONEM.

Quidam autem, Scripturarum sensum depravantes, circa Domini nostri Iesu Christi divinitatem et humanitatem perversum sensum conceperunt.

Fuerunt enim quidam, ut Ebion et Cerinthus, et postea Paulus Samosatenus et Photinus, qui in Christo solum naturam humanam confitentur; divinitatem vero non per naturam, sed per quandam excellentem divinae gloriae participationem, quam per opera meruerat, in eo fuisse confinxerunt, ut superius* dictum est.

*Cap. IV (p. 106 b).

Sed, ut alia praetermittamus quae contra positionem huiusmodi dicta sunt superius*, haec positio Incarnationis mysterium tollit.

*Ibid.

Non enim, secundum positionem huiusmodi, Deus carnem assumpsisset, ut fieret homo: sed magis homo carnalis Deus factus fuisset. Et sic non verum esset quod Ioannes dicit*, *Verbum caro factum est:* sed magis e contrario, *Caro Verbum facta fuisset.*

*Ioan. I, 14.

Similiter etiam non convenirent Dei Filio exinanitio aut descensio, sed magis homini glorificatio et ascensio, et sic non verum esset quod Apostolus dicit*, *Qui cum in forma Dei esset, exinanivit semetipsum formam servi accipiens:* sed sola exaltatio hominis in divinam gloriam, de qua postmodum subditur*, *Propter quod et Deus exaltavit illum.*

*Philipp. II, 6.7.

*Vers. 9.

Neque verum esset quod Dominus dicit*, *Descendi de caelo,* sed solum quod ait*, *Ascendo ad Patrem meum:* cum tamen utrumque Scriptura coniungat. Dicit enim Dominus, *Ioan.* III[13]: *Nemo ascendit in caelum nisi qui de caelo descendit, Filius hominis, qui est in caelo;* et *Ephes.* IV[10], *Qui descendit, ipse est qui ascendit super omnes caelos.*

*Ioan. VI, 38.

*Ibid., XX, 17.

Sic etiam non conveniret Filio quod missus esset a Patre, neque quod a Patre exiverit ut veniret in mundum, sed solum quod ad Patrem iret: cum tamen ipse utrumque coniungat, dicens, *Ioan.* XVI[5], *Vado ad eum qui misit me;* et iterum*, *Exivi a Patre et veni in mundum, et iterum relinquo mundum et vado ad Patrem;* in quorum utroque et humanitas et divinitas comprobatur.

*Ibid. vers. 28.

1 depravantes] damnantes EGHNX. 9 utrumque *post* Scriptura EGNX*b* 13 est qui] est et qui DYZ*b*P*c*. 19 e contrario] e converso EGNXP*c*. 21 humanitas et divinitas] divinitas et humanitas DENXZ, humanitas p*G*.

### Commentaria Ferrariensis

Viso quod Dei incarnationem auctoritate divina confitemur, vult Sanctus Thomas errores circa ipsam incarnationem exortos excludere*. Circa hoc autem duo facit: primo, excludit errores qui sunt circa ea quae uniuntur in hac incarnatione; secundo, eos qui sunt circa ipsam unionem, cap. XXXIV.

*Cf. Comment. cap. praec., init.

Circa primum tria facit: primo, excludit errores circa divinitatem Christi; secundo, circa corpus, cap. seq.; tertio, circa animam, cap. XXXII.

Quantum ad primum, ait quod Ebion, Cerinthus, et postea Paulus Samosatenus et Photinus, in Christo solum humanam naturam confitentur; divinitatem vero non per naturam, sed per quandam excellentem divinae gloriae participationem, quam per opera meruerat, fuisse confingunt.

Contra hunc errorem autem, praeter ea quae contra ipsum superius* dicta sunt dum de divinitate Filii agebatur, arguit Sanctus Thomas quia haec positio Incarnationis mysterium tollit.

* Cap. IV.

Sequitur enim *primo,* non quod Deus carnem assumpsit ut fieret homo, sed magis quod homo carnalis Deus factus fuit, contra illud quod Ioannes dicit, *Verbum caro factum est:* sic enim magis e converso caro Verbum facta fuisset.

Sequitur *secundo,* quod non convenirent Filio Dei exinanitio aut descensio, sed magis homini glorificatio et ascensio: contra illud Apostoli, *Qui cum in forma Dei esset* etc.

Sequitur *tertio,* non esse verum quod Dominus dicit, *Descendi de caelo:* contra illud quod dicitur *Ioan.* III, *Nemo ascendit* etc.; et *Ephes.* IV, *Qui descendit* etc.

Sequitur *quarto,* quod Filius non sit missus a Patre, neque quod exierit ab ipso ut veniret in mundum, sed solum quod ad Patrem iret: contra illud *Ioan.* XVI, *Vadò ad eum* etc.

# CAPITULUM VIGESIMUM NONUM

## DE ERRORE MANICHAEORUM CIRCA INCARNATIONEM.

Fuerunt autem et alii qui, veritate Incarnationis negata, quandam fictitiam incarnationis similitudinem introduxerunt. Dixerunt enim Manichaei* Dei Filium non verum corpus, sed phantasticum assumpsisse. Unde nec verus homo esse potuit, sed apparens: neque ea quae secundum hominem gessit, sicut quod natus est, quod comedit, bibit, ambulavit, passus est et sepultus, in veritate fuisse, sed in quadam simulatione, consequitur. Et sic patet quod totum Incarnationis mysterium ad quandam fictionem deducunt.

* Aug. *de Haeres.*, XLVI

Haec autem positio primo quidem Scripturae auctoritatem evacuat. Cum enim carnis similitudo caro non sit, neque similitudo ambulationis ambulatio, et in ceteris similiter, mentitur Scriptura dicens, *Verbum caro factum est**, si solum phantastica caro fuit. Mentitur etiam dicens Iesum Christum ambulasse, comedisse, mortuum fuisse et sepultum, si haec in sola phantastica apparitione contigerunt. Si autem vel in modico auctoritati Sacrae Scripturae derogetur, iam nihil fixum in fide nostra esse poterit, quae Sacris Scripturis innititur, secundum illud *Ioan.* XX[31]: *Haec scripta sunt ut credatis.*

* *Ioan.* I, 14.

Potest autem aliquis dicere Scripturae quidem Sacrae veritatem non deesse, dum id quod apparuit, refert ac si factum fuisset: quia rerum similitudines aequivoce ac figurate ipsarum rerum nominibus nuncupantur, sicut homo pictus aequivoce dicitur homo; et ipsa Sacra Scriptura consuevit hoc modo loquendi uti, ut est illud I *Cor.* X[4], *Petra autem erat Christus.* Plurima autem corporalia in Scripturis de Deo inveniuntur dici propter similitudinem solam: sicut quod nominatur agnus vel leo, vel aliquid huiusmodi.

Sed licet rerum similitudines aequivoce rerum sibi nomina interdum assumant, non tamen competit Sacrae Scripturae ut narrationem unius facti totam sub tali aequivocatione proponat, ita quod ex aliis Scripturae locis manifesta veritas haberi non possit: quia ex hoc non eruditio hominum, sed magis deceptio sequeretur; cum tamen Apostolus dicat, *Rom.* XV[4], quod *quaecumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt;* et II *Tim.* III[16], *Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum et erudiendum.* – Esset praeterea tota evangelica narratio poetica et fabularis, si rerum similitudines apparentes quasi res ipsas narraret: cum tamen dicatur II *Pet.* I[16]: *Non enim indoctas fabulas secuti notam fecimus vobis Domini nostri Iesu Christi virtutem.*

Sicubi vero Scriptura narrat aliqua quae apparentiam et non rerum existentiam habuerunt, ex ipso more narrationis hoc intelligere facit. Dicitur enim *Gen.* XVIII[2]: *Cumque elevasset oculos,* Abraham scilicet, *apparuerunt tres viri,* ex quo datur intelligi quod secundum apparentiam viri fuerunt. Unde et in eis Deum adoravit et deitatem confessus est, dicens*, *Loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis et cinis;* et iterum*, *Non est tuum hoc, qui iudicas omnem terram.* – Quod vero Isaias et Ezechiel et alii prophetae aliqua descripserunt quae imaginarie visa sunt, errorem non generat: quia huiusmodi ponunt non in narratione historiae, sed in descriptione prophetiae. Et tamen semper aliquid addunt per quod apparitio designatur: sicut *Isaiae* VI[1], *Vidi Dominum*

* Vers. 27.

* Vers. 25.

8 quod comedit] comedit EGN*b*. 10 simulatione *Ita* BFWY; similatione CHZ, consimilatione ENsG*b*, consideratione GX, assimilatione DsNP*c* 29 figurate] figurative XZsG*b* 34 de Deo *post* inveniuntur EGNX.

14 et fabularis] fabularis EX, vel fabularis H, et fabulosa D. 16 narraret] narrares α, narrarent Y. 29 aliqua] alia *addunt* P*c*. 31 generat] generant X*b*.

*sedentem* etc.; *Ezech.* I[3]. *Facta est super me manus Domini et vidi* etc.; *Ezech.* VIII[3], *Emissa similitudo manus apprehendit me et adduxit, et veni in Ierusalem in visione Dei.*

Quod etiam aliqua in Scripturis de rebus divinis per similitudinem dicuntur, errorem generare non potest. Tum quia similitudines sumuntur a rebus tam vilibus ut manifestum sit quod haec secundum similitudinem, et non secundum rerum existentiam dicuntur. – Tum quia inveniuntur aliqua proprie dicta in Scripturis per quae veritas expresse manifestatur quae sub similitudinibus in locis aliis occultatur. Quod quidem in proposito non accidit: nam nulla Scripturae auctoritas veritatem eorum quae de humanitate Christi leguntur, excludit.

Forte autem quis dicat quod hoc datur intelligi per hoc quod Apostolus dicit, *Rom.* VIII[3]: *Misit Deus Filium suum in similitudinem carnis peccati.* Vel per hoc quod dicit *Philipp.* II[7]: *In similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo.* – Hic autem sensus per ea quae adduntur excluditur. Non enim dicit solum *in similitudinem carnis,* sed addit *peccati:* quia Christus veram quidem carnem habuit, sed non *carnem peccati,* quia in eo peccatum non fuit, sed *similem carni peccati,* quia carnem passibilem habuit, qualis est facta caro hominis ex peccato. – Similiter fictionis intellectus excluditur ab hoc quod dicit *in similitudinem hominum factus,* per hoc quod dicitur, *formam servi accipiens.* Manifestum est enim *formam* pro natura poni, et non pro similitudine, ex hoc quod dixerat*, *Qui cum in forma Dei esset,* ubi pro natura ponitur *forma:* non enim ponunt quod Christus fuerit similitudinarie Deus. Excluditur etiam fictionis intellectus per hoc quod subdit*, *Factus obediens usque ad mortem.* – Non ergo similitudo accipitur pro similitudine apparentiae, sed pro naturali similitudine speciei: sicut omnes homines similes specie dicuntur.

Magis autem Sacra Scriptura expresse phantasmatis suspicionem excludit. Dicitur enim *Matth.* XIV[26], quod *videntes discipuli Iesum ambulantem supra mare, turbati sunt, dicentes, Quia phantasma est, et prae timore clamaverunt.* Quam quidem eorum suspicionem Dominus consequenter removit: unde subditur*, *Statimque Iesus locutus est eis, dicens: Habete fiduciam, Ego sum, Nolite timere.* – Quamvis non rationabile videatur quod aut discipulos lateret quod non nisi corpus phantasticum assumpsisset, cum eos ad hoc elegerit ut de eo testimonium perhiberent veritatis *ex his quae viderant et audierant**: aut si eos non latebat, aestimatio phantasmatis non incussisset tunc eis timorem.

Adhuc autem expressius suspicionem phantastici corporis a mentibus discipulorum removit Dominus post resurrectionem. Dicitur enim *Lucae* ult.* quod discipuli, *conturbati et conterriti, aestimabant se spiritum videre,* dum scilicet viderunt Iesum. *Et dixit eis: Quid turbati estis, et cogitationes ascendunt in corda vestra? Videte manus meas et pedes meos, quia ego ipse sum. Palpate et videte: quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere.* Frustra enim se palpandum praebuit, si non nisi corpus phantasticum habuisset.

Item. Apostoli seipsos idoneos Christi testes ostendunt: dicit enim Petrus, *Act.* X[40]: *Hunc,* scilicet Iesum, *Deus suscitavit tertia die, et dedit eum manifestum fieri non omni populo, sed testibus praeordinatis a Deo, nobis qui manducavimus et bibimus cum illo postquam resurrexit a mortuis.* Et Ioannes Apostolus, in principio suae Epistolae*, dicit: *Quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, et manus nostrae contrectaverunt de Verbo vitae, hoc testamur.* Non potest autem efficax sumi testimonium veritatis per ea quae non in rei existentia, sed solum in apparentia sunt gesta. Si igitur corpus Christi fuit phantasticum, et non vere manducavit et bibit, neque vere visus est et palpatus, sed phantastice tantum, invenitur non esse idoneum testimonium Apostolorum de Christo. Et sic *inanis est eorum praedicatio, inanis est et fides nostra,* ut dicit Paulus I *Cor.* XV[14].

Amplius autem, si Christus verum corpus non habuit, non vere mortuus est. Ergo nec vere resurrexit. Sunt igitur Apostoli falsi testes Christi, praedicantes mundo ipsum resurrexisse. Unde Apostolus ibidem* dicit: *Invenimur autem et falsi testes Dei: quoniam testimonium diximus adversus Deum, quod suscitaverit Iesum, quem non suscitavit.*

Praeterea. Falsitas non est idonea via ad veritatem: secundum illud *Eccli.* XXXIV[4]: *A mendace quid verum dicetur?* Adventus autem Christi in mundum ad veritatis manifestationem fuit: dicit enim ipse, *Ioan.* XVIII[37]: *Ego autem in hoc natus sum, et ad hoc veni, ut testimonium perhibeam veritati.* Non igitur in Christo fuit aliqua falsitas. Fuisset autem si ea quae dicuntur de ipso, in apparentia tantum fuissent: nam *falsum est quod non est ut videtur**. Omnia igitur quae de Christo dicuntur, secundum rei existentiam fuerunt.

Adhuc. *Rom.* V[9], dicitur quod *iustificati sumus in sanguine Christi;* et *Apoc.* V[9], dicitur: *Redemisti nos, Domine, in sanguine tuo.* Si igitur Christus non habuit verum sanguinem, neque vere pro nobis ipsum fudit. Neque igitur vere iustificati, neque

* Cap. XXIV, 37, sqq.
* 1 *Ioan.*, I, 1, 2.
* Vers. 6.
* Vers. 8.
* Vers. 15.
* Vers. 27.
* Act. IV, 20.
* Cf. IV *Metaph.*, XXIX, 1, 2; S. Th. V, lect. 22.

1 Ezech. *Ita* P; et Ezech. sW, etenim *ceteri.* 2 Ezech. *Ita* Pc; et Eze. X; Iere. *ceteri.* 8 manifestum sit quod haec secundum *Ita nos;* solum (notum sEP) sit hoc quod (quod *om* GNY) secundum *omnes. Pro* dicuntur, dicantur Y. 11 per quae] per quam αGNW. 13 occultatur] occultantur EWXZPc. 17 Forte autem quis dicat] Forte autem quis dicet G, Forte aliquis dicit Z, (nisi sY) forte quis dicat Y. 22 adduntur] hic adduntur GPc 31 enim *Ita nos;* autem *omnes.* 33 Qui] quia EGNXY. 34 ubi *Ita* YPc; *om* Z, vero E, nunc W, non nisi X, non *ceteri.* ponunt] ponitur P*d.* 39 naturali] natura *d,* vera P. 41 expresse *om* EX. 46 consequenter] convenienter NPc. 47 Iesus *om* EGNX*b.* 53 viderant et audierant] viderunt et audierunt EGNX.

11 praebuit] tribuit Z, praebuisset P. 19 Ioannes *om* G, Apostolus *om* E. 27 palpatus] est *addunt* Pc. 29 sic *Ita* X*b*Pc; si *ceteri.* 32 non vere mortuus est] si (*om* X) vere mortuus non est EGX; *pro* Ergo nec, nec EGX, non N. 35 Apostolus *om* EGXZ*b*, *post* dicit N. 44 veni] in mundum *addunt* DEXPc. 46 de ipso] de eo EGNX.

vere redempti sumus. Ad nihil igitur utile est esse in Christo.

Item. Si non nisi phantasia intelligendus est adventus Christi in mundum, nihil novum in Christi adventu accidit: nam et in Veteri Testamento Deus apparuit Moysi et prophetis secundum multiplices figuras, ut etiam Scriptura Novi Testamenti testatur*. Hoc autem totam doctrinam Novi Testamenti evacuat. Non igitur corpus phantasticum, sed verum Filius Dei assumpsit.

* *Marc.* XII, 26; *Heb.* I, 1.

b 1 et prophetis *om* EGX. 5 Filius *post* Dei EX.

## Commentaria Ferrariensis

Excluso errore circa Christi divinitatem, vult Sanctus Thomas excludere errores circa corpus ipsius*. Et triplicem errorem excludit: unum in hoc capite; alterum capite sequenti; tertium capite XXXI.

* Cf. cap. praec. init.

I. Primus ergo error fuit Manichaeorum, dicentium Dei Filium non verum corpus, sed phantasticum assumpsisse. Unde nec verus homo esse potuit, sed apparens; neque ea quae secundum hominem gessit, in veritate fuisse consequitur, sed in quadam assimilatione*.

* Cf. text. et var.

Contra autem hunc errorem arguit Sanctus Thomas *primo*, quia haec positio Scripturae auctoritatem evacuat. Cum enim similitudo carnis caro non sit, et sic de ceteris, mentitur Scriptura dicens quod *Verbum caro factum est*, quod ambulavit, quod comedit, etc. Si autem vel in modico auctoritati Scripturae derogetur, iam nihil in fide nostra fixum esse poterit, quae Sacris Scripturis innititur: iuxta illud *Ioan.* XX, *Haec autem* etc.

II. Si dicatur quod propter hoc non oportet veritatem Sacrae deesse Scripturae, quia rerum similitudines aequivoce ac figurate rerum ipsarum nominibus nuncupantur; et ipsa Sacra Scriptura consuevit illo modo loquendi uti, ut est illud I *Cor.* X, *Petra autem erat Christus*, et similia: – contra hoc instatur primo, quia non competit Sacrae Scripturae ut narrationem totam unius facti sub tali aequivocatione proponat, ita quod ex aliis Scripturae locis manifesta veritas haberi non possit: quia ex hoc non eruditio hominum, sed magis deceptio sequeretur, contra illud *Rom.* XV, *Quaecumque scripta* etc.; et II *ad Tim.* III, *Omnis Scriptura* etc.

Secundo, quia esset tota evangelica narratio poetica et fabularis: contra illud quod dicitur II *Pet.* I, *Non indoctas* etc.

2. Ad rationem autem huius opinionis dicitur quod, sicubi Scriptura narrat aliqua quae apparentiam, et non rerum existentiam habuerunt, ex ipso modo narrationis hoc intelligere facit: ut patet *Gen.* XVIII, cum dicitur, *Cumque elevasset* etc.

Dicitur secundo, Isaiam et Ezechielem et alios prophetas aliqua alia descripsisse quae imaginarie visa sunt, errorem non generat: quia huiusmodi ponunt non in narratione, sed in prophetiae descriptione. Et tamen semper aliquid addunt per quod apparitio designatur: sicut *Isaiae* VI, *Vidi Dominum* etc.; et *Ezech.* VIII, *Emissa similitudo* etc.

Dicitur tertio, quod aliqua in Scripturis de rebus divinis per similitudinem dici, errorem non potest generare. Tum ex vilitate rerum a quibus sumuntur similitudines. – Tum quia inveniuntur aliqua proprie dicta in Scripturis per quae veritas expresse manifestatur, quae sub similitudinibus in aliis locis occultatur. Quod quidem in proposito non accidit: cum nulla Scripturae auctoritas veritatem eorum quae de humanitate Christi dicuntur, excludat.

3. Si dicatur quod immo hoc invenitur: quia *ad Rom.* VIII dicitur, *Misit Deus* etc.; et *Philipp.* II, *in similitudinem* etc. – respondetur primo, quod Apostolus non dicit solum *in similitudinem carnis*, sed addit *peccati:* quia Christus veram quidem carnem habuit, sed non carnem peccati, sed similem illi, scilicet passibilem, qualis facta est caro hominis ex peccato.

Dicitur secundo, quod in illa auctoritate *ad Philipp.* fictionis intellectus excluditur per hoc quod dicitur, *formam servi accipiens:* ubi manifestum est *formam* pro natura poni, non pro similitudine, ex eo quod dixerat, *qui cum in forma Dei esset*, ubi pro natura ponitur *forma*. – Excluditur etiam fictio per hoc quod dicitur, *factus obediens usque ad mortem*. – *Similitudo* igitur in illa auctoritate pro *natura et similitudine speciei* sumitur: sicut omnes homines similes specie dicuntur.

III. *Secundo principaliter* arguitur, quia, discipulis videntibus Christum ambulantem super mare, et putantibus ipsum phantasma esse, hanc Dominus ab eis suspicionem removit, cum inquit, *Habete fiduciam* etc. Non enim videtur rationabile quod aut discipulos lateret ipsum corpus phantasticum assumpsisse, cum electi essent in testimonium veritatis: aut, si eos non latebat, existimatio phantasmatis tunc eis timorem non incusserit.

*Tertio*, quia post Resurrectionem, ut dicitur *Lucae* ult., existimantibus discipulis se spiritum videre, dixit eis Dominus, *Palpate et videte* etc. Frustra enim se palpandum praebuisset, si non nisi phantasticum corpus habuisset.

*Quarto*. Si corpus Christi fuit phantasticum, et non vere manducavit et bibit, neque vere visus est et palpatus, sequitur non esse verum testimonium Apostolorum de Christo. Hoc est falsum. Ergo etc. – Probatur consequentia. Quia non potest sumi efficax testimonium veritatis per ea quae non in rei existentia, sed solum in apparentia sunt gesta. – Falsitas consequentis probatur. Tum quia Apostoli seipsos idoneos Christi testes ostendunt: ut patet *Act.* X, et in principio Epistolae *Ioannis*. Tum quia *inanis fuisset eorum praedicatio, et inanis fides nostra:* ut dicitur I *Cor.* XV.

*Quinto*. Sequitur quod Christus vere non est mortuus; et consequenter quod non vere resurrexit. Ergo Apostoli hoc praedicantes sunt falsi testes: ut arguitur ibidem, scilicet I *Cor.* XV.

*Sexto*. Fuisset in Christo aliqua falsitas, si ea quae de ipso dicuntur, in apparentia tantum fuissent: quia falsum est quod non est ut videtur. Sed in Christo non fuit aliqua falsitas: quia adventus eius in mundum fuit *ad manifestationem veritatis*, ut dicitur *Ioan.* XVIII; falsitas autem non est idonea via ad veritatem, iuxta illud *Eccli.* XXXIV, *A mendace* etc. Ergo etc.

Advertendum, ex doctrina Sancti Thomae Prima, q. XVII, a. 1, quod, *cum veritas et falsitas inveniatur in rebus in ordine ad intellectum, per comparationem ad intellectum nostrum dicitur res falsa quae nata est de se facere falsam existimationem. Et ideo ea quae in exterioribus accidentibus habent similitudinem aliarum rerum, dicuntur falsa secundum illam rem: eo quod innatum sit nobis per ea quae exterius apparent, de rebus iudicare.* Propterea bene hic dicitur, et est de mente Aristotelis V *Metaph.**, falsum esse, scilicet ex parte rei, *quod non est ut videtur*, idest, quod habet alterius rei similitudinem.

* Didot lib. IV. Cf. loc. cit. ad textum.

*Septimo*. Cum dicamur, *Rom.* VIII, *in sanguine Christi iustificati*, et *Apoc.* V, *redempti*, si Christus non habuerit verum sanguinem, non vere pro nobis ipsum fudit. Ergo neque vere iustificati, neque vere redempti sumus. Ergo ad nihil utile est esse in Christo.

*Octavo*. Sequitur quod nihil novum in Christi adventu accidit: quia et in Veteri Testamento Deus apparuit Moysi et prophetis secundum multiplices figuras. Sed hoc totam doctrinam Novi Testamenti evacuat. Ergo etc.

# CAPITULUM TRIGESIMUM

## DE ERRORE VALENTINI CIRCA INCARNATIONEM.

His autem et Valentinus propinque de mysterio Incarnationis sensit. Dixit enim quod Christus non terrenum corpus habuit, sed de caelo portavit: et quod nihil de Virgine Matre accepit, sed per eam quasi aquaeductum transivit*. Occasionem autem sui erroris ex quibusdam verbis Sacrae Scripturae accepisse videtur. Dicitur enim *Ioan.* III[13.31]: *Nemo ascendit in caelum nisi qui de caelo descendit, Filius hominis, qui est in caelo... Qui de caelo venit, super omnes est.* Et *Ioan.* VI[38], dicit Dominus: *Descendi de caelo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me.* Et I *Cor.* XV[47]: *Primus homo de terra terrenus, secundus homo de caelo caelestis.* Quae omnia sic intelligi volunt ut Christus de caelo etiam secundum corpus descendisse credatur.

* Aug. *de Haeres.*, XI.

Procedit autem tam haec Valentini positio, quam Manichaeorum praemissa*, ex una falsa radice: quia credebant quod haec omnia terrena a diabolo sint creata. Unde, cum *Filius Dei in hoc apparuerit ut dissolvat opera diaboli*, sicut dicitur I *Ioan.* III[8], non ei competebat ut de creatura diaboli corpus assumeret: cum etiam Paulus dicat, II *Cor.* VI[14.15]: *Quae societas lucis ad tenebras? Quae autem conventio Christi ad Belial?*

* Cap. praec.

Et quia quae ab eadem radice procedunt, similes fructus producunt, in idem falsitatis inconveniens relabitur haec positio cum praedicta. Uniuscuiusque enim speciei sunt determinata essentialia principia, materiam dico et formam, ex quibus constituitur ratio speciei in his quae sunt ex materia et forma composita. Sed sicut caro humana et os et huiusmodi sunt materia propria hominis, ita ignis, aer, aqua et terra, et huiusmodi, qualia sentimus, sunt materia carnis et ossis et huiusmodi partium. Si igitur corpus Christi non fuit terrenum, non fuit in ipso vera caro et verum os, sed omnia secundum apparentiam tantum. Et ita etiam non fuit verus homo, sed apparens: cum tamen, ut dictum est*, ipse dicat: *Spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere**.

* Cap. praec.

* Luc. XXIV, 39.

Adhuc. Corpus caeleste secundum suam naturam est incorruptibile et inalterabile, et extra suum *ubi* non potest transferri*. Non autem decuit quod Dei Filius dignitati naturae assumptae aliquid detraheret, sed magis quod eam exaltaret. Non igitur corpus caeleste aut incorruptibile ad inferiora portavit, sed magis assumptum terrenum corpus et passibile incorruptibile reddidit et caeleste.

* Cf. I *de Caelo et Mundo*, cap. III: S. Th. lect. VI.

Item. Apostolus dicit, *Rom.* I[3], de Filio Dei, quod *factus est ex semine David secundum carnem.* Sed corpus David terrenum fuit. Ergo et corpus Christi.

Amplius. Idem Apostolus dicit, *Galat.* IV[4], quod *Deus misit Filium suum factum ex muliere.* Et *Matth.* I[16], dicitur quod *Iacob genuit Ioseph, virum Mariae, de qua natus est Iesus, qui vocatur Christus.* Non autem vel ex ea factus, vel de ea natus diceretur, si solum per eam sicut per fistulam transisset, nihil ex ea assumens. Ex ea igitur corpus assumpsit.

Praeterea. Non posset dici Mater Iesu Maria, quod Evangelista testatur*, nisi ex ea aliquid accepisset.

* *Matth.* I. 18.

Adhuc. Apostolus dicit, *Heb.* II[11.12]: *Qui sanctificat,* scilicet Christus, *et qui sanctificantur,* scilicet fideles Christi, *ex uno omnes. Propter quam causam non confunditur eos vocare fratres, dicens: Narrabo nomen tuum fratribus meis.* Et infra*: *Quia ergo pueri communicaverunt carni et sanguini, et ipse similiter participavit eisdem.* Si autem Christus corpus caeleste solum habuit, manifestum est, cum nos corpus terrenum habeamus, quod non sumus ex uno cum ipso, et per consequens neque fratres eius possumus dici. Neque etiam ipse participavit carni et sanguini: nam notum est quod caro et sanguis ex elementis inferioribus componuntur, et non sunt naturae caelestis. Patet igitur contra Apostolicam sententiam praedictam positionem esse.

* Vers. 14.

Ea vero quibus innituntur, manifestum est frivola esse. Non enim Christus descendit de caelo secundum corpus aut animam, sed secundum quod Deus. Et hoc ex ipsis verbis Domini accipi potest. Cum enim diceret, *Ioan.* III[13], *Nemo ascendit in caelum nisi qui descendit de caelo,* adiunxit, *Filius hominis, qui est in caelo:* in quo ostendit se ita descendisse de caelo quod tamen in caelo esse non desierit. Hoc autem proprium deitatis est, ut ita in terris sit quod et caelum impleat: secundum illud *Ier.* XXIII[24]: *Caelum et terram ego impleo.* Non ergo Filio Dei, inquantum Deus est, descendere de caelo competit secundum motum localem: nam quod localiter movetur, sic ad unum locum accedit quod recedit ab altero. Dicitur igitur Filius Dei descendisse

---

2 sensit] consensit EGX. 6 aquaeductum] per aquaeductum *Yb*Pc. 11 Qui] Et qui D, et infra in eodem qui *b*. Ioan. VI *Ita Yb*Pc; infra VI *ceteri*. 17 descendisse] descendisset WZ; credatur *om* αYWZ. 36 et huiusmodi qualia sentimus *Ita* EGXsDPc *et sine* et DN; huiusmodi talia sentimus BCF, et huiusmodi H, (et YZ) huiusmodi talia quae sentimus YZ*b*, et huiusmodi alia W. 37 sunt materia] sicut materia BC, sunt. Item materia D *et sine* sunt G. 39 non fuit in ipso] sed fuit in ipso C, neque fuit in ipso Y, non fuit in Christo Z, non in ipso *d*, nec in ipso fuit P; terrenum non fuit *hom om* E. 50 aut incorruptibile *Ita* YsDNP; aut corruptibile DGHXZ*bcd*, corruptibile aut BCEF, aut corruptibile aut N, corruptibile fecit aut WsE.

2 corpus *om* BEGX*b*. 5 quod] qui CsN. 6 et *om* EGNX. 12 de ea] ex ea EGNPc. 21 Christi *om* EGNX. 24 ergo] vero EGNX*b*. 49 recedit *post* ab altero EGNXPc.

secundum hoc quod terrenam substantiam sibi copulavit: sicut et Apostolus eum *exinanitum* dicit*, inquantum formam servi accepit, ita tamen quod divinitatis naturam non perdidit.

* *Ad Philipp.*, II, 7.

Id vero quod pro radice huius positionis assumunt, ex superioribus patet esse falsum. Ostensum est enim in secundo Libro* quod ista corporalia non a diabolo, sed a Deo sunt facta.

* Cap. XLI, cf. XV.

### Commentaria Ferrariensis

SECUNDUS error, propinquus praecedenti, fuit Valentini dicentis quod Christus non terrenum corpus habuit, sed de caelo portavit; et quod nihil de matre accepit, sed per eam quasi per aquaeductum transivit. Confirmabat autem errorem ex auctoritate Sacrae Scripturae: *Ioan.* III, *Nemo ascendit* etc.; et *Ioan.* VI, *Descendi* etc.; et I *Cor.* XV, *Primus homo* etc.

Procedebat autem, sicut et praecedens, ex una falsa radice: scilicet quia ipsi credebant omnia terrena a diabolo esse creata. Cum enim Filius Dei *ad hoc apparuerit ut dissolvat opera diaboli,* ut dicitur I *Ioan.* III, non ei competebat ut de creatura diaboli corpus acciperet, cum etiam dicatur II *Cor.* VI, *Quae societas* etc.

II. Contra autem hunc errorem *arguitur primo,* quia sequitur id quod ex errore Manichaei sequebatur: scilicet quod Christus non fuerit verus homo, sed apparens, etc. – Probatur sequela, supponendo quod uniuscuiusque speciei sint determinata principia essentialia, scilicet materia et forma, ex quibus materialis speciei ratio constituitur. Si enim corpus Christi non fuit terrenum, non fuit in ipso vera caro et verum os, quae sunt propria materia hominis, cum ignis, aer, aqua, terra, et huiusmodi, sint horum propria materia. Ergo etc.

*Secundo.* Non decuit quod Dei Filius dignitatem naturae assumptae ad peius aliquid traheret, sed magis quod ipsam exaltaret. Sed corpus caeleste est incorruptibile secundum naturam, et inalterabile, et extra suum *ubi* transferri non potest. Ergo hoc non ad inferiora portavit, sed magis terrenum et passibile incorruptibile reddidit et caeleste.

*Tertio.* Corpus David terrenum fuit. Ergo et corpus Christi: cum, secundum Apostolum, factus sit Filius Dei *ex semine David secundum carnem.*

*Quarto.* Filius Dei dicitur *ex Maria factus et natus: Galat.* IV, et *Matth.* I. Hoc autem non diceretur si per eam sicut per fistulam transisset, nihil ex ea assumens. Ergo etc.

*Quinto.* Non posset dici *Mater Iesu* Maria. Ergo etc.

*Sexto.* Sequitur quod nos non sumus *ex uno* cum ipso; et consequenter neque *fratres eius* possumus dici. Neque etiam ipse *participavit carni et sanguini:* cum haec ex elementis inferioribus componantur. Hoc autem est contra ea quae dicuntur *Heb.* II. Ergo etc.

III. Ad ea vero quibus innituntur, dicitur primo, quod Christus non descendit de caelo secundum corpus aut animam, sed secundum quod Deus. Quod ostenditur quia, cum dixisset, *Nemo* etc., adiunxit, *Filius hominis, qui est in caelo,* in quo ostendit se ita descendisse de caelo quod tamen in caelo esse non desierit: quod est proprium deitatis, iuxta illud *Ierem.* XXIII, *Caelum et terram ego impleo.*

Dicitur secundo, quod iste descensus Filii Dei non intelligitur secundum motum localem: sed secundum hoc quod terrenam sibi substantiam copulavit.

2. Advertendum quod, cum divina sub similitudinibus corporalium intelligamus, ad significandum novum modum essendi Dei in terris, utitur Scriptura nomine *descensus,* non quidem hoc nomine intelligendo motum localem, quo corpus, accedendo ad unum locum, recedit ab altero; sed tantum novum modum essendi in terris, per assumptionem scilicet terrenae substantiae. Licet enim Deus, ante incarnationem, esset in caelo et in terra, non erat tamen per hunc modum ut ei esset humana natura in unitate personae copulata. Et ideo dicitur de caelo *descendisse,* quia humanam naturam, quae non est caelestis sed terrena, sibi copulavit et univit.

Ad radicem vero positionis dicitur quod est falsa: ut ostensum est superius secundo Libro.

# CAPITULUM TRIGESIMUM PRIMUM

## DE ERRORE APOLLINARIS CIRCA CORPUS CHRISTI.

IRRATIONABILIUS autem his circa Incarnationis mysterium Apollinaris erravit*, in hoc tamen cum praedictis concordans, quod corpus Christi non fuit de Virgine assumptum, sed, quod est magis impium, aliquid Verbi dicit in carnem Christi fuisse conversum: occasionem erroris sumens ex eo quod dicitur *Ioan.* I[14], *Verbum caro factum est,* quod sic intelligendum putavit quasi ipsum Verbum sit conversum in carnem, sicut et intelligitur illud quod legitur *Ioan.* II[9], *ut gustavit architriclinus aquam vinum factam,* quod ea ratione dicitur, quia conversa est aqua in vinum.

* Aug. *de Haeres.*, LV.

Huius autem erroris impossibilitatem ex his quae supra ostensa sunt, facile est deprehendere. Ostensum est enim supra* quod Deus omnino immutabilis est. Omne autem quod in aliud convertitur, manifestum est mutari. Cum igitur Verbum Dei sit verus Deus, ut ostensum est*, impossibile est quod Verbum Dei fuerit in carnem mutatum.

* Lib. I, cap. XIII.

* Cap. III

Item. Verbum Dei, cum sit Deus, simplex est: ostensum est enim supra* in Deo compositionem non esse. Si igitur aliquid Verbi Dei sit conversum in carnem, oportet totum Verbum conversum esse. Quod autem in aliud convertitur, desinit esse id quod prius fuit: sicut aqua conversa in vinum, iam non est aqua, sed vinum. Igitur post incarnationem, secundum positionem praedictam, Verbum Dei penitus non erit. Quod apparet impossibile: tum ex hoc quod Verbum Dei est aeternum, secundum illud *Ioan.* I[1], *In principio erat Verbum;* tum quia post incarnationem Christus Verbum Dei dicitur, secundum illud *Apoc.* XIX[13], *Vestitus erat veste aspersa sanguine, et vocabatur nomen eius Verbum Dei.*

* Lib. I, cap. XVIII.

Amplius. Eorum quae non communicant in materia et in genere uno, impossibile est fieri

18 mutari] in illud mutari Pd.
5 sit] est Pc. 8 sicut aqua] aqua EGX, aqua enim Pc. 15 Dei *om* Pd.

conversionem in invicem: non enim ex linea fit albedo, quia sunt diversorum generum; neque corpus elementare potest converti in aliquod corporum caelestium, vel in aliquam incorpoream substantiam, aut e converso, cum non conveniant in materia. Verbum autem Dei, cum sit Deus, non convenit neque in genere neque in materia cum quocumque alio: eo quod Deus neque in genere est, neque materiam habet*. Impossibile est igitur Verbum Dei fuisse in carnem conversum, vel in quodcumque aliud.

*Lib. I, cap. XVII, XXV.

Praeterea. De ratione carnis, ossis et sanguinis, et huiusmodi partium, est quod sit ex determinata materia. Si igitur Verbum Dei sit in carnem conversum, secundum positionem praedictam, sequetur quod in Christo non fuerit vera caro nec aliquid aliud huiusmodi. Et sic etiam non erit verus homo, sed apparens tantum, et alia huiusmodi quae supra* contra Valentinum posuimus.

* Cap. praec.

Patet igitur hoc quod Ioannes dicit, *Verbum caro factum est,* non sic intelligendum esse quasi Verbum sit conversum in carnem: sed quia carnem assumpsit, ut cum hominibus conversaretur et eis visibilis appareret. Unde et subditur: *Et habitavit in nobis, et vidimus gloriam eius* etc.: sicut et in *Baruch* de Deo dicitur* quod *in terris visus est, et cum hominibus conversatus est.*

* Cap. III, 38.

7 neque in genere] in genere non Pc. 12 ossis] ossium GNPc; *pro* quod sit, quod sint DZ.

### Commentaria Ferrariensis

Tertius error, irrationabilior aliis, fuit Apollinaris, dicentis aliquid Verbi Dei in carnem fuisse conversum, in hoc cum praedictis concordans, quod Christi corpus de Virgine assumptum non fuit. Occasionem autem huius sumpsit ex eo quod dicitur, *Verbum caro factum est:* quod interpretabatur, idest, *Verbum in carnem est conversum:* sicut, cum dicitur, *Ut gustavit architriclinus aquam vinum factam,* intelligitur, idest *aquam conversam in vinum.*

I. Sed contra hunc errorem arguitur *primo.* Omne quod in aliud convertitur, mutatur in illud. Deus est omnino immutabilis. Ergo etc.

*Secundo.* Verbum Dei, cum sit Deus, est simplex. Ergo, si aliquid Verbi conversum est in carnem, oportet totum Verbum conversum esse. Ergo post incarnationem Verbum Dei penitus non est: quia quod convertitur in aliud, desinit esse quod prius fuit. Hoc autem est impossibile: tum quia Verbum Dei est aeternum; tum quia Christus dicitur Verbum post incarnationem, ut patet *Apoc.* XIX. Ergo etc.

*Tertio.* Verbum Dei, cum sit Deus, non convenit neque in genere neque in materia cum quocumque alio: cum Deus neque sit in genere, neque materiam habeat. Ergo etc. – Probatur consequentia. Quia eorum quae non communicant in materia neque in genere uno, impossibile est fieri conversionem in invicem: ut patet de linea et albedine, de corpore elementari et caelesti, et incorporea substantia.

*Quarto.* Sequitur quod in Christo non fuerit vera caro, nec aliud huiusmodi: et sic non erit verus homo. – Probatur sequela. Quia de ratione carnis, ossium, et huiusmodi, est quod sint ex determinata materia.

II. Ad auctoritatem vero adductam dicitur quod Verbum dicitur *factum caro,* quia carnem assumpsit, ut cum hominibus conversaretur et eis visibilis appareret. Unde subditur, *Et habitavit* etc.; et in *Baruch* dicitur quod *in terris* etc.

Advertendum, ex doctrina sancti Thomae *super Ioannem**, quod *Evangelista ideo dixit, Verbum caro factum est, non autem, Verbum carnem assumpsit, ut ostenderet unionem Verbi ad carnem esse talem quod Deum vere faceret hominem et hominem Deum, sive quod Deus esset homo: ad hoc enim fit aliquid ut sit,* sicut quod factum est album, album est. Ita, quod factum est homo, homo est.

* Cap. I, lect. VII, circa med.

# CAPITULUM TRIGESIMUM SECUNDUM

## DE ERRORE ARII ET APOLLINARIS CIRCA ANIMAM CHRISTI.

Non solum autem circa corpus Christi, sed etiam circa eius animam aliqui male sensisse inveniuntur.

Posuit enim Arius quod in Christo non fuit anima, sed quod solam carnem assumpsit, cui divinitas loco animae fuit*. Et ad hoc ponendum necessitate quadam videtur fuisse inductus. Cum enim vellet asserere quod filius Dei sit creatura et minor Patre, ad hoc probandum illa Scripturarum assumpsit testimonia quae infirmitatem humanam ostendunt in Christo. Et ne aliquis eius probationem refelleret, dicendo assumpta ab eo testimonia Christo non secundum divinam naturam, sed humanam convenire, nequiter animam removit a Christo, ut, cum quaedam corpori humano convenire non possint, sicut quod miratus est, quod timuit, quod oravit, necessarium fiat huiusmodi in ipsum filium Dei minorationem inferre. Assumpsit autem in suae positionis assertionem praemissum verbum Ioannis dicentis, *Verbum caro factum est**: ex quo accipere volebat quod solam carnem Verbum assumpserit, non autem animam. Et in hac positione etiam Apollinaris eum secutus est*.

* Aug., *de Haeres.,* XLIX.

* *Ioan.* I, 14.

* Aug., *de Haeres.* Cf. cap. praec. LV.

Manifestum est autem ex praemissis hanc positionem impossibilem esse. Ostensum est enim supra* quod Deus forma corporis esse non potest. Cum igitur Verbum Dei sit Deus, ut osten-

* Lib. I, cap. XXVII.

2 eius *post* animam Pc. 5 quod solam] solum quod EX, quod solum Pc. 10 assumpsit *om* CpEG*b*, *in spat.* B, inducit *post* in Christo X. 12 aliquis eius probationem refelleret] ab eius probatione refelleret (refelleretur D, repelleretur Y) BDFHYZ, ad eius probationem refelleret C.

3 oravit] oraverit Pc. 4 ipsum *om* EGXPc. 9 Et in] In GPc.

*Cap. III huius lib.

sum est*, impossibile est quod Verbum Dei sit forma corporis, ut sic carni pro anima esse possit.

Utilis autem est haec ratio contra Apollinarem, qui Verbum Dei verum Deum esse confitebatur*: et licet hoc Arius negaret*, tamen etiam contra eum praedicta ratio procedit. Quia non solum Deus non potest esse forma corporis, sed nec etiam aliquis supercaelestium spirituum, inter quos supremum filium Dei Arius ponebat: – nisi forte secundum positionem Origenis, qui posuit humanas animas eiusdem speciei et naturae cum supercaelestibus spiritibus esse. Cuius opinionis falsitatem supra* ostendimus.

*Cf. cap. praec.

*Cf. cap. VI.

*Lib. II, cap. XCIV, XCV.

Item. Subtracto eo quod est de ratione hominis, verus homo esse non potest. Manifestum est autem animam principaliter de ratione hominis esse: cum sit eius forma. Si igitur Christus animam non habuit, verus homo non fuit: cum tamen Apostolus eum hominem asserat, dicens, I *ad Tim.* II[5]: *Unus est mediator Dei et hominum, homo Christus Iesus.*

Adhuc. Ex anima non solum ratio hominis, sed et singularium partium eius dependet: unde, remota anima, oculus, caro et os hominis mortui aequivoce dicuntur, *sicut oculus pictus aut lapideus**. Si igitur in Christo non fuit anima, necesse est quod nec vera caro in eo fuerit, nec aliqua alia partium hominis: cum tamen Dominus haec in se esse perhibeat, dicens, *Lucae* ult.*: *Spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere.*

*II *de Anima*, 1, 9; s. Th. l. 2.

*Vers. 39.

Amplius. Quod generatur ex aliquo vivente, filius eius dici non potest nisi in eandem speciem procedat: non enim vermis dicitur filius animalis ex quo generatur. Sed si Christus animam non habuit, non fuit eiusdem speciei cum aliis hominibus: quae enim secundum formam differunt, eiusdem speciei esse non possunt. Non igitur dici poterit quod Christus sit filius Mariae Virginis, aut quod illa sit mater eius. Quod tamen in Evangelica Scriptura asseritur*.

*Matth. I, 18.25; Luc. II, 7.

Praeterea. In Evangelio expresse dicitur quod Christus animam habuit: sicut est illud *Matth.* XXVI[38], *Tristis est anima mea usque ad mortem;* et *Ioan.* XII[27], *Nunc anima mea turbata est.*

Et ne forte dicant ipsum filium Dei animam dici, eo quod, secundum eorum positionem, loco animae carni sit: sumendum est quod Dominus dicit, *Ioan.* X[18], *Potestatem habeo ponendi animam meam, et iterum sumendi eam;* ex quo intelligitur aliud esse quam animam in Christo, quod habuit potestatem ponendi animam suam et sumendi. Non autem fuit in potestate corporis quod uniretur Filio Dei vel separaretur ab eo: cum hoc etiam naturae potestatem excedat. Oportet igitur intelligi in Christo aliud fuisse animam, et aliud divinitatem Filii Dei, cui merito talis potestas tribuitur.

Item. Tristitia, ira, et huiusmodi passiones, sunt animae sensitivae: ut patet per Philosophum in VII *Phys.* * Haec autem in Christo fuisse ex Evangeliis comprobatur. Oportet igitur in Christo fuisse animam sensitivam: de qua planum est quod differt a natura divina Filii Dei.

*Cap. III, 6: s. Th. l. 6. – Cf. in Ed. Leonina textum Didot, et illum quem exhibet Prantl (Lips. 1879).

Sed quia potest dici humana in Evangeliis metaphorice dici de Christo, sicut et de Deo in plerisque locis Sacrae Scripturae loquuntur, accipiendum est aliquid quod necesse sit ut proprie dictum intelligatur. Sicut enim alia corporalia quae de Christo Evangelistae narrant, proprie intelliguntur et non metaphorice, ita oportet non metaphorice de ipso intelligi quod manducaverit et esurierit*. Esurire autem non est nisi habentis animam sensitivam: cum esuries sit appetitus cibi. Oportet igitur quod Christus habuit animam sensitivam.

*Matth. IV, 2, 11.

---

7 ratio *post* procedit GP*c*. 8 nec etiam aliquis] etiam alias E, etiam animae G, etiam aliquis s*Gb*, nec aliquis etiam N, etiam nec aliquis X, etiam alia substantia sE. 12 animas *om* E, *ante* humanas GP*c*. 13 opinionis *post* falsitatem EGNX. 24 et singularium *Ita* sEW; etiam (et NXP) singularum DNXP, ex singularum *b*, ex singularium *ceteri*. 29 Dominus haec *Ita* BFW; hoc Dominus P*c*, Dominus hoc *plene* Z. 30 esse *om* EGXpN*b*. 33 in eandem speciem] in eadem specie EGX*c*. 36 habuit] haberet EGXP*c*; *pro* fuit, esset GP*c*. 37 quae enim] quae EGX, quia quae *b*.

10 carni] carnis EHs*Gb*, et carnis GP*c*, spiritus vel affectus carnis sit intelligendus sic ergo X. 13 aliud] alium αWY. esse *post* animam EGNP*c*. 16 separaretur ab eo] separetur ab eo *b*, separaretur (separetur P) a Deo EGXP*c*. 23 fuisse *om* EGX. 29 loquuntur] loquitur WZP. 35 esurierit] quod esurierit G, per consequens quod esurierit αWYZP*c*. 37 habuit] habuerit DFNXY*Pc*.

## Commentaria Ferrariensis

*Cf. Comment. cap. XXVIII, init.

POSTQUAM exclusit Sanctus Thomas errores circa corpus Christi, vult errores circa ipsius animam excludere*. Et duos excludit: unum hoc capite; alterum capite sequenti.

I. Primus ergo error, qui hoc loco excluditur, fuit Arii dicentis in Christo non fuisse animam, sed solum carnem fuisse assumptam, cui divinitas loco animae fuit. Cum enim filium Dei vellet asserere esse creaturam et minorem Patre ex iis quae infirmitatem ostendunt in Christo, ne aliquis eius testimonia refelleret dicendo ea Christo convenire secundum humanam naturam, nequiter animam removit a Christo, ut, cum quaedam corpori humano convenire non possint, sicut quod miratus est et huiusmodi, necesse sit talia in filii Dei minorationem referre. Assumpsit autem pro suo errore hoc quod dicitur, *Verbum caro factum est*, ubi de carne sola, non autem de anima fit mentio. – Arium in hac positione etiam Apollinaris est secutus.

II. Sed contra hunc errorem arguitur. *Primo.* Verbum Dei est Deus. Ergo non potest esse forma corporis: cum Deus non possit forma corporis esse. Ergo etc.

Haec ratio non solum utilis est contra Apollinarem, qui Verbum Dei verum Deum confitebatur, sed etiam contra Arium hoc negantem. Quia non solum Deus forma corporis esse non potest, sed nec etiam aliquis supercaelestium spirituum, inter quos supremum posuit Arius filium Dei: nisi forte secundum opinionem Origenis ponentis animas humanas eiusdem speciei cum supercaelestibus spiritibus esse; quod superius est confutatum.

*Secundo.* Sequitur Christum hominem non fuisse: contra Apostolum, I *Tim.* II. Anima enim est principaliter de ratione hominis. Subtracto autem eo quod est de ratione hominis, verus homo esse non potest. Ergo etc.

*Tertio.* Sequitur in Christo non esse veram carnem, nec aliquam partium hominis: quia ex anima non solum

*Cf. text. et var. ratio hominis, sed etiam singularum* partium eius dependet. Sed hoc est contra id quod Dominus ostendit *Lucae* ult., *Spiritus carnem* etc. Ergo etc.

Advertendum quod, licet caro et os et aliae partes hominis ab invicem specie accidentali differant, quia alia sunt accidentia carnis, et alia ossis accidentia; omnes tamen sunt eiusdem speciei substantialis, et omnes ab eadem forma a qua homo constituitur in sua specie, habent suae rationis et speciei complementum: una enim est forma substantialis totius et omnium partium eius, cum non existant partes per propria et distincta esse, sed per unum esse quod est esse totius primo et per se, secundario vero est esse partium. Propter hoc ait Sanctus Thomas quod ex anima, quae est hominis forma, ratio singularum partium hominis dependet.

III. *Quarto.* Non esset Christus eiusdem speciei cum aliis hominibus: quia quae differunt secundum formam, eiusdem speciei esse non possunt. Ergo non poterit dici filius Mariae Virginis, aut quod illa sit mater eius. – Probatur consequentia. Quia quod generatur ex vivente, filius eius dici non potest nisi in eadem specie procedat.

*Quinto.* Expresse dicitur in Evangelio quod Christus animam habuit: *Matth.* scilicet XXVI, et *Ioan.* XII. Ergo etc.

Si dicatur quod ipse filius Dei anima dicitur: – contra hoc est quod ipse dicit, *Ioan.* X, *Potestatem habeo* etc.: ex quo intelligitur aliud quam animam esse in Christo quod habuit potestatem ponendi animam suam et sumendi eam. Sed non fuit in potestate corporis uniri Dei Filio vel separari ab eo: cum hoc etiam naturae potestatem excedat. Ergo oportet in Christo aliud esse animam, et aliud divinitatem, cui talis potestas tribuitur.

*Sexto.* In Christo fuerunt ira et huiusmodi, quae sunt passiones animae sensitivae, secundum Philosophum, VII *Physicorum.* Ergo in Christo fuit anima sensitiva. Ergo etc.

Si dicatur haec in Evangeliis metaphorice dici de Christo: – accipiatur aliquid quod necesse sit ut proprie accipiatur, scilicet *esurire.* Sicut enim alia corporalia quae de Christo Evangelistae narrant, proprie intelliguntur, ita oportet proprie intelligi quod manducaverit, et consequenter quod esurierit. Esurire autem non est nisi habentis animam sensitivam: cum esuries sit appetitus cibi. Ergo etc.

# CAPITULUM TRIGESIMUM TERTIUM

## DE ERRORE APOLLINARIS DICENTIS ANIMAM RATIONALEM NON FUISSE IN CHRISTO, ET DE ERRORE ORIGENIS DICENTIS ANIMAM CHRISTI ANTE MUNDUM FUISSE.

His autem testimoniis Evangelicis Apollinaris convictus, confessus est in Christo animam sensitivam fuisse: tamen sine mente et intellectu, ita quod Verbum Dei fuerit illi animae loco intellectus et mentis*.

*Aug., *de Haeres.*, LV.

Sed nec hoc sufficit ad inconvenientia praedicta vitanda. Homo enim speciem sortitur humanam ex hoc quod mentem humanam et rationem habet. Si igitur Christus haec non habuit, verus homo non fuit, nec eiusdem speciei nobiscum. Anima autem ratione carens ad aliam speciem pertinet quam anima rationem habens. Est enim secundum Philosophum VIII *Metaphys.**, quod in definitionibus et speciebus quaelibet differentia essentialis addita vel subtracta variat speciem, sicut in numeris unitas. *Rationale* autem est differentia specifica. Si igitur in Christo fuit anima sensitiva sine ratione, non fuit eiusdem speciei cum anima nostra, quae est rationem habens. Nec ipse igitur Christus fuit eiusdem speciei nobiscum.

*S. Th. l. 3; Did. VII, III, 8.

Adhuc. Inter ipsas animas sensitivas ratione carentes diversitas secundum speciem existit: quod patet ex animalibus irrationalibus, quae ab invicem specie differunt, quorum tamen unumquodque secundum propriam animam speciem habet. Sic igitur anima sensitiva ratione carens est quasi unum genus sub se plures species comprehendens. Nihil autem est in genere quod non sit in aliqua eius specie. Si igitur anima Christi fuit in genere animae sensitivae ratione carentis, oportet quod contineretur sub aliqua specierum eius: utpote quod fuerit in specie animae leonis aut alicuius alterius belluae. Quod est omnino absurdum.

Amplius. Corpus comparatur ad animam sicut materia ad formam, et sicut instrumentum ad principale agens. Oportet autem materiam proportionatam esse formae, et instrumentum principali agenti. Ergo secundum diversitatem animarum oportet et corporum diversitatem esse. Quod et secundum sensum apparet: nam in diversis animalibus inveniuntur diversae dispositiones membrorum, secundum quod conveniunt diversis dispositionibus animarum. Si ergo in Christo non fuit anima qualis est anima nostra, nec etiam membra habuisset sicut sunt membra humana.

Praeterea. Cum secundum Apollinarem Verbum Dei sit verus Deus*, ei admiratio competere non potest: nam ea admiramur quorum causam ignoramus*. Similiter autem nec admiratio animae sensitivae competere potest: cum ad animam sensitivam non pertineat sollicitari de cognitione causarum. In Christo autem admiratio fuit, sicut ex Evangeliis probatur: dicitur enim *Matth.* VIII[10], quod audiens Iesus verba centurionis *miratus est.* Oportet igitur, praeter divinitatem Verbi et animam sensitivam, in Christo aliquid ponere secundum quod admiratio ei competere possit, scilicet mentem humanam.

*Cf. cap. XXXI.

*I *Metaph.*, II, 8; S. Th. l. 3.

7 praedicta *om* EGNX. 10 haec *Ita* BFHZ; hoc *certe* GXY*b*P*c*. 13 Est enim ... quod] Cum enim ... sicut Z, Etenim ... dicitur quod P*c*. 18 specifica] et specifica BCDFWYZ.

3 leonis] vel equi *addunt* αDWYZP*c*. 9 formae *om* EG, *post* materiam X. 12 Quod et ... nam] et ... iam EXsG et ... nam G*b*. 17 nec etiam] nec GP*c*, etiam E, et nec X, non etiam W. 23 competere potest] competeret EGXP*c*.

*Cap. XXIX sqq.

Manifestum est igitur ex praedictis* quod in Christo verum corpus humanum et vera anima humana fuit. Sic igitur quod Ioannes dicit*, *Verbum caro factum est,* non sic intelligitur quasi Verbum sit in carnem conversum*; neque sic quod Verbum carnem solam assumpserit*; aut cum anima sensitiva, sine mente; sed secundum consuetum modum Scripturae, ponitur pars pro toto, ut sic dictum sit, *Verbum caro factum est,* ac si diceretur, *Verbum homo factum est;* nam et *anima* interdum pro homine ponitur in Scriptura, dicitur enim *Exod.* I[5], *Erant omnes animae quae egressae sunt de femore Iacob, septuaginta;* similiter etiam *caro* pro toto homine ponitur, dicitur enim *Isaiae* XL[5], *Videbit omnis caro pariter quod os Domini locutum est.* Sic igitur et hic *caro* pro toto homine ponitur, ad exprimendam humanae naturae infirmitatem, quam Verbum Dei assumpsit.

*Ioan. I, 14.

*Cf. cap. XXXI.

*Cf. cap. XXXII.

Si autem Christus humanam carnem et humanam animam habuit, ut ostensum est, manifestum est animam Christi non fuisse ante corporis eius conceptionem. Ostensum est enim quod humanae animae propriis corporibus non praeexistunt*. Unde patet falsum esse Origenis dogma*, dicentis animam Christi ab initio, ante corporales creaturas, cum omnibus aliis spiritualibus creaturis creatam et a Verbo Dei assumptam, et demum, circa fines saeculorum, pro salute hominum carne fuisse indutam.

*Lib. II, cap. LXXXIII sq. Vid. tit. in Leonina.

*Peri Archon, Lib. II, cap. VI, VIII (P. G. XI).

6 carnem *post* solam EGNX. 7 cum anima sensiuva] animam sensitivam GP*c*. 8 modum *om* E (pG?), *post* Scripturae HsG*b*P*c*. 9 sic dictum sit] dictum sit EGX, sit dictum sic *b*. 11 pro homine ponitur] pro animato ponitur W, ponitur pro homine XP*c*. 14 etiam] etiam et G*b*P*c*. 9 propriis *post* corporibus EGNX. 12 spiritualibus *post* creaturis EGNX*b*. 14 fines] finem P.

## Commentaria Ferrariensis

*Cf. Comment. cap. praec., introd.

SECUNDUS error circa animam Christi* est Apollinaris: qui, cum prius secutus fuisset Arium, convictus tamen praedictis testimoniis postea confessus est in Christo animam sensitivam fuisse, sine intellectu et mente; dixitque illi animae Verbum Dei fuisse loco intellectus et mentis.

I. Sed quod hoc non sufficiat ad praedicta inconvenientia vitanda, arguitur. *Primo.* Si in Christo fuit anima sensitiva sine ratione, non fuit eiusdem speciei cum anima nostra, quae est rationem habens: cum secundum Philosophum, VIII *Metaphys.*, in definitionibus et speciebus quaelibet differentia essentialis addita vel subtracta variet speciem. Igitur nec ipse Christus fuit eiusdem speciei nobiscum. – Probatur consequentia. Quia homo ex hoc speciem sortitur humanam quod mentem et rationem habet.

*Secundo.* Sequitur quod anima Christi contineatur sub aliqua specierum animae sensitivae ratione carentis, scilicet sub specie animae leonis aut equi* aut alicuius alterius belluae. Quia anima sensitiva ratione carens est quasi unum genus sub se plures species continens: nihil autem est in genere quod non sit in aliqua eius specie. Hoc autem est omnino absurdum. Ergo etc.

*Cf. text. et var.

*Tertio.* Sequeretur quod Christus non habuisset membra sicut sunt membra humana. – Probatur consequentia. Quia, cum corpus comparetur ad animam sicut materia ad formam, et sicut instrumentum ad principale agens; materiam autem oporteat esse proportionatam formae, et instrumentum principali agenti: oportet secundum diversitatem animarum et diversitatem corporum esse.

Advertendum quod anima et dat esse corpori, et ipso utitur ad extrinsecas operationes. Inquantum dat illi esse, comparatur ad ipsum sicut forma ad materiam: formae enim est dare esse, materiae. Inquantum autem ipsum movet, non quidem ut motum tantum, sed ut motum movens aliquid aliud extrinsecum, comparatur ad ipsum ut principale movens ad instrumentum: est enim de ratione instrumenti ut sit movens motum. Utroque autem modo oportet corpus esse proportionatum animae: nam determinata forma non recipitur in quacumque materia, sed in determinata et sibi proportionata; neque agens omne principale utitur indifferenter quocumque instrumento, sed determinatum agens utitur certis et determinatis instrumentis. Ideo optime probat Sanctus Thomas secundum diversitatem animarum esse corporum diversitatem, ex hoc quod corpus ad animam comparatur et sicut materia ad formam, et sicut instrumentum ad principale agens.

*Quarto.* In Christo admiratio fuit, ut patet *Matth.* VIII. Ergo et aliquid praeter divinitatem et animam sensitivam: scilicet mens humana. – Probatur consequentia. Quia nec Verbo Dei, cum sit Deus, admiratio competere potest, quae est ex ignorantia causae: nec animae sensitivae, cum ad eam non pertineat sollicitari de cognitione causarum.

II. Ex praedictis infert Sanctus Thomas duo corollaria. Primum est quod, cum dicitur, *Verbum caro factum est,* non intelligitur sic quasi Verbum sit in carnem conversum; aut solam carnem, vel solam animam sensitivam sine mente assumpserit: sed accipitur *caro* pro toto homine, ad exprimendum humanae naturae infirmitatem, quam Verbum assumpsit. Nam et *anima* in Scripturis ponitur quandoque pro toto homine: sicut cum dicitur, *Exod.* I, *Erant omnes animae* etc. *Caro* etiam quandoque pro toto homine ponitur: ut cum dicitur *Isaiae* XL, *Videbit omnis caro* etc.

Secundum corollarium est quod falsum est Origeni dogma dicentis animam Christi ab initio, ante creaturas corporales, creatam fuisse et a Verbo assumptam, et demum carne fuisse indutam. Patet enim ex dictis Christum humanam carnem et humanam animam habuisse. Modo, superius est ostensum humanas animas propriis corporibus non praeexistere.

# CAPITULUM TRIGESIMUM QUARTUM

## DE ERRORE THEODORI MOPSUESTENI ET NESTORII CIRCA INCARNATIONEM VERBI.

*Cap. XXVIII sqq.

EX praemissis* igitur apparet quod Christo nec divina natura defuit, ut Ebion, Cerinthus et Photinus dixerunt; nec verum corpus humanum, secundum errorem Manichaei atque Valentini; nec etiam humana anima, sicut posuerunt Arius et Apollinaris. His igitur tribus substantiis in Christo convenientibus, scilicet divinitate, anima humana,

b 4 convenientibus *om* EGX.

et vero humano corpore, circa horum unionem quid sentiendum sit secundum Scripturarum documenta, inquirendum restat*.

*Cap. XXXIV-XXXVIII

Theodorus igitur Mopsuestenus, et Nestorius eius sectator, talem scientiam de praedicta unione protulerunt. Dixerunt enim quod anima humana et corpus humanum verum naturali unione convenerunt in Christo ad constitutionem unius hominis eiusdem speciei et naturae cum aliis hominibus; et quod in hoc homine Deus habitavit sicut in templo suo, scilicet per gratiam, sicut et in aliis hominibus sanctis; unde dicitur *Ioan.* II[19], quod ipse Iudaeis dixit, *Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud,* et postea Evangelista, quasi exponens, subdit*, *Ille autem dicebat de templo corporis sui;* et Apostolus, *Coloss.* I[19], dicit quod *in ipso complacuit omnem plenitudinem habitare.* – Et ex hoc consecuta est ulterius quaedam affectualis unio inter hominem illum et Deum, dum et homo ille bona sua voluntate Deo inhaesit, et Deus sua voluntate illum acceptavit, secundum illud *Ioan.* VIII[29], *Qui me misit, mecum est, et non reliquit me solum, quia quae placita sunt ei facio semper;* ut sic intelligatur talis esse unio hominis illius ad Deum, qualis est unio de qua Apostolus dicit, I *ad Cor.* VI[17], *Qui adhaeret Deo, unus spiritus est.* – Et sicut ex hac unione nomina quae proprie Deo conveniunt, ad homines transferuntur, ut dicantur *dii,* et *filii Dei,* et *domini,* et *sancti,* et *christi,* sicut ex diversis locis Scripturae patet; ita et nomina divina homini illi conveniunt, ut, propter Dei inhabitationem et unionem affectus, dicatur et Deus, et Dei filius, et Dominus, et Sanctus, et Christus. – Sed tamen, quia in illo homine maior plenitudo gratiae fuit quam in aliis hominibus sanctis, fuit prae ceteris templum Dei, et arctius Deo secundum affectum unitus, et singulari quodam privilegio divina nomina participavit. Et propter hanc excellentiam gratiae, constitutus est in participatione divinae dignitatis et honoris, ut scilicet co-adoretur Deo. – Et sic, secundum praedicta, oportet quod alia sit persona Verbi Dei, et alia persona illius hominis qui Verbo Dei co-adoratur. Et si dicatur una persona utriusque, hoc erit propter unionem affectualem praedictam: ut sic dicatur homo ille et Dei Verbum una persona, sicut dicitur de viro et muliere quod *iam non sunt duo, sed una caro**. – Et quia talis unio non facit ut quod de uno dicitur, de altero dici possit, non enim quicquid convenit viro, verum est de muliere, aut e converso; ideo in unione Verbi et illius hominis hoc observandum putant, quod ea quae sunt propria illius hominis, ad humanam naturam pertinentia, de Verbo Dei, aut de Deo, convenienter dici non possunt; sicut homini illi convenit quod sit natus de virgine, quod passus, mortuus et sepultus, et huiusmodi; quae omnia asserunt de Deo, vel de Dei Verbo, dici non debere. – Sed quia sunt quaedam nomina quae, etsi Deo principaliter conveniant, communicantur tamen hominibus per aliquem modum, sicut *Christus, Dominus, Sanctus,* et etiam *filius Dei,* de huiusmodi nominibus secundum eos nihil prohibet praedicta praedicari. Convenienter enim dicimus secundum eos quod Christus, vel *Dominus gloriae,* vel *Sanctus sanctorum,* vel *Dei filius,* sit natus de virgine, passus, mortuus et sepultus. – Unde et Beatam Virginem non matrem Dei vel Verbi Dei, sed matrem Christi nominandam esse dicunt.

scientiam *corrigas in* sententiam.

*Vers. 21.

Sed si quis diligenter consideret, praedicta positio veritatem Incarnationis excludit. Non enim secundum praedicta Verbum Dei fuit homini illi unitum nisi secundum inhabitationem per gratiam, ex qua consequitur unio voluntatum. Inhabitatio autem Verbi Dei in homine non est Verbum Dei incarnari. Habitavit enim Verbum Dei, et Deus ipse, in omnibus sanctis a constitutione mundi, secundum illud Apostoli II *ad Cor.* VI[16], *Vos estis templum Dei vivi: sicut dicit Dominus, Quoniam inhabitabo in illis:* quae tamen inhabitatio incarnatio dici non potest; alioquin frequenter ab initio mundi Deus incarnatus fuisset. – Nec hoc etiam ad incarnationis rationem sufficit si Verbum Dei, aut Deus, pleniori gratia habitavit in illo homine: quia *magis et minus speciem non diversificant unionis.* – Cum igitur Christiana religio in fide Incarnationis fundetur, evidenter apparet quod praedicta positio fundamentum Christianae religionis tollit.

Praeterea. Ex ipso modo loquendi Scripturarum falsitas praedictae positionis apparet. Inhabitationem enim Verbi Dei in sanctis hominibus consuevit Sacra Scriptura his modis significare: *Locutus est Dominus ad Moysen; Dicit Dominus ad Moysen; Factum est verbum Domini ad Ieremiam* (aut ad aliquem aliorum prophetarum); *Factum est verbum Domini in manu Aggaei Prophetae.* Nunquam autem legitur quod *verbum Domini factum sit* vel Moyses, vel Ieremias, vel aliquis aliorum. Hoc autem modo singulariter unionem Dei Verbi ad carnem Christi designat Evangelista, dicens*, *Verbum caro factum est,* ut supra* expositum est. Manifestum est igitur quod non solum per modum inhabitationis Verbum Dei in homine Christo fuit, secundum traditiones Scripturae.

Item. Omne quod factum est aliquid, est illud quod factum est: sicut quod factum est homo,

*Matth. XIX, 6.

*Ioan. I, 14.

*Cap. praec., *Manifestum.*

---

1 humano *om* EX. 7 verum *om* Pc. 17 plenitudinem] *Addunt* Dei sG, deitatis *b*; EX *legunt:* complacuit inhabitare omnem plenitudinem divinitatis. 19 affectualis *om* EX. illum *om* EGX*b*, *ante* hominem NsG. 24 esse *post* unio EX. 25 qualis est unio] qua est eis unio E *et sine* est *b*, qualis scilicet affectualis unio est eis X. 33 dicatur *post* et Deus EGNX. 37 arctius] altius W*b*. 41 coadoretur Deo] in eo adoretur Deus EXsG*b*, eo adoretur (*ras*) G. 43 persona Verbi Dei] Dei persona EGX, Verbi Dei persona NsG. et alia] sit *addunt* EGNX. 44 qui ... co-adoratur] quod adoretur EGX, ut ... co-adoretur N, qui ... adoratur *b*.

11 dicimus] dicitur EGN*b*Pc; *lac.* X. vel Dominus] Dominus Pc. 15 nominandam] nominatam EGNX. 18 Incarnationis *post* excludit EGNX. 23 incarnari] incarnati *cd*, incarnatum XP. 28 frequenter *om* EWX. 29 hoc etiam] etiam GPc, etiam hoc X; E *legit:* Nec tamen haec incarnationis ratio. 37 Ex ipso ... 120 b 46 Praeterea *hom om* H. 41 Dicit] vel dicit EGNXPc; Dicit ... Moysen *hom om* BWY. 48 Dei *post* Verbi BDWY*b*. 52 traditiones] traditionem Y, rationem P.

est homo; et quod factum est album, est album. Sed Verbum Dei factum est homo, ut ex praemissis* habetur. Igitur Verbum Dei est homo. Impossibile est autem ut duorum differentium persona aut hypostasi vel supposito, unum de altero praedicetur: cum enim dicitur, *Homo est animal,* id ipsum quod animal est, homo est; et cum dicitur, *Homo est albus,* ipse homo albus esse significatur, licet albedo sit extra rationem humanitatis. Et ideo nullo modo dici potest quod Sortes sit Plato, vel aliquod aliud singularium eiusdem vel alterius speciei. Si igitur *Verbum caro factum est,* idest *homo,* ut Evangelista testatur*; impossibile est quod Verbi Dei et illius hominis sint duae personae, vel duae hypostases, vel duo supposita.

* Cf. cap. praec., *Manifestum.*

* *Ioan.* I, 14.

Adhuc. Pronomina demonstrativa ad personam referuntur, vel hypostasim vel suppositum: nemo enim diceret, *Ego curro,* alio currente; nisi forte figurative, utpote quod alius loco eius curreret. Sed ille homo qui dictus est Iesus, dicit de se, *Antequam Abraham fieret, ego sum, Ioan.* VIII[58]; et *Ioan.* X[30], *Ego et Pater unum sumus;* et plura alia quae manifeste ad divinitatem Verbi pertinent. Ergo manifestum est quod persona illius hominis loquentis et hypostasis est ipsa persona Filii Dei.

Amplius. Ex superioribus patet quod neque corpus Christi de caelo descendit, secundum errorem Valentini*; neque anima, secundum errorem Origenis*. Unde restat quod ad Verbum Dei pertineat quod dicitur descendisse, non motu locali, sed ratione unionis ad inferiorem naturam, ut supra* dictum est. Sed ille homo, ex persona sua loquens, dicit se descendisse de caelo, *Ioan.* VI[51]: *Ego sum panis vivus, qui de caelo descendi.* Necesse est igitur personam et hypostasim illius hominis esse personam Verbi Dei.

* Cap. XXX.

* Cap. XXXIII, fin.

* Cap. XXX, *Ea vero.*

Item. Manifestum est quod ascendere in caelum Christo homini convenit, qui *videntibus Apostolis elevatus est,* ut dicitur *Act.* I[9]. Descendere autem de caelo Verbo Dei convenit. Sed Apostolus dicit, *Ephes.* IV[10]: *Qui descendit, ipse est et qui ascendit.* Ipsa igitur est persona et hypostasis illius hominis, quae est persona et hypostasis Verbi Dei.

Adhuc. Ei quod originem habet ex mundo, et quod non fuit antequam esset in mundo, non convenit *venire in mundum.* Sed homo Christus secundum carnem originem habet ex mundo, quia verum corpus humanum et terrenum habuit, ut ostensum est*. Secundum animam vero non fuit antequam esset in mundo: habuit enim veram animam humanam, de cuius natura est ut non sit antequam corpori uniatur*. Relinquitur igitur quod homini illi ex sua humanitate non conveniat *venire in mundum.* Ipse autem se dicit venisse in mundum: *Exivi,* inquit, *a Patre, et veni in mundum, Ioan.* XVI[28]. Manifestum est igitur quod id quod Verbo Dei convenit, de homine illo dicitur vere: nam quod Verbo Dei conveniat venire in mundum, manifeste ostendit Ioannes Evangelista, dicens*: *In mundo erat, et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognovit: in propria venit.* Oportet igitur personam et hypostasim illius hominis loquentis esse personam et hypostasim Verbi Dei.

* Cap. XXIX sq.

* Lib. II, LXXXIII sq.

* Cap. I, 10, 11.

Item. Apostolus dicit, *Heb.* X[5]: *Ingrediens mundum dicit: Hostiam et oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi.* Ingrediens autem mundum Verbum Dei est, ut ostensum est. Ipsi igitur Dei Verbo corpus aptatur, ut scilicet sit proprium corpus eius. Quod dici non posset nisi esset eadem hypostasis Dei Verbi et illius hominis. Oportet igitur esse eandem hypostasim Dei Verbi et illius hominis.

Amplius. Omnis mutatio vel passio conveniens corpori alicuius, potest attribui ei cuius est corpus: si enim corpus Petri vulneretur, flagelletur, aut moriatur, potest dici quod Petrus vulneratur, flagellatur, aut moritur. Sed corpus illius hominis fuit corpus Verbi Dei, ut ostensum est. Ergo omnis passio quae in corpore illius hominis facta fuit, potest Verbo Dei attribui. Recte igitur dici potest quod Verbum Dei, et Deus, est passus, crucifixus, mortuus et sepultus. Quod ipsi negabant.

Item. Apostolus dicit, *Heb.* II[10]: *Decebat eum propter quem omnia, et per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum, per passionem consummari:* ex quo habetur quod ille propter quem sunt omnia, et per quem sunt omnia, et qui homines in gloriam adducit, et qui est auctor salutis humanae, passus est et mortuus. Sed haec quatuor singulariter sunt Dei, et nulli alii attribuuntur: dicitur enim *Proverb.* XVI[4], *Universa propter semetipsum operatus est Dominus;* et *Ioan.* I[3], de Verbo Dei dicitur, *Omnia per ipsum facta sunt;* et in Psalmo*, *Gratiam et gloriam dabit Dominus;* et alibi*, *Salus autem iustorum a Domino.* Manifestum est igitur recte dici *Deum, Dei Verbum, esse passum et mortuum.*

* Ps. LXXXIII, 12.

* Ps. XXXVI, 39.

Praeterea. Licet aliquis homo participatione dominii dominus dici possit, nullus tamen homo, neque creatura aliqua, potest dici *Dominus gloriae:* quia gloriam futurae beatitudinis solus Deus ex natura possidet, alii vero per donum gratiae; unde et in Psalmo* dicitur, *Dominus virtutum ipse est Rex gloriae.* Sed Apostolus dicit Dominum gloriae esse crucifixum, I *ad Cor.* II[8]. Vere igitur dici potest quod *Deus sit crucifixus.*

* Ps. XXIII, 8, 10.

Adhuc. Verbum Dei dicitur Dei Filius per naturam, ut ex supra* dictis patet: homo autem,

* Cap. XI *Imago autem.*

1 est homo ..... 2 factum est homo *hom om* EGX. 2 ut ..... 3 est homo *hom om* N; Igitur *et* est *om* EX, Igitur *om* G. 5 unum de altero praedicetur *om* EG, unum sit alterum X. 8 albus *pr. loco*] album BCFYZ; *alt.* album BF. 26 ipsa *om* BXY, illa P. 40 qui *om* EGX. 46 Ei quod] Ei qui GPc; *pro* et quod non, quod non E, et non P. 56 se *post* dicit EGY.

4 vere] esse BY; *lac.* W. 8 venit] etc. *addunt* GYPc. 17 illius *post* hominis EGNX. 18 esse *post* eandem DNsG; Oportet ... hominis *hom om* EGWYZ*b*. 26 quae *post* in corpore αEGY 27 Verbo Dei *post* attribui EGNX*b*. dici *post* potest EGNXY. 32 et per ... omnia *hom om* EGXZP. 44 recte dici Deum] Deum recte EGX, recte Deum N. 46 Licet *Reincipit* H, cf. 119 b 37. 47 dominii] divini dominii BFHYPc, divini doni sY; dominus *om* C tamen *om* EGX, *ante* nullus W, *post* homo Pc. 48 creatura *post* aliqua EGNX*b*. 52 Sed ... gloriae *hom om* E, Sed Christus dicitur Dominus gloriae (esse crucifixus) X; Sed ... Cor. II *om* G. 53 Cor. II] (Si enim cognovissent P*d*) nunquam Dominum gloriae crucifixissent *addunt* XP*d*.

propter inhabitationem Dei, dicitur Dei filius per gratiam adoptionis. Sic igitur in Domino Iesu Christo, secundum positionem praedictam, est accipere utrumque filiationis modum: nam Verbum inhabitans est Dei Filius per naturam; homo inhabitatus est Dei filius per gratiam adoptionis. Unde homo ille non potest dici *proprius*, vel *unigenitus Dei Filius*, sed solum Dei Verbum, quod, secundum proprietatem nativitatis, singulariter a Patre genitum est. Attribuit autem Scriptura proprio et unigenito Dei Filio passionem et mortem. Dicit enim Apostolus, *Rom.* cap. VIII[32]: *Proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Et *Ioan.* III[16]: *Sic Deus dilexit mundum ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in illum non pereat, sed habeat vitam aeternam.* Et quod loquatur de traditione ad mortem, patet per id quod eadem verba supra* praemiserat de filio hominis crucifixo, dicens: *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita oportet exaltari filium hominis, ut omnis qui credit in illum* etc. Et Apostolus mortem Christi indicium divinae dilectionis ad mundum esse ostendit, dicens, *Rom.* V[8,9]: *Commendat suam caritatem Deus in nobis, quoniam, cum adhuc inimici essemus, Christus pro nobis mortuus est.* Recte igitur dici potest quod *Verbum Dei, Deus, sit passus et mortuus.*

* Vers. 14.

Item. Ex hoc dicitur aliquis filius alicuius matris, quia corpus eius ex ea sumitur, licet anima non sumatur ex matre, sed ab exteriori sit. Corpus autem illius hominis ex Virgine Matre sumptum est: ostensum est autem corpus illius hominis esse corpus Filii Dei naturalis, idest Verbi Dei*. Convenienter igitur dicitur quod Beata Virgo sit *Mater Verbi Dei*, et etiam *Dei*, licet divinitas Verbi a matre non sumatur: non enim oportet quod filius totum quod est de sua substantia a matre sumat, sed solum corpus.

* Supra, *Item. Apostolus dicit Heb.*

Amplius. Apostolus dicit, *ad Galat.* IV[4]: *Misit Deus Filium suum factum ex muliere:* ex quibus verbis ostenditur qualiter missio Filii Dei sit intelligenda: eo enim dicitur missus quo factus est ex muliere. Quod quidem verum esse non posset nisi Filius Dei ante fuisset quam factus esset ex muliere: quod enim in aliquid mittitur, prius esse intelligitur quam sit in eo quo mittitur. Sed homo ille, filius adoptivus, secundum Nestorium, non fuit antequam natus esset ex muliere. Quod ergo dicit, *Misit Deus Filium suum,* non potest intelligi de filio adoptivo, sed oportet quod intelligatur de Filio naturali, idest de Deo Dei Verbo. Sed ex hoc quod aliquis factus est ex muliere, dicitur filius mulieris. *Deus ergo, Dei Verbum, est filius mulieris.*

Sed forte dicet aliquis non debere verbum Apostoli sic intelligi quod Dei Filius ad hoc sit missus ut sit factus ex muliere: sed ita quod Dei filius qui est factus ex muliere et sub lege, ad hoc sit missus *ut eos qui sub lege erant redimeret**. Et secundum hoc, quod dicit *filium suum*, non oportebit intelligi de Filio naturali, sed de homine illo qui est filius adoptionis. – Sed hic sensus excluditur ex ipsis Apostoli verbis. Non enim a lege potest absolvere nisi ille qui supra legem existit, qui est auctor legis. Lex autem a Deo posita est. Solius igitur Dei est a servitute legis eripere. Hoc autem attribuit Apostolus Filio Dei de quo loquitur. Filius ergo Dei de quo loquitur, est Filius naturalis. Verum est ergo dicere quod *naturalis Dei Filius, idest Deus Dei Verbum, est factus ex muliere.*

* Loc. cit. vers. 5.

Praeterea. Idem patet per hoc quod redemptio humani generis ipsi Deo attribuitur in Psalmo*: *Redemisti me, Domine Deus veritatis.*

* Ps. xxx, 6.

Adhuc. Adoptio filiorum Dei fit per Spiritum Sanctum: secundum illud *Rom.* VIII[15]: *Accepistis Spiritum adoptionis filiorum.* Spiritus autem Sanctus non est donum hominis, sed Dei. Adoptio ergo filiorum non causatur ab homine, sed a Deo. Causatur autem a Filio Dei misso a Deo et facto ex muliere: quod patet per id quod Apostolus subdit*, *ut adoptionem filiorum reciperemus.* Oportet igitur verbum Apostoli intelligi de Filio Dei naturali. Deus igitur, Dei Verbum, *factus est ex muliere,* idest ex Virgine Matre.

* Loc. ult. cit.

Item. Ioannes dicit*: *Verbum caro factum est.* Non autem habet carnem nisi ex muliere. Verbum igitur factum est ex muliere, idest ex Virgine Matre. Virgo igitur est Mater Dei Verbi.

* Ioan. I, 14.

Amplius. Apostolus dicit, *Rom.* IX[5], quod *Christus est ex patribus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in saecula.* Non autem est ex patribus nisi mediante Virgine. Deus igitur, qui est super omnia, est ex Virgine secundum carnem. Virgo igitur est Mater Dei secundum carnem.

Adhuc. Apostolus dicit, *Philipp.* II[6,7], de Christo Iesu, quod, *cum in forma Dei esset, exinanivit semetipsum, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus.* Ubi manifestum est si, secundum Nestorium, Christum dividamus in duos, scilicet in hominem illum qui est filius adoptivus, et in Filium Dei naturalem, qui est Verbum Dei, quod non potest intelligi de homine illo. Ille enim homo, si purus homo sit, non prius fuit in forma Dei, ut postmodum in similitudinem hominum fieret: sed magis e converso homo existens divinitatis particeps factus est, in quo non fuit exinanitus, sed exaltatus. Oportet igitur quod intelligatur de Verbo Dei, quod prius fuerit ab aeterno in forma Dei, idest in natura Dei, et postmodum exinanivit semetipsum, in similitudinem hominum factus. – Non potest autem

4 accipere *post* utrumque EGNX. 9 secundum proprietatem *Ita* GN*b*Pc; per proprietatem WY, proprietate X, proprietatem *ceteri.* 19 crucifixo] crucifigendo EX*b*; crucifixo ... hominis *hom om* G. 26 inimici] initium αGN, infirmi sN. 32 hominis *om* EGNX*b*. 43 quo] quod C. 46 in aliquid] ad aliquid D, ad aliud *b*, est aliquid W; prius ... 47 mittitur *hom om* NW. quo] in quo CY, in quod *b*Pc. 48 homo ille *Ita nos*; homo ille qui est Pc, (si W*b*) homo ille est *ceteri*; *cf.* 123 a 17 *et* 133 b 47. 49 non fuit] non fuit autem D, et non fuit N, ergo non fuit Y; *cf. var. praeced.* 56 dicet] diceret Pc.

12 Filius ... loquitur *hom om* EN, qui GX. 13 est *post* ergo ENXPc, 19 Dei] dicta EG, *om* X; Sanctum ... 21 spiritum *hom om* EG. 26 ut] et BFH, *om* C, et ut EX, et ad hoc G. 30 Item Ioannes] Ideo EGX. 33 igitur *Ita* NsGY; enim *ceteri.* 36 Deus *om* EGX. 42 quod] qui EX*b*Pc. 51 hominum] hominis EGX*b*. 52 divinitatis *post* particeps EGNX*b*. est *om* EGXY*b*, *ante* factus NsG.

intelligi ista exinanitio per solam inhabitationem Verbi Dei in homine Iesu Christo. Nam Verbum Dei in omnibus sanctis, a principio mundi, habitavit per gratiam, nec tamen dicitur exinanitum: quia Deus sic suam bonitatem creaturis communicat quod nihil ei subtrahitur, sed magis quodammodo exaltatur, secundum quod eius sublimitas ex bonitate creaturarum apparet, et tanto amplius quanto creaturae fuerint meliores. Unde, si Verbum Dei plenius habitavit in homine Christo quam in aliis sanctis, minus etiam hic quam in aliis convenit exinanitio Verbi. – Manifestum est igitur quod unio Verbi ad humanam naturam non est intelligenda secundum solam inhabitationem Verbi Dei in homine illo, ut Nestorius dicebat: sed secundum hoc quod Verbum Dei vere factum est homo. Sic enim solum habebit locum *exinanitio:* ut scilicet dicatur Verbum Dei *exinanitum,* idest *parvum factum,* non amissione propriae magnitudinis, sed assumptione humanae parvitatis; sicut si anima praeexisteret corpori, et diceretur fieri substantia corporea quae est homo, non mutatione propriae naturae, sed assumptione naturae corporeae.

Praeterea. Manifestum est quod Spiritus Sanctus in homine Christo habitavit: dicitur enim *Lucae* IV[1], quod *Iesus plenus Spiritu Sancto regressus est a Iordane.* Si igitur incarnatio Verbi secundum hoc solum intelligenda est quod Verbum Dei in homine illo plenissime habitavit, necesse erit dicere quod etiam Spiritus Sanctus erit incarnatus. Quod est omnino alienum a doctrina fidei.

Adhuc. Manifestum est Verbum Dei in sanctis angelis habitare, qui participatione Verbi intelligentia replentur. Dicit autem Apostolus, *Heb.* II[16]: *Nusquam angelos apprehendit, sed semen Abrahae apprehendit.* Manifestum est igitur quod assumptio humanae naturae a Verbo non est secundum solam inhabitationem accipienda.

Adhuc. Si, secundum positionem Nestorii, Christus separaretur in duos secundum hypostasim differentes, idest in Verbum Dei et hominem illum, impossibile est quod Verbum Dei *Christus* dicatur. Quod patet tum ex modo loquendi Scripturae, quae nunquam ante incarnationem Deum, aut Dei Verbum, nominat Christum. Tum etiam ex ipsa nominis ratione. Dicitur enim *Christus* quasi *unctus.* Unctus autem intelligitur *oleo exultationis**, idest *Spiritu Sancto,* ut Petrus exponit, *Act.* X[38]. Non autem potest dici quod Verbum Dei sit unctum Spiritu Sancto: quia sic Spiritus Sanctus esset maior Filio, ut sanctificans sanctificato. Oportebit igitur quod hoc nomen *Christus* solum pro homine illo possit intelligi. – Quod ergo dicit Apostolus, *ad Philipp.* II[5,6], *Hoc sentite in vobis quod et in Christo Iesu,* ad hominem illum referendum est. Subdit autem, *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo.* Verum est igitur dicere quod homo ille est in forma, idest in natura Dei, et aequalis Deo. Licet autem homines dicantur *dii,* vel *filii Dei,* propter inhabitantem Deum, nunquam tamen dicitur quod sint *aequales Deo.* Patet igitur quod homo Christus non per solam inhabitationem dicitur Deus.

Item. Licet nomen Dei ad sanctos homines transferatur propter inhabitationem gratiae, nunquam tamen opera quae sunt solius Dei, sicut creare caelum et terram, vel aliquid huiusmodi, de aliquo sanctorum propter inhabitationem gratiae dicitur. Christo autem homini attribuitur omnium creatio. Dicitur enim *Heb.* III[1,2]: *Considerate Apostolum et Pontificem confessionis nostrae Iesum Christum, qui fidelis est ei qui fecit illum, sicut et Moyses, in omni domo illius:* quod oportet de homine illo, et non de Dei Verbo intelligi, tum quia ostensum est quod, secundum positionem Nestorii, Verbum Dei Christus dici non potest; tum quia Verbum Dei non est factum, sed genitum. Addit autem Apostolus*: *Ampliori gloria iste prae Moyse dignus habitus est, quanto ampliorem honorem habet domus qui fabricavit illam.* Homo igitur Christus fabricavit domum Dei. Quod consequenter Apostolus probat, subdens*: *Omnis namque domus fabricatur ab aliquo: qui autem omnia creavit, Deus est.* Sic igitur Apostolus probat quod homo Christus fabricavit domum Dei, per hoc quod Deus creavit omnia. Quae probatio nulla esset nisi Christus esset Deus creans omnia. Sic igitur homini illi attribuitur creatio universorum: quod est proprium opus Dei. Est igitur homo Christus ipse Deus secundum hypostasim, et non ratione inhabitationis tantum.

Amplius. Manifestum est quod homo Christus, loquens de se, multa divina dicit et supernaturalia: ut est illud *Ioan.* VI[40], *Ego resuscitabo illum in novissimo die;* et *Ioan.* X[28], *Ego vitam aeternam do eis.* Quod quidem esset summae superbiae, si ille homo loquens non esset secundum hypostasim ipse Deus, sed solum haberet Deum inhabitantem. Hoc autem homini Christo non competit, qui de se dicit, *Matth.* XI[29]: *Discite a me quia mitis sum et humilis corde.* Est igitur eadem persona hominis illius et Dei.

Praeterea. Sicut legitur in Scripturis quod homo ille est *exaltatus,* dicitur enim *Act.* II[33], *Dextera igitur Dei exaltatus* etc.; ita legitur quod Deus sit *exinanitus, Philipp.* II[7], *Exinanivit semetipsum* etc. Sicut igitur sublimia possunt dici de homine illo ratione unionis, ut quod sit Deus, quod resuscitet mortuos, et alia huiusmodi; ita de Deo possunt dici humilia, ut quod sit natus de Virgine, passus, mortuus et sepultus.

* *Heb.* 1, 9.

* Vers. 3.

* Vers 4.

5 Deus *post* sic EGNXZ*b*; *pro* ei, eis EG. 11 etiam hic] etiam in his EGX, etiam in hoc NsZ*b*, in hoc ZP, etiam hoc *cd.* 16 hoc *om* Pc. 22 fieri] filius EGXY*b*, si D. 36 autem *om* W, enim HP*c*. 42 separaretur] separetur EGHX, separatur *b*. 47 Deum *Ita* BWY*b*; Domini CDEFGHXZ, Domini Deum Pc. 49 Unctus autem] Christus unctus autem BF*c*, Christus autem unctus CHYZ. 51 ut Petrus ... 52 unctum Spiritu Sancto] cum EN, *om* pG.

4 est *om* FH, *post* igitur BCDWXY*b*. 5 in natura] natura BCHNWX*b*. et *om* EX. 12 opera] omnia P*d*. 13 vel *om d*, aut P. 27 illam] illum αGYZ, *om* W. 51 igitur *om* YP. *Pro* exaltatus etc., exaltata etc. GN, exaltavit illum EX. 52 etc.] formam servi accipiens GNX.

Adhuc. Relativa tam verba quam pronomina idem suppositum referunt. Dicit autem Apostolus, *Coloss.* I[16], loquens de Filio Dei, *In ipso condita sunt universa in caelo et in terra, visibilia et invisibilia;* et postea subdit*, *Et ipse est caput corporis Ecclesiae, qui est principium, primogenitus ex mortuis.* Manifestum est autem quod hoc quod dicitur, *in ipso condita sunt universa,* ad Verbum Dei pertinet: quod autem dicitur, *primogenitus ex mortuis,* homini Christo competit. Sic igitur Dei Verbum et homo Christus sunt unum suppositum, et per consequens una persona; et oportet quod quicquid dicitur de homine illo, dicatur de Verbo Dei, et e converso.

* Vers. 18.

Item. Apostolus dicit, I *ad Cor.* VIII[6]: *Unus est Dominus Iesus Christus, per quem omnia.* Manifestum est autem quod Iesus, nomen illius hominis per quem omnia, convenit Verbo Dei. Sic igitur Verbum Dei et homo ille sunt unus Dominus, nec duo domini nec duo filii, ut Nestorius dicebat. Et ex hoc ulterius sequitur quod Verbi Dei et hominis sit una persona.

Si quis autem diligenter consideret, haec Nestorii opinio quantum ad Incarnationis mysterium, parum differt ab opinione Photini*. Quia uterque hominem illum Deum dici asserebat solum propter inhabitationem gratiae: quamvis Photinus dixerit quod ille homo nomen divinitatis et gloriam per passionem et bona opera meruit; Nestorius autem confessus est quod a principio suae conceptionis huiusmodi nomen et gloriam habuit, propter plenissimam habitationem Dei in ipso. – Circa generationem autem aeternam Verbi multum differebant: nam Nestorius eam confitebatur; Photinus vero negabat omnino.

* Supra, cap. IV, XXVIII.

2 autem] enim EGWXZP*c*. 6 qui *Ita* G*b*P*c*; secundum quod W, quod *ceteri*. 17 Iesus nomen *Ita nos*: Iesus Christus nomen P. Iesus nomen est αDY, Iesus est nomen *ceteri; cf.* 121 a 48.
2 nec *alt. loco*] et nec BCDFWY, et non HZ. 8 dici *om* EGX*b*P*c*. 14 in ipso *om* EGX. 17 vero] autem EGNX.

## Commentaria Ferrariensis

POSTQUAM exclusit Sanctus Thomas errores circa animam et corpus Christi, vult ulterius errores circa unionem Verbi divini ad hominem excludere*. Circa hoc autem duo facit: primo, excludit ipsos errores; secundo, concludit quid secundum fidei veritatem sit tenendum, cap. XXXIX.

* Cf. Comment. cap. XXVIII, Introd.

Circa primum quinque facit, secundum quod quinque errores excludit. Primo enim excludit errorem Theodori Mopsuesteni et Nestorii; secundo, errorem Eutychetis, cap. seq.; tertio, errorem Antiocheni, cap. XXXVI; quarto, errorem quorundam innominatorum, cap. XXXVII; quinto, errorem aliorum etiam innominatorum, cap. XXXVIII.

I. Quantum ad primum, tria facit: primo, proponit ipsum errorem; secundo, improbat*; tertio, opinioni Photini comparat*.

* Num. seq.
* Num. VIII.

Dicit ergo primo. Cum in Christo sint divinitas, anima humana, et corpus humanum verum, dixerunt, *primo,* Theodorus Mopsuestenus et Nestorius eius sectator, quod anima humana et humanum corpus naturali unione convenerunt in Christo ad constitutionem unius hominis, eiusdem speciei et naturae cum aliis hominibus; et quod in hoc homine habitavit Deus sicut in templo suo, scilicet per gratiam, sicut in aliis sanctis. Unde ipse dixit, *Ioan.* II, *Solvite* etc.; et Evangelista, quasi exponens, subiungit, *Ille autem* etc.; et ad *Coloss.* I, dicitur quod *in ipso complacuit* etc.

Dixerunt *secundo,* quod ex hoc secuta est quaedam affectualis unio inter hominem illum et Deus, dum homo ille bona sua voluntate adhaesit Deo, et Deus sua voluntate illum acceptavit: iuxta illud *Ioan.* VIII, *Qui misit me* etc. Unde talis unio intelligitur qualis est de qua Apostolus dicit, I *Cor.* VI, *Qui adhaeret* etc.

Dixerunt *tertio,* quod propter inhabitationem Dei et unionem affectus, illi homini conveniunt divina nomina: ut scilicet dicatur *Deus,* et *Dei filius,* et *dominus,* et *sanctus,* et *Christus.*

Dixerunt *quarto* quod, quia in illo homine maior plenitudo gratiae fuit quam in aliis hominibus sanctis, fuit prae ceteris templum Dei, et arctius Deo secundum affectum unitus. Et ideo constitutus est in participatione divinae dignitatis et honoris, ut scilicet co-adoretur Deo.

Ex istis sequitur aliam esse personam Verbi, et aliam personam illius hominis. Et si dicatur esse una persona utriusque, hoc erit propter unionem affectualem praedictam: sicut de muliere et viro dicitur quod *iam non sunt duo, sed una caro.*

Dixerunt *quinto* quod, quia talis unio non facit ut quicquid de uno dicitur, de altero dici possit, – non enim quicquid convenit viro, verum est de muliere, aut e converso – hoc observandum putant, quod propria illius hominis, ad humanam naturam pertinentia, de Verbo Dei aut de Deo convenienter dici non possunt, sicut quod sit *natus de virgine,* quod *passus, mortuus et sepultus,* et alia huiusmodi: sed bene de quibusdam nominibus divinis, quae hominibus per quendam modum communicantur, sicut *Christus, dominus, sanctus, filius Dei,* praedicta praedicari possunt. Dicitur enim convenienter, secundum eos, quod Christus *dominus gloriae,* vel *sanctus sanctorum,* vel *Dei filius* sit, *natus de virgine, passus,* et huiusmodi. Unde Beatam Virginem non *matrem Dei,* vel *Verbi Dei,* sed *matrem Christi* nominandam esse dicunt.

II. Secundo loco, contra hanc positionem arguit Sanctus Thomas*.

* Cf. num. I.

*Primo.* Haec positio veritatem Incarnationis excludit: et per consequens fundamentum Christianae religionis tollit. Ergo etc. – Probatur assumptum. Quia inhabitatio Verbi divini in homine per gratiam non est Verbum Dei esse incarnatum: alioquin, cum a constitutione mundi fuerit talis inhabitatio in hominibus sanctis, iuxta illud Apostoli II *Cor.* VI, *Vos estis templum* etc., frequenter ab initio mundi Deus esset incarnatus. Nec sufficit ad hoc quod abundantior gratia in illo homine habitaverit: quia *magis et minus speciem non diversificant unionis.*

*Secundo.* Inhabitationem Verbi Dei in sanctis hominibus consuevit Sacra Scriptura iis modis significare, *Locutus est Dominus ad Moysen; Factum est verbum Domini ad Ieremiam,* et huiusmodi modis: nunquam autem legitur quod *verbum Domini factum sit Moyses,* vel *Ieremias,* vel aliquis aliorum. Sed unionem Verbi Dei ad carnem Evangelista designat dicens, *Verbum caro factum est.* Ergo etc.

*Tertio.* Verbum Dei est homo: quia quod factum est aliquid, est illud. Sed duorum differentium in persona aut supposito aut hypostasi unum de altero non potest praedicari: sicut non potest dici quod Sortes sit Plato, aut aliquod aliud singularium. Ergo impossibile est ut Verbi Dei et illius hominis sint duae personae vel duo supposita.

Advertendum, ex doctrina Sancti Thomae Prima, q. XIII, a. 12, quod in omni propositione in qua aliquid affirmatur de altero, oportet identitatem esse inter praedicatum et subiectum, licet quandoque aliud sit formale significatum subiecti, et aliud formale significatum praedicati: importatur enim formam subiecti et formam praedicati esse in eodem, et sic identitas suppositi importatur. Cum enim dicitur, *Homo est animal,* significatur idem suppositum

esse cui convenit natura rationalis, a qua dicitur homo, et natura sensibilis, a qua dicitur animal. Similiter cum dicitur, *Homo est albus,* significatur esse idem suppositum cui et humanitas convenit et albedo. Et ideo convenienter dictum est ea quae distinguuntur secundum supposita, non posse de se invicem praedicari.

III. *Quarto.* Ille homo qui dictus est Iesus, de se dicit, *Ioan.* VIII, *Antequam Abraham fieret, ego sum;* et *Ioan.* X, *Ego et Pater unum sumus;* et plura alia quae ad divinitatem Verbi pertinent. Ergo persona illius hominis loquentis est ipsa persona Filii Dei. – Probatur consequentia. Quia pronomina demonstrativa ad personam referuntur, hypostasim vel suppositum.

Advertendum fundamentum huius responsionis esse quod ille homo qui dictus est Iesus, suo proprio supposito attribuit ea quae sunt divinitatis, ut esse ante Abraham, et esse unum cum Patre. Hoc autem significatur pronomine *ego,* quod est signum suppositi demonstrativum. Et ideo necesse est ut suppositum illius hominis sit divinum suppositum, cui convenit aeternaliter esse, et esse idem cum Patre quantum ad essentiam.

*Quinto.* Ille homo, ex persona sua loquens, dicit se *descendisse de caelo, Ioan.* VI. Ergo eius persona est persona Verbi Dei. – Probatur consequentia. Quia, cum neque corpus Christi neque anima eius de caelo descenderit, ut est ostensum, restat ut hoc Verbo Dei conveniat, non motu locali, sed unione ad inferiorem naturam.

*Sexto.* Ascendere in caelum Christo homini convenit, ut dicitur *Act.* I: descendere autem Verbo Dei. Sed *qui descendit, ipse est qui ascendit, Ephes.* IV. Ergo etc.

*Septimo.* Quod Verbo Dei convenit, de homine illo dicitur vere. Ergo est utriusque una persona. – Probatur assumptum. *Venire in mundum* convenit Verbo Dei, ut patet *Ioan.* I: non autem homini Christo secundum suam humanitatem, cum secundum carnem originem habeat ex mundo, et secundum animam non fuerit antequam esset in mundo. Sed ille homo se dicit venisse in mundum, *Ioan.* XVI. Ergo etc.

Advertendum quod aliquem venire in mundum praesupponit ipsum esse: sicut enim omnis motus localis praesupponit esse rei, ita et omne quod significatur per modum localis motus convenire alicui, illum esse praesupponit. Nam quamvis de aliquo nuper nato dicatur quod nunc venit in mundum, hoc tamen est improprie dictum, et magis datur intelligi quod sit *noviter natus in mundo;* nisi intelligatur quod prius existens in ventre materno, postea in lucem prodiit. Ideo bene inquit Sanctus Thomas quod ei quod originem habet ex mundo, et quod nunquam fuit antequam esset in mundo, non convenit venire in mundum.

IV. *Octavo.* Verbum Dei est ingrediens in mundum. Ergo ipsi aptatur corpus, scilicet ut sit proprium corpus eius: iuxta illud quod dicitur *Heb.* X, *Ingrediens mundum* etc. Sed hoc esse non posset nisi eadem esset hypostasis Verbi Dei et illius hominis. Ergo etc.

*Nono.* Corpus illius hominis fuit corpus Verbi Dei, ut est ostensum. Ergo omnis passio in illo corpore facta potest Verbo attribui, ut possit dici Deus passus, crucifixus, etc. Quod est contra ultimum dictum illius positionis*. – Probatur consequentia. Quia omnis passio conveniens corpori alicuius potest attribui ei cuius est corpus.

* Cf. p. 119 b 3; et supra, in Comment. *Dixerunt quinto.*

*Decimo.* Ille *propter quem sunt omnia; per quem sunt omnia; qui homines in gloriam adduxit; et qui est auctor salutis humanae,* passus est et mortuus, ut patet *Heb.* II. Sed haec singulariter sunt Dei, et nulli alii attribuuntur: dicitur enim *Proverb.* XVI, *Universa* etc.; et *Ioan.* I, *Omnia per ipsum;* et in Psalmo, *Gratiam et gloriam* etc.; et iterum, *Salus autem iustorum* etc. Ergo etc.

*Undecimo.* Apostolus dicit *Dominum Gloriae* crucifixum, I *Cor.* II. Sed nulla creatura potest dici Dominus Gloriae: cum gloriam futurae beatitudinis solus Deus ex natura possideat, alii vero per donum gratiae. Ergo etc.

*Duodecimo.* Attribuit Scriptura *proprio et unigenito Dei Filio* passionem et mortem: ut *ad Rom.* VIII, et *Ioann.* III, et *Rom.* V, etc. Sed homo ille in quo est Verbum inhabitans, secundum positionem praedictam licet sit filius Dei per gratiam adoptionis, non potest dici *proprius* vel *unigenitus Dei Filius:* sed solum Verbum Dei, quod secundum proprietatem nativitatis singulariter a Patre est genitum. Ergo etc.

V. *Tertiodecimo.* Corpus illius hominis ex Virgine matre sumptum est; et consequenter, iuxta praedicta, corpus Verbi Dei. Ergo convenienter dicitur quod Beata Virgo sit *Mater Dei.* – Probatur consequentia. Quia ex hoc dicitur aliquis filius alicuius matris, quia corpus eius ex ea sumitur, licet anima non sumatur ex matre, sed ab exteriori sit, scilicet a Deo.

*Quartodecimo.* Ut habetur *ad Gal.* IV, *Misit Deus Filium suum factum ex muliere:* ex quo intelligitur quod eo dicitur Filius Dei missus quo factus est ex muliere. Sed hoc non potest intelligi de filio qui, secundum Nestorium, est adoptivus: quia ipse non fuit antequam natus esset ex muliere; quod autem mittitur, prius intelligitur esse quam sit in eo in quod mittitur. Ergo intelligitur de Filio naturali. Sed ex hoc quod aliquis factus est ex muliere, dicitur filius mulieris. Ergo Deus, Dei Verbum, est Filius mulieris.

Si dicatur quod non sic intelligitur verbum Apostoli quasi Dei filius ad hoc missus sit ut sit factus ex muliere, sed quod Dei filius, qui factus est ex muliere et sub lege, ad hoc missus sit *ut eos qui sub lege erant redimeret;* et sic non oportet filium Dei accipere pro Filio naturali, sed pro homine illo qui est filius adoptionis: – contra hoc est, quia Filio Dei Apostolus tribuit hoc quod est a servitute legis eripere. Hoc autem solius Dei est, a quo est lex posita.

Confirmatur primo, quia redemptio humani generis ipsi Deo attribuit in Psalmis, ubi dicitur, *Redemisti nos, Domine* etc.

Confirmatur secundo, quia adoptio filiorum non causatur ab homine, sed a Deo: cum fiat per Spiritum Sanctum, iuxta illud *Rom.* VIII, *Accepistis* etc.; Spiritus autem Sanctus non sit donum hominis, sed Dei. Sed causatur a Dei Filio, misso a Deo et facto ex muliere: ut patet ex eo quod subditur, *ut adoptionem filiorum reciperemus.* Ergo verbum Apostoli intelligitur de Filio Dei naturali.

*Quintodecimo. Verbum caro factum est.* Et non habet eam nisi ex muliere. Ergo factum est ex muliere. Ergo Beata Virgo est mater Verbi Dei.

*Sextodecimo.* Christus, *qui est super omnia, est ex Patribus secundum carnem,* ut dicitur *Rom.* IX. Sed non est ex Patribus nisi mediante Virgine. Ergo est ex Virgine secundum carnem. Ergo etc.

VI. *Decimoseptimo.* Apostolus de Christo Iesu, *Philipp.* II, ait: *Qui cum in forma Dei esset, exinanivit semetipsum* etc. Sed hoc non potest intelligi de homine illo, qui, secundum Nestorium, est filius adoptionis: quia, si sit purus homo, non prius fuit in forma Dei, ut postmodum *in similitudinem hominum fieret.* Ergo intelligitur de Filio naturali, quod est Verbum Dei. Sed ista exinanitio non potest intelligi per solam inhabitationem Verbi Dei in homine: quia Verbum Dei a principio mundi in omnibus sanctis habitavit per gratiam, nec tamen dicitur exinanitum; cum in communicatione divinae bonitatis nihil Deo subtrahatur, sed magis quodammodo exaltetur, secundum quod eius sublimitas ex bonitate creaturarum apparet; et tanto amplius quanto fuerint meliores. Ergo unio Verbi Dei ad humanam naturam non est intelligenda secundum solam inhabitationem per gratiam, sed secundum quod Verbum Dei vere factum est homo: quo modo dicitur *exinanitum,* idest *parvum factum,* non amissione propriae magnitudinis, sed assumptione humanae parvitatis. – Declaratur exemplo animae etc.

*Decimooctavo.* Oportebit dicere quod etiam Spiritus Sanctus sit incarnatus, si incarnatio Verbi secundum hoc solum intelligitur quod Verbum Dei in illo homine plenissime habitavit. Nam et Spiritus Sanctus in homine Christo habitavit, ut patet *Lucae* IV. Hoc autem omnino est alienum a fide. Ergo etc.

*Decimonono.* Verbum Dei etiam in sanctis angelis habitat, qui Verbi participatione intelligentia replentur. Sed dicit Apostolus, *Heb.* II: *Nusquam angelos apprehendit, sed semen Abrahae apprehendit.* Ergo etc.

*Vigesimo.* Si, secundum positionem Nestorii, Christus separetur in duos secundum hypostasim differentes, idest in Verbum Dei et hominem illum, sequitur quod non poterit ipse Iesus dici Christus; et sic non erit verum quod dicit Apostolus, *ad Philipp.* II: *Hoc sentite in vobis quod et in Christo Iesu.* – Probatur consequentia. Neque enim Verbum Dei potest dici Christus: tum quia Scriptura ante incarnationem nunquam nominat ipsum Christum; tum quia, cum *Christus* dicatur quasi *unctus Spiritu Sancto,* ut patet *Act.* X, Spiritus Sanctus esset maior Filio, ut sanctificans sanctificato. Neque etiam homo ille: cum subdat Apostolus, *qui cum in forma Dei* etc.; quia tunc verum esset dicere quod homo ille est in forma, idest in natura Dei et aequalis Deo; quod est falsum. Ergo etc.

VII. *Vigesimo primo.* Homini Christo, de quo dicitur *Heb.* III, quod est *factus,* attribuit ibidem Apostolus quod *creavit omnia.* Ergo homo Christus est ipse Deus secundum hypostasim, et non ratione inhabitationis tantum. – Probatur antecedens. Quia homini Christo attribuit Apostolus quod *domum Dei fabricavit,* hac ratione, quia Deus *creavit omnia.* Quae utique probatio nihil valeret, nisi Christus esset Deus creans omnia. – Consequentia vero probatur quia, licet nomen Dei ad sanctos homines transferatur, nunquam tamen ea quae sunt solius Dei, ut creare caelum et terram, et huiusmodi, de aliquo sanctorum propter inhabitationem gratiae dicuntur.

*Vigesimo secundo.* Homo Christus de se multa divina et supernaturalia dicit: ut *Ioann.* VI, *Ego resuscitabo* etc.; et *Ioann.* X, *Ego vitam aeternam* etc. Sed hoc non diceret nisi ipse homo loquens esset secundum hypostasim Deus: quia illud esset summae superbiae; Christus autem de se dicit, *Matth.* XI, *Discite a me* etc. Ergo etc.

*Vigesimo tertio.* Sicut dicitur *Act.* II quod homo ille est *exaltatus;* ita *ad Philipp.* II dicitur quod Deus sit *exinanitus.* Ergo, sicut sublimia dici possunt de homine illo ratione unionis, ut quod sit Deus, quod resuscitet mortuos, etc.; ita de Deo humilia dici possunt, ut quod sit *natus de Virgine, passus,* etc. Quod est scilicet contra quintum dictum Nestorii*. * Cf. loc. cit. supra, IV *Nono.*

*Vigesimo quarto.* Postquam dixit Apostolus, *Coloss.* I, *In ipso condita sunt universa* etc., subdit quod *et ipse est primogenitus ex mortuis.* Sed hoc quod dicitur, *in ipso condita sunt universa,* ad Verbum Dei pertinet: esse autem *primogenitum ex mortuis* homini Christo competit. Ergo Verbum Dei et homo Christus sunt unum suppositum, et per consequens una persona. Ergo etc. – Probatur consequentia. Quia relativa, tam adverbia* quam pronomina, idem suppositum referunt. * *verba?* Cf. text.

Advertendum quod *persona* supra rationem suppositi non addit nisi quod sit naturae rationalis: est enim persona, secundum Boetium*, *rationalis naturae individua substantia.* Propterea bene infert Sanctus Thomas, si Verbum Dei et homo Christus sunt unum suppositum, quod sunt una persona. * *De duabus Naturis,* cap. III (*Incerti liber contra Eutych. et Nestor.*, Lips. 1871).

*Vigesimo quinto.* Ut dicitur I *Cor.* VIII, *Unus est Dominus, Iesus Christus, per quem sunt omnia.* Ergo Verbum Dei et homo ille sunt unus Dominus, non duo. Ergo et una persona. – Probatur consequentia. Quia *Iesus Christus,* scilicet nomen illius hominis per quem sunt omnia, convenit Verbo Dei.

VIII. Tertio loco, comparat Sanctus Thomas opinionem Nestorii opinioni Photini*. Et ait quod ab illa parum differt quantum ad Incarnationis mysterium, quia uterque illum hominem asserebat Deum solum propter gratiae inhabitationem: quamvis Photinus diceret hoc ipsum per passionem et bona opera meruisse; Nestorius autem quod a principio suae conceptionis huiusmodi nomen et gloriam habuit. Circa autem generationem aeternam Verbi differebant: Nestorius enim eam confitebatur; Photinus vero eam negabat omnino. * Cf. num. I, init.; et cap. XXVIII.

Advertendum est, secundum Sanctum Thomam Tertia, q. II, a. 3, quod iste error Nestorii ponentis in Christo duas personas, damnatus est in Quinto Concilio, Constantinopolitano, ubi dicitur*: *Si quis introducere conetur in mysterio Christi duas subsistentias seu duas personas, anathema sit.* * Collat. VIII, can. V.

# CAPITULUM TRIGESIMUM QUINTUM

## CONTRA ERROREM EUTYCHETIS.

QUIA ergo, sicut multipliciter ostensum est*, ita oportet mysterium Incarnationis intelligi quod Verbi Dei et hominis sit una eademque persona, relinquitur quaedam circa huius veritatis considerationem difficultas. Naturam enim divinam necesse est ut sua personalitas consequatur. Similiter autem videtur et de humana natura: nam omne quod subsistit in intellectuali vel rationali natura, habet rationem personae*. Unde non videtur esse possibile quod sit una persona et sint duae naturae, divina et humana. * Cap. praec. * Cf. Boetium, *de duabus Naturis* (*Incerti lib. contra Eutych. et Nestor.* Lips. 1871), cap. III.

Ad huius autem difficultatis solutionem diversi diversas positiones attulerunt. Eutyches enim, ut unitatem personae contra Nestorium servaret in Christo, dicit in Christo esse etiam unam naturam, ita quod, quamvis ante unionem essent duae naturae distinctae, divina et humana, in unione tamen coierunt in unam naturam. Et sic dicebat Christi personam *ex duabus naturis esse,* non autem *in duabus naturis subsistere.* Propter quod in Chalcedonensi Synodo est condemnatus*. * Actione V (Mansi, VII, 115).

Huius autem positionis falsitas ex multis apparet. Ostensum enim est supra* quod in Christo Iesu et corpus fuit, et anima rationalis, et divinitas. Et manifestum est quod corpus Christi, etiam post unionem, non fuit ipsa Verbi divinitas: nam corpus Christi, etiam post unionem, palpabile fuit, et corporeis oculis visibile, et lineamentis membrorum distinctum; quae omnia aliena sunt a divinitate Verbi, ut ex superioribus* patet. Similiter etiam anima Christi post unionem aliud fuit a divinitate Verbi: quia anima Christi, etiam post unionem, passionibus tristitiae et doloris et * Cap. XXVIII sqq. * Lib. I, cap. XVII, sq.

4 eademque] eadem C, et eadem WXYZ*b*. 5 veritatis *om* EGX, veritatem αNY; *pro* considerationem, considerationis Y. 14 Eutyches] enochiches B, enochices C, enochites DFH, euticetes N*b*, eutices W*cd*, euchutes EG, euthices XYZP*c et in hac ultima scribendi forma deinceps omnes vulgo consentiunt.* 16 etiam *om* H*b*, *ante* esse EGNX.

12 palpabile] passibile P*d*. corporeis] a corporeis EGNX. 15 aliud] alia EGX; *lac.* N.

irae affecta fuit; quae etiam divinitati Verbi nullo modo convenire possunt, ut ex praemissis* patet. Anima autem humana et corpus constituunt humanam naturam. Sic igitur, etiam post unionem, humana natura in Christo fuit aliud a divinitate Verbi, quae est natura divina. Sunt igitur in Christo, etiam post unionem, duae naturae.

*Lib. I, cap. LXXXIX.

Item. Natura est secundum quam res aliqua dicitur res naturalis. Dicitur autem res naturalis ex hoc quod habet formam, sicut et res artificialis: non enim dicitur domus antequam habeat formam artis, et similiter non dicitur equus antequam habeat formam naturae suae. Forma igitur rei naturalis est eius natura. Oportet autem dicere quod in Christo sint duae formae, etiam post unionem. Dicit enim Apostolus, *Philipp.* II[6,7], de Christo Iesu, quod, *cum in forma Dei esset, formam servi accepit.* Non autem potest dici quod sit eadem forma Dei, et forma servi: nihil enim accipit quod iam habet; et sic, si eadem est forma Dei et forma servi, cum iam formam Dei habuisset, non accepisset formam servi. Neque iterum potest dici quod forma Dei in Christo per unionem sit corrupta: quia sic Christus post unionem non esset Deus. Neque iterum potest dici quod forma servi sit corrupta in unione: quia sic non accepisset formam servi. Sed nec dici potest quod forma servi sit permixta formae Dei: quia quae permiscentur, non manent integra, sed partim utrumque corrumpitur; unde non diceret quod accepisset formam servi, sed aliquid eius. Et sic oportet dicere, secundum verba Apostoli, quod in Christo, etiam post unionem, fuerunt duae formae. Ergo duae naturae.

Amplius. Nomen *naturae* primo impositum est ad significandum ipsam generationem nascentium. Et exinde translatum est ad significandum principium generationis huiusmodi. Et inde ad significandum principium motus intrinsecum mobili. Et quia huiusmodi principium est materia vel forma, ulterius natura dicitur forma vel materia rei naturalis habentis in se principium motus. Et quia forma et materia constituunt essentiam rei naturalis, extensum est nomen naturae ad significandum essentiam cuiuscumque rei in natura existentis: ut sic natura alicuius rei dicatur *essentia, quam significat definitio**. Et hoc modo hic de natura est quaestio: sic enim dicimus humanam naturam esse in Christo, et divinam.

*II *Phys.*, 1, 10; S. Th. l. 2.

Si igitur, ut Eutyches posuit, humana natura et divina fuerunt duae ante unionem, sed ex eis in unione conflata est una natura, oportet hoc esse aliquo modorum secundum quos ex multis natum est unum fieri.

Fit autem ùnum ex multis, uno quidem modo, *secundum ordinem tantum:* sicut ex multis domibus fit civitas, et ex multis militibus fit exercitus. Alio modo, *ordine et compositione:* sicut ex partibus domus coniunctis et parietum colligatione fit domus. Sed hi duo modi non competunt ad constitutionem unius naturae ex pluribus. Ea enim quorum forma est ordo vel compositio, non sunt res naturales, ut sic eorum unitas possit dici unitas naturae.

Tertio modo, ex pluribus fit unum *per commixtionem:* sicut ex quatuor elementis fit corpus mixtum. Hic etiam modus nullo modo competit ad propositum. Primo quidem, quia mixtio non est nisi eorum quae communicant in materia, et quae agere et pati ad invicem nata sunt. Quod quidem hic esse non potest: ostensum est enim in primo Libro* quod Deus immaterialis et omnino impassibilis est. – Secundo, quia ex his quorum unum multum excedit aliud, mixtio fieri non potest: si quis enim guttam vini mittat in mille amphoras aquae, non erit mixtio, sed corruptio vini*; propter quod etiam nec ligna in fornacem ignis missa dicimus misceri igni, sed ab igne consumi, propter excellentem ignis virtutem. Divina autem natura in infinitum humanam excedit: cum virtus Dei sit infinita, ut in Primo ostensum est*. Nullo igitur modo posset fieri mixtio utriusque naturae. – Tertio quia, dato quod fieret mixtio, neutra natura remaneret salvata: miscibilia enim in mixto non salvantur, si sit vera mixtio. Facta igitur permixtione utriusque naturae, divinae scilicet et humanae, neutra natura remaneret, sed aliquod tertium: et sic Christus neque esset Deus neque homo. Non igitur sic potest intelligi quod Eutyches dixit, ante unionem fuisse duas naturas, post unionem vero unam in Domino Iesu Christo, quasi ex duabus naturis sit constituta una natura. – Relinquitur ergo quod hoc intelligatur hoc modo, quod altera tantum earum post unionem remanserit. Aut igitur fuit in Christo sola natura divina, et id quod videbatur in eo humanum fuit phantasticum, ut Manichaeus dixit; aut divina natura conversa est in humanam, ut Apollinaris dixit; contra quos supra* disputavimus. Relinquitur igitur hoc esse impossibile, ante unionem fuisse duas naturas in Christo, post unionem vero unam.

*Cap. XVII sq.

*I *de Gen. et Corr.*, x, 9. Continuatio Comm. S. Th. l. 25 (Ed. Leonina, vol. III).

*Cap. XLIII.

*Cap. XXIX sqq.

Amplius. Nunquam invenitur ex duabus naturis manentibus fieri unam: eo quod quaelibet natura est quoddam totum, ea vero ex quibus aliquid constituitur, cadunt in rationem partis; unde, cum ex anima et corpore fiat unum, neque corpus neque anima natura dici potest, sicut nunc loquimur de natura, quia neutrum habet speciem completam, sed utrumque est pars unius naturae. Cum igitur natura humana sit quaedam natura completa, et similiter natura divina, impossibile est quod concurrant in unam naturam, nisi vel utraque vel altera corrumpatur. Quod esse non

10 sicut et] sicut EGNX. 14 Oportet autem] Ergo oportet EGNX, Oportet ergo P*c*. 18 potest dici] dicit EGX, dici potest N. 20 sic] si α. 32 dicere] dici P*c*.

2 et parietum colligatione *Ita* W; et per tactum (tactus Z, tactuum G, tectus E, tecti *cd*) colligationem αEGZ*cd*, et (*om* D) per tactum et colligationem DN*b*, et partium collectione X, et per tactum colligationis Y, et per contactum et per colligationem P. 5 enim] igitur αDWYZP*c*. 5 vel] et EGNX. 8 per commixtionem *Ita* GNXP*c*; permixtione E, per ammixtionem *ceteri*. 20 fornacem *Ita* sYP; fornace *ceteri*; ignis missa *om* Z, missa *om* EGX. 21 misceri igni] igne (igni *b*) misceri EGNX*b*. 29 utriusque *post* naturae. 32 neque *pr. loco*] non XP*c*. 34 vero *om* EG*b*. 37 hoc *om* EX, hoc modo, *omisso statim* hoc modo, *b*. 38 remanserit] remaneret EGX*b*. 39 natura *post* divina GNX*b*. 42 humanam] naturam *addunt* P*c*. 49 rationem] ratione P*c*. 57 altera] alia P*d*.

*Cap praec. passim. potest: cum ex supra* dictis pateat unum Christum et verum Deum et verum hominem esse. Impossibile est igitur in Christo unam esse tantum naturam.

Item. Ex duobus manentibus una natura constituitur vel sicut ex partibus corporalibus, sicut ex membris constituitur animal: quod hic dici non potest, cum divina natura non sit aliquid corporeum. Vel sicut ex materia et forma constituitur aliquid unum, sicut ex anima et corpore animal. Quod etiam non potest in proposito dici: *Cap. XVII, XXVII. ostensum est enim in primo Libro* quod Deus neque materia est, neque alicuius forma esse potest. Si igitur Christus est verus Deus et verus *Cap. praec. passim. homo, ut ostensum est*, impossibile est quod in eo sit una natura tantum.

Adhuc. Subtractio vel additio alicuius essentialis principii variat speciem rei: et per consequens mutat naturam, quae nihil est aliud quam *Supra, *Amplius. Nomen.* *essentia, quam significat definitio,* ut dictum est*. Et propter hoc videmus quod differentia specifica addita vel subtracta definitioni, facit differre secundum speciem: sicut animal rationale, et ratione carens, specie differunt; sicut et in numeris unitas addita vel subtracta facit aliam speciem numeri. *VII *Metaphys.* III, 8; s. Th. VIII, l. 3. Forma autem est essentiale principium. Omnis igitur formae additio facit aliam speciem et aliam naturam, sicut nunc loquimur de natura. Si igitur divinitas Verbi addatur humanae naturae sicut forma, faciet aliam naturam. Et sic Christus non erit humanae naturae, sed cuiusdam alterius: sicut corpus animatum est alterius naturae quam id quod est corpus tantum.

Adhuc. Ea quae non conveniunt in natura, non sunt similia secundum speciem, ut homo et equus. Si autem natura Christi sit composita ex divina et humana, manifestum est quod non erit natura Christi in aliis hominibus. Ergo non erit similis nobis secundum speciem. Quod est contra Apostolum dicentem, *Heb.* II [17], quod *debuit per omnia fratribus assimilari.*

Praeterea. Ex forma et materia semper constituitur una species, quae est praedicabilis de pluribus actu vel potentia, quantum est de ratione speciei. Si igitur humanae naturae divina natura quasi forma adveniat, oportebit quod ex commixtione utriusque quaedam communis species resultet, quae sit a multis participabilis. Quod patet esse falsum: non enim est nisi unus Iesus Christus*, Deus et homo. Non igitur divina et humana natura in Christo constituerunt unam naturam. *I *Cor.* VIII, 6.

Amplius. Hoc etiam videtur a fide alienum esse quod Eutyches dixit, ante unionem in Christo fuisse duas naturas. Cum enim humana natura ex anima et corpore constituatur, sequeretur quod vel anima, vel corpus, aut utrumque, ante Christi incarnationem fuerint. Quod per supra* dicta patet esse falsum. Est igitur fidei contrarium dicere quod ante unionem fuerint duae naturae Christi, et post unionem una. *Cap. XXX, XXXIV.

3 unam *post* esse EGN, *post* tantum X*b*. 5 duobus] duabus E*b*. 6 ex partibus] partibus EGNX*b*, corpus ex partibus D. 14 Si igitur] Sic igitur si XsG*b*. 19 est *post* aliud DEGNX*b*. 22 definitioni] definitionem EFNXY*b*. 24 sicut et] sicut GNZ, et sicut P. 25 aliam] et aliam *addunt* P*d*.

20 divina et humana natura] ex (*om* N) divina natura et humana EGNX. 21 constituerunt] constituunt DENZsG. 26 sequeretur] sequetur EGN*cd*, sequitur P. 28 fuerint] fuerunt EHNX*b*. 30 fuerint] fuerunt DEGHNX.

## Commentaria Ferrariensis

*Cf. cap. praec., init. SECUNDUS error fuit Eutychetis *.

I. Quia enim, ut est ostensum, oportet Verbi Dei et hominis unam eandemque personam esse; et videtur hoc habere difficultatem, cum videatur necesse esse ut et divinam naturam sua personalitas consequatur, et similiter naturam humanam: ad hanc difficultatem tollendam diversi diversas positiones attulerunt. Ex quibus Eutyches, ut unam personam contra Nestorium servaret in Christo, dixit unam etiam in Christo naturam esse. Quamvis enim ante unionem essent duae naturae distinctae, divina et humana, in unione tamen in unam naturam, ut inquit, coierunt. Et sic dicebat Christi personam *ex duabus naturis esse,* non autem *in duabus naturis subsistere.* Propter quod in Chalcedonensi Synodo est damnatus.

Advertendum quod aliud est personam *esse ex duabus naturis,* et aliud personam *in duabus naturis subsistere.* Ad primum enim sufficit personam esse hypostasim naturae ex duabus naturis constitutae: et sic non oportet ut in ipso sint duae naturae distinctae. Ad secundum autem requiritur duas esse naturas distinctas, et in utraque harum simul unam personam esse per se subsistens habere. Quia ergo Eutyches posuit in Christo unam tantum naturam ex humana et divina constitutam, ideo dixit personam Christi *ex duabus naturis esse,* non autem *in duabus naturis subsistere.*

II. Sed contra hanc positionem arguit Sanctus Thomas. *Primo.* Post unionem, humana natura in Christo fuit aliud a divinitate Verbi, quae est eius natura. Ergo etiam post unionem in Christo fuerunt duae naturae. – Probatur assumptum. Corpus Christi, etiam post unionem, non fuit ipsa divinitas: cum esset passibile, et corporeis oculis visibile, atque lineamentis membrorum distinctum, quae omnia sunt a divinitate aliena. Similiter anima fuit aliud a divinitate: cum esset passionibus tristitiae, doloris et irae affecta, quae divinitati convenire non possunt. Sed anima humana et corpus humanam naturam constituunt. Ergo etc.

III. *Secundo.* In Christo sunt duae formae, etiam post unionem. Ergo duae naturae. – Probatur consequentia. Quia forma rei naturalis est eius natura: cum dicatur res naturalis ex hoc quod habet formam, sicut et res artificialis. – Antecedens vero probatur auctoritate Apostoli dicentis, *ad Philipp.* II, de Christo, quod, *cum in forma Dei esset, formam servi accepit.* Nam dici non potest eandem esse formam Dei, et formam servi: quia, cum iam formam Dei habuisset, non accepisset formam servi; nihil enim accipit quod iam habet. Neque dici potest formam Dei per unionem esse corruptam: quia Christus non esset Deus. Neque similiter formam servi: quia sic formam servi non accepisset. Neque potest dici formam servi esse permixtam formae Dei: quia, cum quae permiscentur non maneant integra, sed partim utrumque corrumpatur, non diceret Apostolus quod formam servi accepit, sed *aliquid eius.* Et sic oportet dicere, secundum intentionem Apostoli, post unionem duas formas in Christo fuisse.

2. Advertendum, circa illam propositionem, *Dicitur res naturalis ex hoc quod habet formam,* quod ly *res naturalis* non accipitur tanquam praedicatum, sed tanquam

subiectum. Non enim sensus est quod aliqua res dicitur naturalis ex hoc quod habet formam: sed quod res naturalis dicitur esse talis naturae ex hoc quod habet talem formam, et non antequam habeat formam; sicut et res artificialis dicitur esse talis speciei ex hoc quod habet talem formam; nihil enim dicitur equus antequam habeat formam naturae equi, sed quando habet ipsam formam; et nihil dicitur domus antequam habeat formam domus, sed postquam ipsam habet. Et sic patet quod convenienter forma rei naturalis dicitur natura, cum ab ipsa res naturalis habeat quod sit talis naturae.

3. Advertendum etiam circa illam propositionem, *Quae permiscentur non manent integra, sed partim utrumque corrumpitur,* quod non sic intelligitur quasi una pars integralis rei permixtae corrumpatur, et alia pars eiusdem speciei maneat: sed quod corrumpitur totaliter quantum ad propriam speciem, et remanet in virtute, inquantum in forma quae resultat ex mixtione, remanet aliquid virtutis eorum quae miscentur; aut etiam qualitates eorum eadem specie remanent, sed remisse, secundum aliquorum opinionem. Sic enim dicitur utrumque mixtorum partim corrumpi et integrum non manere, quia non omnino desinit esse, cum remaneat in sua virtute; nec omnino remanet, quia non remanet in propria forma et propria specie substantiae.

IV. *Tertio.* Supponitur quod, cum *naturae* nomen dicatur de generatione nascentium; de principio generationis huiusmodi; et de principio intrinseco motus; et consequenter de forma et materia rei naturalis; atque de essentia cuiuscumque rei in natura existentis, quam significat definitio; hoc loco *natura* accipitur ultimo modo; et sic dicimus in Christo esse naturam humanam et divinam.

Tunc sic. Si in Christo est una tantum natura post unionem, aut hoc intelligitur sic quod ex divina et humana constituta est una natura; aut sic quod altera tantum earum remanserit post unionem. Si primum, aut factum est ex eis unum secundum ordinem tantum, ut civitas ex multis domibus; aut secundum ordinem et compositionem, ut domus ex partibus suis; aut secundum commixtionem, sicut mixtum ex quatuor elementis. Non primum aut secundum. Quia ii modi non competunt ad constitutionem unius naturae ex pluribus: cum ea quorum forma est ordo vel compositio, non sint res naturales, ut sic eorum unitas possit dici unitas naturae. – Non etiam tertium. Tum quia mixtio non est nisi eorum quae communicant in materia, et quae agere et pati ad invicem nata sunt: quod hic esse non potest. Tum quia divina natura in infinitum humanam excedit: ex iis autem quorum unum multum aliud excedit, mixtio fieri non potest: ut patet de gutta vini in mille amphoras aquae missa; propter quod etiam nec ligna in fornacem ignis missa misceri dicimus igni, sed ab igne consumi, propter ignis excellentem virtutem. Tum quia, dato quod fieret mixtio, neutra remaneret salva: quia in vera mixtione non salvantur miscibilia. Et sic Christus neque esset Deus, neque homo. Ergo etc.

Si secundum dicatur, aut in Christo fuit sola divina natura; et quod in eo videbatur humanum, phantasticum erat, ut Manichaeus dixit. Aut divina natura conversa est in humanam, ut Apollinaris dixit. Sed contra hos superius est disputatum. Ergo etc.

2. Circa primum et secundum modum quo unum fit ex pluribus, scilicet secundum ordinem tantum, aut secundum ordinem et compositionem, advertendum, ex doctrina Sancti Thomae Tertia Parte, q. II, a. 1, quod in talibus modis unionis fit compositio ex pluribus integris et perfectis remanentibus, et per consequens *non fit unum simpliciter, sed secundum quid:* ex duobus enim in actu non fit unum simpliciter, sed ex actu et potentia. Unde *compositio, ordo et figura non sunt formae substantiales aut naturales, sed accidentales et artificiales.* Ex forma autem accidentali et artificiali non fit res naturalis et substantialis natura, sed tantum res artificialis et accidentalis. Ideo optime inquit Sanctus Thomas quod *ea quorum forma est ordo vel compositio, non sunt res naturales;* et quod ex istis modis non constituitur una natura ex pluribus. Domus enim non dicit unam naturam ex multis constitutam, sed multas naturas ordine quodam et compositione colligatas.

3. Advertendum ulterius quod Sanctus Thomas aliter videtur ponere istos modos hoc loco, quam ponat in Tertia Parte*. Hic enim ponit primum modum esse ubi fit aliquid unum ex multis *secundum ordinem tantum;* secundum vero ubi aliquid fit ex multis *secundum ordinem et compositionem.* In Tertia vero Parte ponitur primus modus quando ex multis fit unum *per solam compositionem adunatis absque ordine, sicut ex multis lapidibus fit acervus;* secundus vero quando ex multis *secundum aliquem ordinem dispositis* fit unum, ut domus *ex lapidibus et lignis* Ubi videtur quaedam contradictio. Hic enim videtur velle quod ordo possit accipi sine compositione: ibi vero quod non possit accipi sine compositione, sed bene compositio sine ordine.

* Loc. cit.

Sed hanc diversitatem provenire puto eo quod aliter accipiatur hic *compositio,* et aliter in Tertia Parte. Hic enim accipitur compositio ut quandam colligationem et indivisionem importat. Et sic compositio ordinem includit, non autem ordo includit compositionem: nam quae per quandam colligationem sunt indivisa, necesse est ordinata esse, ut scilicet unum sit prius et alterum posterius; sed quae habent ordinem, non est necesse ut sint indivisa: possunt enim in una civitate esse multae domus ordinatae, et tamen separatae ab invicem et non colligatae. Et ideo potest accipi ordo et per se, et cum compositione. – In Tertia vero Parte accipitur compositio pro quacumque adunatione plurium. Et sic ordo plurium compositionem includit, non autem compositio includit ordinem, ut patet. Et ideo potest accipi compositio et per se, et cum ordine.

4. Circa illam propositionem, *Miscibilia in mixto non salvantur, si sit vera mixtio,* advertendum quod ideo addidit Sanctus Thomas, *si sit vera mixtio,* quia mixtio aliquando accipitur communiter pro omni compositione, et tunc miscibilia salvari possunt in mixto. Proprie autem mixtio dicitur quando ex aliquibus a sua natura alteratis fit aliquod tertium: secundum quod Philosophus, ipsam definiens in I *de Gen.** ait quod *mixtio est miscibilium alteratorum unio.* Et sic constat quod miscibilia in mixto non manent nisi virtute. Ut ergo ostenderet Sanctus Thomas se de mixtione proprie dicta loqui, non autem de ea communiter accepta, addidit, *si sit vera mixtio.*

* Loc. cit. ad textum, n. 12.

V. *Quarto.* Natura humana est quaedam natura completa, et similiter divina. Ergo in unam naturam concurrere non possunt, nisi vel utraque vel altera corrumpatur. Sed hoc est impossibile: cum Christus sit verus Deus et verus homo. Ergo etc. – Probatur prima consequentia. Quia nunquam invenitur ex duabus naturis manentibus fieri unum: cum quaelibet natura, ut hic de natura loquimur, sit quoddam totum; ea vero ex quibus aliquid constituitur, cadant in rationem partis.

*Quinto.* Ex duobus manentibus una natura constituitur vel sicut ex partibus corporeis – quod hic dici non potest, cum natura divina sit incorporea: vel sicut ex materia et forma. Quod etiam hic non potest dici: cum Deus neque materia neque forma alicuius corporis esse possit. Ergo etc.

*Sexto*: et est confirmatio praecedentis rationis. Si divinitas addatur humanae naturae sicut forma, faciet aliam naturam: et sic Christus non erit humanae naturae, sed alterius. Hoc est falsum. Ergo etc. – Probatur assumptum. Forma est essentiale principium. Subtractio autem vel additio alicuius essentialis principii speciem variat, et per consequens naturam mutat. Declaratur in differentiis respectu definitionis, et unitatibus respectu numeri. Ergo etc.

*Septimo.* Tunc non erit natura Christi in aliis hominibus. Ergo non erit similis nobis secundum speciem. Quod est contra Apostolum, *Heb.* II. – Probatur consequentia. Quia ea quae non conveniunt in natura, non sunt similia secundum speciem.

VI. *Octavo.* Si humanae naturae divina adveniat quasi forma, oportebit quod ex commixtione utriusque quaedam communis species resultet, quae sit a multis participabilis.

Hoc est falsum: quia non est nisi unus Iesus Christus, Deus et homo, scilicet unus numero, et non potest de pluribus vere dici. Ergo etc. – Probatur consequentia. Quia ex forma et materia semper constituitur una species, quae est praedicabilis de pluribus actu vel potentia, quantum est de ratione speciei.

2. Circa hanc probationem consequentiae, considerandum primo est, quod per *rationem speciei* duo possumus intelligere: aut scilicet rationem importatam hoc nomine *species;* aut rationem illius naturae quae denominative species dicitur, ut est ratio hominis aut equi, aut alicuius huiusmodi. Primo ergo modo non accipitur hic ratio speciei, sed secundo modo. Nam nulli dubium est quod speciei non repugnet, secundum rationem huius nominis *species,* de pluribus praedicari: cum ratio huius nominis sit *praedicari de pluribus numero distinctis**. Sed bene dubium esse potest quomodo illa natura sit species cuius unum tantum invenitur individuum. Et ideo inquit Sanctus Thomas quod ex materia et forma constituitur species quae est de pluribus praedicabilis *quantum est de ratione speciei:* idest, nulla talis species invenitur cui ex propria ratione repugnet de pluribus praedicari; sed si in uno tantum invenitur, hoc aliunde est, et non ex ratione sua propria.

*Porphyrius, *Isagoge*, cap. II.

3. Considerandum secundo, quod dupliciter possumus verba Sancti Thomae interpretari: uno modo, ut aliquid commune speciebus materialibus et immaterialibus dicatur; alio modo, ut aliquid dicatur speciebus materialibus proprium, de quibus in ipsa propositione fit mentio. Primo modo sensus est quod omnis species, quantum ex ratione speciei est, sive materialis sit sive immaterialis, est praedicabilis de pluribus actu vel potentia: accipiendo *potentiam* non quae dicat aliquid positivum in natura speciei, sed tantum non-repugnantiam. Et hoc utique verum est. Neque enim Solis naturae et speciei, inquantum est talis natura talem ordinem habens in universo, repugnat de pluribus praedicari: sed quod de pluribus actu non praedicetur, est quia tota materia forma Solis actuabilis sub una forma continetur. Similiter, ut dicitur in Qu. *de Spirit.**, a. 8, ad 4, *natura huius substantiae separatae non prohibetur esse in multis ex eo quod est natura in tali ordine rerum, sicut neque haec albedo prohibetur habere sub se multa individua ex hoc quod est albedo: sed prohibetur esse in multis ex hoc quod non est nata recipi in aliquo, sicut e contrario haec albedo prohibetur habere sub se multa individua ex eo quod est in hoc subiecto.*

* *De Spiritualibus Creaturis.*

Secundo modo sensus est quod omnis species materialis est ex sua ratione praedicabilis de pluribus actu vel potentia, prout *potentia* dicit aliquid positivum, scilicet aptitudinem naturae ad hoc ut sit in pluribus et de pluribus possit praedicari. Et sic verum est, et proprium materialibus speciebus. Verum quidem, quia, ut patet ex doctrina Sancti Thomae in *de Ente et Essentia**, *essentiae rerum compositarum, ex eo quod recipiuntur in materia signata, dividuntur ad divisionem materiae, et sic fiunt plura numero in eadem specie.* Unde ipsi speciei convenit ut possit esse in pluribus numero secundum materiam distinctis. Si autem non inveniatur, hoc est quia non invenitur distinctio in materia, sed tota materia, una manens, sub una forma concluditur. Unde si Deus aliam materiam Solis faceret praeter eam quam forma Solis nunc existentis informat natura et species Solis in multis esset, et de multis praedicaretur. – Proprium vero hoc est materialibus, quia, licet naturae immateriali ex ratione propriae speciei non repugnet in pluribus esse, ipsa tamen non habet aptitudinem ad hoc ut sit in pluribus: cum non sit in alio receptibilis, nec per consequens ad divisionem materiae multiplicabilis. – Videtur autem haec secunda interpretatio magis litterae convenire: licet et prima interpretatio sibi possit adaptari.

* Cap. v.

*Ultimo**. Si fuerunt duae naturae ante unionem, sequitur quod vel anima vel corpus Christi, vel utrumque, ante Christi incarnationem fuerint: cum humana natura ex anima et corpore constituatur. Hoc autem per supra dicta* patet esse falsum. Ergo etc.

* Idest, *Nono*.

* Cf. textum.

VII. Sed contra praedicta argui potest ex dictis Ioannis de Ripa, a Capreolo recitatis III *Sent.*, d. v, q. II*. Probat enim quod *divinitatis essentia est unita animae Christi et corpori, utrique parti et toti communicans esse ut forma intrinseca.* Et arguit sic. *Secundum Apostolum Coloss.* II[9], *in Christo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter. Sed hoc non potest intelligi per solam unionem ad hypostasim ut distinguitur contra essentiam: cum hypostasis, ut sic, non sit formaliter infinita, ut per hoc quod unitur hypostasi, uniatur divinitati. Ergo communicatur sibi divina essentia per unionem secundum omnem perfectionem essentialem.*

* Art. 2, *Tertio arguitur*, p. 67.

Confirmatur primo. *Per plenitudinem divinitatis non potest intelligi nisi esse essentiale divinum: ut patet per Magistrum, III Sent., d. v. Tale autem esse necesse est ut sit esse formale. Ergo divina natura in esse naturae et formae communicata est carni, secundum Apostolum.*

Confirmatur secundo. *Non est caro Christi unita divinitati solum in esse personae, quia ex tali unione non redditur homo Deus. Ergo in esse divinitatis. Ergo in esse formae.*

VIII. Ad huius difficultatis evidentiam, considerandum est quod, sicut ponimus personam Verbi unitam esse humanitati, ita dicimus et ipsi humanitati esse divinitatem unitam: sed aliter et aliter. Nam persona unita est humanitati tanquam subsistens in ipsa, eo modo quo suppositum in sua natura subsistit. Divinitas autem sibi unita est tanquam in eodem supposito cum ipsa conveniens: eadem enim persona Verbi simul in utraque natura subsistit, et est utriusque naturae suppositum. Et idcirco dicitur quod per incarnationem Filii Dei facta est unio in persona, non in essentia: quia videlicet factum est quod persona Verbi, una existens, sit humanae et divinae naturae persona; non autem quod una natura sit alia, aut quod ex utraque sit aliqua alia natura constituta. Sed licet sit facta unio personae divinae et divinae naturae cum humanitate, ista tamen unio non est facta per informationem, qua scilicet aut persona divina aut divina natura sit forma humanae naturae: nam non est de ratione personae quod sit forma naturae cuius est persona, sed tantum quod in ipsa subsistat, et ab ipsa denominetur formaliter et essentialiter talis. Similiter non est de ratione eorum quae in uno supposito uniuntur, quod unum sit forma alterius: ut patet de albedine et dulcedine, quae uniuntur in lacte. Unde conceditur quidem quod in Christo divinitas est unita humanitati modo dicto: negatur autem quod sit unita per modum formae dantis sibi esse.

Ad rationem ergo dicitur quod utique in Christo *habitat omnis plenitudo divinitatis* secundum omnem suam perfectionem essentialem: non tamen sic quod humanitati sit divina natura unita per modum formae et actus ad potentiam; sed quia in uno supposito conveniunt quod in utraque natura subsistit.

2. Ad primam confirmationem dicitur quod consequentia nulla est. Licet enim esse divinum, quod est esse formale, sit unitum humanitati, non tamen sequitur quod sit sibi unitum per modum formae actuantis intrinsece: sicut, licet anima, quae est forma, suis accidentibus uniatur, non tamen sequitur quod uniatur eis per modum formae; immo eis unitur per modum subiecti.

3. Ad secundam confirmationem dicitur primo, quod in Deo non est aliud esse personae et esse divinitatis secundum rem, ut possit dici unionem esse factam in esse personae, non in esse essentiae, si de esse actualis existentiae intelligatur.

Dicitur secundo quod, si per esse personae intelligatur ipsa persona, et per esse essentiae ipsa essentia, unio ista facta est in esse personae tantum, modo scilicet quo natura unitur personae, inquantum per ipsam suppositatur, idest, inquantum persona est ipsius naturae suppositum et in ea subsistit: non autem facta est unio in esse divinitatis, modo scilicet quo una natura dicitur alteri uniri, aut videlicet quia una transit in aliam, aut quia una per aliam actuatur. Et cum arguitur contra quia ex tali unione in esse personae non redditur homo Deus: – negatur. Non

enim sic dicitur homo Deus quasi natura humana sit actuata divinitate et sit facta Deus: sed quia idem suppositum quod est suppositum humanae naturae et dicitur homo, est etiam suppositum divinae naturae et dicitur Deus. Sic enim per unionem in persona redditur homo Deus, inquantum per ipsam suppositum divinum fit etiam suppositum humanum, ex quo sequitur dici posse quod homo sit Deus.

Dicitur tertio, quod aliquo modo posset concedi unionem esse factam in esse divinitatis: ad hunc scilicet sensum, quod humanitas et divinitas in una persona convenerunt, quae in utraque natura subsistit, et formaliter per esse divinitatis existit. Sed tunc negatur ultima consequentia intenta, haec scilicet: *Unitur in esse divinitatis et in esse formae* (idest, quod est esse formae). *Ergo divinitas est forma actuans humanitatem.* Licet enim, ut dictum est*, divinitas sit forma, prout omnis actus quo aliquid denominatur tale, dicitur forma, et esse divinitatis sit esse formae: non tamen sequitur, si cum humanitate uniatur in uno supposito, quod uniatur sibi tanquam forma ipsam formaliter actuans.

* Num. VIII, 2.

IX. Sed tunc remanet dubium. Nam, supposito quod humanitas non habeat proprium esse, ut videtur esse de mente Sancti Thomae*, sed trahatur ad esse divini suppositi, non videtur posse negari divinitatem esse formam humanitatis. Quod enim existit per esse alicuius formae, illa forma informatur: cum esse formae nulli conveniat nisi per ipsam formam; esse enim albedinis nulli convenit nisi ei quod per albedinem informatur. Si ergo humanitas Christi existit per esse divini suppositi, quod est esse divinitatis, relinquitur divinitatem esse humanitatis formam.

* Cf. III. P., XVII, 2, et ib. II, 6, ad 2.

Respondetur quod, cum existere proprie conveniat soli rei subsistenti, quae scilicet alteri non inexistit neque sicut accidens, neque sicut forma materialis, a materia scilicet dependens secundum esse; natura autem non proprie existat, sed sit id in quo suppositum habet esse subsistens: esse actualis existentiae non est, proprie loquendo, actus naturae tanquam ipsam actuans, sed est actus suppositi subsistentis in natura. Unde, cum dicitur naturam humanam trahi ad esse suppositi, non est sic intelligendum quasi per esse suppositi actuetur formaliter: sed quia suppositum divinum subsistit in ipsa. Ipsam enim trahi ad esse suppositi divini, nihil aliud est quam ipsam effici naturam divini suppositi per esse divinum subsistentis in ea.

Patet ergo dubium procedere ex hac falsa suppositione, quod natura humana in Christo existat per esse suppositi tanquam per actum ipsam actuantem. Hoc enim falsum est: sed dicitur existere, ut iam diximus, per esse suppositi; idest, esse naturam in qua suppositum habet esse subsistens. Unde inquit Sanctus Thomas Tertia, q. II, a. 6, ad 2, quod *natura humana non est assumpta ad esse divinum ut est naturae, sicut corpus assumitur ad esse animae: sed prout est hypostasis vel personae.*

# CAPITULUM TRIGESIMUM SEXTUM

## DE ERRORE MACARII ANTIOCHENI PONENTIS UNAM TANTUM VOLUNTATEM IN CHRISTO.

Ferre autem in idem redire videtur et Macarii Antiocheni positio, dicentis in Christo esse unam tantum operationem et voluntatem*.

* VI Conc. Gen. (III Constant.), act. VIII, IX. Mansi XI 350.

Cuiuslibet enim naturae est aliqua operatio propria: nam forma est operationis principium, secundum quam unaquaeque natura habet propriam speciem. Unde oportet quod, sicut diversarum naturarum sunt diversae formae, ita sint et diversae actiones. Si igitur in Christo sit una tantum actio, sequitur quod in eo sit una tantum natura: quod est Eutychianae haeresis*. Relinquitur igitur falsum esse quod in Christo sit una tantum operatio.

* Cf. cap. praec.

Item. In Christo est divina natura perfecta, per quam consubstantialis est Patri; et humana natura perfecta, secundum quam est unius speciei nobiscum. Sed de perfectione divinae naturae est voluntatem habere, ut in Primo ostensum est*: similiter etiam de perfectione humanae naturae est quod habeat voluntatem, per quam est homo liberi arbitrii. Oportet igitur in Christo esse duas voluntates.

* Cap. LXXII.

Adhuc. Voluntas est una pars potentialis animae humanae, sicut et intellectus. Si igitur in Christo non fuit alia voluntas praeter voluntatem Verbi, pari ratione nec fuit in eo intellectus praeter intellectum Verbi. Et sic redibit positio Apollinaris*.

* Cf. cap. XXXIII.

Amplius. Si in Christo fuit tantum una voluntas, oportet quod in eo fuerit solum voluntas divina: non enim Verbum voluntatem divinam, quam ab aeterno habuit, amittere potuit. Ad voluntatem autem divinam non pertinet mereri: quia meritum est alicuius in perfectionem tendentis. Sic igitur Christus nihil, neque sibi neque nobis, sua passione meruisset. Cuius contrarium docet Apostolus, *Philipp.* II[8,9], dicens: *Factus est obediens Patri usque ad mortem, propter quod et Deus exaltavit illum.*

Praeterea. Si in Christo voluntas humana non fuit, sequitur quod neque secundum naturam assumptam liberi arbitrii fuerit: nam secundum voluntatem est homo liberi arbitrii. Sic igitur non agebat Christus homo ad modum hominis, sed ad modum aliorum animalium, quae libero arbitrio carent. Nihil igitur in eius actibus virtuosum et laudabile, aut nobis imitandum, fuit. Frustra igitur dicit, *Matth.* XI[29]: *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde;* et *Ioan.* XIII[15]: *Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita et vos faciatis.*

---

7 habet *post* speciem EGNX*b*. 9 sunt diversae formae] sunt diversae N, species sunt diversae EX*b*, diversae sunt naturae G. sint et] sint EGN. 10 sit una tantum] sit tantum una E, una tantum sit NX*b*. 11 sit *post* tantum ENX; *lac.* G. 14 tantum *ante* una *b*, *post* operatio X. 15 est divina natura] sit tantum una natura EGX. 23 voluntates] naturas voluntates G, naturas et voluntates NX, et voluntates E. 24 potentialis] possibilis EG *et* pN *ut videtur*, principalis X. 26 alia] aliqua EGX*b*.

4 tantum *post* una EGN, *om b*. 5 oportet .... voluntas *om* EG*b*, oportet *om* N. 9 in perfectionem *post* tendentes EGNX*b*. 10 nihil neque] nihil *b*, neque P. 17 fuerit *om* N, fuit GP*c*. 21 igitur] enim EGX*b*.

Adhuc. In uno homine puro, quamvis sit supposito unus, sunt tamen plures et appetitus et operationes, secundum diversa naturalia principia. Nam secundum rationalem partem, inest ei voluntas; secundum sensitivam, irascibilis et concupiscibilis; et rursus naturalis appetitus consequens vires naturales. Similiter autem et secundum oculum videt, secundum aurem audit, pede ambulat, lingua loquitur, et mente intelligit: quae sunt operationes diversae. Et hoc ideo est, quia operationes non multiplicantur solum secundum diversa subiecta operantia, sed etiam secundum diversa principia quibus unum et idem subiectum operatur, a quibus etiam operationes speciem trahunt. Divina vero natura multo plus distat ab humana quam naturalia principia humanae naturae ab invicem. Est igitur alia et alia voluntas et operatio divinae et humanae naturae in Christo, licet ipse Christus sit in utraque natura unus.

Item. Ex auctoritate Scripturae manifeste ostenditur in Christo duas voluntates fuisse. Dicit enim ipse, *Ioan.* VI[38]: *Descendi de caelo non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me;* et *Lucae* XXII[42]: *Non mea voluntas, sed tua fiat;* ex quibus patet quod in Christo fuit quaedam voluntas propria eius, praeter voluntatem Patris. Manifestum est autem quod in eo fuit voluntas quaedam communis sibi et Patri: Patris enim et Filii, sicut est una natura, ita etiam est una voluntas. Sunt igitur in Christo duae voluntates.

Idem autem et de operationibus patet. Fuit enim in Christo una operatio sibi et Patri communis: cum ipse dicat, *Ioan.* V[19]: *Quaecumque Pater facit, haec et similiter Filius facit.* Est autem in eo et alia operatio, quae non convenit Patri, ut dormire, esurire, comedere, et alia huiusmodi, quae Christus humanitus fecit vel passus est, ut Evangelistae tradunt. Non igitur fuit in Christo una tantum operatio.

Videtur autem haec positio ortum habuisse ex hoc quod eius auctores nescierunt distinguere inter id quod est simpliciter unum, et ordine unum. Viderunt enim voluntatem humanam in Christo omnino sub voluntate divina ordinatam fuisse, ita quod nihil voluntate humana Christus voluit nisi quod eum velle voluntas divina disposuit. Similiter etiam nihil Christus secundum humanam naturam operatus est, vel agendo vel patiendo, nisi quod voluntas divina disposuit: secundum illud *Ioan.* VIII[29]: *Quae placita sunt ei, facio semper.* Humana etiam operatio Christi quandam efficaciam divinam ex unione divinitatis consequebatur, sicut actio secundarii agentis consequitur efficaciam quandam ex principali agente: et ex hoc contigit quod quaelibet eius actio vel passio fuit salubris. Propter quod Dionysius humanam Christi operationem vocat *theandricam**, idest *Dei-virilem:* et etiam quia est Dei et hominis. Videntes igitur humanam voluntatem et operationem Christi sub divina ordinari infallibili ordine, iudicaverunt in Christo esse tantum voluntatem et operationem unam: quamvis non sit idem, ut dictum est, *ordinis unum* et *simpliciter unum.*

* Epist. IV. - Cf. *de div. Nom.*, cap. II; et s.Th. III P., XIX, 1, arg. 1 cum resp.

---

1 sit *om* EGNX*b*. 2 *pro* unus, similiter unus N, unum E, uno G, unus sit X. 5 irascibilis] inest ei irascibilis P*d*. 7 autem et] quod et EGX, autem quod et *b*. 12 operantia] operari X, operativa P*c*. 18 in Christo *om* αDWYZ. 23 ipse *om* DEGNX*b*. 3 haec et similiter Filius] haec similiter et Filius D, et Filius haec similiter E, haec et Filius similiter X, haec et Filius X, et haec similiter Filius P. Est autem in eo et] est quidem in eo EX, est et in eo N, est et in eo quasi G, est quidem in eo et *b*. 13 –dinatam fuisse ... 139 a 8 ubique post *lac.* N *ob folium recisum*. 15 nisi quod] nisi secundum quod P*c*. 24 et ex hoc] ex hoc *d*, ex quo P. 32 ordinis unum] unum ordinis D, unum ordine (et unum simpliciter) P.

## Commentaria Ferrariensis

* *Macarii* praemittit Piana. Cf. Comment. cap. XXXIV, Introd.

* Num. seq.

TERTIUS error fuit Antiocheni*, in Christo ponentis unam tantum operationem et voluntatem. Circa hunc autem duo facit Sanctus Thomas. Primo, ipsum errorem confutat; secundo, ostendit unde habeat ortum*.

I. Quantum ad primum, arguit *primo*. Si sic est, sequitur in Christo unam tantum naturam esse: quod est Eutychianae haeresis. – Probatur sequela. Quia, cum cuiuslibet naturae sit aliqua operatio propria, eo quod forma secundum quam unaquaeque natura habet propriam speciem, sit operationis principium; necesse est ut, sicut diversarum naturarum sunt diversae formae, ita sint et diversae actiones.

*Secundo*. De perfectione divinae naturae est voluntatem habere; et similiter de perfectione humanae naturae, cum homo sit liberi arbitrii. Ergo etc. – Patet consequentia. Quia in Christo est utraque natura perfecta.

*Tertio*. Si in Christo non sit alia voluntas praeter voluntatem Verbi, sequitur quod non sit in Christo alius intellectus praeter intellectum Verbi: et sic redibit positio Apollinaris. – Probatur sequela. Quia voluntas est una pars potentialis animae humanae, sicut et intellectus.

*Quarto*. Sequitur quod Christus neque sibi neque nobis sua passione meruit: quod est contra Apostolum, *Philipp.* II. – Probatur sequela. Quia, si in Christo fuit una tantum voluntas, oportet ut illa fuerit divina: neque enim Verbum suam voluntatem amittere potuit. Ad voluntatem autem divinam non pertinet mereri: quia meritum est alicuius tendentis ad perfectionem.

Advertendum, quia Sanctus Thomas habet hic pro inconvenienti quod Christus neque meruerit sibi neque nobis per suam passionem, quod, ut habetur Tertia, q. XIX, a. 3; et III *Sent.*, d. XVIII, q. 1, a. 4 et 6, aliter nobis meruit Christus, et aliter sibi. Nobis enim meruit deletionem peccati, gratiae infusionem, et caelestis ianuae apertionem. Sibi autem haec non meruit, quia hoc dignitatem Christi diminueret: sed tantum quae ad gloriam corporis pertinent, ut est immortalitas et impassibilitas; et ea quae ad eius excellentiam pertinent exteriorem, ut est ascensio, veneratio, et alia huiusmodi.

*Quinto*. Sequitur quod Christus, secundum naturam assumptam, liberi arbitrii non fuerit: cum homo liberi sit arbitrii secundum voluntatem. Et per consequens quod Christus homo non agebat ad modum hominis, sed ad modum brutorum, quae libero arbitrio carent. Et ulterius quod nihil in eius operibus laudabile et virtuosum, ac nobis imitandum fuit: et sic frustra dicitur *Matth.* XI, *Discite a me* etc.; et *Ioan.* XIII, *Exemplum dedi* etc.

*Sexto*. Operationes diversae multiplicantur non solum secundum diversa subiecta, sed etiam secundum diversa principia quibus unum et idem subiectum operatur, et a quibus etiam operationes speciem trahunt. In uno enim

homine puro, quamvis sit unus supposito, sunt tamen plures appetitus et operationes, secundum diversa naturalia principia: est enim in eo voluntas, irascibilis et concupiscibilis, et naturalis appetitus; item, secundum oculum videt, secundum aurem audit, etc. Sed divina natura multo plus distat ab humana quam naturalia principia humanae naturae ab invicem. Ergo etc.

*Septimo.* In Christo fuit voluntas communis sibi et Patri, sicut et natura; et fuit in ipso voluntas propria, praeter voluntatem Patris. Unde ipse dicit *Ioan.* VI, *Descendi* etc.; et *Lucae* XXII, *Non mea* etc. – Similiter in ipso fuit una operatio sibi et Patri communis, unde dicitur *Ioan.* V, *Quaecumque Pater* etc. Fuit etiam in eo alia operatio quae non convenit Patri: ut esurire, dormire, et huiusmodi. Ergo etc.

*Cf. Introd. cap.

II. Quantum ad secundum*, inquit Sanctus Thomas hanc positionem videri habuisse ortum ex eo quod eius auctores nescierunt distinguere inter *simpliciter unum,* et *unum ordine.* Videntes enim voluntatem humanam et operationem Christi sub divina ordinari, inquantum nihil voluntate humana voluit Christus, aut secundum humanam naturam est operatus, nisi secundum quod eum velle voluntas divina disposuit, iuxta illud *Ioan.* VIII, *Quae placita sunt* etc.; et quod humana operatio eius quandam efficaciam divinam ex unione divinitatis consequebatur, propter quod eius quaelibet actio et passio salubris fuit, unde et Dionysius eam vocat *theandricam,* idest *Dei-virilem,* et etiam quia est *Dei et hominis:* iudicaverunt in Christo esse unam tantum voluntatem et operationem, cum tamen ibi tantum unitas ordinis inveniatur.

Adverte quod haec dictio *theandrica* componitur ex *theos,* quod est *Deus,* et *andricos,* quod *virilem* significat. Ideo bene interpretatur Sanctus Thomas operationem theandricam operationem *Dei-virilem,* aut operationem *Dei et hominis.*

Advertendum autem, ex doctrina Sancti Thomae Tertia Parte, q. XIX, a. 1, ad 1; et III *Sent.,* d. XVIII, q. I, a. 1, ad 1, quod Dionysius, II cap. *Div. Nom.,* divinam operationem vocat *theandricam,* sive *Dei-virilem,* non quia ponat unam simpliciter operationem humanitatis et deitatis in Christo: sed quia *divina eius operatio utitur humana, et humana participat virtutem divinae operationis.*

Advertendum etiam quod isti haeretici, ponentes unam operationem in Christo, ut dicitur Tertia Parte, loco allegato*, *considerantes quod, ubi sunt plura agentia ordinata, inferius movetur a superiori; et ex parte ipsius operationis primi est una operatio, ex parte vero ipsorum quae moventur, est diversitas in operatis: quia in Christo humana natura regitur a divina, dixerunt quod eadem est operatio et indifferens ex parte ipsius divinitatis, inquantum ipsa divinitas omnem operationem in Christo agebat, et sic omnis eius operatio erat divina; sunt tamen diversa operata, inquantum divinitas aliud agebat per seipsam, sicut quod portabat omnia verbo virtutis suae, aliud autem per humanam naturam, sicut quod ambulat. Sed in hoc decipiebantur. Quia, licet operatio quae est rei solum secundum quod movetur ab alio, non sit forte alia praeter operationem moventis ipsam, sicut facere scamnum non est operatio securis alia ab operatione artis: operatio tamen quae est rei motae secundum propriam eius formam, non pertinet ad moventem, nisi inquantum utitur huiusmodi re ad suam operationem. Unde alia est operatio moventis, et alia operatio moti: sicut alia est operatio ignis, et alia operatio fabri utentis igne ad calefaciendum ferrum.* Quia igitur in Christo humana natura habet propriam formam et propriam virtutem qua operatur, et similiter divina, ideo alia et alia est operatio utriusque: licet divina natura utatur operatione humanae naturae, ex quo unitatem quandam ordinis habent, non autem unitatem simpliciter, ut hic dicitur.

*Sc. q. XIX, 1, in corp.

III. Sed circa id quod ait Sanctus Thomas, *Christum nihil voluntate humana voluisse nisi secundum quod voluntas divina disposuit eum velle,* dubium occurrit: quia ipse videtur oppositum dicere cum ait ad Patrem, *Non quod [ego] volo, sed quod tu**. Unde Augustinus, *Contra Maximinum**, dixit quod ex iis verbis *ostendit Christus aliud se voluisse quam Pater.*

*Marc. XIV, [36.
*Lib. II, cap. XX.

Dupliciter autem ad hoc responderi potest, ex doctrina Sancti Thomae Tertia, q. XVIII, a. 5; et III *Sent.,* d. XVII, a. 2*. Primo quod, cum in Christo multiplex voluntas fuerit secundum humanam naturam, scilicet *voluntas sensualitatis, quae participative voluntas dicitur; et voluntas rationalis considerata ut natura; eademque voluntas rationalis considerata ut ratio:* dictum hoc Sancti Thomae intelligitur de voluntate rationali ut ratio est, qua scilicet vult aliquid in ordine ad finem. Dictum autem ipsius Christi intelligitur de voluntate sensualitatis, et de voluntate rationali ut natura.

*Qu^a 1.

Secundo responderi potest quod dictum Sancti Thomae non intelligitur de conformitate voluntatum in volito, quia aliud volebat voluntas sensualis et voluntas ut natura, quam vellet voluntas divina, quo modo intelligitur dictum Salvatoris, ista enim volebat ipsum pati et mori, illa autem volebat eum non pati et non mori: sed de conformitate quantum ad actum volendi. Volebat enim divina voluntas ut illum actum volendi haberet voluntas sensualis et voluntas ut natura, quia ille est eorum proprius actus: ut scilicet voluntas sensualis refugiat malum naturae; et voluntas ut natura refugiat quod absolute consideratum est malum. Unde non dixit Sanctus Thomas absolute, *Nihil voluit Christus voluntate humana nisi quod voluntas [divina] voluit:* sed, *nisi quod voluntas divina eam velle disposuit.*

# CAPITULUM TRIGESIMUM SEPTIMUM

## CONTRA EOS QUI DIXERUNT EX ANIMA ET CORPORE NON ESSE ALIQUID UNUM CONSTITUTUM IN CHRISTO.

*Cap. XXXIV sq.

Ex praemissis* igitur manifestum est quod in Christo est tantum una persona, secundum fidei assertionem, et duae naturae, contra id quod Nestorius et Eutyches posuerunt. Sed quia hoc alienum videtur ab his quae naturalis ratio experitur, fuerunt quidam posteriores talem de unione positionem asserentes*. Quia enim ex unione animae et corporis constituitur *homo,* sed ex hac anima et ex hoc corpore *hic homo,* quod hypostasim et personam designat; volentes evitare ne cogerentur in Christo ponere aliquam hypostasim vel personam praeter hypostasim vel personam Verbi, dixerunt quod anima et corpus non fuerunt unita in Christo, nec ex eis aliqua substantia facta est, et per hoc Nestorii haeresim

*Cf. Mag. Sent., lib. III, dist. VI, cap. IV (Claris Aquis, 1916).

b 3 volentes] volens [enim α, volentes enim WYZ*cd*. 5 praeter hypostasim vel personam *ad* 2 *inter* quod *et* hypostasim *migrarunt in* P*d*.

vitare volebant. – Rursus, quia hoc impossibile videtur quod aliquid sit substantiale alicui et non sit de natura eius quam prius habuit, absque mutatione ipsius; Verbum autem omnino immutabile est: ne cogerentur ponere animam et corpus assumpta pertinere ad naturam Verbi quam habuit ab aeterno, posuerunt quod Verbum assumpsit animam humanam et corpus modo accidentali, sicut homo assumit indumentum; per hoc errorem Eutychetis excludere volentes.

Sed haec positio omnino doctrinae fidei repugnat. Anima enim et corpus sua unione hominem constituunt: forma enim materiae adveniens speciem constituit. Si igitur anima et corpus non fuerint unita in Christo, Christus non fuit homo: contra Apostolum dicentem *I ad Tim.* II[5]: *Mediator Dei et hominum homo Christus Iesus.*

Item. Unusquisque nostrum ea ratione homo dicitur quia est ex anima rationali et corpore constitutus. Si igitur Christus non ea ratione dicitur homo, sed solum quia habuit animam et corpus licet non unita, aequivoce dicetur homo, et non erit eiusdem speciei nobiscum: contra Apostolum dicentem, *Heb.* II[17], quod *debuit per omnia fratribus assimilari.*

Adhuc. Non omne corpus pertinet ad humanam naturam, sed solum corpus humanum. Non est autem corpus humanum nisi quod est per unionem animae rationalis vivificatum: neque enim oculus, aut manus, aut pes, vel caro et os, anima separata, dicuntur nisi aequivoce*. Non igitur poterit dici quod Verbum assumpsit naturam humanam, si corpus animae non unitum assumpsit.

* II *de Anima*, 1, 9; 8. Th. l. 2. – VI *Metaph.*, x, 11; 8. Th. VII l. 10.

Amplius. Anima humana naturaliter unibilis est corpori. Anima igitur quae nunquam corpori unitur ad aliquid constituendum, non est anima humana: quia *quod est praeter naturam, non potest esse semper**. Si igitur anima Christi non est unita corpori eius ad aliquid constituendum, relinquitur quod non sit anima humana. Et sic in Christo non fuit humana natura.

* II *de Caelo et Mundo*, III, 1; 8. Th. l. 4.

Praeterea. Si Verbum unitum est animae et corpori accidentaliter sicut indumento, natura humana non fuit natura Verbi. Verbum igitur, post unionem, non fuit subsistens in duabus naturis: sicut neque homo indutus dicitur in duabus naturis subsistere. Quod quia Eutyches dixit, in Chalcedonensi Synodo est damnatus*.

* Act. V.

Item. Indumenti passio non refertur ad indutum: non enim dicitur homo nasci quando induitur, neque vulnerari si vestimentum laceretur. Si igitur Verbum assumpsit animam et corpus sicut homo indumentum, non poterit dici quod Deus sit natus aut passus propter corpus assumptum.

Adhuc. Si Verbum assumpsit humanam naturam solum ut indumentum, quo posset hominum oculis apparere, frustra animam assumpsisset, quae secundum suam naturam invisibilis est.

Amplius. Secundum hoc non aliter assumpsisset Filius carnem humanam quam Spiritus Sanctus columbae speciem in qua apparuit*. Quod patet esse falsum: nam Spiritus Sanctus non dicitur *factus columba*, neque *minor Patre*, sicut Filius dicitur factus homo, et minor Patre secundum naturam assumptam*.

* *Matth.* III, 16; *Marc.* I, 10; *Luc.* III, 22.

* *Ioan.* XIV, 28.

Item. Si quis diligenter consideret, ad hanc positionem diversarum haeresum inconvenientia sequuntur. Ex eo enim quod dicit Filium Dei unitum animae et carni accidentali modo, sicut hominem vestimento, convenit cum opinione Nestorii, qui secundum inhabitationem Dei Verbi in homine unionem esse factam asseruit*: non enim Deum esse indutum potest intelligi per tactum corporeum, sed solum per gratiam inhabitantem. – Ex hoc etiam quod dixit accidentalem unionem Verbi ad animam et carnem humanam, sequitur quod Verbum post unionem non fuit subsistens in duabus naturis, quod Eutyches dixit*: nihil enim subsistit in eo quod sibi accidentaliter unitur. – Ex eo vero quod dicit animam et carnem non uniri ad aliquid constituendum, convenit partim quidem cum Ario et Apollinari, qui posuerunt corpus Christi non animatum anima rationali*; et partim cum Manichaeo, qui posuit Christum non verum hominem, sed phantasticum fuisse*. Si enim anima non est unita carni ad alicuius constitutionem, phantasticum erat quod videbatur Christus similis aliis hominibus ex unione animae et corporis constitutis.

* Cap. XXXIV

* Cap. XXXV.

* Cap. XXXII sq.

* Cap. XXIX.

Sumpsit autem haec positio occasionem ex verbo Apostoli dicentis, *Philipp.* II[7]: *Habitu inventus ut homo.* Non enim intellexerunt hoc secundum metaphoram dici. Quae autem metaphorice dicuntur, non oportet secundum omnia similia esse. Habet igitur natura humana assumpta quandam indumenti similitudinem, inquantum Verbum per carnem visibilem videbatur, sicut homo videtur per indumentum: non autem quantum ad hoc quod unio Verbi ad humanam naturam in Christo fuerit modo accidentali.

1 vitare] evitare EG. 9 assumit indumentum *om* EG. 12 hominem] animam BCH, *rasa* pF, animatum W, animal Z. 15 unita in Christo] unita materiae αY, unita ut forma materiae W, in Christo unita P*c*; Christus *om* DZ. 16 ad Tim.] Heb. X, *cf. var. sq.* 19 et corpore *Ita nos; omittunt omnes;* (18 Item ... 25 assimilari *lac* X). 33 non unitum] unitum non EGX*b*. 35 unibilis *post* est EGX*b*. 7 solum *post* indumentum EGX*b*. posset] possit EGXY. 21 convenit cum opinione] contingit (contũxit C) cum opinione BCDF, contingit esse opinionem W, convenit opinioni GP*c*. 23 in homine unionem] hanc *praefigunt* P*c*, *addunt* GsE, in unionem habet pE. 39 Christus similis ... constitutis *Ita nos et omisso* Christus sEG; in Christo (*om* E) similiter ... constitutis EYsFP*c*; de Christo similis ... constitutis X, (in G) Christo similiter ... constitutus αG, Christus similiter (similis D) ... constitutus DW*b*, Christus similiter aliis hominibus non ... constitutis Z. 47 Verbum] Verbum est αW.

## Commentaria Ferrariensis

* Cf. Comment. cap. XXXIV, Introd.

QUARTUS error* fuit quorundam qui, videntes quod ponere unam tantum personam in Christo et duas naturas, ut fides asserit contra Nestorium et Eutychetem, videtur alienum ab iis quae naturalis ratio experitur, talem de unione positionem asseruerunt. Ne enim cogerentur in Christo ponere aliquam hypostasim praeter personam Verbi, ut Nestorius, dixerunt quod anima et corpus non fuerunt unita in Christo, nec ex eis aliqua substantia facta

est. Ne autem cogerentur ponere animam et corpus assumpta pertinere ad aeternam naturam Verbi, posuerunt Verbum illa modo accidentali assumpsisse, sicut homo assumit indumentum, volentes per hoc errorem Eutychetis excludere.

I. Circa autem hunc errorem sic procedit Sanctus Thomas. Primo quidem, ipsum reprobat; secundo, removet eius fundamentum*.

* Num. IV.

Quantum ad primum, *arguit primo sic.* Ex hac positione sequitur quod Christus non fuit homo: contra id quod habetur I *ad Tim.* II, *Mediator Dei* etc. Ergo etc. – Patet sequela. Quia anima et corpus sua unione constituunt hominem: nam forma adveniens materiae constituit speciem.

*Secundo.* Christus aequivoce dicetur homo, et non erit eiusdem speciei nobiscum. Quia unusquisque nostrum ea ratione homo dicitur, quia est ex anima rationali et corpore constitutus. Hoc autem est contra Apostolum, *Heb.* II. Ergo etc.

*Tertio.* Sequitur quod Christus non assumpsit naturam humanam. Quia non omne corpus pertinet ad humanam naturam, sed tantum corpus humanum. Non est autem corpus humanum nisi quod est per unionem animae rationalis vivificatum.

Advertendum quod ista positio dicebat Christum humanam naturam assumpsisse quia eius partes essentiales assumpsit, scilicet animam et corpus, licet separatas. Et ideo, ostendens Sanctus Thomas quod non assumpsit corpus humanum, quod est pars naturae humanae, si assumpsit animam et corpus separata, optime concludit contra ipsos quod humanam naturam, etiam iuxta eorum positionem, non assumpsit.

II. *Quarto.* Sequitur quod anima Christi non sit anima humana: et per consequens in Christo non fuit humana natura. – Probatur consequentia. Anima humana est naturaliter unibilis corpori. Ergo anima quae numquam unitur corpori ad aliquid constituendum, non est anima humana: quia *quod est praeter naturam non potest esse semper.* Sed anima Christi, secundum hanc positionem, nunquam unitur corpori. Ergo non est anima humana.

Circa istam propositionem, *Quod est praeter naturam non potest semper esse,* advertendum, secundum doctrinam Sancti Thomae *Verit.*, q. XXIV, a. 10, ad 1, quod dupliciter contingit aliquid esse contra naturam. Uno modo, quia est contra inclinationem *habentis sufficiens principium naturale ad oppositum, ex quo illud de necessitate consequitur, nisi impediatur:* sicut moveri sursum est contra naturam gravis. Alio modo, quia est contra inclinationem naturalem *alicuius non habentis tamen in se sufficiens principium naturale ad oppositum,* sicut mulierem esse absque prole: *licet enim sit naturale mulieri concipere filium, hoc tamen non potest nisi suscepto viri semine.* Id quod est contra naturam primo modo, non potest semper esse, ut est de mente Aristotelis I *Caeli**: sed bene quod est contra naturam secundo modo. Propositio ergo Sancti Thomae habet veritatem de eo quod est praeter naturam primo modo. Convenit autem hic sensus proposito. Quia forma quae est naturaliter unibilis corpori, habet in se sufficiens principium formale ad corporis unionem, dum in esse producitur ab agente, et non requiritur aliquid aliud ad eius unionem, per quod perficiatur ad hoc ut uniri possit.

* II, 12; S. Th. l. IV, *in fine;* et l. c. in textu.

III. *Quinto* arguitur contra secundum eorum dictum. Verbum est unitum animae et corpori accidentaliter, sicut indumento. Ergo natura humana non fuit natura Verbi. Ergo post unionem Verbum non fuit subsistens in duabus naturis.

*Sexto.* Non poterit dici quod Deus sit natus aut passus propter corpus assumptum. Non enim dicitur homo nasci quando induitur; neque vulnerari si vestimentum laceretur.

*Septimo.* Si Verbum assumpsit naturam humanam ut indumentum quo posset hominum oculis apparere, frustra animam assumpsisset, quae secundum naturam suam est invisibilis.

*Octavo.* Non aliter assumpsisset Filius carnem humanam quam Spiritus Sanctus columbae speciem, in qua apparuit. Quod est falsum: quia Spiritus Sanctus non dicitur *factus columba,* neque *minor Patre* secundum naturam assumptas.

*Ultimo.* Ad hanc positionem diversarum haeresum inconvenientia sequuntur. Ergo etc. – Probatur assumptum. Quia ex eo quod dicit Filium Dei unitum animae et carni accidentaliter, convenit cum opinione Nestorii ponentis hanc unionem esse factam secundum inhabitationem Verbi Dei. – Sequitur etiam quod Verbum Dei non fuit subsistens in duabus naturis: quod Eutyches posuit. – Ex eo vero quod dicit animam et carnem non uniri ad aliquid constituendum, convenit partim quidem cum Ario et Apollinari ponentibus corpus Christi non esse animatum anima rationali; partim vero cum Manichaeo ponente Christum non fuisse verum hominem, sed phantasticum.

IV. Quantum ad secundum*, inquit Sanctus Thomas quod haec positio occasionem sumpsit ex verbis Apostoli dicentis, *Philipp.* II, *Habitu inventus ut homo.* Sed respondet quod hoc secundum metaphoram dictum est, quantum ad aliquid. Habet enim natura humana assumpta quandam similitudinem indumenti, inquantum per carnem visibilem videbatur Verbum, sicut homo per indumentum videtur: non autem quia eius unio fuerit modo accidentali.

* Cf. num. I.

Advertendum, ex doctrina Sancti Thomae Tertia, q. II, a. 6; et III *Sent.*, d. VI, q. III, a. 2*, quod secundum Damascenum, in III Libro*, et ut etiam hic dicitur, ea quae secundum metaphoram dicuntur, non oportet quantum ad omnia similia esse. Ideo, cum metaphorice dicatur Christus *habitu inventus ut homo,* non est necesse quantum ad omnia eius humanitatem assimilari habitui, sed quantum ad aliqua. *Quantum enim ad tria assimilatur. Primo quidem, quia advenit personae divinae post eius esse completum: sicut indumentum advenit homini. Secundo, quia est in se substantia et alteri advenit, sicut et vestis est substantia in se et homini advenit. Tertio, quia melioratur ex unione ad Verbum, et non mutat Verbum: sicut vestis formatur secundum formam induti, et ipsum non mutat.* – Differt autem, quia indumentum non assumitur ad esse induti: sed bene humanitas assumitur ad esse divini suppositi. Propter quod, non dicitur sibi uniri accidentaliter, sed essentialiter: quamvis indumentum accidentaliter adveniat induto.

* Ad 1.
* *De Fide Orth.* Cap. XXVI.

# CAPITULUM TRIGESIMUM OCTAVUM

## CONTRA EOS QUI PONUNT DUO SUPPOSITA VEL DUAS HYPOSTASES IN UNA PERSONA CHRISTI.

HANC igitur positionem, propter praedicta inconvenientia, alii quidem vitantes, posuerunt ex anima et carne in Domino Iesu Christo unam substantiam constitutam esse, scilicet hominem quendam eiusdem speciei aliis hominibus; quem quidem hominem unitum dicunt Verbo Dei, non quidem in natura, sed in *persona,* ut scilicet sit una persona

2 alii quidem] alii quidam EGX*b*, quidam D.

Verbi Dei et illius hominis; sed quia homo ille quaedam individua substantia est, quod est esse hypostasim et suppositum, dicunt quidam* in Christo aliam esse hypostasim et suppositum illius hominis et Verbi Dei, sed unam personam utriusque; ratione cuius unitatis dicunt Verbum Dei de homine illo praedicari, et hominem illum de Dei Verbo; ut sit sensus, *Verbum Dei est homo,* idest, *Persona Verbi Dei est persona hominis, et e converso;* et hac ratione, quicquid de Verbo Dei praedicatur, dicunt de homine illo posse praedicari, et e converso, cum quadam tamen replicatione, ut, cum dicitur, *Deus est passus,* sit sensus, *Homo, qui est Deus propter unitatem personae, est passus;* et, *Homo creavit stellas,* idest, *ille qui est homo.*

*Ct. Mag. Sent. III, d. VI, c. II.

Sed haec positio de necessitate in errorem Nestorii delabitur. Si enim differentia personae et hypostasis attendatur, invenitur persona esse non alienum ab hypostasi, sed quaedam pars eius. Nihil enim aliud est persona quam hypostasis talis naturae, scilicet rationalis: quod patet ex definitione Boetii dicentis* quod *persona est rationalis naturae individua substantia:* ex quo patet quod, licet non omnis hypostasis sit persona, omnis tamen hypostasis humanae naturae persona est. Si igitur ex sola unione animae et corporis constituta est in Christo quaedam substantia particularis quae est hypostasis, scilicet ille homo, sequitur quod ex eadem unione sit constituta persona. Sic igitur in Christo erunt duae personae, una illius hominis de novo constituta, et alia aeterna Verbi Dei. Quod est Nestorianae impietatis.

* *De duabus Naturis, (Incerti lib. contra Eutych. et Nest.,* Lips. 1871) cap. III.

Item. Etsi hypostasis illius hominis non posset dici persona, tamen idem est hypostasis Verbi Dei quod persona. Si igitur hypostasis Verbi Dei non est illius hominis, neque etiam persona Verbi Dei erit persona illius hominis. Et sic falsum erit quod dicunt, quod persona illius hominis est persona Verbi Dei.

Adhuc. Dato quod persona esset aliud ab hypostasi Verbi Dei vel hominis, non posset alia differentia inveniri nisi quod persona supra hypostasim addit proprietatem aliquam: nihil enim ad genus substantiae pertinens addere potest, cum hypostasis sit completissimum in genere substantiae, quod dicitur *substantia prima**. Si igitur unio facta est secundum personam et non secundum hypostasim, sequitur quod non sit facta unio nisi secundum aliquam proprietatem accidentalem. Quod iterum redit in errorem Nestorii.

* *Categ.* cap. III, 1 (Didot).

Amplius. Cyrillus dicit*, in Epistola ad Nestorium*, quae est in Ephesina Synodo approbata: *Si quis non confitetur carni secundum subsistentiam unitum ex Deo Patre Verbum, unumque esse Christum cum sua carne, eundem videlicet Deum simul et hominem, anathema sit.* Et fere ubique in Synodalibus scriptis hoc errori Nestorii deputatur, qui posuit duas in Christo hypostases.

* Anath. II, *Mansi* IV, p. 1082.
* Ib. p. 1068 et 1086. Cf. IX 221 sq.

Praeterea. Damascenus, in III libro*, dicit: *Ex duabus naturis perfectis dicimus esse factam unionem: non secundum prosopicam,* idest personalem, *ut Dei inimicus dicit Nestorius, sed secundum hypostasim.* Unde patet expresse quod haec fuit positio Nestorii, confiteri unam personam et duas hypostases.

* *De Fide Orth.,* III, IV (P.G. XCIV p. 994).

Item. Hypostasis et suppositum oportet idem esse. Nam de prima substantia, quae est hypostasis, omnia alia praedicantur: scilicet et universalia in genere substantiae, et accidentia, secundum Philosophum in *Praedicamentis**. Si igitur in Christo non sunt duae hypostases, per consequens neque duo supposita.

* *Categ.* cap. III.

Adhuc. Si Verbum et homo ille supposito differunt, oportet quod, supposito homine illo, non supponatur Verbum Dei, nec e converso. Sed distinctis suppositis, necesse est et ea quae de ipsis dicuntur, distingui: nam supposito hominis non conveniunt praedicta praedicata divina nisi propter Verbum, neque e converso. Separatim igitur accipienda erunt quae de Christo in Scripturis dicuntur, divina scilicet et humana: quod est contra sententiam Cyrilli*, in Synodo confirmatam*, dicentis: *Si quis personis duabus vel subsistentiis vel eas quae sunt in Evangelicis et Apostolicis Scripturis impertit voces, aut de Christo a Sanctis dictas, aut ab ipso de se; et quasdam quidem velut homini praeter illud ex Deo Verbum specialiter intellecto applicat, quasdam vero velut Deo dicibiles soli ex Deo Patre Verbo, anathema sit.*

* Anath. IV.
* Act. I.

Amplius. Secundum positionem praedictam, ea quae Verbo Dei conveniunt per naturam, de illo homine non dicerentur nisi per quandam associationem in una persona: hoc enim significat replicatio interposita cum sic exponunt, *Homo ille creavit stellas,* idest, *Filius Dei, qui est homo ille,* et similiter de aliis huiusmodi. Unde, cum dicitur, *Homo ille est Deus,* sic intelligitur: *Homo ille Verbo Deus existit.* Huiusmodi autem locutiones condemnat Cyrillus, dicens*: *Si quis audet dicere assumptum hominem co-adorari oportere Dei Verbo, con-glorificari, et co-appellari Deum, quasi alterum alteri, (id enim quod est « co » semper quoties additur hoc intelligi cogit); et non magis una adoratione honorificat Emanuelem, et unam ei glorificationem adhibet, secundum quod factum est caro Verbum: anathema sit.*

* Anath. VIII.

Praeterea. Si homo ille supposito est aliud a

---

3 quidam] quidem DHP. 4 et suppositum *om* P*d*. 8 Verbum Dei] esse *addunt* DEG. 13 sit sensus . . . 14 est passus *hom om* DEGX. 17 differentia personae] divina persona αWYZ. 33 posset] possit DEGX. 35 quod persona . . . Verbi Dei *hom om* DEG, quod persona X; *pro* non est illius, Non enim hypostasis illius DEGX. 37 erit, *pr. loco*] erat DEGX; *mox* erat D. 38 persona Verbi Dei] hypostasis illius DEGX. 45 completissimum] complementum E. 46 dicitur] dicimus DEGX*b*. 47 facta est secundum personam] secundum personam EG, secundum personam sit D. 53 subsistentiam] substantiam DEGX*b*.

1 unumque] unumquemque BD, unumquodque CY. 4 errori] errore αGWY. 8 prosopicam *lta nos*; prosoth'icam BFHWYZ*cd*, prosothicam CD, psothicam E, prosotiam G, prosoticam X, prosotheicam *b*, prosopon P; idest *om* DEG, et W; *pro* personalem, personam P. 17 non sunt] non sint G*cd*, sunt W, sint P, *pro* per consequens neque, (et P) per consequens et WP. 20 illo *om* DEGX. 24 conveniunt *lta* YZ; subveniunt *ceteri*. 28 confirmatam] affirmatam EG*b*. 30 eas] ea DEGWX. 31 impertit] importat BC, bipartit D, bipartite G, imperat W, impartitur sE, rumpit sG. 35 decibiles] dicibiles D, docibiles P. 43 ille *om* DEGX. similiter] sic WP*c*. 44 homo ille Verbo Deus existit] homo ille Verbo eius existet Deus (Deus existit *bd*) αWY*bcd*, homo ille Verbo eius unitus existit Deus Z, Verbum Dei qui est homo ille Deus existit P. 46 coadorari *lta nos*; adorari *omnes*. oportere Dei Verbo] Deo (Deum G) oportere Verbo DEGX 47 conglorificari] consignificari G, significari X. 48 alteri] alterius DEGX*b*. 49 co *om* DEGX*b*, quo *scribunt* αWYZ.

Dei Verbo, non potest ad personam Verbi pertinere nisi per assumptionem qua assumptus est a Verbo. Sed hoc est alienum a recto sensu fidei. Dicitur enim in Ephesina Synodo*, ex verbis Felicis Papae et Martyris: *Credimus in Deum nostrum Iesum de Virgine Maria natum, quia ipse est Dei sempiternus Filius et Verbum, et non homo a Deo assumptus, ut alter sit praeter illum. Neque enim hominem assumpsit Dei Filius, ut sit alter praeter ipsum: sed Deus existens perfectus, factus simul et homo perfectus, incarnatus de Virgine.*

* Act. 1 (*Mansi*, l. c. 1187).

Item. Quae sunt plura supposito, simpliciter plura sunt, nec sunt unum nisi secundum quid. Si igitur in Christo sunt duo supposita, sequitur quod sit simpliciter duo, et non secundum quid. Quod est *solvere Iesum**: quia unumquodque intantum est inquantum unum est*; quod igitur non est simpliciter unum, non est simpliciter ens.

* Cf. I *Ioan.*, IV, 3.

* III *Metaph.*, II, 5; S. Th. IV, l. 2.

7 non] non sit unum nisi αWYZPc.

## Commentaria Ferrariensis

* Cf. Comment. cap. XXXIV, Introd.

Quintus error* fuit eorum qui, volentes praedictam positionem vitare, dixerunt ex anima et carne in Domino Iesu Christo unam substantiam constitutam esse, scilicet hominem, et hunc unitum esse Verbo, non in natura, sed in persona. Sed quia est substantia quaedam individua, quod est esse hypostasim vel suppositum, dicunt quidem in Christo aliam esse hypostasim illius hominis et aliam Verbi Dei, sed unam *personam* utriusque, ratione cuius unitatis, Verbum Dei de illo homine praedicatur, et ipsum de Verbo Dei; ut sit sensus, *Verbum Dei est homo*, idest, *Persona Verbi Dei est hominis persona*, et e converso. Et hac ratione quicquid de Verbo Dei praedicatur, dicunt de homine illo praedicari posse, et e converso, cum quadam tamen replicatione, ut, cum dicitur, *Deus est passus*, sit sensus, *Homo qui est Deus propter unitatem personae, est passus;* et sic de aliis.

I. Contra hanc positionem arguit Sanctus Thomas ostendens hanc positionem de necessitate in errorem Nestorii dilabi.

*Et arguit primo sic.* Omnis hypostasis humanae naturae est persona. Ergo, si ex sola unione animae et corporis constituta est in Christo hypostasis, sequitur quod ex eadem unione constituta est persona. Et sic in Christo erunt duae personae. Quod est Nestorianae impietatis.

Circa id quod inquit Sanctus Thomas, *personam esse quandam partem hypostasis*, attendendum est quod intelligitur de parte subiectiva. *Hypostasis* enim est quid communius quam *persona:* cum dicatur hypostasis de omni subsistente completo, in quacumque natura sit; persona autem dicatur de subsistente in natura rationali tantum. Unde omnis persona est hypostasis: non autem omnis hypostasis est persona, sed tantum hypostasis rationalis sive intellectualis naturae.

*Secundo.* Idem est hypostasis Verbi Dei quod persona. Ergo, si hypostasis Verbi Dei non est hypostasis illius hominis, neque eius persona erit illius hominis persona. Cuius oppositum dicunt.

*Tertio.* Dato quod persona esset aliud ab hypostasi, hoc non posset esse nisi quia supra hypostasim addit proprietatem aliquam: nihil enim ad substantiam pertinens addere potest, cum hypostasis sit completissimum in genere substantiae, quod dicitur *substantia prima.* Ergo unio non erit facta nisi secundum aliquam proprietatem accidentalem. Quod etiam in errorem Nestorii redit.

*Quarto.* In Epistola Cyrilli ad Nestorium, in Ephesina Synodo approbata; et fere in omnibus synodalibus scriptis; hoc errori Nestorii deputatur, qui in Christo duas posuit hypostases. Ergo etc.

*Quinto.* Damascenus, in III Libro, hunc errorem attribuit Nestorio, cum inquit: *Ex duabus naturis perfectis dicimus esse factam unionem non prosopicam Dei* (idest personalem), *ut Dei inimicus dicit Nestorius.* Ergo etc.

II. *Sexto.* Sequitur in Christo duo esse supposita. Quia hypostasis et suppositum idem sunt: cum de prima substantia, quae est hypostasis, omnia alia praedicentur; scilicet universalia in genere substantiae, et accidentia, ut dicitur in *Praedicamentis.*

Attendendum, de mente Sancti Thomae III *Sent.*, d. VI, q. 1, a. 1*, quod hoc nomen «suppositum» *significat naturam particularem in ordine ad naturam communem, inquantum subsistit in ea.* Hoc vero nomen « hypostasis » naturam particularem significat *ut naturae proprietatibus subiacet.* Propter hoc dixit hypostasim et suppositum idem esse, quia de prima substantia, quae est hypostasis, *universalia de genere substantiae praedicantur et accidentia:* ex primo enim habet nomen *suppositi*, ex secundo vero nomen *hypostasis.*

* Qu$^{a}$ 1.

*Septimo.* Si Verbum et homo ille supposito differunt, separatim accipienda erunt quae de Christo in Scripturis divinis dicuntur, divina scilicet et humana. Quod est contra sententiam Cyrilli, in Synodo approbatam. – Probatur sequela. Quia tunc supposito illo homine non supponetur Verbum Dei, nec e converso. Distinctis autem suppositis, scilicet Verbi et hominis, necesse est et ea quae de ipsis dicuntur distingui: cum supposito hominis non conveniant praedicata divina nisi propter Verbum, neque e converso.

Advertendum quod ratio quare praedicata divina et humana dicantur de homine, et eadem dicuntur de Deo, est quia nomine *Christi Dei* et nomine *Christi hominis* idem suppositum supponitur, quod est suppositum humanae et divinae naturae. Cum enim humana dicuntur de Deo Christo, verum dicitur, quia Christus Deus supponit pro supposito humanae naturae, quod est etiam divinae naturae suppositum. Cum etiam de Christo homine dicuntur divina, verum dicitur, quia supponitur suppositum divinum, quod est etiam humanae naturae suppositum. Et sic unitas suppositi facit ut de eodem Christo simul et divina et humana dicantur. Si ergo tollitur ista unitas suppositi, divina non poterunt dici de Christo homine, sed tantum de Christo Deo: et humana non poterunt dici de Christo Deo, sed tantum de Christo homine. Et hoc est huius rationis fundamentum.

III. *Octavo.* Ea quae Verbo Dei conveniunt per naturam, de illo homine non dicerentur nisi per quandam associationem in una persona. Hoc enim significat illa replicatio interposita, cum exponuntur, *Homo ille creavit stellas*, idest, *Filius Dei, qui est homo ille.* Sic enim exponetur, *Homo ille est Deus*, idest*: *Verbum Dei qui est homo ille, est Deus.* Sed huiusmodi locutiones condemnat Cyrillus. Ergo etc.

* Cf. text. et var.

*Nono.* Sequitur quod homo ille non potest ad personam Verbi Dei pertinere nisi per assumptionem qua assumptus est a Verbo. Sed hoc est alienum a recto sensu fidei: ut patet ex dictis in Ephesina Synodo. Ergo etc.

Advertendum quod, licet sit verum de humana natura quod non pertinet ad personam Verbi nisi per assumptionem a Verbo: de homine tamen illo qui est hypostasis et suppositum hominis in Christo, hoc verum non est. Non enim hypostasis hominis pertinet ad Verbi personam quia sit a Verbo assumpta: sed quia est ipsamet hypostasis et persona Verbi; cum, secundum rectam fidem, eadem sit hypostasis humanae et naturae divinae in Christo.

*Decimo.* Sequitur quod Christus sit simpliciter duo, et unum tantum secundum quid: quod est *solvere et dividere Iesum.* Et sic non erit simpliciter ens: cum intantum unumquodque sit ens, inquantum est unum. – Probatur sequela. Quia quae sunt plura supposito, sunt simpliciter plura, nec sunt unum nisi secundum quid.

Quomodo Christus sit unus et unum simpliciter, non possitque dici duo, ostendit abunde Sanctus Thomas Tertia, q. XVII, a. 1; et III *Sent.*, d. VI, q. II, a. 1.

# CAPITULUM TRIGESIMUM NONUM

## QUID CATHOLICA FIDES SENTIAT DE INCARNATIONE CHRISTI.

Ex supra dictis* igitur manifestum est quod, secundum Catholicae fidei traditionem, oportet dicere quod in Christo sit natura divina perfecta, et humana natura perfecta, ex anima scilicet rationali et humana carne constituta; et quod hae duae naturae unitae sunt in Christo non per solam inhabitationem; neque accidentali modo, ut homo unitur vestimento; neque in sola personali habitudine et proprietate; sed secundum unam hypostasim et suppositum unum. Hoc enim solum modo salvari possunt ea quae in Scripturis circa Incarnationem traduntur. Cum enim Scriptura Sacra indistincte quae sunt Dei homini illi attribuat, et quae sunt illius hominis Deo, ut ex praemissis patet; oportet unum et eundem esse de quo utraque dicantur.

Sed quia opposita de eodem secundum idem dici vere non possunt; divina autem et humana quae de Christo dicuntur, oppositionem habent, utpote *passum* et *impassibile, mortuum* et *immortale*, et cetera huiusmodi; necesse est quod secundum aliud et aliud divina et humana praedicentur de Christo. Sic igitur quantum ad id *de quo* utraque praedicantur, non est distinctio facienda, sed invenitur unitas. Quantum autem ad id secundum *quod* praedicantur, distinctio est facienda. Naturales autem proprietates praedicantur de unoquoque secundum eius naturam: sicut de hoc lapide ferri deorsum secundum naturam gravitatis. Cum igitur aliud et aliud sit secundum quod divina et humana praedicantur de Christo, necesse est dicere in Christo esse duas naturas inconfusas et impermixtas. Id autem de quo praedicantur proprietates naturales secundum naturam propriam ad genus substantiae pertinentem, est hypostasis et suppositum illius naturae. Quia igitur indistinctum est et unum id de quo humana et divina praedicantur circa Christum, necesse est dicere Christum esse unam hypostasim et unum suppositum humanae et divinae naturae. Sic enim vere et proprie de homine illo praedicabuntur divina, secundum hoc quod homo ille importat suppositum non solum humanae naturae, sed divinae: et e converso de Verbo Dei praedicantur humana inquantum est suppositum humanae naturae.

Ex quo etiam patet quod, licet Filius sit incarnatus, non tamen oportet neque Patrem neque Spiritum Sanctum esse incarnatum: cum incarnatio non sit facta secundum unionem in natura, in qua tres Personae divinae conveniunt, sed secundum hypostasim et suppositum, prout tres Personae distinguuntur. Et sic, sicut in Trinitate sunt plures personae subsistentes in una natura, ita in mysterio Incarnationis est una persona subsistens in pluribus naturis.

* A cap. XXVII.

---

4 sit natura] sit una natura Pc. 18 divina] propter divina CDEGWY, propter divinam (et humanam) sG*b*. 25 sed ... 27 facienda *hom om* DEY, invenitur enim unitas quantum ad id de quo praedicantur sed est distinctio facienda quantum ad ea quae praedicantur X. 25 autem *Ita* sGPc; *om ceteri* (X *cf. var. praeced.*).
20 neque Patrem neque] Patrem vel P*d*.

### Commentaria Ferrariensis

Exclusis falsis circa Christi Incarnationem opinionibus, concludit Sanctus Thomas quid secundum Catholicam fidem sit tenendum*. Circa hoc autem duo facit: primo, ostendit propositum; secundo, infert quoddam corollarium*.

I. Quantum ad primum, ponit hanc conclusionem: *Secundum Catholicae fidei traditionem, in Christo est natura divina perfecta, et humana natura perfecta; et istae duae naturae unitae sunt in Christo, non per solam inhabitationem; neque accidentali modo; neque in sola personali habitudine (ut scilicet dicebat ultima opinio*); sed secundum unam hypostasim et suppositum unum.*

Probatur. Hoc solum modo salvari possunt ea quae in Scripturis circa Incarnationem dicuntur. Ergo etc.

II. Probatur assumptum. Sacra Scriptura indistincte quae sunt Dei illi homini attribuit, et quae sunt illius hominis Deo, ut ex praemissis patet. Ergo oportet unum et eundem esse de quo utraque dicantur; et aliud et aliud id secundum quod praedicantur de Christo. – Ergo necesse est in Christo duas naturas esse inconfusas et impermixtas; et Christum esse unam hypostasim et unum suppositum humanae naturae et divinae.

2. Primam partem consequentiae primae non probat, sed relinquit manifestam. Nisi enim homo ille esset idem quod Deus, divina de illo non praedicarentur; et nisi Deus esset idem quod homo ille, non praedicarentur de illo humana; quia divina non praedicantur nisi de eo qui est Deus, et humana non praedicantur nisi de eo qui est homo. – Sed secundam partem probat sic. Divina et humana quae de Christo dicuntur, oppositionem habent, ut *passum* et *impassibile, mortuum* et *immortale*. Sed opposita de eodem secundum idem dici vere non possunt. Ergo necesse est ut secundum aliud et aliud de Christo divina et humana dicantur.

3. Secundam vero consequentiam probat, quantum quidem ad primam partem, sic. Naturales proprietates praedicantur de unoquoque secundum naturam eius: sicut de hoc lapide ferri deorsum secundum naturam gravitatis. Si igitur est aliud et aliud secundum quod divina et humana praedicantur de Christo, necesse est dicere esse in Christo duas naturas inconfusas et impermixtas. – Quantum autem ad secundam partem, probat sic. Id de quo praedicantur proprietates naturales secundum naturam propriam ad genus substantiae pertinentem, est hypostasis et suppositum illius naturae. Ergo, si indistinctum et unum est id de quo humana et divina praedicantur circa Christum, necesse est dicere Christum esse unam hypostasim et unum suppositum. Ex quo concluditur quod sic vere et proprie de illo homine praedicantur divina, secundum quod homo ille importat suppositum, non solum humanae naturae, sed etiam divinae: et e converso de Verbo Dei praedicantur humana, inquantum est suppositum humanae naturae.

* Cf. Comment. cap. XXXIV, Introd.
* In hoc cap., num. IV.
* Cap. praec.

III. Circa probationem secundae consequentiae, considerandum quod nihil dicitur naturalis proprietas alicuius nisi quia eius naturam consequitur: dicitur enim *naturale* a *natura*. Oportet autem per prius naturam praedicari de eo cuius est natura, quam eius naturales proprietates, quae naturam consequuntur. Ideo natura est ratio quare naturales proprietates alicui conveniant. Propterea bene assumpsit Sanctus Thomas ad probationem primae partis consequentiae, naturales proprietates praedicari de unoquoque secundum naturam eius cuius sunt naturales proprietates: supposito tanquam vero quod divina aliqua dicta de Christo sint tanquam eius naturales proprietates, secundum nostrum modum intelligendi, ut *impassibile;* et similiter quod aliqua humana de ipso dicta naturales eius sint proprietates, ut *passibile*.

Considerandum secundo, quod nomen *hypostasis* et *suppositi* solum de individuo substantiae dicitur, non autem de individuo accidentis, ut inquit Sanctus Thomas III *Sent.*, d. VI, q. 1*. Idcirco in probatione secundae partis consequentiae, non dixit absolute id de quo praedicantur proprietates naturales *secundum naturam propriam* esse hypostasim et suppositum, quia sic etiam singulare accidentis, de quo praedicantur eius naturales proprietates secundum eius naturam, esset hypostasis et suppositum: sed addidit, *ad genus substantiae pertinentem*, ut daret intelligere nomen hypostasis et suppositi solum in substantiis dici.

* Art. 1, qu$^{a}$ 1.

IV. Quantum ad secundum*, infert Sanctus Thomas hoc corollarium: quod, *licet Filius sit incarnatus, non tamen oportet Patrem vel Spiritum Sanctum esse incarnatum.* – Probatur. Quia incarnatio non est facta secundum unionem in natura, in qua tres Personae conveniunt: sed secundum suppositum et hypostasim, prout tres Personae distinguuntur.

* Cf. init. Comment.

Advertendum, ex doctrina Sancti Thomae, Tertio, d. 1, q. II, a. 1, quod, *quando aliqua conveniunt in aliquo et in aliquo distinguuntur, necesse est ut, si unum coniungatur cum aliquo et alterum cum illo coniungatur, quando coniunctio fit secundum id in quo communicant, non autem quando fit secundum illud in quo distinguuntur. Sicut homo et asinus communicant in animali: ideo cuicumque communicat asinus in genere, communicat etiam homo. Sed quia homo et asinus specificis differentiis distinguuntur, non oportet ut quicquid convenit cum asino in differentia specifica, eodem modo conveniat cum homine.* Quia igitur tres Personae divinae conveniunt quidem in natura, sed distinguuntur in personalitate, si aliquid uniretur Filio in natura, de necessitate uniretur Patri et Spiritui Sancto: sed si aliquid unitur Filio in persona, non oportet ut uniatur aliis personis. Et ideo, quia in Incarnatione non est facta unio in natura, ut scilicet ex divina et humana natura fieret unum, sed tantum in persona Filii, ut sit una persona Filii in humanitate et divinitate subsistens; non est necesse, si Filius est incarnatus, quod aliae divinae personae sint incarnatae. Et hoc est fundamentum rationis huius corollarii.

V. Ad evidentiam eius quod saepissime dictum est, scilicet, *in Christo non esse plures personas, neque plures hypostases, aut plura supposita, sed unam tantum personam, unam hypostasim, et unum suppositum:* considerandum est, ex doctrina Sancti Thomae Tertia Parte, q. II, a. 2, ad 3, quod persona, quae idem est quod hypostasis et suppositum in natura rationali, non est omnino idem quod substantia individua et singularis, sed supra ipsam addit rationem per se subsistentis. *Non enim quodlibet individuum de genere substantiae est persona, sed solum illud quod per se subsistit. Unde manus Sortis, quamvis sit quoddam individuum substantiae, non est tamen persona, quia non per se subsistit, sed existit in quodam perfectiori, scilicet in suo toto.*

2. Considerandum secundo, quod personalitas cum sit ultima rei singularis per se subsistentis actualitas, et ultimum eius substantiale complementum, repugnat sibi quod in unitatem alterius personae assumatur: nam si assumeretur ab alio in unitatem personae, iam non esset ultimum complementum, quia per assumptionem ab alio compleretur. Conceditur ergo quod Christus assumpsit substantiam individuam prout substantia individua sumitur pro substantia quae est singularis, – non enim assumpsit humanitatem universalem ab omnibus singularibus separatam, sed hanc humanitatem – non autem conceditur quod assumpserit personam aut hypostasim humanam, quia illa humanitas Christi non habebat omne quod ad rationem personae et hypostasis pertinet, sed fuit a divino supposito praeventa. Unde Christus assumpsit quidem quicquid est de intrinseca essentia huius humanitatis singularis, scilicet hanc animam et hoc corpus et humanitatem ex iis compositam: non tamen assumpsit quicquid est de ratione personae inquantum persona est. Et ideo in ipso non sunt duae personae aut duae hypostases, licet sint in ipso duae singulares naturae.

3. Ex quo patet argumenta Scoti, loco praeallegato*, quibus ostendit personam nihil addere positivum supra individuum, non procedere contra mentem Sancti Thomae. Probant enim quod nihil addit persona supra individuum quod ad personae essentiam intrinsece pertineat, ut quod existit: quod quidem concedimus. Non autem probant quod nullo modo aliquid addat quod pertineat ad personam tanquam ultima eius actualitas, cui repugnat ut alicui completiori se uniatur. Non enim omne quod quocumque modo ad naturam humanam pertinet, est assumptibile ad unitatem personae divinae: sed tantum illud quod est pars naturae aut eius proprietas. Ipsum autem complementum suppositi assumptibile non est in talem personae unitatem: eo quod perfectiori se uniri non possit, sed tantum ei quod comparatur ad ipsum sicut potentia ad actum. Unde etiam dicimus quod natura humana in Christo non habet esse proprium. Haberet autem illud si a Verbo dimitteretur: quia non alia ratione caret proprio esse nisi quia propria personalitate caret, utpote praeventa a divino supposito.

* Sc. in III *Sent.*, dist. I, qu.I. a. 3. Cf. Caietan. in III, IV, 2.

# CAPITULUM QUADRAGESIMUM

## OBIECTIONES CONTRA FIDEM INCARNATIONIS.

SED contra hanc Catholicae fidei sententiam plures difficultates concurrunt, propter quas adversarii fidei Incarnationem impugnant*.

* Cf. cap. XLIX.

Ostensum est enim in Primo libro* quod Deus neque corpus est, neque virtus in corpore. Si autem carnem assumpsit, sequitur quod vel sit mutatus in corpus, vel quod sit virtus in corpore, post incarnationem. Impossibile igitur videtur Deum fuisse incarnatum.

* Cap. XX.

Item. Omne quod acquirit novam naturam, est substantiali mutationi subiectum: secundum hoc enim aliquid generatur, quod naturam aliquam acquirit. Si igitur hypostasis Filii Dei fiat

b 4 Item. Omne] Omne E, Omne enim D, Praeterea Omne GX*b*.

de novo subsistens in natura humana, videtur quod esset substantialiter mutata.

Adhuc. Nulla hypostasis alicuius naturae extenditur extra naturam illam: quin potius natura invenitur extra hypostasim, utpote multas hypostases sub se habens. Si igitur hypostasis Filii Dei sit per incarnationem facta hypostasis humanae naturae, sequitur quod Filius Dei non sit ubique post incarnationem: cum humana natura ubique non sit.

Amplius. Rei unius et eiusdem non est nisi unum *quod quid est:* hoc enim significat substantiam rei, quae unius una est. Sed natura cuiuslibet rei est *quod quid est* eius: *natura enim rei est quam significat definitio**. Impossibile est igitur, ut videtur, quod una hypostasis in duabus naturis subsistat.

* II *Phys.* l. 10; s. Th. l. 2. – IV *Metaph.*, VIII, 4; s. Th. V, l. 10.

Praeterea. In his quae sunt sine materia, non potest esse aliud quidditas rei et res, ut supra* ostensum est. Et hoc praecipue est in Deo, qui est non solum sua quidditas, sed etiam suum esse*. Sed humana natura non potest esse idem quod divina hypostasis. Ergo impossibile esse videtur quod divina hypostasis subsistat in humana natura.

* Lib. I, cap. XXI; II. cap. LIV.

* Lib. I, cap. XXII.

Item. Natura est simplicior et formalior hypostasi quae in ea subsistit: nam per additionem alicuius materialis natura communis individuatur ad hanc hypostasim. Si igitur divina hypostasis subsistat in humana natura, videtur sequi quod humana natura sit simplicior et formalior quam divina hypostasis. Quod est omnino impossibile.

Adhuc. In his solum quae sunt ex materia et forma composita, differre invenitur singulare et quidditas eius: ex eo quod singulare est individuatum per materiam designatam, quae in quidditate et natura speciei non includitur; in signatione enim Socratis includitur haec materia, non autem in ratione humanae naturae. Omnis igitur hypostasis in natura humana subsistens est constituta per materiam signatam. Quod de divina hypostasi dici non potest. Non est igitur possibile, ut videtur, quod hypostasis Verbi Dei subsistat in humana natura.

Amplius. Anima et corpus in Christo non fuerunt minoris virtutis quam in aliis hominibus. Sed in aliis hominibus ex sua unione constituunt suppositum, hypostasim et personam. Igitur in Christo ex unione animae et corporis constituitur suppositum, hypostasis et persona. Non autem suppositum, hypostasis et persona Dei Verbi, quae est aeterna. Igitur in Christo est aliud suppositum, hypostasis et persona, praeter suppositum, hypostasim et personam Dei Verbi, ut videtur.

Praeterea. Sicut ex anima et corpore constituitur humana natura in communi, ita ex hac anima et ex hoc corpore constituitur *hic homo*, quod est hypostasis hominis. Sed in Christo fuit haec anima et hoc corpus. Igitur ex eorum unione constituta est hypostasis, ut videtur. Et sic idem quod prius.

Item. Hic homo qui est Christus, prout consideratur ex anima solum et carne consistens, est quaedam substantia. Non autem universalis. Ergo particularis. Ergo est hypostasis.

Adhuc. Si idem est suppositum humanae et divinae naturae in Christo, oportet quod de intellectu hominis qui est Christus, sit hypostasis divina. Non autem est de intellectu aliorum hominum. *Homo* igitur aequivoce de Christo dicetur et aliis. Et sic non erit eiusdem speciei nobiscum.

Amplius. In Christo tria inveniuntur, ut ex dictis* patet: scilicet corpus, anima et divinitas. Anima autem, cum sit nobilior corpore, non est suppositum corporis, sed magis forma eius. Neque igitur id quod est divinum, est suppositum humanae naturae, sed magis formaliter se habet ad ipsam.

* Cap. praec.

Praeterea. Omne quod advenit alicui post esse completum, advenit ei accidentaliter. Sed, cum Verbum Dei sit ab aeterno, manifestum est quod caro assumpta advenit ei post esse completum. Igitur advenit ei accidentaliter.

---

9 incarnationem *Reincipit* N, cfr. 131 b 13. 19 et res] quam res *b*, et aliud res P*c*. 20 hoc praecipue est in Deo] praecipue in Deo D, hoc praecipue in Deo est EGNX. 23 Ergo impossibile esse] Impossibile igitur *b*; Ergo ... hypostasis *hom om* DEGX; *ante* subsistat *addunt* eo quod D, et quod G, quod X. 37 designatam] designantem DEGX, signantem N, signatam *b*. 38 signatione *Ita* NP*d*; significatione DEFGHXY, *ancipites* BCWZ*c*. 39 Socratis] Sortis N*b et supra ras.* Z, soris BFH, fortis C. 42 signatam] assignatam E, designatam D. 7 in] et in W*b*P*c*. 10 aeterna] essentia αWYZ. 15 ita] sic DEGNX*b*. 16 hic *post* homo DEGNX. 19 sic] hoc DEGNX. 22 solum *post* carne DEGNX*b*. 23 universales] universale αGWXY. 24 particularis] partibilis GNX, particulare Y. 37 habet] habent αG, habens WYsGHP*c*. 40 Sed cum Verbum Dei] Verbum Dei EG, Verbum enim Dei cum D.

## Commentaria Ferrariensis

* Cap. praec.

* Cf. cap. XXVII. Comm. init.

Postquam determinavit Sanctus Thomas quid fides Catholica de Incarnatione teneat*, vult obiectiones contra ipsam Incarnationem excludere*. Circa hoc autem triafacit: primo, ponit ipsas obiectiones; secundo, aliqua pro earum solutione interponit, cap. seq.; tertio, ad ipsas respondet, cap. XLIX.

Quantum ad primum, impugnatur Incarnatio *primo* quia, si Deus carnem assumpsisset, sequeretur quod esset mutatus in corpus; aut esset virtus in corpore.

*Secundo:* quia hypostasis Filii Dei esset substantialiter mutata. Quod enim acquirit novam naturam, substantialiter mutatur.

*Tertio:* quia Filius Dei non esset ubique, post incarnationem: cum humana natura non sit ubique. Nulla enim hypostasis alicuius naturae extenditur extra naturam illam.

*Quarto:* quia, cum unius rei sit tantum unum *quod quid est,* impossibile videtur ut una hypostasis in duabus naturis subsistat. Natura enim cuiuslibet rei est eius *quod quid est.*

*Quinto:* quia non videtur divinam hypostasim subsistere posse in humana natura. Quia in iis quae sunt sine materia, quidditas et suppositum idem sunt. Humana autem natura non potest esse idem quod divina hypostasis.

*Sexto:* quia natura humana esset simplicior et formalior divina hypostasi. Natura enim simplicior et formalior est hypostasi quae in ea subsistit.

*Septimo:* quia omnis hypostasis in humana natura subsistens est constituta per materiam signatam. Quod de divina hypostasi dici non potest.

*Octavo:* quia in aliis hominibus anima et corpus ex sua unione constituunt suppositum. Ista autem non fuerunt minoris virtutis in Christo quam in aliis hominibus.

*Nono:* quia in Christo fuit haec anima et hoc corpus. Ex quibus constituitur hic homo, qui est hypostasis.

*Decimo:* quia hic homo qui est Christus, est quaedam substantia. Et per consequens, hypostasis.

*Undecimo. Homo* aequivoce dicetur de Christo et aliis hominibus. Quia de intellectu hominis qui est Christus erit hypostasis divina: non autem de intellectu aliorum hominum.

*Duodecimo:* quia, cum anima non sit suppositum corporis, eo quod sit nobilior, nec quod est divinum erit suppositum humanae naturae.

*Tertiodecimo:* probatur quod caro assumpta advenit Verbo Dei accidentaliter. Quia advenit ei post esse completum: cum Verbum Dei sit ab aeterno.

# CAPITULUM QUADRAGESIMUM PRIMUM

## QUOMODO OPORTEAT INTELLIGERE INCARNATIONEM FILII DEI.

Ad horum igitur solutionem considerandam, paulo altius inchoandum est. Cum enim Eutyches unionem Dei et hominis factam esse posuerit in natura*; Nestorius autem nec in natura nec in persona*; fides autem Catholica hoc teneat, quod sit facta unio in persona, non in natura*: necessarium videtur praecognoscere quid sit *uniri in natura,* et quid sit *uniri in persona.*

*Natura* igitur licet multis modis dicatur, – nam et generatio viventium, et principium generationis et motus, et materia et forma natura dicuntur: item et aliquando natura dicitur *quod quid est* rei, continens ea quae ad speciei pertinent integritatem; sic enim dicimus naturam humanam communem esse omnibus hominibus, et similiter in ceteris: – illa ergo uniuntur in natura ex quibus constituitur integritas speciei alicuius: sicut anima et corpus humanum uniuntur ad constituendum speciem animalis, et universaliter quaecumque sunt partes speciei.

Est autem impossibile quod alicui speciei in sua integritate iam constitutae aliquid extraneum uniatur in unitatem naturae, nisi species solvatur. Cum enim species sint sicut numeri, in quibus quaelibet unitas addita vel subtracta variat speciem*, si quid ad speciem iam perfectam addatur, necesse est iam aliam speciem esse: sicut, si substantiae animatae tantum addatur *sensibile,* erit alia species; nam animal et planta diversae species sunt. – Contingit tamen id quod non est de integritate speciei, in aliquo individuo sub illa specie contento reperiri: sicut album et vestitum in Sorte vel Platone, aut digitus sextus, vel aliquid huiusmodi. Unde nihil prohibet aliqua uniri in individuo quae non uniuntur in una integritate speciei: sicut humana natura et albedo et musica in Sorte, et huiusmodi, quae dicuntur esse *unum subiecto.* – Et quia individuum in genere substantiae dicitur *hypostasis,* in substantiis autem rationalibus dicitur etiam *persona,* convenienter omnia huiusmodi dicuntur uniri *secundum hypostasim,* vel etiam *secundum personam.* Sic igitur patet quod nihil prohibet aliqua non unita esse secundum naturam, uniri autem secundum hypostasim vel personam.

Audientes autem haeretici in Christo unionem Dei et hominis esse factam, contrariis viis incesserunt ad hoc exponendum, praetermisso tramite veritatis. Aliqui enim hanc unionem aestimaverunt ad modum eorum quae uniuntur in unam naturam: sicut Arius et Apollinaris, ponentes quod Verbum erat corpori Christi pro anima, sive pro mente*; et sicut Eutyches, qui posuit ante incarnationem duas naturas Dei et hominis, post incarnationem vero unam.

Sed eorum dictum omnino impossibilitatem continet. Manifestum est enim naturam Verbi ab aeterno in sua integritate perfectissimam esse, nec omnino corrumpi aut mutari posse. Unde impossibile est aliquid extrinsecum a natura divina, utpote naturam humanam vel aliquam partem eius, in unitatem naturae ei advenire.

Alii vero, huius positionis impossibilitatem videntes, in viam contrariam diverterunt. Ea enim quae habenti aliquam naturam adveniunt nec tamen pertinent ad integritatem naturae illius, vel accidentia esse videntur, ut albedo et musica; vel accidentaliter se habere ad ipsum, sicut anulus, vestimentum, domus, et similia. Consideraverunt autem quod, cum humana natura Verbo Dei adveniat nec ad eius naturae integritatem pertineat, necesse est, ut putaverunt, quod humana natura accidentalem unionem haberet ad Verbum. Et quidem manifestum est quod non potest inesse Verbo ut accidens: tum quia Deus non est susce-

* Cap. xxxv.
* Cap. xxxiv.
* Cap. xxxix.
* Cap. xxxii, sq.
* VII *Metaph.*, III, 8; s. Th. VIII, l. 3.

4 in natura] non in persona *addit b; cf. var. seq.* Nestorius ... in natura *hom om* DEGX; *pro* nec in persona, non in persona DEGX. 13 item] sed DEGNX. quod quid est] quod quid P*d*. 15 sic enim *Ita* DNZsE; sicut P, sicut enim *ceteri*. 17 et similiter] et universaliter FH, similiter. ergo] vero DEGNX*b*. 20 ad constituendum speciem animalis] ad constitutionem hominis speciei hominis D, ad constitutionem alicuius animalis E, ad constituendum speciem hominis X; *pro* constituendum, constituendam P*c*. universaliter] naturaliter DEX. 27 si] et si DEGNX*b*. 30 erit alia species *om* N, erit animal D, erit EG, erit iam alia species P*d*. diversae species] diversae specie α, diversa specie D, diversae speciei E.

2 substantiae *om* EGN. 27 enim] vero DEGNX. 32 Consideraverunt autem quod ... necesse est ut putaverunt *Ita nos;* Consideraverunt autem quod ... necesse esse D, Consideraverunt (Considerantes P) autem quod ... necesse esse putaverunt *ceteri*. 37 Et quidem *Ita* N; et quod αDX*cd*, quod Z, et quia EWYP, et quoniam G, ex quo *b*.

ptivum accidentis, ut supra* probatum est; tum quia humana natura, cum sit de genere substantiae, nullius accidens esse potest. Unde reliquum videbatur quod humana natura adveniret Verbo, non sicut accidens, sed sicut accidentaliter se habens ad ipsum. Posuit igitur Nestorius quod humana natura Christi se habebat ad Verbum sicut templum quoddam: ita quod secundum solam inhabitationem erat intelligenda unio Verbi ad humanam naturam. Et quia templum seorsum habet suam individuationem ab eo qui inhabitat templum; individuatio autem conveniens humanae naturae est personalitas: reliquum erat quod alia esset personalitas humanae naturae, et alia Verbi. Et sic Verbum et ille homo erant duae personae.

Quod quidem inconveniens alii vitare volentes*, circa humanam naturam talem dispositionem introduxerunt ut ei personalitas proprie convenire non possit, dicentes animam et corpus, in quibus integritas humanae naturae consistit, a Verbo sic esse assumpta ut corpori anima non esset unita ad aliquam substantiam constituendam: ne cogerentur dicere illam substantiam sic constitutam rationem personae habere. Unionem vero Verbi ad animam et corpus posuerunt sicut ad ea quae accidentaliter se habent, puta induti ad indumentum, in hoc quodammodo Nestorium imitantes.

His igitur remotis per supra* dicta, necessarium est ponere talem fuisse unionem Verbi et hominis ut neque ex duabus una natura conflata sit; neque Verbi ad humanam naturam talis fuerit unio sicut est alicuius substantiae, puta hominis, ad exteriora, quae accidentaliter se habent ad ipsum, ut domus et vestimentum; sed Verbum in humana natura sicut in sibi propria facta per incarnationem, subsistere ponatur; ut et corpus illud vere sit corpus Verbi Dei; et similiter anima; et Verbum Dei vere sit homo.

Et quamvis haec unio perfecte ab homine non valeat explicari, tamen, secundum modum et facultatem nostram, conabimur aliquid dicere *ad aedificationem fidei**, ut circa hoc mysterium fides Catholica ab infidelibus defendatur.

In omnibus autem rebus creatis nihil invenitur huic unioni tam simile sicut unio animae ad corpus: et maior esset similitudo, ut etiam Augustinus dicit, *Contra Felicianum**, si esset unus intellectus in omnibus hominibus, ut quidam posuerunt, secundum quos oporteret dicere quod intellectus praeexistens hoc modo de novo conceptui hominis uniatur ut ex utroque fiat una persona, sicut ponimus Verbum praeexistens humanae naturae in personam unam uniri. Unde et propter hanc similitudinem utriusque unionis. Athanasius dicit, in Symbolo, quod, *sicut anima rationalis et caro unus est homo, ita Deus et homo unus est Christus.*

Sed cum anima rationalis uniatur corpori et sicut materiae et sicut instrumento, non potest esse similitudo quantum ad primum modum unionis: sic enim ex Deo et homine fieret una natura, cum materia et forma proprie naturam constituant speciei. Relinquitur ergo ut attendatur similitudo secundum quod anima unitur corpori ut instrumento. Ad quod etiam dicta antiquorum Doctorum concordant, qui humanam naturam in Christo *organum quoddam divinitatis* posuerunt, sicut et ponitur corpus organum animae.

Aliter enim est animae organum corpus et eius partes, et aliter exteriora instrumenta. Haec enim dolabra non est proprium instrumentum, sicut haec manus: per dolabram enim multi possunt operari, sed haec manus ad propriam operationem huius animae deputatur. Propter quod manus est organum unitum et proprium: dolabra autem instrumentum exterius et commune. Sic igitur et in unione Dei et hominis considerari potest. Omnes enim homines comparantur ad Deum ut quaedam instrumenta quibus operatur: *ipse enim est qui operatur in nobis velle et perficere pro bona voluntate,* secundum Apostolum, *Philipp.* II[13]. Sed alii homines comparantur ad Deum quasi instrumenta extrinseca et separata: moventur enim a Deo non ad operationes proprias sibi tantum, sed ad operationes communes omni rationali naturae, ut est intelligere veritatem, diligere bona, et operari iusta. Sed humana natura in Christo assumpta est ut instrumentaliter operetur ea quae sunt operationes propriae solius Dei, sicut est mundare peccata, illuminare mentes per gratiam, et introducere in perfectionem vitae aeternae. Comparatur igitur humana natura Christi ad Deum sicut instrumentum proprium et coniunctum, ut manus ad animam.

Nec discrepat a rerum naturalium consuetudine quod aliquid sit naturaliter proprium instrumentum alicuius quod tamen non est forma ipsius. Nam lingua, prout est instrumentum locutionis, est proprium organum intellectus: qui tamen, prout Philosophus probat*, nullius partis corporis actus est. Similiter etiam invenitur aliquod instrumentum quod ad naturam speciei non pertinet, et tamen ex parte materiae competit huic individuo: ut sextus digitus, vel aliquid huiusmodi. Nihil igitur prohibet hoc modo ponere unionem humanae naturae ad Verbum quod humana natura sit quasi Verbi instrumentum non separatum sed coniunctum, nec tamen humana natura

*Lib. I, cap xxiii

*Cap. xxxvii.

*Capp. xxxvii, sqq.

*Ad Ephes. iv. 29.

*Cap. xii. - Inter Opp. Aug., P. L. XLII, p. 1166.

*III *de Anima*, iv, 4; v; s. Th. l. 7, 10.

3 accidens] actionis EG. Unde reliquum] unde et reliquum G, unde relinqui NWYZ, relinqui Pc; *cf. var. ad* 13. 7 Christi *om* HX, et Christi BCF*cd*, et Christus Z. 13 est personalitas, reliquum erat] erat personalitas reliquum DEX, erat reliquum personalitas G, personalitas at reliquum X (at *expungitur*); est personalitas humanae naturae reliquum erit *b*. 18 talem dispositionem] aliam dispositionem GN, aliam disputationem DEX. 20 possit] posset DEGNX*b*. 24 dicere *Ita* P *et ante* cogerentur W; *om ceteri* 30 per supra dicta *om* DEGX. 31 ponere *om* DEGX. fuisse *om* N, *ante* talem DEGX. 34 alicuius *om* DEGX*b*; *post* substantiae D *addit* et accidentis. 37 propria] persona EN, propria persona DGX*b*; facta *om* X.

2 quod] quia αWYZ. 23 exterius] extrinsecum P*d*. 24 et in unione] in unione DGHNZ, unio X. 27 velle] et velle EX. 36 propriae] proprias αGWpE. 38 et] sed EG. 40 Christi] et Christi αY. 44 est forma ipsius] est forma illius DEGNX, sit forma ipsius Pc. 47 prout] ut Pc. corporis *om* DEGX, per corporis N. 52 hoc modo ponere] hoc modo D, ponere hoc modo EX, secundum hunc modum ponere P.

ad naturam Verbi pertinet, nec Verbum est eius forma; pertinet tamen ad eius personam.

Praedicta tamen exempla non sic posita sunt ut omnimoda similitudo in his sit requirenda: intelligendum est enim Verbum Dei multo sublimius et intimius humanae naturae potuisse uniri quam anima qualicumque proprio instrumento: praecipue cum toti humanae naturae mediante intellectu coniunctum dicatur*. Et licet Verbum Dei sua virtute penetret omnia, utpote omnia conservans et portans, creaturis tamen intellectualibus, quae proprie Verbo perfrui possunt et eius participes esse, ex quadam similitudinis affinitate, et eminentius et ineffabilius potest uniri.

* Vid. Comment. n. v.

7 qualicunque] quae (quam Y) qualicunque αYZ.
6 participes] particeps αEG.

## Commentaria Ferrariensis

Positis obiectionibus contra Incarnationis mysterium, praemittit Sanctus Thomas quaedam ad earum solutionem, quo ipsa solutio manifestior fiat*.

* Cf. cap. praec., Introd.

I. Primum quod praemittit*, est quomodo oporteat Filii Dei incarnationem intelligere quantum ad hoc quod sit facta in persona, contra Nestorium; et non in natura, contra Eutychetem.

* Cf. capp. XLII-XLVIII.

*Et dicit primo* quod, cum nomen *naturae,* praeter alia significata, de *quod quid est* rei, continente ea quae ad speciei integritatem pertinent, dicatur; illa uniuntur in natura ex quibus constituitur integritas speciei alicuius; sicut anima et corpus humanum uniuntur ad constituendum speciem animalis, et universaliter quaecumque sunt partes speciei.

*Dicit secundo,* quod impossibile est quidem alicui speciei in sua integritate iam constitutae quid extraneum uniri in unitatem naturae, nisi species solvatur: quia species sunt sicut numeri, in quibus quaelibet unitas addita vel subtracta variat speciem, ut patet si substantiae animatae addatur sensibile. Contingit tamen id quod non est de integritate speciei, in alio individuo sub illa specie contento reperiri: sicut album et vestitum in Sorte, aut digitus sextus, et huiusmodi. Unde nihil prohibet aliqua uniri in individuo quae non uniuntur in una integritate speciei. Et quia individuum in genere substantiae dicitur *hypostasis,* in substantiis autem rationalibus dicitur *persona;* convenienter omnia huiusmodi dicuntur uniri secundum hypostasim, vel etiam secundum personam. Ex quo patet quod nihil prohibet aliqua non unita secundum naturam, uniri secundum hypostasim vel personam.

Advertendum quod duplex est integritas speciei: scilicet essentialis; et quantitativa. Et ideo dupliciter dicitur aliquid non esse de integritate speciei: aut scilicet quia non est de eius essentia; aut quia non pertinet ad eius perfectionem quantitativam. Ut ergo Sanctus Thomas utramque integritatem complectatur, dat exemplum de albo et vestito in Sorte, quae non sunt de integritate essentiali hominis; et de sexto digito in manu, qui ad integritatem quantitativam hominis non pertinet.

II. *Dicit tertio,* quod haeretici, audientes in Christo unionem Dei et hominis esse factam, contrariis viis incesserunt ad hoc exponendum. Nam Arius et Apollinaris, hanc unionem aestimantes ad modum eorum quae in unam naturam uniuntur, dixerunt Verbum Dei esse corpori Christi pro anima seu pro mente. Eutyches autem posuit duas quidem naturas Dei et hominis ante incarnationem, post incarnationem vero unam. Contra quos est quod, cum natura Verbi ab aeterno in sua integritate perfectissima sit, nec omnino corrumpi aut mutari possit, impossibile est ei aliquid extrinsecum in eius unitatem advenire.

Alii vero, huius positionis impossibilitatem videntes, cum humana natura Verbo Dei adveniat nec ad eius integritatem pertineat, putaverunt humanam naturam accidentalem quidem unionem habere ad Verbum, non tamen inesse sibi ut accidens: tum quia Deus non est susceptivus accidentis; tum quia humana natura, cum sit de genere substantiae, nullius accidens esse potest. Propter quod Nestorius posuit naturam humanam se habere ad Verbum sicut templum quoddam: et consequenter, quia templum seorsum habet suam individuationem ab eo qui inhabitat templum; individuatio autem naturae humanae conveniens est sua personalitas (intellige de individuatione substantiae singularis subsistentis): reliquum erat aliam esse personalitatem humanae naturae et aliam Verbi. – Quod quidem inconveniens alii vitare volentes, dixerunt in Christo ex anima et corpore non esse aliquam substantiam constitutam, ne cogerentur dicere illam habere rationem personae; unionem vero Verbi ad animam et corpus posuerunt sicut ad ea quae accidentaliter se habent, puta induti ad indumentum, in hoc quodammodo Nestorium imitantes.

Advertendum quod non dicit Sanctus Thomas istos Nestorium simpliciter imitari, sed *quodammodo,* idest quantum ad aliquid. Quia licet imitarentur Nestorium in hoc quod dicebant Verbum Dei unitum animae et corpori modo accidentali, differebant tamen ab ipso in hoc quod ipsi non ponebant ex anima et corpore esse aliquam naturam constitutam, sed Nestorius hoc ponebat.

III. *Dicit quarto,* quod in tali unione Verbi Dei et hominis neque ex duabus naturis una est conflata; neque Verbum humanae naturae est unitum tanquam substantiae ad ipsum accidentaliter se habenti: sed in ipsa subsistere ponitur, ut et corpus illud vere sit corpus Verbi Dei, et similiter anima et Verbum Dei vere sit homo.

*Dicit quinto* quod, quamvis haec unio ab homine non valeat explicari, tamen, ut dicatur secundum modum et facultatem nostram, in omnibus rebus creatis nihil invenitur huic rei tam simile sicut unio animae ad corpus. Et maior esset similitudo, ut Augustinus, *Contra Felicianum,* dicit, si esset unus intellectus in omnibus hominibus, ut quidam posuerunt. Oporteret enim intellectum praeexistentem hoc modo de novo conceptui hominis uniri ut ex utroque fieret una persona, sicut ponimus Verbum praeexistens humanae naturae in unam uniri personam. Propter hoc dicit Athanasius in Symbolo: *Sicut ex anima* etc.

Advertendum quod idcirco maior esset similitudo unionis istius si unus esset intellectus in omnibus hominibus quam sit in unione animae ad corpus, quia in ista non unitur unum alteri praeexistenti, ut accidit in unione Verbi cum humana natura: sed bene, si esset unus intellectus omnium hominum, uniretur unum alteri praeexistenti.

Attendendum secundo quod, si esset unus intellectus in omnibus hominibus, idcirco per unionem intellectus ad conceptum hominis fieret una persona intellectus et hominis, quia operatio intellectus homini attribueretur. Diceretur enim homo intelligere ex unione ad talem intellectum. Quod utique esse non posset nisi una esset persona hominis et intellectus: propria enim operatio unius personae alteri personae attribui non potest; sicut propria operatio Sortis attribui non potest Platoni.

IV. *Dicit sexto* quod, cum anima rationalis uniatur corpori et sicut materiae et sicut instrumento, non potest esse similitudo quantum ad primum modum unionis: quia sic ex Deo et homine fieret una natura, sicut ex materia et forma. Sed est similitudo quantum ad secundum modum. Cui etiam dicta antiquorum Doctorum concordant, dicentium humanam naturam in Christo esse *organum divinitatis,* sicut et corpus ponitur organum animae.

*Dicit septimo* quod, sicut aliter est organum animae corpus et eius partes, et aliter exteriora instrumenta, per hanc enim dolabram multi possunt operari, sed haec ma-

nus ad propriam operationem huius animae deputatur: ita, licet omnes homines ad Deum comparentur sicut instrumenta quibus operatur, ut patet ex Apostolo, *Philipp.* II; alii tamen homines sunt quasi instrumenta separata, cum moveantur a Deo non ad operationes proprias sibi tantum, sed ad operationes omni rationali naturae communes, ut est intelligere veritatem, diligere bona, et huiusmodi; humana autem natura in Christo est instrumentum Dei coniunctum, et assumpta est ut operetur instrumentaliter ea quae sunt operationes propriae solius Dei, sicut mundare peccata, illuminare mentes per gratiam, et huiusmodi.

Circa hoc quod dictum est, *alios homines moveri a Deo ad operationes tantum communes omni rationali naturae, non autem ad eas quae sunt propriae Dei,* dubium occurrit. Quia facere miracula est proprium Dei: et tamen aliis hominibus hoc convenit instrumentaliter, ut in superioribus est ostensum*. Ergo etc.

*Lib. III, cap. CLIV.

Responderi ad hoc potest quod dictum Sancti Thomae intelligitur quod alii homines non moventur ad operationes quae sunt propriae Dei per virtutem divinam in eis existentem per modum habitus, sed tantum per modum passionis transeuntis: ut dicebatur ubi agebatur de miraculorum operatione*. Humana autem natura [Christi] movetur ad divina opera facienda ex virtute divina sibi quasi modo habituali coniuncta, idest permanenter, et non tantum per modum transeuntis: sicut virtus animae manui semper est aliquo modo coniuncta.

*Lib. III, cap. CLIV, fin.

*Dicit octavo,* quod non discrepat a rerum naturalium consuetudine quod aliquid sit naturaliter proprium instrumentum alicuius quod tamen non sit forma ipsius: ut patet de lingua respectu intellectus. Invenitur etiam aliquod instrumentum quod ad naturam speciei non pertinet, et tamen ex parte materiae competit huic individuo: ut sextus digitus in manu. Sic itaque nihil prohibet humanam naturam esse quasi Verbi instrumentum coniunctum, et tamen neque ad naturam Verbi pertinere, neque Verbum ipsius esse formam, pertinere tamen ad eius personam.

*Dicit ultimo,* in praedictis exemplis non omnimodam similitudinem requirendam esse: quia intelligendum est Verbum Dei multo sublimius et intimius humanae naturae potuisse uniri quam anima qualicumque proprio instrumento: praecipue cum toti humanae naturae mediante intellectu coniunctum dicatur. Et licet sua virtute penetret omnia, creaturis tamen intellectualibus, quae ipso perfrui possunt et eius participes esse, eminentius et ineffabilius potest uniri.

V. Circa istam propositionem, *Verbum Dei toti naturae humanae mediante intellectu coniunctum dicitur,* advertendum quod per *totam naturam humanam* intelligit Sanctus Thomas totalitatem tantum humanitatis Christi secundum perfectionem, non autem totalitatem humanitatis secundum universalitatem praedicationis. Dicitur autem Verbum ipsi mediante spiritu, secundum mentem Augustini, in libro *de Agone Christiano**, et *Damasceni,* in III libro*, coniunctum esse, ratione quidem dignitatis, inquantum *inter ceteras partes animae est superior, et dignior, atque Deo similior,* propter quod intellectus dicitur esse medium secundum dignitatem inter Verbum Dei et animam ut alias inferiores potentias habet; ratione autem congruitatis, *quia anima non est assumptibilis secundum congruitatem nisi per hoc quod est capax Dei, ad imaginem eius existens,* quod sibi convenit per intellectum; sic enim dicitur Verbum uniri sibi mediante intellectu, quia humana natura non habet congruentiam ad hoc ut sit assumptibilis prae ceteris naturis a Verbo, nisi quia habet intellectum. De hoc pertractat Sanctus Thomas Tertia, q. VI, a. 2; et Tertio, d. II, q. II, a. 1. Vult enim hic arguere quod Verbum Dei potuit multo sublimius uniri humanae naturae quam anima cuicumque instrumento, hac ratione quia, cum mediante intellectu humanae naturae uniatur, et particularius uniatur substantiis intellectualibus quam aliis creaturis, non est etiam inconveniens si excellentiori quodam modo possit humanae naturae uniri.

*Cap. XXVIII.

*De Fide Orthodox.,* lib. III, cap. VI.

VI. Circa id quod dictum est*, *Verbum humanae naturae uniri sicut instrumento coniuncto,* dubium occurrit. Non enim videtur quomodo coniungatur humanae naturae ut possit dici esse instrumentum Verbi coniunctum, si neque Verbum est forma humanae naturae; neque e converso humana natura Verbi; neque etiam ad naturam Verbi pertinet. Oportet enim instrumentum coniunctum alicuius in aliquo cum ipso uniri: nam lingua, quae est instrumentum proprium intellectus, cum ipso in anima unitur, inquantum intellectus radicatur in essentia animae, et anima est forma linguae. Non apparet autem in quo uniatur humana natura cum Verbo, si praedicti modi unionis excludantur.

*Vid. in parag. *Nec discrepat.*

2. Respondetur, et dicitur primo, quod utique oportet in aliquo ista uniri et esse indivisa, si unum debet esse instrumentum coniunctum alterius. Veruntamen istam unionem difficillimum est a nobis explicari, cum nihil simile omnino in creaturis, a quibus cognitionem accipimus, inveniatur.

Dicitur secundo, iuxta praedicta*, quod natura divina et humana uniuntur et indivisa sunt in una persona, inquantum una persona, simplicissima existens, in utraque natura subsistit. Neque necesse est ut eorum quae in una persona uniuntur, unum sit forma alterius: ut patet de musica et logica, quae uniuntur in Sorte. Natura autem humana et persona uniuntur, et sunt indivisa, in uno esse, inquantum humana natura trahitur ad esse divinae personae, ut sit idem esse et personae divinae et naturae humanae. Neque etiam necesse est ut quae indivisa sunt in uno esse, sic se habeant quod unum sit alterius forma: nam manus et pes Sortis in uno esse conveniunt, et tamen neutrum est alterius forma. Similiter cum pes prius separatus trahitur ad esse animalis per coniunctionem, animal non informat pedem, sed bene forma dans esse animali informat suppositum pedis.

*Vid. cap. XXXIX.

3. Si autem arguatur, ut arguit Aureolus, apud Capreolum, Tertio, d. VI*, quia esse est actus essentiae; divinum autem esse non actuat humanam naturam; et sic non videtur quod natura humana et divina persona uniantur in uno esse divini suppositi: – dicitur, ut etiam superius* dicebatur, quod esse non est actus essentiae sicut eius quod existit formaliter, sed sicut eius in quo aliquid existit: suppositi autem est actus sicut eius quod formaliter existit. Unde non est necesse quod esse divinum actuet humanam naturam per se et primo, ad hoc ut sit in ipso esse indivisa cum persona Verbi: sed sufficit quod suppositum divinum sit humanae naturae suppositum; quia tunc esse divinum primo et per se actuat suppositum; secundario autem et per aliud dicitur actuare humanam naturam, inquantum eius suppositum actuat quod in ipsa humana natura subsistit; nec hoc divino esse aliqua ex parte derogat.

*Art. 2, p. 113.

*Cap. XXXV. Comment. num. IX.

# CAPITULUM QUADRAGESIMUM SECUNDUM

## QUOD ASSUMPTIO HUMANAE NATURAE MAXIME COMPETEBAT VERBO DEI.

Ex quo etiam patet quod humanae naturae assumptio potissime competit personae Verbi. Nam, si assumptio naturae humanae ad salutem hominum ordinatur; ultima autem salus hominis est ut secundum intellectivam partem perficiatur contemplatione Veritatis Primae: oportuit per Verbum, quod secundum emanationem intellectualem a Patre procedit, humanam naturam assumi.

Rursus. Affinitas quaedam videtur maxime Verbi ad humanam naturam. Homo enim propriam speciem sortitur secundum quod rationalis est. Verbum autem rationi affine est: unde apud Graecos « *logos* » *verbum* et *ratio* dicitur. Convenientissime igitur Verbum rationali naturae unitum est: nam et propter affinitatem praedictam, divina Scriptura nomen *imaginis* et Verbo attribuit et homini; dicit enim Apostolus, *Coloss.* 1 [15], de Verbo, quod est *imago invisibilis Dei;* et idem de homine, I *Cor.* XI [7], quod *vir est imago Dei.*

Habet etiam Verbum non solum ad rationalem naturam, sed etiam universaliter ad omnem creaturam quandam affinitatis rationem: cum Verbum contineat rationes omnium creatorum a Deo, sicut et artifex homo conceptione sui intellectus rationes artificiatorum comprehendit. Sic igitur omnes creaturae nihil aliud sunt quam realis quaedam expressio et repraesentatio eorum quae in conceptione divini Verbi comprehenduntur: propter quod et omnia per Verbum facta esse dicuntur*. Convenienter igitur Verbum creaturae, scilicet humanae naturae, unitum est. · *Ioan.* 1, 3.

1 Ex quo] Ex hoc ZP. 3 Nam *om* DEGX; *lac.* N. 8 secundum emanationem] secundum etiam emanationem αWYZ. 13 apud Graecos logos et ratio dicitur *Ita bPd*; apud leges naturalium et ratio dicitur BCFZ, apud leges naturales et rerum ratio dicitur H, apud reges naturalia et ratio dicitur W, apostolus Leges naturalia et ratio dicitur Y, apud astrologos mercurialis dicitur qui dominatur verbo DG *et supra ras. et marginem* N *et* natura rationalis *pro* mercurialis X, apud astrologos materialium E, apud astrologos (*ras*) N.
4 de homine] dicit *addunt* αZPc; *lac.* WY. 9 sicut et] sicut Pc. conceptione] conceptiones αY, contemptiones N, contemptione *b*. 10 artificiatorum] artificiatoris αW, suorum artificiatorum Y. 12 repraesentatio] repraesentativa (repraesentata E) ratio DE.

### Commentaria Ferrariensis

* Cf. cap praec., Introd.

Secundum quod praemittit Sanctus Thomas*, est quod *humanae naturae assumptio potissime competit Verbo Dei.* Addit *potissime,* quia non negatur quidem quin et Pater et Spiritus Sanctus possint naturam assumere: sed tamen convenientius erat ut Filius eam assumeret.

Probatur autem hoc *primo* quia, cum assumptio humanae naturae ad salutem hominum ordinetur; salus autem ipsius ultima sit ut secundum intellectivam partem perficiatur contemplatione Primae Veritatis: oportuit per Verbum, quod secundum emanationem intellectualem procedit, naturam humanam assumi. – Adde: quia sic persona assumens proportionatur fini assumptionis.

*Secundo,* quia quaedam affinitas videtur maxime Verbi ad naturam humanam. Quod patet quia homo propriam speciem sortitur secundum quod est rationalis. Verbum autem rationi affine est. Cuius duplex est signum. Unum est quod apud Graecos *logos* et *verbum* et *ratio* dicitur. Alterum est quia Sacra Scriptura nomen *imaginis* et Verbo attribuit, ut patet *Coloss.* 1; et homini, ut patet I *Cor.* XI.

Advertendum quod idem nomen non videtur plures naturas, aut plura distincta secundum essentiam significare, nisi ratione alicuius affinitatis inter illa. Impositor enim nominis imponit nomen ab aliqua rei proprietate. Et ideo diversis rebus idem nomen non imponeret nisi aliquas proprietates in illis similes et affines inveniret: ut tale nomen non secundum simplicem aequivocationem accipiatur, sed secundum quandam analogiam. Propterea Sanctus Thomas optime a signo arguit esse quandam affinitatem inter Verbum et rationem, ex hoc quod eodem nomine apud Graecos significantur.

*Tertio* quia, cum Verbum non solum ad rationalem creaturam, sed etiam universaliter ad omnem creaturam quandam affinitatis rationem habeat, eo quod contineat rationes omnium creatorum a Deo, convenienter unitum est creaturae, scilicet naturae humanae.

Hanc quaestionem pertractat Sanctus Thomas Tertia, q. III, a. 8; et III *Sent.*, d. 1, q. II, a. 2.

# CAPITULUM QUADRAGESIMUM TERTIUM

## QUOD HUMANA NATURA ASSUMPTA A VERBO NON PRAEEXTITIT ASSUMPTIONI, SED IN IPSA CONCEPTIONE FUIT ASSUMPTA.

Cum autem Verbum humanam naturam assumpserit in unitatem personae, ut ex dictis iam patet*, oportuit humanam naturam non praeexistere antequam Verbo uniretur. · Cap. XXXIX.

Si enim praeexisteret, cum natura praeexistere non possit nisi in individuo, oportuisset esse aliquod individuum illius humanae naturae praeexistentis ante unionem. Individuum autem humanae naturae est hypostasis et persona. Erit igitur dicere

2 assumpserit] assumpsit DEGNXPc.
5 erit] oportet DX, esset *b*, et G, *om* E; *pro* dicere, dicitur EG.

quod humana natura assumenda a Verbo in aliqua hypostasi vel persona praeextitisset. Si igitur natura illa assumpta fuisset manente priori hypostasi vel persona, remansissent post unionem duae hypostases vel personae, una Verbi, et alia hominis. Et sic non esset facta unio in hypostasi vel persona. Quod est contra sententiam fidei. – Si vero hypostasis vel persona illa non remaneret in qua natura assumenda a Verbo praeextitisset, hoc sine corruptione accidere non potuisset: nullum enim singulare desinit esse hoc quod est nisi per corruptionem. Sic igitur oportuisset illum hominem corrumpi qui unioni praeextitisset: et per consequens humanam naturam in eo existentem. Impossibile igitur fuit quod Verbum assumeret in unitatem personae aliquem hominem praeexistentem.

Simul autem et derogaretur perfectioni incarnationis Dei Verbi, si aliquid eorum quae naturalia sunt homini, ei deesset. Est autem naturale homini ut nascatur nativitate humana. Hoc autem Dei Verbum non haberet si hominem praeexistentem assumpsisset: nam ille homo in sua nativitate purus homo extitisset, unde eius nativitas Verbo non posset attribui, nec Beata Virgo mater Verbi dici posset. Fides autem Catholica *per omnia sine peccato similem eum nobis* in naturalibus confitetur*, dicens Filium Dei, secundum Apostolum*, *factum ex muliere* et natum, et Virginem matrem Dei. Non igitur hoc decuit, ut praeexistentem hominem assumeret.

Hinc etiam apparet quod ab ipso conceptionis principio naturam humanam sibi univit. Quia sicut humanatio Dei Verbi requirit quod Verbum Dei sit natum nativitate humana, ad hoc quod sit verus homo et naturalis per omnia in naturalibus nobis conformis, ita requirit quod Dei Verbum sit conceptum conceptione humana: non enim secundum naturae ordinem homo nascitur nisi prius concipiatur. Si autem natura humana assumenda prius in qualicumque statu concepta fuisset quam Verbo uniretur, illa conceptio Verbo Dei attribui non posset, ut diceretur conceptum conceptione humana. Oportuit igitur quod ab ipso conceptionis principio Verbum Dei humanae naturae uniretur.

Rursum. In generatione humana virtus activa agit ad complementum humanae naturae in aliquo determinato individuo. Si autem Verbum Dei non a principio conceptionis humanam naturam assumpsisset, virtus activa in generatione, ante unionem, suam actionem ordinasset ad aliquod individuum humanae naturae, quod est hypostasis vel persona humana; post unionem autem, oportuisset ordinari totam generationem ad aliam hypostasim vel personam, scilicet Dei Verbum, quod nascebatur in humana natura. Sic igitur non fuisset una numero generatio: utpote ad duas personas ordinata. Nec fuisset uniformis secundum totum: quod a naturae ordine videtur alienum. Non igitur fuit conveniens quod Verbum Dei post conceptionem humanam naturam assumeret, sed in ipsa conceptione.

Item. Hoc videtur generationis humanae ordo requirere, ut qui concipitur ipse idem nascatur, et non alius: cum conceptio ad nativitatem ordinetur. Unde, si Filius Dei natus est nativitate humana, oportet etiam quod Filius Dei sit conceptione humana conceptus, et non purus homo.

* *Heb.* IV, 15.
* *Gal.* IV, 4.

2 praeextitisset] praeexistens EG, praeexistens esset DX. 4 remansissent] tunc *addunt* P*c*. 8 remaneret in qua natura] remanere (remanet ENX) in qua natura illa DEGNX, remaneret in ea natura in qua P*d*. 10 potuisset] posset DN, possit EX. 11 nullum enim] nullum CEGNX, quia nullum *b*. 12 illum *post* hominem DEGNX. 18 Simul] Similiter NsG*b*. 20 deesset] deessent αEWZ. 21 nativitate *om* N, nativitate humana *om* DEGX. 22 non *om* EGN. 25 nec ... posset *om* DEGX; *post* Virgo *b addit* Maria. 26 catholica *om* αWZP*c*. 29 et natum *om* W. 30 et Virginem matrem] et Virginem et matrem G, ex Virgine matre DEXYsG, ex Virgine Maria matre *b*. 31 hominem *om* DEGX; *pro* assumeret, assumendum EX.

1 in naturalibus nobis conformis] in naturalibus conformis G, conformis nobis DEX. 7 concepta *om* αWYZP*c*. 8 attribui non posset] concepta non esset αWYZ. 11 uniretur] in aliquo determinato individuo uniretur *b*; uniretur .. 13 humanae naturae *hom om* DEGX; *pro* Rursum, Item H, Iterum Z, Rursus N. 14 individuo] uniretur *addunt* DGX; *cf. var. praeced.* 16 assumpsisset] accepisset DEGNX*b*. 17 ad aliquod] ad aliquid EX, ad aliud P. 19 oportuisset ordinari *Ita b*; oportuit ordinari W, apertius potest ordinari αYZ, ordinasset ordinari EN, ordinasset DGXP*c*. 21 hypostasim vel personam *om* DEGX*b*. scilicet Dei Verbum quod *Ita* DEG*b*P*c*; scilicet ad Dei Verbum quod X, sed (si W) Dei Verbum quidem αWYZ, scilicet Dei Verbi quod Deus N. 25 videtur] est DEGNX*b*. 28 sed *om* H, simul BCF, sed simul YZP*c*

## Commentaria Ferrariensis

* Cf. cap. praec., Introd.

TERTIUM quod praemittit Sanctus Thomas* est quod *oportuit naturam humanam non praeexistere antequam Verbo uniretur.*

* Cf. nn. II, IV.

I. Probatur autem hoc *primo**. Illa natura assumenda in aliqua hypostasi vel persona praeextitisset. Ergo oporteret dicere quod aut utraque hypostasis, scilicet Verbi et hominis, remansisset: aut hypostasis vel persona illa non remaneret in illa natura in qua assumenda a Verbo praeextitisset. Si primum, tunc remansissent duae hypostases vel personae post unionem, et sic non esset facta unio in persona: quod est contra sententiam fidei. Si secundum, hoc sine corruptione accidere non potuisset: cum nullum singulare desinat esse hoc quod est, nisi per corruptionem. Et sic oportuisset illum hominem corrumpi, et per consequens humanam naturam in eo existentem. Et sic homo praeexistens non esset assumptus. – Probatur assumptum. Quia oportuisset esse aliquod individuum illius humanae naturae praeexistentis ante unionem: cum natura praeexistere non possit nisi in individuis. Individuum autem humanae naturae est hypostasis et persona.

2. Circa hanc propositionem, *Individuum humanae naturae est hypostasis et persona,* dubium occurrit. Nam humana natura in Christo est individua: non enim est humanitas universalis, sed singularis et haec. Si ergo individuum humanae naturae est hypostasis et persona, sequitur in Christo duas esse personas. Cuius oppositum hic dicitur, et Catholica fides tenet.

Respondetur, ex doctrina Sancti Thomae Tertia, q. XVI, a. 12*, quod individuum substantiae dupliciter accipi potest. Uno modo, pro quacumque singulari substantia: quo modo manus hominis potest dici individua substantia. Alio modo, pro substantia completa per se subsistente separatim ab aliis: quo modo accipit Boetius, cum definit personam, quod est *rationalis naturae individua substantia**.

* Ad 2
* *De duabus Naturis*, cap. III.

Dicitur ergo quod Sanctus Thomas accipit individuum secundo modo, non autem primo modo. Unde non sequitur quod in Christo sint duae personae, eo quod humanitas in Christo sit singularis et individua primo modo. Licet enim non sit humanitas universalis, sed haec humanitas, non tamen est secundo modo individua: cum in alio, scilicet in divino supposito existat, et ultimum complementum non habeat.

* Cf. Caiet. in III, IV, 2.
* III Sent. d. V, qu. III, art. 3.

3. Ubi advertendum est, praetermissis multorum* opinionibus, et Capreoli positione*, quod persona supra hanc humanitatem singularem aliquid positivum addit de genere substantiae, quod est ultimus terminus ultimumque complementum naturae; quod hoc nomine *personalitas* significatur, et est intrinsece constitutivum formaliter personae in esse personali, sicut punctus est ultimus terminus, ultimumque complementum lineae finitae. Ideo, licet concedatur quod humanitas in Christo sit singularis, non conceditur tamen quod sit persona: quia non habet illum ultimum terminum, eo quod a Verbo divino illam assumente sit impedita. Diligenter enim consideranti dicta Sancti Thomae, dicere oportet quod hypostasis et persona aliquid positivum supra naturam singularem addat: ut egregie Cardinalis Caietanus ostendit, Tertia, q. IV, a. 2*, citans etiam quod hic dicitur: quod scilicet, si illa persona praeexistens non remaneret, hoc sine corruptione illius hominis, et per consequens naturae in eo existentis, accidere [non] potuisset; constat enim quod substantia non dicitur corrumpi nisi per amissionem alicuius positivi substantialis. – Idem quoque habetur ex Tertia, q. IV, a. 2, in corpore et ad 3; item III *Sent.*, d. V, q. III, a. 3.

* Comment., num. VII.

* Cf. num. I, init.; et num. IV.

II. *Secundo**. Derogaretur perfectioni incarnationis Verbi Dei. Ergo etc. – Probatur assumptum. Quia naturale est homini ut nascatur nativitate humana. Hoc autem Verbum Dei non haberet: quia homo ille in sua nativitate purus homo extitisset. Et sic eius nativitas Verbo non posset attribui; nec Beata Virgo mater Dei dici posset: cum tamen fides per omnia, sine peccato, similem ipsum nobis in naturalibus confiteatur, scilicet factum ex muliere et natum, et Beatam Virginem matrem Dei.

Adverte fundamentum huius rationis in hoc consistere, quod Verbum Dei non posset dici natum nativitate humana. Quia nativitate humana nascitur id quod est homo. Quando autem homo praeexistens assumptioni natus esset, Verbum non fuisset ille homo, sed homo nascens fuisset purus homo. Et sic non potuisset dici quod, nascente illo homine assumendo, Verbum Dei nasceretur. – Ex hoc autem ulterius sequitur quod Virgo mater Dei dici non posset: cum maternitas consequatur humanam nativitatem.

III. Ex hoc deducit ulterius quod *Verbum univit sibi humanam naturam ab ipso conceptionis exordio.*

* Cf. infra in hoc num. *secundo, Quia.*

Probatur primo*, quia si humana natura assumenda prius in qualicumque statu fuisset quam uniretur Verbo, non posset Verbum dici conceptum conceptione humana. Hoc autem derogat humanationi Verbi. Quia sicut requiritur Verbum Dei esse natum nativitate humana ad hoc ut sit verus homo et naturalis, ita requiritur ut sit conceptum conceptione humana: cum, secundum naturae ordinem, homo non nascatur nisi prius concipiatur.

* Cf. statim, *Considerandum secundo.*

Ad evidentiam huius rationis, considerandum primo*, quod ad hoc ut aliquid dicatur concipi conceptione humana, requiritur ut sibi attribuatur conceptio tota, a principio conceptionis usque ad finem. In qualicumque autem statu fuisset humana natura antequam fuisset assumpta, sive, inquam, in statu completo sive in statu incompleto, tota humana conceptio Verbo Dei attribui non potuisset: quia conceptio sibi non attribuitur nisi ratione assumptionis; ab ipso autem conceptionis initio non fuisset assumpta humana natura a Verbo. Ideo non posset de Verbo Dei dici quod esset conceptum conceptione humana. Et hoc est huius rationis intentum.

Considerandum secundo*, quod homo potest dici *naturalis* multis modis: aut scilicet quantum ad principium agens, et principia naturalia intrinseca, et ordinem procedendi; aut quantum ad principia intrinseca et ordinem procedendi; aut quantum ad principia intrinseca naturalia. Hoc ultimo modo Adam, productus a Deo immediate, poterat dici homo naturalis, quia constabat ex principiis ex quibus natura hominis constituitur: non autem aliis modis, quia nec productus fuit secundum naturae ordinem, nec ab agente naturali. – Secundo modo, Christus fuit homo naturalis: quia et veram humanam naturam habuit, et secundum naturae ordinem, ex parte geniti, fuit generatus. Non autem primo modo: quia non fuit a naturali agente productus. – Sed alii homines primo modo dicuntur naturales.

* Cf. immediate supra, *Ad evidentiam.*

Cum ergo hic dicitur requiri ad hoc quod Verbum Dei sit homo verus et naturalis, quod sit natum nativitate humana et conceptum conceptione humana, accipitur ly *verus et naturalis homo* secundo modo: non autem primo et tertio.

2. Secundo*, quia non fuisset una numero humana generatio Christi; nec fuisset uniformis secundum totum. Quia, cum in generatione humana virtus activa agat ad complementum naturae in aliquo determinato individuo, si Verbum Dei non a principio conceptionis humanam naturam assumpsisset, virtus activa in eius generatione ante conceptionem ordinasset suam actionem ad aliquam hypostasim humanae naturae; post conceptionem vero, totam generationem ad aliam hypostasim ordinasset, scilicet ad Dei Verbum; et sic generatio ad duas personas ordinata fuisset.

* Cf. init. huius num. III, *Probatur primo.*

3. Advertendum, cum dicitur quod *generatio non esset uniformis secundum totum,* quod hominis puri generatio dicitur uniformis secundum totum, quia a principio usque ad finem est generatio hominis. Generatio autem Christi, posito quod humana natura prius fuisset concepta quam assumpta, non fuisset a principio usque ad finem generatio hominis: sed primo quidem hominis fuisset generatio secundum quod per ipsam purus homo generatus fuisset, pro illo priori in quo homo conceptus esset et non assumptus; postmodum vero fuisset generatio Verbi Dei, pro illa duratione in qua fuisset humana natura assumpta a Verbo Dei. Et ideo non esset uniformis secundum totum.

Si dicatur quod nec etiam, eadem ratione, generatio hominis puri potest dici uniformis secundum totum: quia prius generatur vivens quam animal, et prius animal quam homo: – respondetur quod non est eadem ratio. Quia vivens et animal in generatione hominis non sunt aliquid completum in specie, sed ordinantur ad hominem tanquam ad id quod est completum in specie, et ab hoc habet generatio ut informis dicatur. Unde, cum generatur et vivens et animal, illa generatione dicitur generari homo. In illa autem generatione Christi essent duo completa in natura: scilicet homo purus prius conceptus quam assumptus; et Verbum Dei ipsum hominem assumens. Ideo non esset uniformis secundum totum.

IV. *Tertio**. Quia videtur generationis humanae ordo requirere ut qui concipitur, ipse idem nascatur, et non alius: cum conceptio ad nativitatem ordinetur.

* Cf. num. I, II.

# CAPITULUM QUADRAGESIMUM QUARTUM

## QUOD NATURA HUMANA ASSUMPTA A VERBO IN IPSA CONCEPTIONE FUIT PERFECTA QUANTUM AD ANIMAM ET CORPUS.

ULTERIUS autem ex hoc manifestum est quod in ipso conceptionis principio anima rationalis corpori fuit unita.

Verbum enim Dei mediante anima rationali corpus assumpsit*: corpus enim hominis non magis assumptibile est a Deo quam alia corpora nisi propter animam rationalem. Non igitur Verbum Dei assumpsit corpus absque anima rationali. Cum igitur Verbum Dei assumpserit corpus ab ipso conceptionis principio, oportuit quod in ipso conceptionis principio anima rationalis corpori uniretur.

* Cf. supra cap. XLI, *Praedicta*.

Item. Posito eo quod est posterius in generatione, necesse est et id quod est prius secundum generationis ordinem, poni. Posterius autem in generatione est id quod est perfectissimum. Perfectissimum autem est ipsum individuum generatum, quod in generatione humana est hypostasis vel persona, ad cuius constitutionem ordinantur et anima et corpus. Posita igitur personalitate hominis generati, necesse est quidem existere et corpus et animam rationalem. Personalitas autem hominis Christi non est alia quam personalitas Dei Verbi. Verbum autem Dei in ipsa conceptione univit sibi corpus humanum. Fuit ergo ibi personalitas illius hominis. Ergo oportuit quod et anima rationalis adesset.

Inconveniens etiam fuisset ut Verbum, quod est fons et origo omnium perfectionum et formarum, alicui rei informi et nondum perfectionem naturae habenti uniretur. Quicquid autem fit corporeum, ante animationem est informe et nondum perfectionem naturae habens. Non igitur fuit conveniens ut Verbum Dei uniretur corpori nondum animato. Et sic a principio conceptionis oportuit animam illam corpori uniri.

Ex hoc etiam apparet quod corpus illud assumptum a principio conceptionis fuit formatum, si nihil informe Dei Verbum assumere debuit. – Similiter autem anima requirit propriam materiam: sicut et quaelibet alia forma naturalis. Est autem propria materia animae corpus organizatum: est enim anima *entelechia corporis organici physici potentia vitam habentis**. Si igitur anima a principio conceptionis corpori fuit unita, ut ostensum est*, necessarium fuit ut corpus a principio conceptionis organizatum et formatum esset.– Et etiam organizatio corporis ordine generationis praecedit animae rationalis introductionem. Unde, posito posteriori, necesse fuit et ponere prius.

* II *de Anima*, t, 5; s. Th. l. 1.

* Supra, *Item. Posito*.

Crementum autem quantitatis usque ad debitam mensuram, nihil prohibet sequi corporis animationem. Sic igitur circa conceptionem hominis assumpti sentiendum est, quod in ipso conceptionis principio fuit corpus organizatum et formatum, sed nondum habens debitam quantitatem.

3 corpori *post* fuit DEGNX*b*. 4 enim] autem DEGNXZ*b* 5 enim] autem DEGNX*b*. 8 absque . . . 10 corpus *hom om* DEGNX; *pro* cum . . . assumpserit . . oportuit, si . . . assumpsisset . . . oportuisset *b*. 15 generationis ordinem] generationem ordinis EGNX. 17 autem] enim DEGNX*b*. 18 humana *om* DEGNX. 21 quidem] animal EGNX, animam (existere *post* et corpus) D.

1 omnium] trium DEN. et formarum . . . 2 perfectionem *hom om* DEGN; *post* habenti DG *addunt* perfectionem. 4 fit] sit DEGN, est sic *b*. 5 habens] habent BCF, habet Y. 9 etiam] autem DEGNX*b*. assumptum] assumpsit EN, quod assumpsit DX, assumpsit ut *b*. 10 si] sed G*c*, quia P*d*. 11 Similiter] Simul BCFGYZP*c*. 12 anima (omnia G) *post* requirit DEGNX*b*. 13 sicut et sicut DEGNX*b*. 14 corpus organizatum] corpori BH, corpori organizatum C, corpori organum F, corpus organicum Z. 15 entelechia] endelichia BFWXYZ *b*, endilichia C, endelechia P*c*, endilicia D, indulthia EGN. 17 fuit] sit P*c*. 19 organizatum] organicum αWZ. 22 et etiam] et etiam quod BHY, et etiam quia Z, sed *b*. 22 et ponere] etiam ponere D, ponere HZ, ponere et P 23 debitam *post* mensuram DEGNX*b*. 27 organizatum] organicum Z.

### Commentaria Ferrariensis

* Cf. cap. XLI, Introd.

QUARTUM quod praemittit Sanctus Thomas*, est quod *in ipso conceptionis principio anima rationalis fuit corpori unita.*

I. *Probatur primo.* Verbum Dei assumpsit corpus ab ipso conceptionis principio. Ergo tunc fuit anima rationalis corpori unita. – Probatur consequentia. Quia Verbum Dei mediante anima corpus assumpsit: cum non sit magis assumptibile quam alia corpora nisi per animam rationalem.

* Art. 3, qu[a] 1.

Advertendum, ex doctrina Sancti Thomae Tertia, q. VI, a. 1; et III *Sent.*, d. II, q. II*, quod non dicitur Verbum Dei mediante anima rationali corpus assumpsisse quasi prius duratione animam assumpserit quam corpus: sed quia ipsam prius assumpsit ordine naturae, et secundum dignitatis gradum, inquantum anima dignior est corpore. Ex quo potest dici media inter corpus et Verbum et secundum ordinem causalitatis: inquantum corpus humanum non esset magis assumptibile, ut hic etiam dicitur, quam alia corpora, nisi per ordinem ad animam rationalem, secundum quem habet ut sit corpus humanum.

*Secundo.* Posita personalitate hominis generati, necesse est ponere corpus et animam rationalem. Sed in ipsa conceptione fuit personalitas Christi hominis. Ergo oportuit quod corpus et anima ibi adessent. – Probatur maior. Quia in generatione humana hypostasis vel persona, ad cuius constitutionem ordinatur corpus et anima, est posterius, utpote existens id quod est perfectissimum in ea. Posito autem eo quod posterius est, necesse est et id quod est prius secundum generationem poni. – Minor vero probatur: quia personalitas hominis Christi non est alia quam personalitas Verbi Dei. Fuit autem in conceptione personalitas Verbi Dei, scilicet in humana natura: cum Verbum in ipsa conceptione sibi corpus humanum univerit.

Adverte quod in hac ratione positae sunt aliquae propositiones explicite quas non ponit Sanctus Thomas formaliter, sed implicite tantum. Quod idcirco factum est ut ratio clarior redderetur.

*Tertio.* Non fuit conveniens ut Verbum Dei uniretur corpori nondum animato, scilicet anima rationali. Ergo

etc. – Probatur assumptum. Quia quicquid sit corporeum, ante animationem est informe, et nondum perfectionem naturae habens. Inconveniens autem fuit ut Verbum Dei, quod est fons et origo omnium perfectionum et formarum, alicui rei informi et nondum perfectionem naturae habenti uniretur.

Advertendum, cum dicitur *omne corporeum ante animationem esse informe*, quod ly *informe* non accipitur pro eo quod caret omni forma: sed pro eo quod caret complemento speciei et naturae. Corporeum enim quodcumque in generatione humana praecedens introductionem animae intellectivae, est incompletum et imperfectum; et in nulla specie collocatur per se, sed reducitur ad hominis speciem sicut imperfectum ad genus sui perfecti.

II. Ex praemissis infert Sanctus Thomas quod *corpus illud assumptum a principio conceptionis, fuit formatum.* Intellige de formatione accidentali, quae est debita membrorum dispositio, sive *organizatio.*

Probatur. Tum quia nihil informe Dei Verbum assumere debuit. – Tum quia a principio conceptionis anima corpori fuit unita. Similiter autem anima sicut et quaelibet alia forma naturalis, requirit propriam materiam, quae est corpus organizatum: cum sit *entelechia corporis organici* etc. – Tum quia organizatio corporis, ordine generationis, praecedit animae rationalis introductionem. Posito autem posteriori, necesse fuit et prius poni.

Si quis autem diceret quod, eadem ratione, debuit corpus illud habere complementum quantitatis debitae: – respondet Sanctus Thomas inquiens hoc non oportere esse: quia incrementum quantitatis usque ad debitam mensuram nihil prohibet sequi corporis animationem.

Concluditur igitur quod in ipso conceptionis principio fuit corpus organizatum et formatum, sed nondum habens debitam quantitatem.

III. Ad evidentiam eorum quae hic dicuntur, considerandum primo, ex doctrina Sancti Thomae Tertia, q. xxxiii, a. 1; et III *Sent.*, d. iii, q. ii, a. 1 in fine, quod circa conceptionem corporis tria possumus considerare: scilicet id quod conceptionem antecedit; id in quo ratio conceptionis consistit; et id quod sequitur ad conceptionem. Primum est motus localis sanguinis ad locum generationis; secundum est corporis formatio; tertium est augmentum, quo corpus ad debitam quantitatem perducitur. Primo et ultimo repugnat esse in instanti: cum motus in instanti esse non possit. Sed secundo non repugnat esse in instanti, a virtute infinita, quae potest in instanti materiam disponere ad debitam formam.

In aliorum itaque hominum conceptione, a principio quo res incipit concipi, corpus non est organizatum et formatum; neque est in ultimo complemento ad susceptionem animae rationalis; sed successive et paulatim disponitur, et ad complementum tendit et animationem; qua facta, dicitur res esse *concepta.* Et ideo etiam ipsa conceptio successionem habet. Unde non dicitur purus homo simul concipi et conceptus esse: sed prius concipitur, postea est conceptus. – In conceptione autem Christi, ab ipso initio quo Christus dicebatur concipi, corpus fuit organizatum, et formatum, atque animatum anima rationali; nec fuit ibi aliqua successio in corporis formatione et dispositione ad animam rationalem; sed omnia praedicta simul fuerunt; quia, ut dictum est superius *, Verbum divinum nihil assumpsit informe, conceptio autem sibi non attribuitur nisi ratione assumptionis. Et ideo ipsa conceptio Christi fuit in instanti, et simul Christus concipiebatur et conceptus erat: licet augmentum corporis eius ad debitam quantitatem non fuerit in instanti. Bene ergo hic dicitur a principio conceptionis corpus Christi fuisse et formatum et animatum.

* Num. 1, *Tertio.*

# CAPITULUM QUADRAGESIMUM QUINTUM

## QUOD CHRISTUM DECUIT NASCI EX VIRGINE.

PER hoc autem patet quod necesse fuit hominem illum ex virgine matre nasci, absque naturali semine.

Semen enim viri requiritur in generatione humana tanquam principium activum, propter virtutem activam quae in ipso est. Sed virtus activa in generatione corporis Christi non potuit esse naturalis, secundum praedicta: quia virtus naturalis non subito perficit totam corporis formationem, sed ad hoc indiget tempore; corpus autem Christi in ipso principio suae conceptionis fuit formatum et organizatum, ut ostensum est *. Relinquitur igitur quod generatio Christi humana fuit absque naturali semine.

* Cap. praec. *Ex hoc etiam.*

Item. Semen maris, in generatione animalis cuiuscumque, trahit ad se materiam quam mater ministrat, quasi virtus quae est in semine maris intendat sui ipsius complementum ut finem totius generationis; unde et, completa generatione, ipsum semen, immutatum et completum, est proles quae nascitur. Sed in generatione humana Christi fuit ultimus generationis terminus unio ad divinam personam, non autem aliqua persona seu hypostasis humana constituenda, ut ex dictis * patet. Non igitur in hac generatione potuit esse activum principium semen viri, sed sola virtus divina: ut sicut semen viri, in generatione communi hominum, in suam subsistentiam trahit materiam a matre ministratam, ita eandem materiam, in generatione Christi, Verbum Dei ad suam unionem assumpsit.

* Cap. praec., *Item, Posito.*

Similiter autem manifestum est quod conveniens erat ut in ipsa generatione humana Verbi Dei, aliqua proprietas spiritualis generationis verbi reluceret. Verbum autem, secundum quod a dicente progreditur, sive interius conceptum sive exterius prolatum, corruptionem dicenti non affert, sed magis perfectionis plenitudo per verbum attenditur in dicente. Conveniens igitur fuit ut sic Verbum Dei secundum humanam generationem conciperetur et nasceretur, ut matris integritas non corrumperetur. – Cum hoc etiam manifestum

1 *Hoc capitulum a praecedenti non dividunt* BFHY; *margo* Y: hic incipit aliud capitulum secundum alios libros. 3 naturali *Ita* EGPc; virili EZsY, materiali *ceteri.* 4 enim] autem DEGX*b*. 21 Sed] Item DGNX; *rasa* pE.

1 ultimus] vel amen EN, ulterius *b*. 3 constituenda] constituta DEGNX*b*. 7 subsistentiam *Ita* DENX; subsistantiam Z, substantiam *ceteri.* 11 Similiter] Simul DGHWX*b*. 14 reluceret] reluctaret EGN, resultaret DX.

est quod Verbum Dei, quo omnia constituta sunt, et quo omnia in sua integritate conservantur, sic nasci decuit ut per omnia matris integritatem servaret. Conveniens igitur fuit hanc generationem fuisse ex virgine.

Neque tamen hic generationis modus verae et naturali humanitati Christi derogat, licet aliter quam alii homines generatus sit. Manifestum est enim, cum virtus divina infinita sit, ut supra * probatum est; et per eam omnes causae virtutem producendi effectum sortiantur*: quod quicumque effectus per quamcunque causam producitur, potest per Deum absque illius causae adminiculo produci eiusdem speciei et naturae. Sicut igitur virtus naturalis quae est in humano semine producit hominem verum, speciem et humanam naturam habentem; ita virtus divina, quae talem virtutem semini dedit, absque huius virtute potest effectus illius virtutis producere, constituendo verum hominem, speciem et naturam humanam habentem.

Si vero aliquis dicat quod, cum homo naturaliter generatus habeat corpus naturaliter constitutum ex semine maris et eo quod femina subministrat, quicquid sit illud, corpus Christi non fuit eiusdem naturae cum nostro, si non est ex maris semine generatum: – ad hoc manifesta responsio est secundum Aristotelis positionem *, dicentis quod semen maris non intrat materialiter in constitutionem concepti, sed est solum activum principium, materia vero corporis tota ministratur a matre. Et sic, quantum ad materiam corpus Christi non differt a corpore nostro: nam etiam corpora nostra materialiter constituta sunt ex eo quod est sumptum ex matre.

Si vero aliquis praedictae positioni Aristotelis repugnet, adhuc praedicta obiectio efficaciam non habet. Similitudo enim aliquorum aut dissimilitudo in materia non attenditur secundum statum materiae in principio generationis, sed secundum conditionem materiae iam praeparatae, prout est in termino generationis. Non enim differt secundum materiam aer ex terra, vel ex aqua generatus: quia licet aqua et terra in principio generationis differentia sint, tamen per actionem generantis ad unam dispositionem reducuntur. Sic igitur divina virtute materia quae solum ex muliere sumitur, potest reduci, in fine generationis, ad eandem dispositionem quam habet materia si sumatur simul ex mare et femina. Unde non erit aliqua dissimilitudo, propter diversitatem materiae, inter corpus Christi, quod divina virtute formatum est ex materia a sola matre assumpta, et corpora nostra, quae virtute naturae formantur ex materia, etiam si ab utroque parente assumantur. Manifestum est enim quod plus differt a materia quae ex viro et muliere simul assumitur, *limus terrae,* de quo Deus primum hominem formavit*, quem utique constat fuisse verum hominem et nobis per omnia similem, quam materia sumpta solum ex femina, ex qua corpus Christi formatum est. Unde nativitas Christi ex virgine nihil derogat veritati humanitatis ipsius, nec similitudini eius ad nos. Licet enim virtus naturalis requirat determinatam materiam ad determinatum effectum ex ea producendum, virtus tamen divina, quae potest ex nihilo cuncta producere, in agendo ad materiam determinatam non coarctatur.

Similiter etiam nec per hoc aliquid deperit dignitati Matris Christi quod virgo concepit et peperit, quin vera et naturalis mater Filii Dei dicatur. Virtute enim divina faciente, materiam naturalem ad generationem corporis Christi ministravit, quod solum ex parte matris requiritur: ea vero quae in aliis matribus ad corruptionem virginitatis faciunt, non ordinantur ad id quod matris est, sed solum ad id quod patris est, ut semen maris ad locum generationis perveniat.

* Lib. I, cap. XLIII; II, XXII
* Lib. III, cap. LXVII sq.
* Gen. II, 7.
* Lib. I de Gen. An., cap. XV (Didot p. 340); cap. XXI; Lib. II cap. IV, p. 354.

9 enim] autem αWYZ*cd*. 11 quod *Ita* W; *om ceteri*. 24 et eo] et ex eo DEHX*b*. 28 responsio] ratio Z.
8 in fine *Ita* DYP*c*; in finem *ceteri*. 18 limus *Ita* DWYZ*b*P*c*; lim̃ BCF, limen N, limum EHsZ, lumen GZ. 28 cuncta *om* DEX.
29 coartatur] subiicitur DG, subortatur E, subvertatur N. 31 quod] quae DEX, quia G. 35 ex parte matris] ex matre DENXsG*b*, a matre G.
37 non ordinantur] ordinantur E, non ordinantur nisi DX; *cf. var. seq.* 38 matris est sed ad id quod *hom om* DEGNX. 39 maris *Ita* DHNWsEF, patris Y, matris *ceteri*.

## Commentaria Ferrariensis

* Cf. cap. XLI Introd.

QUINTUM quod praemittit Sanctus Thomas*, est quod *necesse fuit hominem Christum ex virgine matre, absque naturali semine, nasci.*

Circa hoc autem tria facit: primo, probat quod absque semine naturali fuit Christi generatio; secundo, quod mater Christi fuit virgo *; tertio, removet quaedam dubia **.

* Num. II.
** Num. III.

I. Quantum ad primum, *arguitur primo sic.* Semen viri requiritur in generatione humana tanquam principium activum, propter virtutem activam quae in ipso est. Sed virtus activa in generatione corporis Christi non potuit esse naturalis: quia virtus naturalis non perficit subito totam corporis formationem, sicut fuit in conceptione huiusmodi. Ergo etc.

*Secundo.* In generatione humana Christi ultimus terminus generationis fuit unio ad personam divinam, non autem aliqua hypostasis humana aut persona constituenda. Ergo etc. – Probatur consequentia. Quia semen maris, in generatione animalis, trahit ad se et ad suam substantiam materiam quam mater ministrat, tanquam eius virtus intendat sui ipsius complementum ut finem generationis. Unde et, completa generatione, ipsum semen, immutatum et completum, est proles quae nascitur.

2. Ad evidentiam huius rationis, considerandum est quod, licet opinio Aristotelis in XV et XVI *de Animalibus**, fuerit semen maris non intrare materialiter ad constitutionem concepti, sed esse tantum principium activum; fuerunt tamen alii, ut recitat Sanctus Thomas Tertio, d. III, q. V, a. 1, dicentes quod corpus humanum formatur ex commixtione seminum, scilicet matris et patris, cum sanguine menstruo, et quod semen maris est materia corporis humani, saltem quantum ad aliquam sui partem, ut in secundo libro est ostensum *. Quia vero difficilius est in generatione Christi salvare matris virginitatem si ponatur semen maris materialiter concurrere ad constitutionem concepti, quam si ponatur semen concurrere tantum active; ideo hic, quo ostendat etiam secundum eam opinionem quae maiorem difficultatem facit, salvari posse Matris Dei virginitatem, eam ipsam opinionem sequitur, licet in aliis locis sequatur

* *Alias.* I De An. Gen. II. cc. in textu.
* Cap. LVII, Comm. VI.

opinionem Aristotelis, tanquam fidei conformiorem. Propterea hic dicit quod *semen viri in sui substantiam trahit materiam a matre ministratam;* et quod, *completa generatione, ipsum semen, immutatum et completum, est proles quae nascitur.*

II. Secundo loco, probat quod *conveniens fuit hanc generationem fuisse ex virgine* *. Ubi advertendum quod rationes praecedentes probant necesse esse ut Christi generatio esset absque humano semine; et fuerunt rationes, nonnullis suppositis, necessario concludentes. Sequentes vero ratione ostendunt huius convenientiam, et sunt probabiles.

* Cf. Introd. capitis.

*Arguit primo sic.* Verbum, secundum quod a dicente progreditur, sive interius conceptum sive exterius prolatum, corruptionem dicenti non affert, sed magis perfectionis plenitudo per verbum attenditur in dicente. Ergo etc. – Probatur consequentia. Quia conveniens erat ut in ipsa generatione humana Verbi Dei aliqua proprietas spiritualis verbi reluceret.

*Secundo.* Verbo Dei omnia constituta sunt, et in sua integritate conservantur. Ergo etc.

III. Quantum ad tertium, removentur tres obiectiones *. Posset enim quis, primo, instare sic. Christus aliter generatus est quam alii homines. Ergo in Christo non fuit vera et naturalis humanitas.

* Cf. introd. cap.: et infra num. IV, V.

Respondet Sanctus Thomas quod, sicut virtus quae est in semine, producit hominem verum, speciem et naturam humanam habentem; ita et virtus divina, quae talem virtutem semini dedit, absque huiusmodi virtute potest effectus illius virtutis producere: quia, cum sit infinita, et per eam omnes causae virtutem producendi suum effectum sortiantur, quicumque effectus per quamcumque causam producitur, potest per Deum absque adminiculo illius causae produci eiusdem speciei et naturae.

IV. Posset, secundo*, aliquis arguere: – Homo naturaliter generatus habet corpus naturaliter constitutum ex semine maris et eo quod femina subministrat. Hoc autem non convenit corpori Christi, si non est ex semine maris generatum. Ergo etc.

* Cf. num. III. init.

Respondet Sanctus Thomas, et dicit primo, quod secundum Aristotelis positionem, assumptum est falsum. Semen enim maris non intrat materialiter in constitutionem concepti, sed est solum activum principium.

2. Dicit secundo quod, etiam si positioni Aristotelis repugnetur, consequentia nulla est. Quia similitudo aut dissimilitudo aliquorum in materia non attenditur secundum statum materiae in principio generationis, sed secundum conditionem ipsius iam in termino generationis praeparatae: ut patet in igne generato ex terra et ex aqua. Unde, quia materia quae ex sola muliere sumitur, divina virtute potest reduci, in fine generationis, ad eandem dispositionem quam habet materia si sumatur simul ex mare et femina, ideo non erit aliqua dissimilitudo propter diversitatem materiae inter corpus Christi et corpora nostra. Quod etiam ostenditur in primo homine, qui fuit verus homo et per omnia nobis similis, et tamen limus terrae, de quo fuit a Deo formatus, plus distat a materia quae ex viro et muliere simul assumitur, quam materia sumpta solum ex femina, ex qua corpus Christi formatum est.

3. Dicit tertio quod, licet virtus naturalis requirat determinatam materiam ad determinatum effectum ex ea producendum, virtus tamen divina ad determinatam materiam non coarctatur.

Adverte quod hoc ultimum dictum addit Sanctus Thomas quia posset aliquis dicere quod, licet dissimilitudo aut similitudo aliquorum in materia attendatur secundum conditionem materiae praeparatae in fine generationis, diversae tamen res diversas materias praeparandas requirunt in principio generationis; et res eiusdem speciei eandem materiam requirunt ex qua generentur; non enim ex sanguine mulieris generatur equus, sed tantum ex sanguine equae. Et ita, si materia corporis Christi in principio generationis fuit sanguis tantum Beatae Virginis; aliorum autem hominum est sanguis mulieris simul cum semine viri: videtur quod Christus non sit cum aliis hominibus eiusdem naturae. – Sed hoc ex eo quod dicit Sanctus Thomas excluditur. Illa enim propositio, *Res eiusdem naturae requirunt eandem materiam ex qua generentur, et diversae res diversas materias requirunt,* habet veritatem tantum quando ab agente naturali, et praesertim univoco, producuntur: non autem quando unum producitur ab agente naturali, alterum vero ab agente supernaturali, ut est in proposito.

V. Tertio*, posset aliquis obiicere quod saltem videtur derogare dignitati Matris Christi, si virgo concepit et peperit: quia non dicetur vera et naturalis mater Filii Dei.

* Cf. num. III, init.

Respondet Sanctus Thomas quod hoc nihil obstat quin dicatur vera et naturalis mater Filii Dei. Quia, virtute divina faciente, idest se habente loco agentis, materiam naturalem ad generationem corporis Christi ministravit, quod solum ex parte matris requiritur. Ea vero quae in aliis matribus ad corruptionem virginitatis faciunt, ordinantur solum ad id quod patris est, ut scilitet semen maris ad locum generationis perveniat.

2. Ad evidentiam huius ultimi dicti, considerandum est quod ex alio fundamento verificatur Beatam Virginem esse *Matrem Christi hominis*; ex alio ipsam esse *Matrem Filii Dei*; et ex alio ipsam esse *Matrem Dei;* licet quandam inter se hae ipsae propositiones habeant connexionem. Fundamentum enim proximum primae est, quia Beata Virgo egit in conceptione corporis Christi quicquid aliae matres in conceptione aliorum hominum agunt. – Fundamentum vero secundae est, quia Filius Dei univit sibi in unitatem personae humanam naturam, propter quod ista est vera, *Filius Dei est homo.* Ex hoc enim sequitur, cum homo sit conceptus et natus temporaliter ex Beata Virgine, quod et Filius Dei est temporaliter ex Beata Virgine conceptus et natus. Ex quo sequitur Beatam Virginem esse Matrem Filii Dei. – Fundamentum autem tertiae est, quia idem suppositum subsistit in humana natura et divina, propter quod est verum dicere quod est homo et Deus. Ex quo sequitur istam esse veram, *Deus est homo.* Et ulterius sequitur quod, sicut verum est dicere Beatam Virginem esse matrem hominis, ita verum est dicere ipsam esse *Matrem Dei.*

3. Considerandum secundo, ex doctrina Sancti Thomae Tertio, d. III, q. II, a. 1, ut etiam superius * adduximus, quod, cum in conceptione triplex actio concurrat, scilicet praeparatio et dispositio sanguinis mulieris ad hoc ut sit aptus generationi; formatio et organizatio corporis; et confortatio quaedam prolis conceptae: ad primam et tertiam mater se habet active; ad secundam autem se habet mere passive, inquantum videlicet ex sanguine ab ipsa praeparato formatur et organizatur corpus virtute seminis paterni. Quod ergo inquit Sanctus Thomas, ex parte matris solum requiri ut materiam naturalem ad generationem corporis ministret, intelligitur quantum ad ipsam formationem et organizationem corporis, in qua ratio conceptionis consistit, ut superius * de mente Sancti Thomae dicebatur: nam prima dictarum actionum conceptionem antecedit, tertia vero ipsam sequitur.

* Cap. praec., Comm. num. III.

* l. c.

VI. Sed contra praedicta arguitur: quod, inquam, ista non sit propria, *Beata Virgo est Mater Dei.* Ista enim, *Deus est homo,* non est omnino propria, nec in primo modo dicendi *per se* *. Ergo nec ista, *Beata Virgo est Mater Dei.*

* Cf. I *Poster. Analyt.*, IV; S. Th. lect. 10.

Patet consequentia. Quia non est verum Beatam Virginem esse matrem Dei, nisi quia verum est Deum esse hominem, et e converso hominem esse Deum.

2. Assumptum vero probatur, quantum quidem ad primam partem, a Durando *, primo, quia ista, *Petrus est homo,* est magis propria: nam est maior identitas subiecti et praedicati, eo quod sit identitas per se. – Item. Petrus, manens Petrus, non potest non esse homo. Quod praedictae propositioni non convenit. – Item. Suppositum Petri costituitur per illam naturam quae importatur nomine *hominis.* Suppositum autem Dei non constituitur formaliter per naturam nomine *hominis* importatam.

* Apud Capreolum, III *Sent.*, d. IV, a. 2, p. 44.

Secundo*, quia de quocumque *homo* praedicatur omnino proprie, praedicatur *in quid.* De Deo autem *in quid* non praedicatur: cum non proprie respondeatur ad interrogationem factam, *per quid?* de Deo.

* Cf. num. IX.

3. Quantum vero ad secundam partem, arguit Scotus, in Tertio, d. IV*. Tum quia praedicatum est extra rationem subiecti.

* Apud Capreolum loc. cit., p. 45.

[Tum] quia ista non est proprie per se, *Christus est homo:* cum subiectum non sit per se unum.

VII. Pro horum solutione, considerandum primo, quod proprietas et perseitas propositionis considerata sunt ab Aristotele et aliis logicis secundum exigentiam eorum quae in creaturis inveniuntur, in quibus non invenitur unum suppositum in duabus naturis subsistere, sed diversae naturae in diversis suppositis inveniuntur. Et ideo de ipsis locuti sunt ut convenit creaturis. Per Incarnationem autem factum est ut unum suppositum in duabus naturis subsistat. Ideo particulari quodam modo loquendum est de proprietate et perseitate illarum propositionum in quibus nomen importans suppositum ut subsistit in una natura, praedicatur de seipso ut subsistit in alia natura: ut sicut particulare est in Christo, et supra id quod philosophi cognoverunt, quod unum suppositum in duabus naturis subsistit, ita particularis quidam modus proprietatis et perseitatis propositionum attendatur, supra modos a philosophis et logicis traditos.

2. Considerandum secundo, quod propositio aliqua dicitur *propria,* quando praedicatum verificatur de subiecto acceptis terminis secundum proprium eorum significatum pro quo nati sunt supponere, et secundum proprium significandi modum. Dicitur autem *per se in primo modo perseitatis,* quando praedicatum dicit naturam et essentiam subiecti. Diversimode autem hoc invenitur ubi secundum naturarum diversitatem est etiam suppositorum diversitas, uniusque suppositi una dumtaxat est natura: et ubi unum suppositum in duabus naturis subsistit. Hoc quidem est universaliter verum, quod nomen significans naturam communem in concreto potest supponere pro quolibet contentorum sub natura communi; et quod de quolibet supposito alicuius naturae potest vere et proprie praedicari nomen illam naturam in concreto significans. Sed ubi unum suppositum in una tantum natura subsistit, proprietas propositionis in qua nomen naturae de nomine importante suppositum praedicatur, exigit ut praedicatum de subiecto verificetur et ratione suppositi pro quo supponit, et ratione naturae quam formaliter significat, quia non est alia natura significata per subiectum quam natura significata per praedicatum: licet in rebus materialibus natura individuata aliquo modo a natura speciei distinguatur. Unde ista, *Petrus est homo,* est propria: ista vero, *album est homo,* non est omnino propria, licet *homo* verificetur de eo quod substat albedini, quod est suppositum hominis, quia non verificatur de ipso ratione formalis significati huius termini *album.* Ubi vero unum suppositum in duabus naturis subsistit, proprietas locutionis non exigit ut praedicatum verificetur de subiecto ratione formae significatae per subiectum, sed sufficit quod ratione suppositi per nomen importati verificetur: cum non oporteat naturam importatam per nomen subiecti esse eandem cum natura importata per nomen praedicati. Et tamen vere et proprie nomen significans naturam alicuius suppositi, verificetur de nomine illud suppositum importante.

Similiter est universaliter verum quod in propositione primi modi perseitatis, praedicatum significat naturam et essentiam subiecti. Sed ubi unius suppositi est una tantum natura, necesse est ut praedicatum ita significet essentiam subiecti quod sit de ratione naturae importatae per ipsum: cum una et eadem natura in concreto significetur per subiectum et praedicatum, sicut in ista, *Petrus est homo.* Ubi autem est unum suppositum duarum naturarum, hoc non exigitur: quia non est necesse eandem naturam significari per subiectum et praedicatum ad hoc quod propositio sit vera, sed sufficit ut suppositum importatum per nomen subiecti subsistat in natura importata per praedicatum, et unum atque idem esse cum ipsa habeat.

3. Si ergo de proprietate et perseitate propositionis loquamur secundum exigentiam suppositi creati in una tantum natura subsistentis, conceditur utique quod ista propositio, *Deus est homo,* non est omnino propria, nec per se in primo modo perseitatis; nec est ita propria et per se sicut ista, *Petrus est homo;* ut videtur esse de mente Sancti Thomae Tertia, q. XVI, a. 1, et III *Sent.,* d. VII, q. I, a. 1. Sed si loquamur de proprietate et perseitate propositionis secundum exigentiam suppositi in duabus naturis subsistentis, sic est omnino propria, et per se in primo modo. Unde ignorantia huius distinctionis errare fecit arguentes contra Sanctum Thomam. Arguunt enim ac si diceremus praedictam propositionem esse propriam et per se prout proprietas et perseitas propositionis accipitur secundum exigentiam suppositi in una tantum natura subsistentis. A quo sensu longe distamus: cum, secundum Catholicam fidem, ponatur per incarnationem Filii Dei unam personam in duabus naturis subsistere, scilicet in divina et in humana.

4. Si autem adducatur dictum Sancti Thomae Tertio, d. XI, a. 4, ad 6, dicentis quod *haec propositio non est per se, « Deus est passus », quia ad hoc quod propositio sit per se, requiritur quod praedicatum conveniat subiecto ratione formae per subiectum importatae:* – respondetur, ut constare potest ex determinatione in illo articulo facta, quod loquitur Sanctus Thomas de propositionibus in quibus praedicantur ea quae naturam secundum rem consequuntur, de nomine importante suppositum naturae. In talibus enim oportet ut praedicatum conveniat subiecto ratione formae importatae per subiectum, si debeat esse propositio per se: quia, cum praedicatum non sit essentia et natura suppositi importati per nomen subiecti, non apparet unde possit dici propositio per se, nisi quia praedicatum convenit subiecto ratione suae formae. Nos autem locuti sumus de propositione in qua ipsa natura in qua subsistit suppositum per nomen subiecti importatum, praedicatur.

VIII. Ad dubium* ergo, negatur assumptum. Ad primam vero probationem primae partis, dicitur primo, quod ista, *Deus est homo,* ita est propria secundum exigentiam unius suppositi in duabus naturis, sicut ista, *Petrus est homo,* est propria secundum exigentiam unius suppositi in una dumtaxat natura.

* Cf. n. VI, init.

Dicitur secundo, quod tanta est identitas subiecti et praedicati in una quanta est in alia, in sensu in quo unaquaeque est vera, et secundum materiae exigentiam. Cum enim dicitur, *Deus est homo,* praedicatum verificatur de subiecto ratione suppositi tantum pro quo supponit, non autem ratione naturae importatae per subiectum. Ideo praedicatum et subiectum sunt idem ratione suppositi tantum, inquantum pro eodem supposito supponit tam subiectum quam praedicatum. Cum autem dicitur, *Petrus est homo,* praedicatum verificatur de subiecto et ratione suppositi, et ratione naturae significatae: ideo est etiam identitas inter subiectum et praedicatum ratione utriusque.

Dicitur tertio, quod *Petrum non posse esse Petrum nisi sit homo, Deum autem posse esse Deum etiam si non sit homo;* item, *Suppositum Petri constitui per naturam nomine hominis importatam, non autem suppositum Dei;* non arguit maiorem perseitatem aut proprietatem propositionis, sed arguit alium esse modum proprietatis et perseitatis in una et alium in alia, propter aliam et aliam conditionem materiae propositionum. Quia enim Petrus non potest esse Petrus nisi sit homo, et per humanam naturam constituitur, ideo propositio ipsa est vera et propria, ac etiam per se, non tantum ratione suppositi, sed etiam ratione formae importatae per subiectum. Quia autem, absolute loquendo, Deus potest esse Deus dato quod non sit homo, et suppositum divinum non constituitur per humanam naturam, sed magis ipsam trahit ad participationem sui esse, ideo propositio dicta est vera et propria ac per se ratione eius pro quo supponit subiectum, non autem ratione formae per subiectum importatae.

2. Si autem quaeratur utrum ista propositio, *Deus est homo,* sit necessaria, an contingens: – dicitur quod, absolute loquendo, est contingens: quia Deus non univit sibi necessario absolute humanam naturam, sed contingenter; sive, ut rectius loquamur, libere. Stante autem incarnatione, est necessaria, nec potest esse falsa: non enim Deus, manens Deus, potest non esse homo stante incarnatione. Unde Sanctus Thomas, in locis praeallegatis*, dicit hanc proposi-

* Sc. Tertia, q. XVI, a. 1; et III *Sent.,* d. VII, q. I, a. 1.

tionem esse *in materia naturali, non autem in materia remota aut contingenti:* quia nec humana natura nec divina uniuntur supposito in utraque natura subsistenti per accidens, sed per se; non enim humana natura est unita Verbo accidentaliter, sed essentialiter, ut superius * est ostensum, inquantum sic eam sibi univit ut in ipsa subsisteret, et ipsa haberet esse divinae personae; licet aliquem modum accidentalitatis habeat.

* Cap. XLI.

* Cf. num. VI, *Secundo.*

IX. Ad secundam probationem * dicitur quod praedicatum dictae propositionis praedicatur *in quid* de Deo, eo modo quo propositio est vera: ratione scilicet suppositi importati per nomen subiecti. Nec oportet ut eadem essentia importetur per subiectum et praedicatum, ut superius * est ostensum, sed sufficit ut idem importetur suppositum. Sicut enim ista est vera, *Deus est homo,* inquantum hoc nomen *Deus* supponit pro persona Filii; ita de hoc subiecto praedicatur *in quid* hoc nomen *homo,* quia, sicut vere et per se dicitur quod *Filius Dei est homo,* ita, si quaeratur *Quid est Filius Dei?* convenienter respondetur, *Est homo,* et etiam convenienter, *Est Deus,* eo quod in utraque natura subsistat: – stante, inquam, incarnatione.

* Num. VII.

X. Ad primam probationem secundae partis *, quae est Scoti, patet ex dictis quod ad propositionem per se primo modo in hac materia, non requiritur ut praedicatum sit de ratione subiecti absolute; sed sufficit ut dicat essentiam et naturam suppositi importati per subiectum, tanquam habentis esse subsistens in ipsa, et sit de ratione ipsius inquantum est eius suppositum.

* Cf. num. VI, 3.

2. Ad secundam probationem dicitur primo quod, dato etiam quod subiectum non esset per se unum, adhuc propositio posset esse per se, sicut et ista, *Homo albus est animal:* ut dicitur Tertio, d. X, q. I, a. 2*.

* Qu* 3.

Dicitur secundo, quod *Christus* dicit quid per se unum: inquantum plures naturae importatae hoc nomine *Christus,* non sunt unitae per accidens in uno supposito, sed per se, utpote habentes unum esse, quod est esse divinum.

# CAPITULUM QUADRAGESIMUM SEXTUM

## QUOD CHRISTUS NATUS EST DE SPIRITU SANCTO.

QUAMVIS autem omnis divina operatio qua aliquid in creaturis agitur, sit toti Trinitati communis, ut ex supra habitis ostensum est*, formatio tamen corporis Christi, quae divina virtute perfecta est, convenienter Spiritui Sancto attribuitur, licet sit toti Trinitati communis.

* Cap. XXI.

Hoc enim congruere videtur incarnationi Verbi. Nam sicut verbum nostrum in mente conceptum invisibile est, exterius autem voce prolatum sensibile fit; ita Verbum Dei secundum generationem aeternam in corde Patris invisibiliter existit, per incarnationem autem nobis sensibile factum est. Unde Verbi Dei incarnatio est sicut vocalis verbi nostri expressio. Expressio autem vocalis verbi nostri fit per spiritum nostrum, per quem vox verbi nostri formatur. Convenienter igitur et per Spiritum Filii Dei eius carnis formatio dicitur facta.

Convenit etiam hoc et generationi humanae. Virtus enim activa quae est in semine humano, ad se trahens materiam quae fluit a matre, per spiritum operatur: fundatur enim huiusmodi virtus in spiritu, propter cuius continentiam semen spumosum oportet esse et album *. Verbum igitur Dei, sibi carnem assumens ex virgine, convenienter hoc per Spiritum suum dicitur carnem assumendo formare.

* II *de Gen. An.*, cap. II (Didot. p. 350).

Convenit etiam hoc ad insinuandam causam ad incarnationem Verbi moventem. Quae quidem nulla alia esse potuit nisi immensus amor Dei ad hominem, cuius naturam sibi voluit in unitate personae copulare. In divinis autem Spiritus Sanctus est qui procedit ut amor, ut supra* dictum est. Conveniens igitur fuit ut incarnationis opus Spiritui Sancto attribuatur.

* Cap. XIX.

Solet etiam in Sacra Scriptura omnis gratia Spiritui Sancto attribui, quia quod gratis datur, ex amore donantis videtur esse collatum. Nulla autem maior est gratia homini collata quam quod Deo in persona uniretur. Convenienter igitur hoc opus Spiritui Sancto appropriatur.

3 habitis, dictis CDEX. 8 Verbi] Dei addunt DEXsG*b*. 9 nostrum] manifestum E*b*, interius GX *et supra ras.* N, naturale interius $\overline{D}$. 20 etiam hoc et] enim etiam hoc et BCFWY, enim hoc et H, etiam et hoc E, etiam hoc D.
1 fluit *Ita* DWY; fuit H, sit Z, fuerit *ceteri.* 4 igitur] autem DEGNX*b*. 6 suum] Sanctum WZsGP*c*. dicitur *Ita* DEGNX; debet *ceteri.* 10 immensus *om* Pc. 19 autem] igitur DEGX, autem *supra ras.* N.

### Commentaria Ferrariensis

* Cf. cap. XLI, Introd.

SEXTUM quod praemittit Sanctus Thomas *, est quod *formatio corporis Christi, licet toti Trinitati sit communis, convenienter tamen Spiritui Sancto attribuitur.*

I. *Probatur primo* ex congruentia ad Verbi incarnationem. Verbi Dei incarnatio est sicut vocalis verbi nostri expressio. Sed haec fit per spiritum nostrum, per quem vox verbi nostri formatur. Ergo et per Spiritum Filii Dei convenienter eius carnis formatio dicitur facta.

Probatur maior. Quia sicut verbum nostrum in mente conceptum invisibile est, exterius autem voce prolatum sensibile fit: ita Verbum Dei secundum generationem aeternam in corde Patris invisibiliter existit, per incarnationem autem nobis sensibile factum est.

*Secundo probatur* ex convenientia ad generationem humanam. Virtus activa quae est in semine humano, ad se trahens materiam quae fuerit* a matre, per spiritum operatur, quia in spiritu fundatur: propter cuius continentiam semen spumosum oportet esse et album. Ergo etc.

* Cf. textum et var.

De materia huius rationis satis in praecedentibus est dictum: scilicet in hoc libro, cap. XLV, et libro II, cap. LVII et LXXXIX.

*Tertio probatur* ex convenientia ad causam moventem ex parte Dei. Causa movens ad incarnationem Verbi nulla alia esse potuit nisi amor Dei ad hominem, cuius naturam sibi voluit in unitatem personae copulare. Sed in divinis Spiritus Sanctus est qui procedit ut amor. Ergo etc.

*Quarto probatur* ex causa se tenente ex parte humanae naturae. Solet in Sacra Scriptura omnis gratia Spiritui Sancto attribui: quod enim gratis datur, ex amore donantis videtur esse collatum. Nulla autem maior est gratia homini collata quam quod Deo in persona uniretur. Ergo etc.

II. Ad evidentiam huius conclusionis, considerandum est, ex doctrina Sancti Thomae Tertio, d. IV, q. 1, a. 1*; et est de mente Dionysii, II cap.* *Div. Nom.*, quod *omnis operatio Dei in creaturam convenit quidem toti Trinitati, sed tamen unaquaeque magis huic personae quam illi est appropriabilis, secundum quod in ea magis manifestatur attributum quod illi personae appropriatur.* Unde, cum bonitas Spiritui Sancto approprietur, illa opera in quibus praecipue divina bonitas manifestatur, convenienter Spiritui Sancto attribuuntur. De horum autem numero est assumptio humanae naturae in unitatem divinae personae: cum hoc sit supra omne debitum et conditionem naturae humanae. Propterea bene dictum est in conclusione quod, licet formatio corporis Christi toti Trinitati sit communis, convenienter tamen Spiritui Sancto attribuitur.

Advertendum quoque quod idcirco de sola formatione corporis Christi facit Sanctus Thomas mentionem, quia, ut dicitur Tertia, q. XXXII, a. 1*, opus conceptionis, quod est commune tribus personis efficienter, secundum aliquem particularem modum singulis personis attribuitur. Nam Patri attribuitur quantum ad auctoritatem quam habet respectu Filii, qui per huiusmodi conceptionem sibi humanam naturam assumpsit; Filio autem attribuitur quantum ad ipsam carnis assumptionem; sed Spiritui Sancto quantum ad ipsam corporis assumpti formationem.

* Qu^a 1. * S. Th. I. III. * Ad 1.

# CAPITULUM QUADRAGESIMUM SEPTIMUM

## QUOD CHRISTUS NON FUIT FILIUS SPIRITUS SANCTI SECUNDUM CARNEM.

QUAMVIS autem Christus de Spiritu Sancto et Virgine conceptus dicatur, non potest tamen dici Spiritus Sanctus pater Christi secundum generationem humanam, sicut Virgo dicitur mater eius.

Spiritus enim Sanctus non produxit humanam naturam in Christo ex sua substantia, sed sola sua virtute operatus est ad eius productionem. Non ergo potest dici Spiritus Sanctus pater Christi secundum humanam generationem.

Esset etiam inductivum erroris si Christus Spiritus Sancti filius diceretur. Manifestum est enim quod Verbum Dei secundum hoc habet personam distinctam quod est Filius Dei Patris. Si igitur secundum humanam naturam Spiritus Sancti filius diceretur, daretur intelligi quod Christus esset duo filii: nam Verbum Dei Spiritus Sancti filius esse non potest. Et sic, cum *filiationis* nomen ad personam pertineat, non ad naturam, sequeretur quod in Christo essent duae personae. Quod est a fide Catholica alienum *.

Inconveniens etiam esset ut auctoritas Patris et nomen ad personam aliam transferretur. Quod contingit si Spiritus Sanctus pater Christi diceretur.

* Cap. XXXIV.

6 enim *Ita* ZP; autem αWY; *ceteri legunt:* Produxit autem Spiritus Sanctus non humanam *etc.* 11 etiam] autem DEGNX*b*. erroris] mentionis BHWY, in errorem CFP*c*, *om* Z, mentionis vel erroris sZ; *margo* Y: credo loco mentionis velit esse confusionis. 10 etiam *Ita nos soli;* autem DEGNX*b*, enim *ceteri.* 12 contingit] contingeret DYP.

### Commentaria Ferrariensis

SEPTIMUM quod praemittit Sanctus Thomas*, est quod, *quamvis Christus de Spiritu Sancto et Virgine conceptus dicatur, non potest tamen Spiritus Sanctus dici pater Christi secundum generationem humanam, sicut Virgo dicitur mater eius.*

* Cf. cap. XLI. Introd.

I. *Probatur primo.* Quia Spiritus Sanctus non produxit humanam naturam in Christo ex sua substantia, sed sola virtute operatus est ad eius productionem.

Advertendum quod haec ratio procedit ex hoc supposito, quod filius generatur de substantia generantis, idest ex semine, *quod habet virtutem ex forma generantis, et est in potentia ad substantiam sive naturam ipsius,* ut exponit Sanctus Thomas Prima, q. CXIX, a. ult., ad 1. – Quamvis etiam hoc possit intelligi quia semen patris, quod est substantia eius, non quidem sicut actu pars, sed sicut in proxima dispositione ad hoc ut sit pars eius, transit in substantiam filii, secundum aliquorum opinionem.

*Secundo.* Quia esset hoc inductivum in errorem hunc, quod Christus esset duo filii, et consequenter quod in Christo essent duae personae: cum *filiationis* nomen ad personam pertineat, non ad naturam. – Probatur prima sequela. Quia Verbum Dei secundum hoc habet personam distinctam, quod est Filius Dei Patris, et ipsum Spiritus Sancti filius esse non potest.

*Tertio.* Quia auctoritas Patris in divinis et nomen ad personam aliam transferretur, scilicet ad Spiritum Sanctum. Quod est inconveniens.

II. Advertendum quod non solum non est absolute verum Spiritum Sanctum esse patrem Christi, propter rationes supra dictas: sed nec etiam cum hac additione, *inquantum homo.* Quod significavit Sanctus Thomas cum dixit ipsum non esse patrem Christi *secundum generationem humanam.*

Sed tunc resultat dubium, praecipue contra secundam rationem. Si enim, quia Verbum Dei non potest esse filius Spiritus Sancti, sequitur quod Christus sit duo filii, posito quod dicatur filius Spiritus Sancti secundum humanam naturam, eadem ratione poterit concludi quod non sit filius Beatae Virginis. Quia, cum Verbum Dei non possit esse filius Beatae Virginis, sequitur, si Christus sit eius filius secundum humanam naturam, quod Christus sit duo filii.

2. Respondetur, et dicitur primo, quod non est eadem ratio de Spiritu Sancto et de Beata Virgine. Quia unum filium esse a duobus patribus est impossibile: et ideo ubi ponatur Christum habere pro patre personam Patris in divinis, et personam Spiritus Sancti secundum humanam naturam, statim sequitur ipsum esse duos filios. Unum autem filium esse duorum quorum unum sit pater et alterum sit mater, non inconvenit. Ideo, si ponatur Christum esse Filium Dei Patris et Beatae Virginis, non sequitur quod sit duo filii.

Cum autem dicitur quod nec etiam Beatae Virginis Verbum Dei filius esse potest: dicitur quod hoc non est verum. Quia ad hoc quod aliquis sit filius alicuius tanquam matris, sufficit ut illa materiam in conceptione ministret,

et sit eiusdem speciei secum. Hoc autem egit Beata Virgo in conceptione humana Verbi Dei, et est eiusdem speciei cum ipso inquantum est homo. Ideo potest Verbum Dei dici eius filius secundum conceptionem humanam. Ad hoc autem ut quis dicatur filius alicuius tanquam patris, requiritur ut ab ipso esse accipiat: ut dicitur Tertio, d. IV, q. I, a. 2*. Verbum autem Dei, etiam secundum generationem humanam, non habet esse ab alia persona divina quam a Patre: quia non habet aliud esse quam esse divinum. Ideo nullo modo potest dici filius Spiritus Sancti.

* Qu^a 1.

3. Dici secundo potest quod illam rationem non inducit Sanctus Thomas ad ostendendum simpliciter falsum esse quod Spiritus Sanctus sit pater Christi: sed, cum hoc probatum sit per primam rationem, ostendit hoc, etiam si esset verum, non esse dicendum, propter periculum et occasionem erroris. Quia licet posset aliquis dicere non esse inconveniens ut Christus, unus existens secundum suppositum, sit filius Dei Patris secundum deitatem, Spiritus Sancti autem secundum humanitatem; multi tamen, considerantes filii nomen ad personam pertinere, et Verbum Dei non esse filium Spiritus Sancti secundum divinitatem; si Christus ponatur filius Spiritus Sancti, faciliter in hunc errorem labi possent, quod in Christo, praeter personam Verbi, esset alia persona humana, secundum quam diceretur Spiritus Sancti filius. Hoc autem non ita facile existimari potest si ponatur Christus filius Beatae Virginis: quia, ut dictum est, non apparet inconveniens ut is qui est Filius Patris aeterni, sit etiam filius Beatae Virginis per assumptionem humanitatis ex ea.

4. Attendendum autem quod non solum Christus non potest dici filius naturalis Spiritus Sancti: sed nec etiam filius eius per gratiam aut per creationem dici potest. Ratio huius est, secundum Sanctum Thomam, Tertia, q. XXXII, a. 3; et Tertio, dist. praeallegata*, quia *quando aliquid dicitur de altero secundum perfectam rationem, nullo modo dicitur de ipso secundum rationem imperfectam, aut cum determinatione diminuente: sicut Sortes, qui naturaliter et perfecte dicitur homo, secundum propriam hominis rationem, nunquam dicitur homo pictus.* Unde, cum Christus dicatur naturalis Filius Dei et secundum perfectam rationem filiationis, non poterit dici filius Dei per gratiam aut per creationem.

* Q. 1, ar. 2, qu^a 1, fin.

# CAPITULUM QUADRAGESIMUM OCTAVUM

## QUOD NON SIT DICENDUM CHRISTUM ESSE CREATURAM.

ULTERIUS etiam manifestum est quod, quamvis humana natura a Verbo assumpta sit aliqua creatura, non tamen potest simpliciter enuntiari Christum esse creaturam.

Creari enim est *fieri* quoddam. Cum autem fieri terminetur ad esse simpliciter, eius est fieri quod habet esse subsistens: et huiusmodi est individuum completum in genere substantiae, quod quidem in natura intellectuali dicitur persona aut etiam hypostasis. Formae vero et accidentia, et etiam partes, non dicuntur fieri nisi secundum quid, cum et esse non habeant in se subsistens, sed subsistant in alio: unde, cum aliquis fit albus, non dicitur fieri simpliciter, sed secundum quid. In Christo autem non est alia hypostasis vel persona nisi Verbi Dei, quae est increata, ut ex praemissis* manifestum est. Non igitur simpliciter potest enuntiari quod *Christus sit creatura:* licet cum additione possit hoc dici, ut dicatur creatura *secundum quod homo,* vel, *secundum humanam naturam.*

* Cap. XXXVIII.

Licet autem de subiecto quod est individuum in genere substantiae, non simpliciter dicatur fieri quod est proprium eius propter accidentia vel partes, sed solum secundum quid; tamen simpliciter praedicantur de subiecto quaecumque consequuntur naturaliter ad accidentia vel ad partes secundum propriam rationem; dicitur enim simpliciter homo esse *videns,* quia hoc consequitur ad oculum; et *crispus,* propter capillos; et *visibilis,* propter colorem. Sic igitur et ea quae consequuntur proprie ad humanam naturam, simpliciter possunt enuntiari de Christo: sicut quod est *homo,* quod est *visibilis,* quod *ambulavit,* et omnia huiusmodi. Quod autem est personae proprium, de Christo non enuntiatur ratione humanae naturae nisi cum aliqua additione, vel expressa vel subintellecta.

13 cum et esse . . . unde cum] cum EG, unde cum D. 16 In Christo] hoc αWYZ. 20 licet . . . creatura *hom om* DEGNX*b*, nisi sE. possit hoc] potest hoc DCFWc, hoc possit Z.
4 dicatur *post* fieri DEGNX*b*. 7 praedicantur] praedicatur CDFWY; *pro* quaecumque, secundum quaecunque BF, quodcunque (sequitur) W. 16 omnia] alia Z. autem] vero CFHXYZ, non B. 18 vel *pr. loco om* XPc; *pro* subintellecta, tacita G.

### Commentaria Ferrariensis

* Cf. cap. XII, Introd.

ULTIMUM quod praemittit Sanctus Thomas* est quod, *quamvis humana natura a Verbo assumpta sit aliqua creatura, non tamen potest simpliciter enuntiari Christum creaturam esse: licet possit dici cum hac additione, « secundum quod homo », vel, « secundum humanam naturam ».*

I. Probatur prima pars sic. Creari, in natura rationali, est hypostasis vel personae. Sed in Christo non est persona vel hypostasis creata. Ergo etc.

Probatur maior. Creari est eius quod habet esse subsistens: cum creari sit fieri, fieri autem terminetur ad esse simpliciter, quod est rei subsistentis, non autem formae vel partis, nisi secundum quid. Sed huiusmodi est individuum completum in genere substantiae: quod in natura rationali est hypostasis vel persona. Ergo etc.

Minor vero probatur, quia in Christo non est alia hypostasis vel persona quam Verbi Dei, quae est increata.

2. Pro declaratione vero secundae partis conclusionis, notat Sanctus Thomas quod, licet propter partes et accidentia de subiecto quod est individuum de genere substantiae non dicatur fieri simpliciter quod est proprium eius, sed solum secundum quid; quaecumque tamen consequuntur naturaliter ad accidentia vel ad partes secundum propriam rationem, simpliciter de subiecto praedicantur;

ut *videns* de homine ratione oculi, et huiusmodi. Et sic ea quae consequuntur proprie ad humanam naturam, simpliciter possunt enuntiari de Christo, ut quod est *homo,* quod est *visibilis,* etc. Quod autem est personae proprium, de Christo non enuntiatur ratione humanae naturae nisi cum aliqua additione expressa vel subintellecta.

II. Pro declaratione eius quod dicitur, *fieri terminari ad esse simpliciter,* advertendum quod loquitur Sanctus Thomas de *fieri simpliciter et absolute,* scilicet absque aliqua additione, ut cum dicitur absolute, *hoc fit:* non autem de *fieri hoc,* ut cum dicitur, *homo fit albus,* quod est fieri secundum quid.

Sed occurrit dubium. Videtur enim esse contradictio in verbis Sancti Thomae. Nam inquit quod fieri est proprium individui de genere substantiae et hypostasis, ex quo vult habere quod creari sit proprium individui et hypostasis; et quod humanae naturae in Christo non convenit fieri neque creari; et consequenter quod Christus non potest dici creatura. Et tamen ponit humanam naturam assumptam a Verbo esse aliquam creaturam; et Christum dici posse creaturam cum hac additione, *secundum quod homo,* sive *secundum humanam naturam.* Et sic videtur dicere contradictoria: scilicet quod humana natura in Christo sit creatura; et quod non sit creatura.

Respondetur quod nulla est contradictio. Quia cum dicitur fieri et creari esse proprium hypostasis vel personae, non accipitur *proprium* pro eo quod alicui soli convenit, sed pro eo quod convenit alicui *primo et per se.* Fieri enim et creari primo et per se convenit individuo completo et subsistenti, sicut et esse: quia ipsum est quod *est* proprie. Secundario tamen convenit etiam naturae et parti. Unde humana natura in Christo dicitur quidem creatura secundario, inquantum habet esse suo modo post non esse. Non autem dicitur creatura primo et per se, sicut res per se subsistens: cum non habeat esse nisi in supposito divino. Et quia aliquo modo est creatura, ideo convenienter potest dici quod *Christus, secundum quod homo, est creatura:* quia, cum omnes conditiones humanae naturae sive primo sive secundario sibi conveniant, possunt de Christo praedicari cum hac additione, *secundum quod homo.*

III. Ad evidentiam declarationis secundae partis conclusionis*, considerandum est, ut ostenditur Tertio, d. XI**, quod intentio Sancti Thomae est quaedam partibus sic convenire quod non sunt nata convenire supposito et toti, sicut crispitudo convenit capillis: et haec dicit Sanctus Thomas hoc loco *naturaliter consequi ad partes secundum propriam rationem.* Quaedam vero sic conveniunt partibus quod etiam nata sunt convenire toti et supposito: sicut albedo. A primis dispositionibus natum est denominari totum et suppositum simpliciter: dicimus enim absolute hominem esse crispum, si habeat crispos capillos. A secundis vero non est natum denominari totum simpliciter, sed tantum secundum quid et cum explicatione partis: non enim, si aliquis habeat dentes albos, dicitur simpliciter *albus,* sed bene dicitur *albus secundum dentes.* Quia ergo *fieri* et *creari* ita convenit humanae naturae, sicut et accidentibus et partibus, quod etiam convenit individuo subsistenti, immo est proprium sibi, idest, prius et principalius convenit individuo et supposito; propter fieri humanae naturae et creari non potest dici simpliciter fieri Christus et creari, sed bene secundum quid, et cum hac additione, *secundum quod homo.*

* Cf. Num. I, 2.
** Q. I, a. 3.

2. Ex iis patet fundamentum huius conclusionis esse, quia si simpliciter diceretur Christus esse creatura, significaretur suppositum importatum nomine *Christi,* quod est suppositum aeternum et divinum, esse creaturam: quia creari natum est primo et principaliter convenire supposito in rebus creatis, et non tantum formae, cui non est natum convenire nisi secundario. Sed si dicatur Christus esse creatura *secundum quod homo,* non significatur ipsum esse creaturam: sed tantum humanam naturam in ipso existentem esse creaturam; sicut, cum dicitur, *homo est albus secundum dentes,* nihil aliud significatur quam quod eius dentes sunt albi.

IV. Unde rationes Scoti Tertio, d. XI, q. I, adductae a Capreolo, dist. XI Tertii *Sent.**, licet eas non inducat Scotus directe contra Sanctum Thomam, nihil contra nos concludunt. Cum enim dicitur primo quod, sicut Christus dicitur *mortuus,* cum tamen *mortuum* dicat non esse post esse; ita videtur non repugnare sibi ut sit creatura, in quo importatur habere esse post non esse: – respondetur quod *mortuum,* cum dicitur de Christo, non importat non esse Christi post esse: quia suppositum divinum, pro quo supponit hoc nomen *Christus,* non amisit esse simpliciter per mortem, sed *esse hominem;* idest, desiit esse illius suppositi habere respectum unionis personalis ad naturam humanam.

* Art. 2, apud Capreolum, Tom. V, p. 140.

Cum dicitur secundo, quod *mortale* et *immortale,* quae de Christo dicuntur, ita repugnant formaliter sicut *creatum* et *increatum:* – respondetur quod non est simile de *mortali* et *immortali,* et de *creato* ac *increato.* Quia *creatum* ita natum est convenire supposito in creaturis, sicut et naturae: immo magis, ut superius* est ostensum. Ideo, cum suppositum Christi non sit creatum, non potest dici quod Christus sit creatus. Sed *mortale* est proprietas corporis animati et humanae naturae in Christo, quae est aliquo modo eius pars, inquantum suppositum Christi in duabus naturis subsistit. Ideo potest de Christo dici quod sit mortalis: a proprietate enim partis natum est denominari totum, sicut a crispitudine capillorum homo dicitur crispus.

* Num. II.

Cum dicitur tertio quod, sicut repugnat divinae naturae esse creaturam, ita et humanae esse creatorem. Et tamen dicitur absolute quod *Christus est Creator:* – respondetur quod non est simile de *creatore* et *creatura.* Quia esse creaturam repugnat et divinae naturae et eius supposito: et propterea non potest de nomine supponente pro tali supposito dici absolute. Sed esse creatorem, licet repugnet naturae humanae, non tamen repugnat supposito divino in ea subsistenti. Ideo de hoc nomine *Christus,* quod pro supposito huiusmodi supponit, dici absolute potest.

V. Arguit etiam Durandus, apud Capreolum*, quia *generari* est fieri simpliciter, et natum est convenire tam supposito quam naturae. Et tamen dicitur Christus absolute *genitus.*

* Loc. cit.

Sed dicitur primo, quod generari est fieri simpliciter ubi per generationem aliquod novum suppositum constituitur in esse: non autem ubi aeternum suppositum trahit ad esse suum aliquam naturam, sicut accidit in Christo.

Dicitur secundo, quod aliter loquendum est de *generari,* et aliter de *creari.* Quia, licet utrumque natum sit convenire tam supposito quam naturae, tamen generari non convenit supposito nisi ratione naturae, quae est formalis terminus generationis. Et ideo ad hoc ut suppositum dicatur simpliciter generari, oportet ut per generationem habeat naturam et formam; et si accipiat naturam, hoc sufficit ad hoc ut dicatur simpliciter generari. Creari autem convenit supposito ratione ipsius esse, quod est formalis terminus creationis. Et ideo ad hoc ut suppositum dicatur simpliciter creari, necesse est ut accipiat esse per creationem; et si esse accipiat, hoc sufficit ad hoc ut dicatur simpliciter creari. Quia ergo suppositum divinum accepit humanam naturam ex Virgine, ideo dicitur simpliciter Christus esse genitus. Quia vero non accipit esse per incarnationem, ideo non dicitur creatus nisi cum hac additione, *secundum humanam naturam.*

Unde illa propositio, *Quando aliquid natum est convenire parti et toti, non dicitur de toto ex eo quod conveniat parti,* habet veritatem de eo quod natum est convenire utrique illorum tanquam subiecto, sicut creatio: non autem de eo quod natum est convenire uni tanquam subiecto, alteri vero tanquam termino formali, sicut generatio. Quando enim dicitur forma generari tanquam terminus formalis generationis, suppositum suscipiens talem formam dicitur generari per modum subiecti, et tanquam id quod generatur, ex eo quod talem formam accipit. Repugnat enim quod aliqua forma sit formalis terminus generationis, et quod acquirens talem formam non generetur.

# CAPITULUM QUADRAGESIMUM NONUM

## SOLUTIO RATIONUM CONTRA INCARNATIONEM SUPERIUS POSITARUM.

His igitur habitis, ea quae contra Incarnationis fidem supra opposita sunt *, facile solvuntur.

* Cap. XL.

Ostensum est enim incarnationem Verbi non sic esse intelligendam quod Verbum sit in carnem conversum *, aut sit corpori unitum ut forma *. Unde non est consequens ex hoc quod Verbum est incarnatum, quod vere Deus sit corpus vel virtus in corpore, ut prima ratio procedebat.

* Cap. XXXI.
* Cap. XXXII.

Similiter etiam non consequitur quod Verbum sit substantialiter mutatum per hoc quod naturam humanam assumpsit. Nulla enim mutatio in ipso Verbo Dei facta est, sed solum in humana natura quae est a Verbo assumpta, secundum quam competit Verbo et generatum esse temporaliter et natum, non autem secundum seipsum.

Quod etiam tertio proponitur, necessitatem non habet. Hypostasis enim non extenditur extra terminos illius naturae ex qua subsistentiam habet. Non autem Verbum Dei subsistentiam habet ex natura humana, sed magis naturam humanam ad suam subsistentiam vel personalitatem trahit: non enim per illam, sed in illa subsistit. Unde nihil prohibet Verbum Dei esse ubique, licet humana natura a Verbo Dei assumpta ubique non sit.

Ex hoc etiam solvitur quartum. Cuiuslibet enim rei subsistentis oportet esse unam naturam tantum per quam simpliciter esse habeat. Et sic Verbum Dei per solam naturam divinam simpliciter esse habet: non autem per humanam naturam, sed per eam habet quod sit *hoc*, scilicet quod sit homo.

Quintum etiam solvitur per hoc idem. Impossibile est enim quod natura per quam Verbum subsistit, sit aliud quam ipsa persona Verbi. Subsistit autem per naturam divinam: non autem per naturam humanam, sed eam ad suam subsistentiam trahit ut in ea subsistat, ut dictum est. Unde non oportet quod natura humana sit idem quod persona Verbi.

Hinc etiam excluditur id quod sexto obiiciebatur. Hypostasis enim est minus simplex, vel re vel intellectu, quam natura per quam constituitur in esse: re quidem, cum hypostasis non est sua natura; intellectu autem solo in illis in quibus idem est hypostasis et natura. Hypostasis autem Verbi non constituitur simpliciter per humanam naturam, ut per eam sit: sed per eam solum habet Verbum quod sit homo. Non igitur oportet quod natura humana sit simplicior quam Verbum inquantum est Verbum: sed solum inquantum Verbum est hic homo.

Ex quo etiam patet solutio ad id quod septimo obiicitur. Non enim oportet quod hypostasis Dei Verbi simpliciter sit constituta per materiam signatam, sed solum inquantum est hic homo. Sic enim solum per humanam naturam constituitur, ut dictum est.

Quod autem anima et corpus in Christo ad personalitatem Verbi trahuntur, non constituentia aliquam personam praeter personam Verbi, non pertinet ad minorationem virtutis, ut octava ratio procedebat, sed ad dignitatem maiorem. Unumquodque enim melius esse habet cum suo digniori unitur, quam cum per se existit: sicut anima sensibilis nobilius esse habet in homine quam in aliis animalibus, in quibus est forma principalis, non tamen in homine.

Hinc etiam solvitur quod nono obiiciebatur. In Christo enim vere quidem fuit haec anima et hoc corpus: non tamen ex eis constituta est persona aliqua praeter personam Dei Verbi, quia sunt ad personalitatem Dei Verbi assumpta; sicut et corpus, cum est sine anima, propriam speciem habet, sed cum unitur animae, ab ea speciem sortitur.

Ex hoc etiam solvitur quod decimo proponebatur. Manifestum est enim quod hic homo qui est Christus, substantia quaedam est non universalis, sed particularis. Et hypostasis quaedam est, non tamen alia hypostasis quam hypostasis Verbi: quia humana natura ab hypostasi Verbi assumpta est ut Verbum subsistat tam in humana natura quam in divina. Id autem quod in humana natura subsistit, est hic homo. Unde ipsum Verbum supponitur cum dicitur *hic homo*.

Sed si quis eandem obiectionem ad humanam naturam transferat, dicens eam esse substantiam quandam non universalem sed particularem, et per consequens hypostasim: – manifeste decipitur. Nam humana natura etiam in Sorte vel Platone non est hypostasis: sed id quod in ea subsistit, hypostasis est.

Quod autem substantia sit et particularis, non secundum illam significationem dicitur qua hypostasis est particularis substantia. *Substantia* enim, secundum Philosophum *, dicitur dupliciter: scilicet pro supposito in genere substantiae, quod dicitur hypostasis; et de eo *quod quid est*, quod est *natura rei*. – Sed neque partes alicuius sub-

* *Categ.* III, 1, 2.

2 supra opposita] opposita DENX*b*, oportuna G, supra posita P*d*. 7 ex hoc *post* quod verbum est BFHZ. 8 vere Deus] quidem Deus αW, quidem Deus non Z, vel Deus sE. 10 consequitur] sequitur P*d*. 13 Verbo *post* Dei DEGNX*b*. 15 temporaliter et] et temporaliter DEGNX*b*. 17 necessitatem *post* non habet DEGNX*b*. 23 unde] cum EGN, et D. 24 Dei *om* DEGN*b*. 37 suam *om* ENZ*b*, sui DGX. 39 non *om* NX. 45 est *Ita* EGNX*b*; sit *ceteri*. 46 et *om* H, a P.

1 est *om* DEGN*b*. 9 anima] humana *addunt* P*c*. 11 Verbi] Dei Verbi DEGNX*b*. 15 existit] existat αY. 20 enim vere quidem *Ita* αY; *om* E, quidem vere GNX*b*, vere quidem D, enim vere WZP*c*. 22 Dei *post* Verbi P*d*. 23 sicut et] sicut DEGNX, sicut est (corpus quod cum) X. 24 sine anima] si non ad α. 28 enim] autem DEGNX. 45 illam *om* DEGX; secundum illam *om* N. qua] quia DEX, quae G, de qua dicitur quod *b*. 46 enim] autem DEGNX*b*. 48 pro supposito] de supposito αWYZ*c*, de subiecto P*d*. 50 neque *Ita* ZsFYP*c*; n$^{e}$ α, naturae EGWY, vere NX, *om* D, non *b*; *pro* sic, non DEGNX, non sic WsG.

stantiae sic dicuntur particulares substantiae quasi sint per se subsistentes, sed subsistunt in toto. Unde nec hypostases possunt dici: cum nulla earum sit substantia completa. Alias sequeretur quod in uno homine tot essent hypostases quot sunt partes.

Quod vero undecimo oppositum fuit, ex eo solvitur quod aequivocatio inducitur ex diversa forma significata per nomen, non autem ex diversitate suppositionis: non enim hoc nomen *homo* aequivoce sumitur ex eo quod quandoque supponit pro Platone, quandoque pro Sorte. Hoc igitur nomen *homo*, et de Christo et de aliis hominibus dictum, semper eandem formam significat, scilicet naturam humanam. Unde univoce praedicatur de eis: sed suppositio tantum variatur, in hoc quod quidem secundum quod pro Christo sumitur, supponit hypostasim increatam; secundum vero quod pro aliis sumitur, supponit hypostasim creatam.

Neque etiam hypostasis Verbi dicitur esse suppositum humanae naturae quasi subiiciatur ei ut formaliori, sicut duodecima ratio proponebat. Hoc enim esset necessarium si hypostasis Verbi per naturam humanam simpliciter constitueretur in esse. Quod patet esse falsum: dicitur enim hypostasis Verbi humanae naturae supponi prout eam ad suam subsistentiam trahit, sicut aliquid trahitur ad alterum nobilius cui unitur.

Non tamen sequitur quod humana natura accidentaliter Verbo adveniat, ex hoc quod Verbum ab aeterno praeextitit, sicut ultima ratio concludebat. Sic enim Verbum humanam naturam assumpsit ut vere sit homo. Esse autem hominem est esse in genere substantiae. Quia igitur ex unione naturae humanae hypostasis Verbi habet quod sit homo, non advenit ei accidentaliter: nam accidentia esse substantiale non conferunt.

1 quasi sint] idest DEGNX, quasi *b*. 5 tot *om* EN, *ante* quot DGX. 8 forma significata] significatione EG. 12 et *pr. loco om* Pc. 15 tantum] tamen DENXsG*b*. 16 quidem secundum quod *hom om* EGN*b*, cum DXsE. 17 sumitur] ponitur DEGNX.
1 etiam *Ita* C; *om* W, autem *ceteri*. 4 enim] autem CDEGNWX. 12 praeexstitit] praeexistit DEGNX*b et a scriptore* sC, *om* pC. 14 assumpsit *Ita* DHYpNZP; assumit *ceteri*, *scriptores* NZ *ex* assumpsit. 15 esse *om* DEGNZ*b*, *expungit scriptor* C. 16 humanae *om b*, *ante* naturae DEGHNX.

## Commentaria Ferrariensis

Positis iis quae erant necessaria ad solutionem eorum quae contra Incarnationem sunt inducta, accedit Sanctus Thomas ad eorum brevem solutionem *.

* Cf. cap. XL, Introd.

I. *Ad primum* enim patet quod consequentia est falsa. Quia non est sic intelligenda incarnatio quasi Verbum sit in carnem conversum, aut sit corpori unitum ut forma, sed modo supra expositō.

*Ad secundum* etiam negatur consequentia. – Ad probationem dicitur quod per huiusmodi assumptionem non est aliqua mutatio facta in Verbo Dei, sed solum in humana natura assumpta, secundum quam Verbum dicitur temporaliter genitum et natum.

* Qu. 1.

Advertendum, ex doctrina Sancti Thomae Tertio, d. 1*, a. 1, ad 1, quod sicut in illis in quibus non est mutua relatio realis, aliquid incipit dici quod prius non dicebatur, nulla mutatione circa ipsum facta, sed tantum circa alterum, sicut aliquid incipit esse scitum non per sui mutationem, sed per mutationem scientis; ita, cum Deus non referatur realiter ad creaturam, sed relative ad ipsam dicatur propter relationem realem in ea existentem, dicitur Deus noviter, aut novo quodam modo uniri humanae naturae per incarnationem, non per sui mutationem, sed per mutationem humanae naturae assumptae.

II. *Ad tertium*, negatur consequentia. – Ad probationem dicitur quod assumptum illud habet veritatem quando hypostasis ex natura subsistentiam habet. Verbum autem Dei non habet subsistentiam ex humana natura, sed magis ipsam ad suam subsistentiam vel personalitatem trahit.

*Ad quartum* dicitur quod unius rei subsistentis est tantum unum *quod quid est*, sive una natura, per quam simpliciter esse habet. Et sic Verbum Dei habet esse simpliciter per divinam tantum naturam: non autem per humanam, sed per ipsam habet *esse homo*.

Advertendum quod in rebus creatis unius rei subsistentis est tantum unum *quod quid est*, et una natura: quia unum suppositum non subsistit nisi in una natura, et per illam habet esse simpliciter. In Christo autem sunt plures naturae, et plura *quod quid est:* quia eius suppositum in duabus naturis substantialiter subsistit. Sed verum est quod per unam tantum naturam, et per unum *quod quid est*, scilicet per divinam, habet esse simpliciter: non autem per humanam, quia haec non est constitutiva supposití, sicut divina, sed magis ab ipso supposito trahitur ad esse divinum personale.

III. *Ad quintum* dicitur quod utique natura per quam Verbum subsistit, non potest esse aliud quam ipsa persona Verbi. Sed dicitur quod subsistit per naturam divinam, non autem per humanam. Ideo ratio non sequitur.

*Ad sextum* patet per idem. Dicitur enim quod hypostasis est minus simplex quam natura per quam constituitur in esse: vel re, cum non est sua natura; vel intellectu, cum est sua natura. Hypostasis autem Verbi Dei non constituitur simpliciter per humanam naturam, ut per eam sit, sed tantum ut per eam *sit hic homo*. Ideo non oportet ut sit simplicior Verbo inquantum Verbum est, sed solum inquantum est hic homo.

Advertendum quod naturam constituere suppositum simpliciter, est esse id quo suppositum habet ut absolute dicatur *esse*. Et quia hoc non fit nisi dando esse formaliter supposito, ideo ad hoc quod natura dicatur suppositum constituere, oportet ut illi det esse formaliter. Naturam autem humanam dare supposito ut sit hic homo, est esse id quo suppositum dicitur *hic homo*. Et quia hoc fit dando supposito ut sit individuum humanum, ideo ipsam facere ut suppositum sit hic homo, est esse id quo suppositum habet ut sit quoddam individuum hominis. Quia ergo humana natura non dat Verbo Dei esse per quod simpliciter est, cum ipsa non habeat proprium esse, sed sit per esse divinae personae; dat autem ipsi Verbo quod sit quoddam individuum humanum, eo quod ipsa sit individua et singularis: ideo bene dicitur quod per ipsam non datur Verbo quod sit simpliciter, sed tantum quod sit hic homo.

IV. *Ad septimum* per idem etiam patet. Dicitur enim quod non oportet hypostasim Verbi Dei esse simpliciter constitutam per materiam signatam, sed solum inquantum est hic homo: cum solum sic per humanam naturam constituatur.

*Ad octavum*, negatur consequentia. Quia quod anima et corpus in Christo non constituant aliam personam praeter personam Verbi, non pertinet ad minorationem virtutis, sed ad maiorem dignitatem: cum unumquodque melius esse habeat cum suo digniori unitur, quam cum per se existit. – Declaratur exemplo animae sensibilis habentis nobilius esse in homine quam in aliis animalibus.

*Ad nonum* dicitur quod ex hac anima et ex hoc corpore in Christo non est constituta alia persona, sed sunt ad personalitatem Verbi assumpta.

V. *Ad decimum* dicitur primo, quod hic homo qui est Christus, est hypostasis quaedam: non tamen alia quam hypostasis Verbi Dei. Unde, cum dicitur *hic homo,* ipsum Verbum supponitur.

Dicitur secundo, si haec obiectio ad humanam naturam transferatur, quod nec etiam in Sorte vel Platone humana natura est hypostasis: sed id quod in ea subsistit.

Dicitur tertio quod, quamvis humana natura in Christo sit substantia et particularis, non tamen dicitur secundum illam significationem qua hypostasis est particularis substantia: quia *hypostasis,* iuxta definitionem Philosophi, dicitur substantia prout suppositum in genere substantiae dicitur substantia; non autem prout *quod quid est* et natura substantia dicitur. Unde nec etiam partes alicuius substantiae hoc modo dicuntur substantiae particulares aut hypostases: quia nec sunt per se subsistentes, sed subsistunt in toto; nec sunt substantiae completae.

2. Advertendum intentionem huius tertii dicti esse quod substantia particularis dupliciter accipi potest. Uno modo, ut idem est quod *substantia prima,* condivisa a Philosopho contra *substantiam secundam:* et tunc substantia particularis idem est quod *suppositum,* et *per se subsistens,* atque *completum in specie.* Alio modo, ut distinguitur contra *substantiam communem et universalem,* sive substantia particularis per se subsistat, sive in alio sit. Primo modo, hypostasis dicitur substantia particularis. Non autem humana natura in Christo, sed secundo modo: et ipsa humana natura dicitur substantia particularis, atque etiam unaquaeque pars eius.

VI. *Ad undecimum,* negatur consequentia. Quia aequivocatio non inducitur ex diversitate suppositionis, sed ex diversa forma significata per nomen. Unde, cum hoc nomen *homo,* de Christo et aliis hominibus dictum, semper eandem formam significet, scilicet humanam naturam, licet secundum quod pro Christo sumitur, supponat hypostasim increatam, secundum vero quod sumitur pro aliis, supponat hypostasim creatam: univoce praedicatur de ipsis.

*Ad duodecimum* dicitur quod hypostasis Verbi non dicitur esse suppositum humanae naturae quasi subiiciatur ei ut formaliori, quod utique oporteret dici si per ipsam simpliciter constitueretur in esse: sed prout eam ad sui substantiam trahit, sicut aliquid trahitur ad alterum nobilius cui unitur.

*Ad ultimum,* negatur consequentia. Quia sic Verbum humanam naturam assumpsit ut vere sit homo, quod est esse in genere substantiae. Accidentia autem esse substantiale non conferunt.

Advertendum quod, cum dupliciter accipiatur *esse,* scilicet pro esse *actualis existentiae,* et pro esse *essentiae,* quod est *ipsamet essentia;* cum vult Sanctus Thomas humanam naturam conferre Verbo divino esse substantiale, accipitur *esse* secundo modo. Et est sensus quod confert sibi esse hominem, inquantum per ipsam Verbum dicitur esse homo: sicut et per humanam naturam Sortes esse homo dicitur.

Attendendum etiam quod ex ista responsione vult habere Sanctus Thomas illam propositionem, *Quod advenit alicui post esse completum, advenit ei accidentaliter,* habere veritatem dumtaxat quando tale quod sic advenit, non confert esse substantiale, modo exposito. In Tertia vero Parte, q. II, a. 6*; et III *Sent.*, d. VI, a. ult.**, dicitur quod habet veritatem *nisi tale trahatur in communionem illius esse completi. Unde in resurrectione corpus adveniens animae rationali, non advenit illi accidentaliter, quia assumetur ad idem esse.* Sed una istarum interpretationum alteram infert. Si enim aliquid dat alicui ut sit tale substantialiter, puta homo, necesse est ut habeat idem esse cum ipso. Et ideo, si non habet veritatem dicta propositio quando adveniens post esse completum confert esse substantiale, nec etiam habet veritatem quando ad communionem illius esse completi trahitur.

* Ad 2.
** Ad 2.

# CAPITULUM QUINQUAGESIMUM

## QUOD PECCATUM ORIGINALE TRADUCATUR A PRIMO PARENTE IN POSTEROS.

* A cap. XXVIII, ad cap. XLIX.

OSTENSUM est igitur in praemissis* non esse impossibile quod fides Catholica de incarnatione Filii Dei praedicat. Consequens autem est ostendere quod conveniens fuit Filium Dei naturam assumpsisse humanam*.

* Cf. cap. XXVII, Introd.

Huius autem convenientiae rationem Apostolus assignare videtur ex peccato originali, quod in omnes pertransit: dicit enim *Rom.* V [19]: *Sicut per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita et per unius hominis obedientiam iusti constituentur multi.* Sed quia Pelagiani haeretici peccatum originale negaverunt*, ostendendum est homines cum peccato originali nasci.

* Aug. *de Haeres.* LXXXVIII.

Et primo quidem assumendum est quod dicitur *Gen.* II [15-17]: *Tulit Dominus Deus hominem et posuit eum in paradiso, praecepitque ei dicens: Ex omni ligno paradisi comede, de ligno autem scientiae boni et mali ne comedas: in quacumque autem die comederis ex eo, morte morieris.* Sed quia Adam nec eo die quo comedit actu mortuus est, oportet sic intelligi quod dicitur, *morte morieris:* idest, *necessitati mortis eris addictus.* Quod quidem frustra diceretur si homo ex institutione suae naturae necessitatem moriendi haberet. Oportet igitur dicere quod mors, et necessitas moriendi, sit poena homini pro peccato inflicta. Poena autem non infligitur iuste nisi pro culpa. In quibuscumque igitur invenitur haec poena, necesse est ut in eis inveniatur aliqua culpa. Sed in omni homine invenitur haec poena, etiam a principio suae nativitatis: ex tunc enim nascitur necessitati mortis addictus; unde et aliqui mox post nativitatem moriuntur, *de utero translati ad tumulum**. Ergo in eis est aliquod peccatum. Sed non peccatum actuale: quia non habent pueri usum liberi arbitrii, sine quo nihil imputatur homini ad peccatum, ut ex his quae dicta sunt in Tertio libro* apparet. Necesse est igitur dicere quod in eis sit peccatum per originem traductum.

* *Iob* X, 19.

* ForteCap. LXXIII vel CXL, probabilius Tom. XIV, App. 44* a 14. Cf. ib. Praef. XXIX b *Primum eruitur.*

1 in *Ita nos soli;* ex *omnes.* 9 pertransit] pertransiit EXZ, pertransivit DW. 17 dicens *om* DEGNX*b*.
3 mortis] morti CP*c*; *pro* addictus, adductus αWYZ, additus DEGN. 10 omni *om* αWYZ. 12 necessitati mortis] mortis G, morti DENXsG; *pro* addictus, adductus BH, additus CDEGNY. 20 traductum] inductum DEGNX.

Hoc etiam expresse apparet ex verbis Apostoli *Rom.* v[12]: *Sicut per unum hominem in hunc mundum peccatum intravit, et per peccatum mors, ita et in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.*

Non potest autem dici quod per unum hominem in mundum peccatum intraverit per modum imitationis. Quia sic peccatum non pervenisset nisi ad eos qui peccando primum hominem imitantur: et, cum mors per peccatum in mundum intraverit, non perveniret mors nisi ad eos qui peccant in similitudinem primi hominis peccantis. Vers. 14. Sed ad hoc excludendum, Apostolus subdit* quod *regnavit mors ab Adam usque ad Moysen etiam in eos qui non peccaverunt in similitudinem praevaricationis Adae.* Non ergo intellexit Apostolus quod per unum hominem peccatum in mundum intraverit per modum imitationis, sed per modum originis.

Praeterea. Si secundum imitationem Apostolus loqueretur de introitu peccati in mundum, potius dixisset per diabolum peccatum intrasse in mundum quam per unum hominem: sicut etiam expresse dicitur *Sap.* II[24,25]: *Invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum: imitantur autem illum qui sunt ex parte illius.*

Adhuc. In Psalmo David dicit: *Ecce, in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea**. Ps. L, 7. Quod non potest intelligi de peccato actuali: cum David ex legitimo matrimonio conceptus et natus dicatur. Oportet igitur ut hoc ad peccatum originale referatur.

Amplius. *Iob* XIV[4] dicitur: *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? Nonne tu qui solus es?* Ex quo manifeste accipi potest quod ex immunditia humani seminis aliqua immunditia ad hominem ex semine conceptum perveniat. Quod oportet intelligi de immunditia peccati, pro qua sola homo in iudicium deducitur: praemittitur enim*: *Et dignum ducis super huiuscemodi aperire oculos tuos, et adducere eum tecum in iudicium?* Sic igitur aliquod peccatum est quod homo contrahit ab ipsa sui origine, quod *originale* dicitur. * Vers. 3.

Item. Baptismus et alia sacramenta Ecclesiae sunt quaedam remedia contra peccatum, ut infra* patebit. Exhibetur autem baptismus, secundum communem Ecclesiae consuetudinem, pueris recenter natis. Frustra igitur exhiberetur nisi in eis esset aliquod peccatum. Non est autem in eis peccatum actuale: quia carent usu liberi arbitrii, sine quo nullus actus homini in culpam imputatur. Oportet igitur dicere in eis esse peccatum per originem traductum: cum in operibus Dei et Ecclesiae nihil sit vanum et frustra*. * Cap. LVI. * Cf. III *de Anima*, IX, 6; XII, 3; s.Th. I, XIV, XVII.

Si autem dicatur* quod baptismus infantibus datur, non ut a peccato mundentur, sed ut ad regnum Dei perveniant, quo perveniri non potest sine baptismo, cum Dominus dicat, *Ioan.* III[5], *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei:* – hoc vanum est. Nullus enim a regno Dei excluditur nisi propter aliquam culpam. Finis enim omnis rationalis creaturae est ut ad beatitudinem perveniat, quae esse non potest nisi in regno Dei. Quod quidem nihil est aliud quam *ordinata societas eorum qui divina visione fruuntur,* in qua vera beatitudo consistit, ut patet ex his quae in Tertio sunt ostensa*. Nihil autem a fine suo deficit nisi propter aliquod peccatum. Si igitur pueri nondum baptizati ad regnum Dei pervenire non possunt, oportet dicere esse in eis aliquod peccatum. * Cf. Aug. *de Haeres.*, loc. cit. * Cap. XLVIII sqq.

Sic igitur, secundum Catholicae fidei traditionem, tenendum est homines nasci cum peccato originali.

---

6 unum *om* G, *post* hominem BNY*b*. 7 in mundum *om* DEGNX. intraverit] intravit CDGNXP*c*, intra E. 10 in mundum mundum EGNX; *lac.* D. 23 etiam] enim DEGNX*b*, *om* P*c*. 25 imitantur] et imitantur α. 33 quis] si quis X, quid P.
8 Baptismus] Sicut baptismus DEGN*b*. 20 datur non] non datur DEGNX*b*. 21 non potest *om* G, *post* sive baptismo DENXs*Gb*. 22 cum Dominus dicat] ut Dominus dicit DGNX*b*, ut Dominus E. 33 Si igitur ..... 35 peccatum *hom om* DEGNX. nondum *Ita* HP*d*; non bene BFZ*c*, non CW*b*, non sint (... oportet autem dicere) Y.

## Commentaria Ferrariensis

POSTQUAM ostendit Sanctus Thomas non esse impossibile quod fides Catholica de incarnatione Filii Dei praedicat, consequenter vult ostendere quod etiam fuit conveniens Filium Dei humanam naturam assumere*. * Cf. cap. XXVII, Introd.

Circa hoc autem duo facit. Quia enim huius convenientiae rationem Apostolus, *ad Rom.* v, assignare videtur ex peccato originali quod in omnes pertransiit, primo de peccato originali agit; secundo, de convenientia Incarnationis, cap. LIII.

Circa primum duo facit: primo, contra Pelagianos haereticos peccatum originale negantes, ostendit homines cum peccato originali nasci; secundo, quasdam removet obiectiones, capite sequenti.

Attendendum autem, ut sciatur *quid nominis* peccati originalis (nam de *quid rei* inferius* tractabitur), quod nomine *peccati originalis* intelligimus *quendam naturae defectum, habentem rationem culpae, quem dicimus hominem a sua origine et generatione contrahere, propter quod originale peccatum dicitur,* quasi videlicet ab ipsa hominis origine contractum. * Cf. cap. LII.

I. Probat igitur Sanctus Thomas *omnes homines cum huiusmodi peccato nasci.* Et arguit *primo** sic. In quocumque invenitur necessitas moriendi, necesse est ut inveniatur aliqua culpa. Sed haec necessitas invenitur in omni homine a principio suae nativitatis: unde et aliqui mox post nativitatem moriuntur. Ergo in eis est aliquod peccatum. Non autem actuale: quia non habent pueri usum liberi arbitrii. Ergo per originem traductum. * Cf. num. IV.

Probatur maior. Mors, et necessitas moriendi, est homini pro peccato inflicta. Poena autem non infligitur nisi pro culpa. Ergo etc. – Probatur maior. Quia *Gen.* II dicitur: *In quacumque die comederis ex eo, morte morieris:* quod intelligitur, idest, *necessitati mortis eris addictus.* Frustra autem hoc diceretur si homo ex institutione suae naturae necessitatem moriendi haberet.

2. Adverte, cum dicitur, *in omni homine inveniri necessitatem moriendi a principio suae nativitatis,* quod nomine *nativitatis* non intelligitur sola nativitas *ex utero,* quae est quando homo de ventre matris egreditur: sed intelligitur de nativitate *in utero,* quae etiam dicitur *conceptio,* quando scilicet anima intellectiva corpori organizato coniungitur.

3. Attendendum secundo, quod per *institutionem naturae humanae* duo possumus intelligere. Aut scilicet pro-

ductionem ipsius quantum ad principia essentialia ipsius naturae: et sic homini convenire necessitatem moriendi ex institutione suae naturae, est eam sibi convenire ex aliquo principiorum essentialium ex quibus natura humana est instituta et composita. – Aut productionem ipsius quantum ad illum statum in quo primo Deus ipsam instituit: et sic hominem habere necessitatem moriendi ex institutione suae naturae, est hanc sibi convenire in illo statu in quo Deus ipsam primo instituit, sive, stantibus omnibus eius conditionibus cum quibus eam Deus condidit et creavit.

Cum ergo vult Sanctus Thomas hominem non habuisse necessitatem moriendi ex institutione suae naturae, sed ex peccato ipsam incurrisse, accipitur institutio naturae secundo modo. Ut enim inferius * declarat, licet homo ex conditione sui corporis necessitatem moriendi habeat, ipsum tamen cum dono originalis iustitiae creavit, per quam ab huiusmodi necessitate moriendi liberabatur.

* Cap. LII. *His igitur visis.*

II. Advertendum quoque ex hoc processu Sancti Thomae quod necessitas moriendi ponitur poena peccati primi parentis et originalis peccati in nos transfusi, non autem poena necessitatis habendi peccatum; et quod ubi invenitur haec poena, oportet peccatum inveniri. Ideo non videntur bene interpretari Sancti Thomae positionem qui dicunt peccatum originale sic proportionari morti quod tantum necessitas moriendi correspondeat necessitati habendi peccatum; et quod sicut non spectat ad fidem an singuli moriantur actualiter, an aliquis divina dispositione non moriatur, ita non spectat ad fidem an aliquis, ex speciali praerogativa gratiae, non incurrat actualiter originale peccatum. Quaeritur enim ab istis: – Quid peccato originali inexistenti respondeat pro poena: an scilicet actualis mors; an necessitas moriendi? Si dicatur quod actualis mors: sequitur quod in omnibus qui actualiter moriuntur, peccatum originale sit; et sic non poterit dici esse secundum fidem quod aliquis moriatur, et sit absque peccato originali; quod tamen necesse habent isti concedere. Et praeterea, hoc videtur esse contra mentem Sancti Thomae, qui et hic; I II$^{ae}$, q. LXXXI, a. 3, ad 1; et *de Malo,* q. IV, a. 6, ad 2, videtur tenere quod poena corporalis peccati originalis sit primo et per se necessitas moriendi, sive obligatio ad mortem, ad quam homo aliquando pervenit, nisi sibi ex divina misericordia relaxetur. – Si dicatur quod necessitas moriendi: sequitur, cum poena iuste non infligatur nisi pro culpa, quod in quocumque est huiusmodi necessitas moriendi, est etiam culpa. Sed omnes seminaliter ab Adam propagati, etiam secundum istos, incurrunt necessitatem moriendi, secundum fidem. Ergo et omnes, secundum fidem, actualiter peccatum originale contrahunt.

2. Praeterea, ista obligatio habendi peccatum non potest convenire homini nisi quando est: tum quia quod non est, ad nihil obligatur; tum quia a sua origine et nativitate dicitur homo contrahere peccatum originale, sive esse peccato obnoxius. Constat autem quod a sua nativitate homo habet esse. Aut ergo est ad habendum in illo instanti in quo anima infunditur corpori, et in quo homo primo esse dicitur: aut post. Si ad habendum in illo instanti in quo generatur et primo est: ergo, si quis per gratiam non incurrat in illo instanti, non erit obligatus. Si enim tibi teneor solvere centum aureos die crastina, et illos mihi donas, et non vis ut die crastina restituam, non ero tibi amplius debitor die crastina. Non ergo talis qui ex gratia non incurrit peccatum, habet ex sua generatione debitum habendi peccatum: ut isti dicunt. – Si autem ista obligatio est ad habendum peccatum post instans conceptionis, sive infusionis animae: ergo in primo instanti conceptionis suae homo non contrahit peccatum originale, quo inficitur a sua generatione. Quod est contra Sanctum Thomam, *Malo,* q. IV, a. 6, et alibi; et omnes alios dicentes quod in ipsa animae infusione peccatum originale contrahitur ab his in quibus originale peccatum ponitur.

3. Praeterea, inquit Sanctus Thomas IV *Sent.,* d. XLIII, a. 4, q$^{a}$. 1, ad 3, quod *non sequitur, si potest sine errore poni quod aliqui non moriantur, quod possit sine errore poni quod aliqui sine originali peccato nascantur, quamvis mors sit poena peccati originalis: quia Deus potest ex misericordia relaxare poenam ad quam obligatur ex culpa praeterita.* Ubi patet quod loquitur de peccato actualiter inexistente, cui debetur poena. Ergo non est secundum eius intentionem quod ita secundum fidem possit teneri aliquem sine peccato originali nasci, sicut potest teneri quod actualiter non sit mortuus.

Confirmatur. Quia in QQ. *Mal.,* q. IV, a. 6, tenet Sanctus Thomas quod *erroneum est dicere quod aliqui seminaliter ab Adam deriventur absque originali peccato.*

III. An autem, absolute loquendo, possit Deus alicui seminaliter descendenti ab Adam concedere quod sine peccato originali concipiatur: – dicendum est quod sic: ut videtur esse de mente Sancti Thomae III *Sent.,* d. III, q. 1, a. 1 *, quod Deus potuit parentes Beatae Virginis sic in statu viae curare ut prolem suam sine originali peccato concipere possent.

* Qu$^{a}$ 1, ad 1.

Si autem arguatur: – potest Deus absolute concedere alicui ut absque originali peccato concipiatur: ergo non pertinet ad fidem an quis sit in peccato conceptus, an absque peccato: – negatur consequentia. Quia licet illud Deus possit facere, non tamen manifestum nobis est quod ipse faciat. Nam secundum fidem tenetur Christum per passionem suam et mortem esse omnium Salvatorem et Redemptorem, ut patet in multis locis Sacrae Scripturae, inquantum pro peccatis omnium, quantum in se est, satisfacit: quod utique non esset verum si quis sine peccato originali conciperetur. Unde, sicut non valet ista consequentia, *Deus absolute potuit salvare genus humanum absque Filii Dei incarnatione. Ergo non spectat ad fidem quod Filius Dei propter salutem generis humani incarnatus sit, necne:* ita nec praedicta consequentia tenet. Ubi enim in Sacra Scriptura aliquid traditur fieri pro communi regula, sicut traditur quod omnes peccaverunt in Adam; non potest oppositum sine errore teneri, nisi Deum aliter fecisse in aliquo particulari, praeter communem regulam, constat; aut, inquam, per Sacram Scripturam, aut per Ecclesiae determinationem *.

* Haec determinatio, post tempora Ferrariensis facta fuit a Summo Pont. Pio IX, qui die 8 Dec. 1854, definivit tanquam art. fidei Immac. Conceptionem B. V. M. (1).

Per hoc autem non intendo quod haeretici sint tenentes Beatam Virginem etiam sine originali peccato conceptam, nam nondum est per Ecclesiam determinatum quid in hac re ad fidem pertineat: sed quod Sancto Thomae visum est ad fidem pertinere quod omnes ab Adam seminaliter propagati peccatum originale contrahant, et quod necessitas moriendi sit peccati originalis poena.

IV. *Secundo** arguitur sic. Secundum Apostolum, *ad Rom.* V, *per unum hominem in hunc mundum peccatum intravit, et per peccatum mors, et ita in omnes pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* Sed hoc non intelligitur per modum imitationis. Tum quia sic pervenisset peccatum et mors ad eos tantum qui peccant in similitudinem primi hominis peccantis. Quod excludit Apostolus ex verbis quae subdit. Ergo intravit per unum hominem in modum originis.

* Cf. num. 1.

Tum quia potius dixisset per diabolum peccatum intrasse in mundum: sicut expresse dicitur *Sap.* II: *Invidia diaboli* etc.

2. Ad evidentiam primae rationis contra falsam illam interpretationem, quae erat Pelagianorum, ut inquit Sanctus Thomas *super Epistolas Pauli* *, considerandum est quod illi dicuntur peccare ad imitationem peccati Adae qui peccatum actuale committunt simile peccato Adae, quod fuit superbiae peccatum. Unde, cum per peccatum quod per Adam intravit in mundum, intraverit etiam mors tanquam

* *Ad Rom.* V, lect. 3.

(1) Ita Bulla « Ineffabilis Deus » die 10 Dec. 1854: – « Declaramus, pronuntiamus et definimus doctrinam quae tenet Beatam Virginem Mariam in primo instanti suae Conceptionis fuisse, singulari omnipotentis Dei gratia et privilegio, intuitu meritorum Christi Iesu Salvatoris humani generis, ab omni originalis culpae labe praeservatam immunem, esse a Deo revelatam, atque idcirco ab omnibus fidelibus firmiter constanterque credendam ».

poena, sequitur, ut optime deducit Sanctus Thomas, quod ad eos tantum perveniat peccatum et mors qui actuali peccato Adam imitantur. Hoc autem constat esse falsum in infantibus qui moriuntur et nullum commiserunt actuale peccatum. Ideo illa interpretatio non est ad Apostoli mentem: sed magis quod per originem et generationem hominis ab Adam seminaliter propagati peccatum in mundum intraverit.

*De peccatorum meritis et remiss.*, lib. I, cap. IX (P. L., XLIV, 114).

3. Pro declaratione secundae rationis ad idem, quam Sanctus Thomas ex Augustino, contra Pelagianos *, sumpsit, attendendum est quod, si debet dici per aliquem peccatum esse ingressum in mundum inquantum peccantes eum imitantur, debet hoc attribui ei qui primo peccavit et neminem imitatur, sed eum imitantur omnes homines. Hoc autem non potest dici de primo homine: quia ipse non peccavit primus inter creaturas intellectuales, sed diabolus; et ipse diabolum imitatus est peccando actuali peccato superbiae. Ideo bene inquit Sanctus Thomas quod, si de introitu per imitationem intellexit Apostolus, potius dixisset per diabolum peccatum intrasse in mundum, quam per hominem.

V. *Tertio.* David inquit: *Ecce, in iniquitatibus* etc. Quod non potest intelligi de peccato actuali. Ergo etc.

*Quarto. Iob* XIV dicitur: *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine?* Ex quo datur intelligi aliquam immunditiam ad hominem pervenire ex immunditia humani seminis. Sed hoc oportet intelligi de immunditia peccati, pro qua sola homo in iudicium deducitur: cum praemittatur, *et dignum ducis* etc. Ergo etc.

VI. Ad evidentiam huius quod dicitur, *in semine esse quandam immunditiam, ex qua immunditia peccati in hominem pervenit,* considerandum est quod, cum peccatum originale sit quidam naturae defectus, et sit quaedam immunditia eius inquantum est privatio originalis iustitiae, eo modo dicitur huiusmodi immunditia esse in semine paterno quo in ipso est natura humana. In ipso autem est natura humana, non in actu, sed in virtute, tanquam in instrumento: quia semen est instrumentum hominis generantis. Ideo et culpa originalis, sive immunditia talis, non est actu in semine, sed tantum virtualiter, tanquam in instrumento.

2. Considerandum secundo, quod dupliciter possumus intelligere peccatum originale esse virtualiter in semine. Uno modo, quia in semine sit quaedam particularis virtus directe productiva huiusmodi peccati, per modum intentionis existens in ipso, non autem habens esse firmum et permanens. Et hoc modo videtur intelligere Capreolus, II *Sent.*, d. XXXI*. – Alio modo possumus intelligere quod in semine non sit particularis aliqua virtus quae sit directe productiva peccati: cum peccatum ipsum non sit nisi privatio quaedam et malum, privatio autem non habeat causam productivam sui directe, sed defectivam; ut in pluribus locis ostendit Sanctus Thomas, et superius * est ostensum. Sed virtus quae est directe productiva naturae humanae, per quandam concomitantiam dicitur productiva peccati concomitantis talem naturam, inquantum illa virtus est imperfecta, utpote non valens naturam cum originali iustitia producere. Et hoc modo alii Thomistae intelligunt peccatum originale esse virtualiter in semine. Quod etiam mihi rationabilius videtur, et conformius Sancti Thomae doctrinae. Nam Iª IIª, q. LXXXI, a. 1, ad 3, ostendens quomodo semen possit causare peccatum, ait quod, *etsi culpa non sit actu in semine, est tamen ibi virtute natura humana, quam concomitatur talis culpa.*

* Art. 1, Tertia concl., p. 350.

* Cf. lib. III, cap. X.

3. Sed contra hanc viam videtur quod ait Sanctus Thomas in QQ. *de Malo*, q. IV, a. 1, ad 9. Ibi enim tenet quod peccatum originale est in semine *secundum quandam eius intentionem.* Ex quo videtur quod de mente eius in semine sit quaedam virtus productiva peccati, habens esse intentionale.

Sed respondetur quod non est mens ipsius in semine esse virtutem aliquam productivam peccati: sed esse in ipso quendam defectum, et quandam privationem, ex qua provenit ut natura humana, quae virtute seminis producitur, sit subiecta defectui et culpae. Dicitur autem huiusmodi defectus et privatio in semine esse *quaedam intentio peccati originalis,* quia est quaedam eius similitudo secundum proportionem: est enim privatio virtutis productivae naturae cum iustitia originali, sicut peccatum originale est privatio iustitiae originalis in natura. Quod autem ista sit mens Sancti Thomae, patet, quia ibidem ait quod *ex peccato primi parentis destituta est caro eius illa virtute ut ex ea possit decidi semen per quod originalis iustitia in alios propagaretur. Et sic in semine defectus huius virtutis est defectus moralis corruptionis, et quaedam intentio eius.*

4. Considerandum tertio, quod semen non solum est causativum immunditiae hominis secundum quandam concomitantiam modo exposito, sed etiam in seipso quandam immunditiam habet: propter quod inquit Sanctus Thomas, *ex ipsius immunditia aliquam immunditiam ad hominem ex ipso conceptum pervenire.* Ista autem immunditia non habet rationem culpae, cum semen subiectum culpae esse non possit: sed cuiusdam defectus naturalis. Sic enim Adam a Deo institutus erat cum iustitia originali ut posset eam per seminalem propagationem in alios transfundere: et per consequens in semine eius virtus debebat esse instrumentalis iustitiae originalis causativa. Per peccatum autem, sicut Adam privatus est virtute supernaturali productiva iustitiae originalis, ita et semen eius tali virtute est privatum, et remanet cum sola virtute naturali sibi ex principiis naturae conveniente. Defectus ergo talis virtutis supernaturalis debitae haberi considerata prima hominis institutione a Deo, dicitur seminis immunditia, ex qua provenit defective immunditia in hominem conceptum ex eo: sicut ex aliquo defectu virtutis in semine hominis leprosi contingit defectus leprae in prole, ut dicitur II *Sent.*, d. XXX, q. 1, a. 2, ad 4. Unde cum inquit Sanctus Thomas, *Oportet intelligi de immunditia peccati cum dicitur quod ex immunditia humani seminis aliqua immunditia ad hominem ex semine conceptum pervenit,* hoc referendum est ad immunditiam hominis concepti, non autem ad seminis immunditiam.

5. Ex praedictis patet rationes Scoti, XXXII distinctione * Secundi, quibus probat in semine non esse qualitatem morbidam productivam peccati; et etiam non esse in semine, aut in materia de qua formatur corpus prolis, huiusmodi virtutem peccati productivam; non procedere contra Sanctum Thomam; quia nec talem qualitatem ponit in semine paterno, neque in semine matris, aut quacumque materia, ponit virtutem peccati productivam quocumque modo. Et si aliquando inveniatur in eius scriptis dictum animam a carne peccatum originale contrahere tanquam a causa effectiva instrumentali, nomine *carnis* intelligendum est carnale semen paternum, et est intelligendum ut exposuimus.

* a. 2 dub. 2.

VII. *Quinto* *. Baptismus, secundum communem Ecclesiae consuetudinem, exhibetur pueris recenter natis. Ergo in eis est aliquod peccatum. Non actuale: quia carent usu liberi arbitrii. Ergo per originem traductum. – Probatur consequentia. Quia cum baptismus, sicut et alia sacramenta, sint quaedam remedia contra peccatum, si oppositum consequentis staret cum antecedente, frustra pueris exhiberetur. Quod in operibus Dei et Ecclesiae non est dicendum.

* Cf. supra n. V.

Si dicatur quod baptismus infantibus datur, non ut a peccato mundentur, sed ut ad regnum Dei perveniant, quo quis pervenire non potest sine baptismo, iuxta illud *Ioan., Nisi quis* etc.: – hoc est vanum. Quia nullus a regno Dei excluditur nisi per aliquam culpam: cum finis omnis rationalis creaturae sit ut ad beatitudinem perveniat, quae est in solo regno Dei, idest in *ordinata societate eorum qui divina visione fruuntur;* a fine autem suo nihil deficiat nisi propter aliquod peccatum.

# CAPITULUM QUINQUAGESIMUM PRIMUM

## OBIECTIONES CONTRA PECCATUM ORIGINALE.

Sunt autem quaedam quae huic veritati adversari videntur. Peccatum enim unius aliis non imputatur ad culpam: unde *Ezech.* XVIII[20] dicitur quod *filius non portat iniquitatem patris.* Et huius ratio est quia non laudamur neque vituperamur nisi ex his quae in nobis sunt. Haec autem sunt quae nostra voluntate committimus. Non igitur peccatum primi hominis toti humano generi imputatur.

* Numeri appositi sunt a nobis.

2*. – Si vero quis dicat quod, uno peccante, *omnes peccaverunt in ipso,* ut Apostolus dicere videtur*, et sic uni non imputatur peccatum alterius, sed suum peccatum: – hoc etiam, ut videtur, stare non potest. Quia illi qui ex Adam nati sunt, quando Adam peccavit, in eo nondum erant actu, sed virtute tantum, sicut in prima origine. Peccare autem, cum sit agere, non competit nisi existenti in actu. Non igitur in Adam omnes peccavimus.

* Cf. cap. praec., *Hoc etiam.*

3. – Si autem ita dicatur nos in Adam peccasse quasi originaliter ab eo in nos peccatum proveniat simul cum natura: – hoc etiam impossibile videtur. Accidens enim, cum de subiecto ad subiectum non transeat, non potest traduci nisi subiectum traducatur. Subiectum autem peccati anima rationalis est, quae non traducitur in nos ex primo parente, sed a Deo singillatim creatur in unoquoque, ut in Secundo* ostensum est. Non igitur per originem peccatum ad nos ab Adam derivari potest.

* Cap. LXXXVI sq.

4. – Adhuc. Si peccatum a primo parente in alios derivatur quia ab eo originem trahunt, cum Christus a primo parente originem duxerit, videtur quod ipse etiam peccato originali subiectus fuerit. Quod est alienum a fide.

5. – Praeterea. Quod consequitur aliquid secundum suam originem naturalem, est ei naturale. Quod autem est alicui naturale, non est peccatum in ipso: sicut in talpa non est peccatum quod visu caret. Non igitur per originem a primo homine peccatum ad alios potuit derivari.

6. – Si autem dicatur quod peccatum a primo parente in posteros derivatur per originem, non inquantum est naturalis, sed inquantum est vitiata: – hoc etiam, ut videtur, stare non potest. Defectus enim in opere naturae non accidit nisi per defectum alicuius naturalis principii: sicut per corruptionem aliquam quae est in semine, causantur monstrosi partus animalium. Non est autem dare alicuius naturalis principii corruptionem in humano semine. Non videtur igitur quod aliquod peccatum ex vitiata origine derivetur in posteros a primo parente.

7. – Item. Peccata quae proveniunt in operibus naturae per corruptionem alicuius principii, non fiunt semper vel frequenter, sed ut in paucioribus. Si igitur per vitiatam originem peccatum a primo parente in posteros derivetur, non derivabitur in omnes, sed in aliquos paucos.

8. – Praeterea. Si per vitiatam originem aliquis defectus in prole proveniat, eiusdem generis oportet esse illum defectum cum vitio qui est in origine: quia effectus sunt conformes suis causis. Origo autem, sive generatio humana, cum sit actus potentiae generativae, quae nullo modo participat rationem, non potest habere in se vitium quod pertineat ad genus culpae: quia in his solis actibus potest esse virtus vel vitium qui subduntur aliqualiter rationi; unde non imputatur homini ad culpam si, propter vitiatam originem, nascatur leprosus vel caecus. Nullo igitur modo defectus culpabilis provenire potest a primo parente in posteros per vitiatam originem.

9. – Adhuc. Naturae bonum per peccatum non tollitur: unde etiam in daemonibus manent naturalia bona, ut Dionysius dicit*. Generatio autem est actus naturae. Non igitur per peccatum primi hominis vitiari potuit humanae generationis origo, ut sic peccatum primi hominis ad posteros derivaretur.

* *De Div. Nom.,* cap. IV; s. Th. lect. 19.

10. – Amplius. Homo generat sibi similem secundum speciem. In his ergo quae non pertinent ad generationem speciei, non oportet filium assimilari parentibus. Peccatum autem non potest pertinere ad rationem speciei: quia peccatum non est eorum quae sunt secundum naturam, sed magis corruptio naturalis ordinis. Non igitur oportet quod ex primo homine peccante alii peccatores nascantur.

11. – Praeterea. Filii magis similantur proximis parentibus quam remotis. Contingit autem quandoque quod proximi parentes sunt sine peccato, et in actu etiam generationis nullum peccatum committitur. Non igitur propter peccatum primi parentis peccatores omnes nascuntur.

12. – Deinde, si peccatum a primo homine in alios derivatum est; maioris autem virtutis in agendo est bonum quam malum, ut supra* ostensum est: multo magis satisfactio Adae, et iustitia eius, per eum ad alios transivit.

* Lib. III, cap. XII.

13. – Adhuc. Si peccatum primi hominis per originem propagatur in posteros, pari etiam ratione peccata aliorum parentum ad posteros deveniunt. Et sic semper posteriores essent magis onerati peccatis quam priores. Quod praecipue ex hoc sequi necesse est, si peccatum transit a parente in prolem, et satisfactio transire non potest.

---

1 quaedam quae huic] quaedam adhuc quae αWZP*c*, adhuc quidam qui Y, (Fuerunt autem) quidam quod huic G. 13 suum peccatum] suum Y, peccatum suum DEGNX*b*. ut videtur stare non potest] videtur stare non posse DEGNX. 19 ita dicatur nos in Adam] dicatur in Adam ita nos DEGNX, dicatur ita nos in Adam *b*. 21 etiam *om* DHZ, autem CEN. 32 duxerit] traxerit E, duxit BFHZP*c*. 36 est ei *post* naturale αWYZ. 37 autem est alicui] autem est DEGX*b*, est alicui P; Quod ... naturale *hom om* N. 38 in ipso ... peccatum *hom om* EG; in ipso *om* DX. 45 naturae *om* DEGNX*b*.

5 derivabitur] derivatur GP*c*. 7 aliquis ..... 9 origine *hom om* DEGN. 15 qui] quod αY, quae G. 21 Adhuc] Praeterea DEGNX*b*. 27 similem] simile DNX*b*. 36 quandoque *om* WP, *ante* sunt Z. 38 etiam *om* BCHYZP*c*, et pFG. 42 alios] alis *d*, aliis P. 47 in posteros *Ita* WYP*c*; in posteris *ceteri*.

### Commentaria Ferrariensis

Posita determinationem veritatis circa peccatum originale, vult consequenter Sanctus Thomas quasdam obiectiones excludere*. Circa hoc autem duo facit: primo, ponit ipsas obiectiones; secundo, illis respondet, capite sequenti.

*Cf. cap. praec., Introd.

*Prima ergo ratio est,* quia peccatum unius aliis non imputatur ad culpam: ut patet *Ezech.* xviii, *Filius* etc.

*Secunda:* quia, si dicatur unicuique in hoc imputari suum peccatum, non autem alterius, ex eo quod omnes in Adam peccante peccaverunt, ut videtur Apostolus dicere: – hoc non valet. Quia illi qui ex Adam nati sunt, in eo nondum erant actu, sed virtute tantum.

*Tertia* est quia, si dicatur nos peccasse in Adam eo quod originaliter ab eo in nos peccatum proveniat simul cum natura: – hoc videtur impossibile. Quia accidens non potest traduci nisi subiectum traducatur. Anima autem rationalis, quae est peccati subiectum, non traducitur in nos a primo parente, sed a Deo singillatim creatur in unoquoque.

*Quarta* est, quia sequetur quod etiam Christus peccato originali subiectus fuerit: cum etiam ipse a primo parente originem duxerit.

*Quinta* est, quia quod consequitur aliquod secundum suam originem naturalem, est naturale. Quod autem est naturale alicui, non est peccatum in ipso.

*Sexta* quia, si dicatur peccatum derivari per originem, non inquantum est naturalis, sed inquantum est vitiata: – hoc stare non potest. Quia defectus in opere naturae non accidit nisi propter defectum alicuius naturalis principii. Non est autem attendere alicuius naturalis principii corruptionem in humano semine.

*Septima* est, quia peccata quae proveniunt in operibus naturae per corruptionem alicuius principii, non fiunt semper vel frequenter.

*Octava* est, quia origo humana, cum sit actus potentiae generativae, quae nullo modo participat ratione, non potest habere in se vitium quod pertineat ad genus culpae. Et consequenter nec defectus per vitiatam originem in prole proveniens potest habere rationem culpae: cum effectus suis causis sint conformes.

*Nona* est quia, cum secundum Dionysium, naturae bonum per peccatum non tollatur; et generatio sit actus naturae: non potuit per peccatum primi hominis vitiari humanae generationis origo.

*Decima* est, quia in his quae non pertinent ad rationem speciei, non oportet filium parentibus assimilari. Peccatum autem non potest pertinere ad rationem speciei: cum sit corruptio naturalis ordinis.

*Undecima* est, quia filii magis assimilantur proximis parentibus quam remotis. Contingit autem quod proximi parentes sunt sine peccato; et quod in actu generationis nullum peccatum committatur.

*Duodecima* est, quia sequitur quod etiam iustitia et satisfactio Adae per eum ad alios transivit: cum maioris virtutis sit bonum in agendo quam malum.

*Ultima* est quia, pari ratione, etiam peccata aliorum parentum deveniunt ad posteros; et sic posteriores semper sunt magis onerati peccatis.

# CAPITULUM QUINQUAGESIMUM SECUNDUM

## SOLUTIO OBIECTIONUM POSITARUM.

Ad horum igitur solutionem, praemittendum est quod peccati originalis in humano genere probabiliter quaedam signa apparent. Cum enim Deus humanorum actuum sic curam gerat ut bonis operibus praemium et malis poenam retribuat, ut in superioribus* est ostensum, ex ipsa poena possumus certificari de culpa. Patitur autem communiter humanum genus diversas poenas, et corporales et spirituales. Inter corporales, potissima est mors, ad quam omnes aliae ordinantur: scilicet fames, sitis, et alia huiusmodi. Inter spirituales autem est potissima debilitas rationis, ex qua contingit quod homo difficulter pervenit ad veri cognitionem, et de facili labitur in errorem; et appetitus bestiales omnino superare non potest, sed multoties obnubilatur ab eis.

*Lib. III, cap. cxl.

Posset tamen aliquis dicere huiusmodi defectus, tam corporales quam spirituales, non esse poenales, sed naturales defectus ex necessitate materiae consequentes. Necesse est enim corpus humanum, cum sit ex contrariis compositum, corruptibile esse; et sensibilem appetitum in ea quae sunt secundum sensum delectabilia moveri, quae interdum sunt contraria rationi; et cum intellectus possibilis sit in potentia ad omnia intelligibilia, nullum eorum habens in actu, sed ex sensibus natus ea acquirere, difficulter ad scientiam veritatis pertingere, et de facili propter phantasmata a vero deviare. Sed tamen, si quis recte consideret, satis probabiliter poterit aestimare, divina providentia supposita, quae singulis perfectionibus congrua perfectibilia coaptavit, quod Deus superiorem naturam inferiori ad hoc coniunxit ut ei dominaretur; et si quod huius dominii impedimentum ex defectu naturae contingeret, eius speciali et supernaturali beneficio tolleretur; ut scilicet, cum anima rationalis sit altioris naturae quam corpus, tali conditione credatur corpori esse coniuncta quod in corpore aliquid esse non possit contrarium animae, per quam corpus vivit; et similiter, si ratio in homine appetitui sensuali

6 ut] et ut DEGN*b*. 10 corporales] autem *addit* Y. 11 ordinantur] tendunt et ordinantur αWYZP*c*. 12 alia] cetera αWYZ*b*P*c*. 16 superare *Ita* DXYP*c*; separare *ceteri*.

4 cum intellectus possibilis] intellectum possibilem cum P*c*. 7 natus *Ita* Y; natum est HW, natum *ceteri*. 8 pertingere] potest *addunt* WX*b*; sY *addit* potest *post* deviare. 12 coaptavit] captavit DEGN, aptavit X. 14 quod] quid DGX, quis N, quidem *b*.

coniungitur et aliis sensitivis potentiis, quod ratio a sensitivis potentiis non impediatur, sed magis eis dominetur.

Sic igitur, secundum doctrinam fidei, ponimus hominem a principio taliter esse institutum quod, quandiu ratio hominis Deo esset subiecta, et inferiores vires ei sine impedimento deservirent, et corpus ab eius subiectione impediri non posset per aliquod impedimentum corporale, Deo et sua gratia supplente quod ad hoc perficiendum natura minus habebat; ratione autem aversa a Deo, et inferiores vires a ratione repugnarent, et corpus vitae, quae est per animam, contrarias passiones susciperet.

Sic igitur huiusmodi defectus, quamvis naturales homini videantur absolute considerando humanam naturam ex parte eius quod est in ea inferius, tamen, considerando divinam providentiam et dignitatem superioris partis humanae naturae, satis probabiliter probari potest huiusmodi defectus esse poenales. Et sic colligi potest humanum genus peccato aliquo originaliter esse infectum.

His igitur visis, respondendum est ad ea quae in contrarium sunt obiecta. Non enim est inconveniens quod, uno peccante, peccatum in omnes dicimus per originem esse propagatum, quamvis unusquisque ex proprio actu laudetur vel vituperetur: ut *prima* ratio procedebat. Aliter enim est in his quae sunt unius individui, et aliter in his quae sunt totius naturae speciei: nam *participatione speciei sunt plures homines velut unus homo*, ut Porphyrius dicit*. Peccatum igitur quod ad aliquod individuum sive personam hominis pertinet, alteri non imputatur ad culpam nisi peccanti: quia personaliter unus ab alio divisus est. Si quod autem peccatum est quod ipsam naturam speciei respiciat, non est inconveniens quod ex uno propagetur in alterum: sicut et natura speciei per unum aliis communicatur. Cum autem peccatum malum quoddam sit rationalis naturae; malum autem est privatio boni: secundum illud bonum quod privatur, iudicandum est peccatum aliquod ad naturam communem, vel ad aliquam personam propriam pertinere. Peccata igitur actualia, quae communiter ab hominibus aguntur, adimunt aliquod bonum personae peccantis, puta gratiam et ordinem debitum partium animae: unde personalia sunt, nec, uno peccante, alteri imputatur. Primum autem peccatum primi hominis non solum peccantem destituit proprio et personali bono, scilicet gratia et debito ordine animae, sed etiam bono ad naturam communem pertinente. Ut enim supra* dictum est, sic natura humana fuit instituta in sui primordio quod inferiores vires perfecte rationi subiicerentur, ratio Deo, et animae corpus, Deo per gratiam supplente id quod ad hoc deerat per naturam. Huiusmodi autem beneficium, quod a quibusdam *originalis iustitia* dicitur*, sic primo homini collatum fuit ut ab eo simul cum natura humana propagaretur in posteros. Ratione autem per peccatum primi hominis se subtrahente a subiectione divina, subsecutum est quod nec inferiores vires perfecte rationi subiiciantur, nec animae corpus: et hoc non tantum in primo peccante, sed idem defectus consequens pervenit ad posteros, ad quos etiam dicta originalis iustitia perventura erat. Sic igitur peccatum primi hominis, a quo omnes alii secundum doctrinam fidei sunt derivati, et personale fuit, inquantum ipsum primum hominem proprio bono privavit; et naturale, inquantum abstulit sibi et suis posteris consequenter beneficium collatum toti humanae naturae. Sic igitur huiusmodi defectus in aliis consequens ex primo parente, etiam in aliis rationem culpae habet, prout omnes homines computantur unus homo per participationem naturae communis. Sic enim invenitur voluntarium huiusmodi peccatum voluntate primi parentis quemadmodum et actio manus rationem culpae habet ex voluntate primi moventis, quod est ratio: ut sic aestimentur in peccato naturae diversi homines quasi naturae communis partes, sicut in peccato personali diversae unius hominis partes.

Secundum hoc igitur verum est dicere quod, uno peccante, *omnes peccaverunt in ipso*, ut Apostolus dicit: secundum quod *secunda* ratio proponebat. Non quod essent actu in ipso alii homines, sed virtute, sicut in originali principio. Nec dicuntur peccasse in eo quasi aliquem actum exercentes: sed inquantum pertinent ad naturam ipsius, quae per peccatum corrupta est.

Nec tamen sequitur, si peccatum a primo parente propagatur in posteros, cum subiectum peccati sit anima rationalis, quod anima rationalis simul cum semine propagetur: secundum processum *tertiae* rationis. Hoc enim modo propagatur hoc peccatum naturae quod originale dicitur, sicut et ipsa natura speciei, quae, quamvis per animam rationalem perficiatur, non tamen propagatur cum semine, sed solum corpus ad susceptionem talis animae aptum natum, ut in Secundo* ostensum est.

Et licet Christus a primo parente secundum carnem descenderit, non tamen inquinationem originalis peccati incurrit, ut *quarta* ratio concludebat: quia materiam humani corporis solum a primo parente suscepit; virtus autem formativa corporis eius non fuit a primo parente derivata, sed fuit virtus Spiritus Sancti, ut supra* ostensum est. Unde naturam humanam non ab Adam

* *Isagoge*, cap. II. 36. (inter Op. Arist., Bipont. 1791, Vol. I).

* Ct. Anselm., *de Conceptu Virginali*, cap. I.

* Cap. LXXXVI.

* Cap. XLVI.

* *Sic igitur.*

1 quod ratio a sensitivis potentiis *hom om* BDEGNXpHZ. 8 ab eius subiectione *Ita* WZPd; ab eis subiectione BCHsF*c*, ab eis subiectionem FN*b*, ab eis subiectum DEGX, eis subiectum Y. 10 quod ad] quoad αEGNWX; *pro* natura, quod natura DGX. 11 aversa] adversa αEGN*b*. 12 a ratione] rationi Z; *pro* repugnarent, repugnaverunt αWYZ; *pro* susciperet, suscepit W. 25 in omnes dicimus] dicimus in omnes EGNX, eius in omnes D, in omnes H, in omnes dominetur (qui per originem propagantur) Z. 27 laudetur vel vituperetur] laudatur vel vituperatur αWZ*c*. 35 quia] eo quod P*c*. 37 naturam speciei] speciem DEGNX, naturam rei Z. 38 ex] ab DEGNX. 41 autem est] est BpZ, quod est DGNXpE*cd*, autem sit P. 48 nec] ut ENsG*b*, et D, ut non G, unde sE; *pro* imputatur, (non D) imputantur DYpZ, imputetur C*b*, non imputatur sE. 53 pertinente] pertinentem BCEGHN*b*. 54 natura *post* humana DEGNX*b*.
10 consequens] communis αWYsZ*b*P*c*. 11 etiam dicta] in dicta α, indita Y. 20 homines *om* DEGNX. 21 naturae *post* communis EGX, cuius naturae communis D. 41 propagetur] propagaretur DEGX.

accepit sicut ab agente: licet eam de Adam susceperit sicut de materiali principio.

Considerandum est etiam quod praedicti defectus per naturalem originem traducuntur ex eo quod natura destituta est auxilio gratiae, quod ei fuerat in primo parente collatum ad posteros simul cum natura derivandum. Et quia haec destitutio ex voluntario peccato processit, defectus consequens suscipit culpae rationem. Sic igitur defectus huiusmodi et culpabiles sunt per comparationem ad primum principium, quod est peccatum Adae; et naturales sunt per comparationem ad naturam iam destitutam; unde et Apostolus dicit, *Ephes.* II[3]: *Eramus natura filii irae.* Et per hoc solvitur ratio *quinta.*

Patet igitur secundum praedicta quod vitium originis ex quo peccatum originale causatur, provenit ex defectu alicuius principii, scilicet gratuiti doni quod naturae humanae in sui institutione fuit collatum. Quod quidem donum quodammodo fuit naturale: non quasi ex principiis naturae causatum, sed quia sic fuit homini datum ut simul cum natura propagaretur. Obiectio autem *sexta* procedebat secundum quod naturale dicitur quod ex principiis naturae causatur.

Procedit etiam *septima* ratio, per modum eundem, de defectu principii naturalis quod pertinet ad naturam speciei: quod enim ex defectu huiusmodi naturalis principii provenit, accidit ut in paucioribus. Sed defectus originalis peccati provenit ex defectu principii superadditi principiis speciei, ut dictum est.

Sciendum est etiam quod in actu generativae virtutis non potest esse vitium de genere actualis peccati, quod ex voluntate singularis personae dependet, eo quod actus generativae virtutis non obedit rationi vel voluntati, ut *octava* ratio procedebat. Sed vitium originalis culpae, quae ad naturam pertinet, nihil prohibet in actu generativae potentiae inveniri: cum et actus generativae potentiae naturales dicantur.

Quod vero *nono* obiicitur, de facili solvi potest secundum praemissa. Per peccatum enim non tollitur bonum naturae quod ad speciem naturae pertinet: sed bonum naturae quod per gratiam superadditum fuit, potuit per peccatum primi parentis auferri, ut supra* dictum est.

* *Patet igitur.*

Patet etiam ex eisdem de facili solutio ad *decimam* rationem. Quia cum privatio et defectus sibi invicem correspondeant, ea ratione in peccato originali filii parentibus similantur, qua etiam donum, a principio naturae praestitum, fuisset a parentibus in posteros propagatum: quia licet ad rationem speciei non pertineret, tamen ex divina gratia datum fuit primo homini ut ab eo in totam speciem derivandum.

Considerandum est etiam quod, licet aliquis per gratiae sacramenta sic ab originali peccato mundetur ut ei non imputetur ad culpam, quod est personaliter ipsum a peccato originali liberari, non tamen natura totaliter sanatur: et ideo secundum actum naturae peccatum originale transmittitur in posteros. Sic igitur in homine generante inquantum est persona quaedam, non est originale peccatum; et contingit etiam in actu generationis nullum esse actuale peccatum, ut *undecima* ratio proponebat; sed inquantum homo generans est naturale generationis principium, infectio originalis peccati, quod naturam respicit, in eo manet et in actu generationis ipsius.

Sciendum etiam est quod peccatum actuale primi hominis in naturam transivit: quia natura in eo erat beneficio naturae praestito adhuc perfecta. Sed per peccatum ipsius natura hoc beneficio destituta, actus eius simpliciter personalis fuit. Unde non potuit satisfacere pro tota natura, neque bonum naturae reintegrare per suum actum: sed solum satisfacere aliquatenus potuit pro eo quod ad ipsius personam spectabat. Ex quo patet solutio ad *duodecimam* rationem.

Similiter autem et ad *tertiamdecimam:* quia peccata posteriorum parentum inveniunt naturam destitutam beneficio primitus ipsi naturae concesso. Unde ex eis non sequitur aliquis defectus qui propagetur in posteros, sed solum qui personam peccantis inficiat.

Sic igitur non est inconveniens, neque contra rationem, peccatum originale in hominibus esse: ut Pelagianorum haeresis confundatur, quae peccatum originale negavit*.

* *Vide cap.* L, *Huius autem.*

1 susceperit *Ita* DP*c*; susciperet *ceteri.* 31 principiis *Ita* DEZ*b*; principii αGY, principio WX*Pc.* 44 tollitur] homini *addunt* P*c.* 4 defectus] forma *Ferrariensis in commento.* 11 derivandum] derivatur (derivetur HY, derivaretur W, derivandum Z*b*P*c*). Similiter (Et similiter W*b*) peccatum per quod illud (illud *om b*) bonum privatur, in totam speciem derivatur αWYZ*b*P*c.* 25 et in] in NZ, etiam in DE. 26 etiam est quod] est etiam quod EGNW, est quod etiam X, est quod Z. 27 quia] et quia D; *cf. var. seq.* 28 praestito..... 29 beneficio *om* DEGNX. 30 actus eius simpliciter personalis fuit] actus enim simpliciter naturalis fuit DNXpE; naturalis *etiam* G*b*P*c.* 31 pro] quod α, quasi (totam naturam) W. 36 autem et] etiam DEHNX, etiam et G, autem Z, (similiter *om*) et etiam W. 36 tertiam decimam] rationem *addunt* DEGNX. 40 propagetur] propagatur C. 41 inficiat *Ita* XP; inficit Z, inficiunt *ceteri.* 43 esse *om* EN, ponere DGX. 44 quae] qui αWY; *pro* negavit, negant WY.

## Commentaria Ferrariensis

* *Cf. cap. praec.*

Ad horum solutionem*, primo praemittit Sanctus Thomas quoddam necessarium; secundo, respondet unicuique singillatim*.

* *Num.* II, *sqq.*

I. Praemittit ergo quod peccati originalis in humano genere probabiliter quaedam signa apparent: scilicet et poenae corporales, ut est mors et alia quae ordinantur ad ipsam, puta fames, sitis et huiusmodi; et poenae spirituales, ut est debilitas rationis, ex qua contingit ut difficulter perveniat ad veri cognitionem et faciliter labatur in errorem, et appetitus bestiales omnino superare non possit.

Si fortassis dicatur huiusmodi defectus non esse poenales, sed naturales, ex necessitate materiae provenientes; quia corpus humanum est ex contrariis compositum; et sensibilis appetitus in delectabilia secundum sensum movetur, quae quandoque sunt contraria rationi; et intellectus possibilis est in potentia, et natus acquirere intelligibilia ex sensu: – si quis recte consideret, satis probabiliter poterit existimare, divina providentia praesupposita, quae singulis perfectionibus congrua perfectibilia coaptavit, Deum superiorem naturam inferiori ad hoc coniunxisse ut ei do-

minaretur; et omne impedimentum ex defectu naturae contingens, eius spirituali et supernaturali beneficio tolleretur; ut scilicet credatur animam tali esse conditione corpori coniunctam quod in corpore aliquid esse non possit contrarium animae, per quam corpus vivit; et similiter rationem in homine appetitui sensitivo et viribus sensitivis sic coniungi quod ab eis non impediatur, sed magis eis dominetur. Ideo secundum fidei doctrinam ponimus hominem a principio taliter esse institutum ut, quandiu ratio esset Deo subiecta, et inferiores vires ei sine impedimento deservirent, et corpus ab animae subiectione impediri non posset, Deo et sua gratia defectum naturae supplente: ratione autem aversa a Deo, et inferiores vires rationi repugnarent, et corpus vitae contrarias passiones susciperet. Ex quo infertur huiusmodi defectus, quamvis naturales homini esse videantur considerata inferiori parte naturae humanae, considerata tamen divina providentia et dignitate partis superioris, satis probabiliter probari posse esse poenales, et sic genus humanum alicui peccato originaliter esse subiectum.

Advertendum quod Sanctus Thomas ait *satis probabiliter* praedicta probari posse, ut ostendat ea quae secundum fidem de peccato originali et eius poena tenentur, contra rationem non esse, sed aliqua etiam probabili ratione probari posse, supposita divina providentia, quam veri philosophi non negant.

Advertendum quoque quod bene dictum est praedictos effectus poenales esse, *considerata divina providentia et superiori parte.* Quia per divinam providentiam collata est primo homini supernaturale beneficium a sua institutione: *privari autem eo quod etiam gratis est concessum, poenale est,* ut dicitur II *Sent.,* d. XXX, q. I, a. 1.

II. Istis praesuppositis, respondet Sanctus Thomas ad obiectiones superius factas.

* Cf. num. VI. *Ad primam* quidem* dicit primo, quod aliter est in iis quae sunt unius individui, et aliter in iis quae sunt totius naturae speciei: cum plures homines, secundum Porphyrium, *participatione speciei sint unus homo.* Peccatum enim quod ad aliquod individuum sive personam hominis pertinet, alteri non imputatur ad culpam nisi peccanti. Si quod autem peccatum ipsam naturam speciei respiciat, non est inconveniens ut ex uno propagetur in alterum, sicut et natura speciei.

Dicit secundo quod, cum peccatum malum quoddam sit rationalis naturae; et malum sit privatio boni: secundum illud bonum quod privatur, iudicandum est aliquod peccatum ad naturam communem, vel ad aliquam personam propriam pertinere. Peccata enim actualia, quae communiter ab hominibus aguntur, adimunt aliquod bonum personae peccantis, puta gratiam et ordinem debitum partium animae. Ideo personalia dicuntur: nec, uno pec-

* Cf. text. et var. cante, alteri imputantur*. – Peccatum autem primi hominis non solum peccantem destituit illo proprio bono et personali, sed etiam bono ad naturam communem pertinente, scilicet hoc beneficio quod inferiores vires perfecte rationi subiicerentur, ratio Deo, et corpus animae, quod beneficium a quibusdam *originalis iustitia* dicitur. Quia, ratione se per peccatum a subiectione Dei subtrahente, subsecutum est quod nec inferiores vires perfecte rationi subiiciantur, nec animae corpus, non solum in primo peccante, sed etiam in posteris, ad quos originalis iustitia simul cum natura perventura erat. Ideo peccatum primi hominis et *personale* fuit, inquantum ipsum primum hominem proprio bono privavit; et *naturale,* inquantum abstulit sibi, et suis posteris consequenter, beneficium toti humanae naturae collatum.

Dicit tertio, quod huiusmodi defectus, etiam in aliis a primo parente, rationem culpae habet, prout omnes homines computantur tanquam unus homo per participationem naturae communis: quia sic invenitur voluntarium huiusmodi peccatum voluntate primi parentis, quemadmodum et actio manus rationem culpae habet ex voluntate primi moventis, quod est ratio. Existimantur enim in peccato naturae diversi homines quasi naturae communis partes, sicut et in peccato personali diversae unius hominis partes.

III. Circa primum dictum responsionis, advertendum quod ea quae sunt propria unius hominis et unius individui, conveniunt sibi ut ab aliis individuis et personis distinguitur: quia, ut inquit Sanctus Thomas, unus homo ab alio personaliter distinguitur. Ea autem quae naturam communem consequuntur, conveniunt uni individuo, non secundum quod ab alio individuo personaliter distinguitur, sed secundum quod cum aliis convenit in natura et cum illis habet unitatem. Propterea bene dictum est quod aliter est in his quae sunt unius individui, et aliter in his quae sunt totius naturae speciei, propter unitatem omnium hominum in natura communi.

Circa secundum dictum considerandum est quod duplex est ordo partium animae: unus *habitualis,* secundum videlicet quod inferior pars nata est et disposita sequi omnino motionem et imperium superioris; alius est *actualis,* quando scilicet actualiter inferior pars movetur secundum convenientiam et motionem superioris partis. Cum ergo dicitur quod peccata actualia et personalia adimunt ordinem partium animae in peccante, intelligitur non de habituali ordine, quia ille adimitur per peccatum originale, cum ad naturam pertineat: sed de actuali ordine, qui ad personam pertinet, cuius est operari. Homo enim peccans operatur secundum inferioris partis inclinationem non regulatae ratione: cum tamen deberet ordinem rationis sequi.

Circa tertium dictum considerandum est, ut optime declarat Sanctus Thomas, *de Malo,* q. IV, a. 1, quod aliquis homo singularis dupliciter considerari potest: uno modo, inquantum est quaedam singularis persona; alio modo, inquantum est pars multitudinis hominum quae per naturalem originem derivatur ab uno. Primo modo, convenit sibi actus quem proprio arbitrio et per seipsum facit: secundo vero modo, potest sibi convenire actus quem non per seipsum facit, sed qui fit a capite huiusmodi multitudinis inquantum huiusmodi; sicut et actus qui fit a principe collegii ad unumquemque de collegio aliquo modo dicitur pertinere. Ista enim hominum multitudo sic ab uno per naturalem originem descendentium, consideratur tanquam unus homo, cuius omnes particulares homines sunt membra, et cuius ipse Adam est caput et principium movens. Quia ergo iustitiae originalis donum fuerat datum primo homini non tanquam singulari personae, sed tanquam principio totius naturae, ut scilicet ab eo per originem derivaretur in posteros; hoc donum ipse peccando amisit et pro se, et pro sua posteritate. Et hic defectus habet rationem culpae in omnibus qui ab Adam seminaliter descendunt, ratione voluntarii peccati Adam ex quo processit, inquantum unusquisque consideratur ut membrum totius multitudinis hominum cuius Adam est caput. Comparatio ergo Sancti Thomae inter defectum hunc traductum in prolem et actionem manus, tenet quantum ad hoc quod, sicut actio manus habet rationem culpae inquantum manus est instrumentum hominis motum a primo principio motivo existente in homine, scilicet a voluntate, quae tamen non est in ipsa manu; ita et defectus naturae in hanc prolem per generationem deveniens habet rationem culpae inquantum hic homo genitus est pars naturae humanae, in quam huiusmodi peccatum provenit voluntate primi parentis voluntarie peccantis. Et sic constat quod tale peccatum dicitur in hoc homine voluntarium esse, non propria voluntate simpliciter, sed aliena: licet aliquo modo possit dici voluntarium propria voluntate, inquantum, cum sit pars multitudinis humanae, voluntas primi hominis potest dici uniuscuiusque voluntas aliquo modo, quantum ad ea quae pertinent ad naturam.

IV. Sed circa ea quae hic dicuntur, dubium occurrit. Non enim videtur verum huiusmodi defectum naturae habere rationem culpae inquantum est voluntarius voluntate primi parentis. Tum quia magis videtur habere rationem poenae quam culpae. – Tum quia non videtur quomodo sit voluntarius illa voluntate.

Primum ostenditur, quia privatio originalis iustitiae est defectus sequens ex peccato primi parentis. Defectus autem proveniens ex peccato non habet rationem culpae: unde Sanctus Thomas, I$^{a}$ II$^{ae}$, q. LXXXV, a. 5, ait quod *subtractio*

*originalis iustitiae habet rationem poenae, sicut etiam subtractio gratiae:* et loquitur de subtractione passiva.

Secundum vero ostenditur, quia quod est praeter intentionem, non potest dici voluntarium. Constat autem quod Adam peccando non intendebat privationem iustitiae originalis.

2. Respondetur, et dicitur primo, ex doctrina Sancti Thomae in Qu. *de Malo,* loco praeallegato, quod ista privatio originalis iustitiae, si comparetur ad hunc hominem descendentem per originem naturalem ab Adam, inquantum est particularis persona, sic non habet rationem culpae, sed poenae, quia nullo modo est voluntaria: neque enim directe, neque indirecte est volita propria voluntate eius qui generatur: cum a principio generationis proles nullum habeat actum voluntatis. Sed si comparetur ad ipsum inquantum est quoddam membrum et quaedam pars humanae naturae, sic habet rationem culpae: quia est voluntaria voluntate principii et capitis totius naturae; nam omnis defectus in natura prolis inventus derivatus a peccato primi parentis, habet rationem culpae, si sit in subiecto capaci culpae, ut dicitur *de Malo,* ubi supra, a. 2. Quod ergo inquit Sanctus Thomas, subtractionem originalis iustitiae habere rationem poenae, intelligitur inquantum comparatur ad hunc hominem ut est persona particularis. Hic vero loquimur de ipsa inquantum comparatur ad hunc hominem ut est pars totius naturae, et ut omnes homines tanquam unus homo participatione naturae communis reputantur. Non est autem inconveniens ut defectus naturae proveniens in alium ex peccato alterius habeat rationem culpae originalis inquantum est aliquo modo voluntarius.

Dicitur secundo, quod huiusmodi defectus non est omnino praeter intentionem primi peccantis. Nam dupliciter potest dici aliquid voluntarium. Uno modo, quia ipsum, secundum se consideratum, est volitum: et tale dicitur esse directe intentum. Alio modo, quia coniungitur de necessitate ei quod secundum se est volitum, sive sequitur de necessitate ad voluntarium actum: et tale dicitur esse intentum indirecte et concomitanter. Defectus ergo naturae per originem proveniens dicitur voluntarius voluntate primi hominis, non quidem primo modo, tanquam scilicet secundum se volitum: sed secundo modo, inquantum de necessitate, secundum divinam ordinationem, secutus est voluntarium ipsius peccatum. Ideo, licet praeter intentionem primam et directam Adam peccantis fuerit, fuit tamen ab ipso indirecte et concomitanter intentus. Et ideo etiam in ipso Adam talis defectus naturae habebat rationem culpae: non quidem originalis, quia non erat per naturalem originem traductus; sed actualis, inquantum erat aliquo modo volitus per actum voluntatis hominis peccantis; et naturalis, inquantum erat defectus naturam concomitans ex voluntario peccato ipsius Adam. Unde Sanctus Thomas, II *Sent.,* d. XXXI*, a. 1, ait quod *infectio ex inordinata voluntate primi parentis proveniens in ipso fuit per modum peccati actualis, et per modum peccati naturalis: in sequentibus autem non est nisi ut peccatum naturale.*

*q. 1.

3. Considerandum ulterius ex toto processu huius responsionis haberi quod ad rationem iustitiae originalis pertinebat non solum quod corpus animae subderetur et inferiores vires subderentur rationi, sed etiam quod ratio subderetur Deo. Quod patet ex eo quod, postquam dixit Sanctus Thomas humanam naturam institutam cum subiectione virium inferiorum ad rationem, rationis ad Deum, et corporis ad animam, subiungit *hoc beneficium vocari a quibusdam iustitiam originalem.* Ex quibus patet eum velle quod subiectio mentis ad Deum ad iustitiam originalem pertineat: id quod etiam in aliis locis expressius ponit. Ex hoc autem haberi potest quod iustitia originalis gratiam includebat, tanquam videlicet sui radicem: quia sicut subiectio corporis ad animam, et inferiorum virium ad rationem, erat supernaturalis, per iustitiam scilicet originalem, quae erat gratia gratis data; ita et subiectionem rationis ad Deum oportebat supernaturalem esse, et consequenter per gratiam gratum facientem, cuius est animam Deo supernaturaliter subiicere. Propter quod inquit Sanctus Thomas Prima, q. c, a. 1, ad 2, quod *radix originalis iustitiae consistit in subiectione supernaturali rationis ad Deum, quae est per gratiam gratum facientem.* Et hac ratione concludit et ibi, et q. XCV, a. 1, quod et Adam creatus est in gratia, et pueri cum iustitia originali nati gratiam habuissent.

V. Sed occurrit dubium. Videtur enim velle Sanctus Thomas, ut ex hoc processu manifeste apparet, quod aversio voluntatis primi hominis a Deo per peccatum actuale fuit causa amissionis iustitiae originalis; et subiectio voluntatis ad Deum erat causa conservationis ipsius. Sed idem non est causa sui ipsius. Ergo subiectio voluntatis ad Deum non erat aliquid intrinsecum iustitiae originali.

2. Dupliciter ad hoc responderi potest. Primo, quod subiectio voluntatis ad Deum non ponitur causa conservativa iustitiae originalis simpliciter, sed tantum secundum quod in inferioribus viribus animae et in corpore inveniebatur. Modo: non est inconveniens idem, secundum effectum quem ponit in una parte animae, esse causam effectus quem ponit in aliis animae partibus.

Secundo potest responderi quod duplex est subiectio voluntatis ad Deum, sicut et duplex aversio: scilicet actualis sive virtualis; et habitualis. Illa subiectio quae ponitur conservativa iustitiae originalis, erat actualis sive virtualis, scilicet in supposito: quandiu enim durasset propositum talis subiectionis, mansisset iustitia originalis. Subiectio autem quae ad iustitiam originalem pertinebat tanquam eius primus effectus erat habitualis. Sicut et aversio actualis a Deo fuit causa demeritoria privationis iustitiae originalis: habitualis autem aversio in peccato includitur originali, sicut primus effectus privationis iustitiae originalis, quae est in animae essentia, sicut et ipsa originalis iustitia in ea erat.

VI. *Ad secundam rationem** dicit primo Sanctus Thomas quod, licet in Adam non essent alii homines actu, erant tamen in virtute, sicut in originali principio. * Cf. num. II.

Dicit secundo, quod non dicuntur alii peccasse in eo quasi aliquem actum exercentes: sed inquantum pertinent ad naturam ipsius, quae per peccatum corrupta est.

Advertendum ex hac responsione quod aliquis potest dici peccare dupliciter: aut scilicet quia producit actum peccati; aut quia habet ab alio naturam subiectam peccato. Primo modo, non dicuntur alii homines peccare in Adam: sed bene secundo modo.

VII. *Ad tertiam* dicit quod hoc modo propagatur peccatum naturae quo et ipsa natura speciei: quae quamvis per animam rationalem perficiatur, non tamen anima propagatur cum semine, sed solum corpus ad susceptionem animae aptum natum.

Advertendum sensum huius responsionis esse quod, licet anima rationalis, quae est subiectum peccati originalis, non propagetur cum semine, idest, non educatur de potentia in actu virtute seminis, propagatur tamen corpus illi proportionatum, ex quorum unione resultat natura humana, propter quod dicitur humana natura cum semine propagari. Et sic dicitur propagari anima a semine, non per effectivam productionem ipsius, sed per dispositionem materiae sibi convenientis et proportionatae: iuxta illud quod inquit Sanctus Thomas I$^{a}$ II$^{ae}$, q. LXXXIII, a. 1, ad 3, *animam huius hominis non fuisse secundum seminalem rationem in Adam peccante sicut in principio effectivo, sed sicut in principio dispositivo.* Unde illa propositio, *Accidens non potest traduci nisi traducatur subiectum,* non habet veritatem si intelligatur de traductione effectiva tantum: sed sufficit quod traducatur subiectum traductione dispositiva; sicut et ista propositio, *Natura non traducitur nisi traducatur forma per quam perficitur,* non habet veritatem si intelligatur de traductione et productione formae effectiva tantum, sed sufficit ut dispositive traducatur.

VIII. *Ad quartam,* negatur consequentia. Quia Christus materiam solum humani corporis a primo parente suscepit, virtus autem formativa fuit virtus Spiritus Sancti. Unde et humanam naturam ab Adam accepit non sicut ab agente, sed eam de ipso sicut de materiali principio suscepit.

Advertendum, ex doctina Sancti Thomae I$^{a}$ II$^{ae}$, q. LXXXI, a. 4; et Qu. *de Malo,* q. IV, a. 6, quod *illi soli peccatum*

*originale contrahunt qui ab Adam descendunt per virtutem activam in generatione originaliter ab Adam derivatam: quia tale peccatum non derivatur in posteros a primo parente nisi inquantum ab ipso moventur per originem.* Ideo bene dicitur hoc loco Christum peccatum originale non contraxisse, licet materiam sui corporis ex Beata Virgine ab Adam descendente susceperit, quia corpus eius non fuit formatum virtute activa seminis ab Adam descendentis, sed Spiritus Sancti virtute.

IX. *Ad quintam* dicit primo, quod ideo praedicti defectus per naturalem originem traducuntur, quia natura destituta est auxilio gratiae, quod simul cum natura erat ad posteros derivandum.

Dicit secundo, quod hic defectus suscipit rationem culpae, quia haec destitutio ex voluntario peccato processit. Ex quo patet quod huiusmodi defectus et culpabiles sunt, per comparationem ad primum principium, idest ad peccatum Adae: et naturales sunt, per comparationem ad naturam iam destitutam, iuxta illud *Ephes.* II, *Eramus natura filii irae.*

Advertendum quod Sanctus Thomas vult negare illam propositionem, *Quod est naturale alicui* (modo inferius* exponendo), *non est peccatum in ipso.* Potest enim quod est naturale habere rationem culpae inquantum provenit ex peccato voluntario alicuius a quo natura, destituta supernaturali auxilio, in alio originem habet.

* Num. x, *Advertendum quod.*

Advertendum quoque ex ista responsione quod natura dupliciter considerari potest. Scilicet secundum se: et sic defectus qui sunt in natura, nullo modo sunt culpabiles, sed tantummodo naturales. Et ut ex voluntario peccato primi parentis consequuntur naturam destitutam praedicto auxilio, quod huiusmodi defectus prohibebat: et sic culpabiles sunt, licet etiam sint naturales.

X. *Ad sextam,* admissa responsione data, negatur, primo, vitium originis non provenire ex defectu alicuius principii: scilicet gratuiti doni collati naturae in sui institutione.

Dicitur secundo, quod hoc donum quodammodo fuit naturale: non quasi ex principiis naturae causatum; sed quia sic homini datum fuerat ut simul cum natura propagaretur, idest, virtute seminis perveniret ad prolem. Et ideo vitiata origo est ex defectu principii aliquo modo naturalis, licet non naturalis ut ex principiis naturae causati.

Advertendum quod vult Sanctus Thomas hanc distinctionem intelligi: scilicet quod naturale dupliciter dicitur. Uno modo, quod est ex principiis naturae causatum: et sic origo non est vitiata vitio originalis peccati ex defectu principii naturalis. Alio modo, quia simul cum natura est propagatum: [et] sic origo dicitur vitiata propter defectum principii naturalis.

Advertendum secundo, quod iustitia originalis erat aliquo modo in semine Adam antequam peccaret, inquantum habebat virtutem aliquo modo causativam ipsius simul cum natura, quandocumque ab ipso decideret. Ideo, subtracta dicta iustitia a natura per peccatum Adam, potest dici in semine esse defectum alicuius principii, per quem origo est vitiata, et natura provenit peccato obnoxia.

XI. *Ad septimam* per idem patet. Assumptum enim verum est de eo quod provenit ex defectu principii naturalis, idest, ad naturam speciei pertinentis: non autem de eo quod provenit ex defectu principii naturalis, idest, superadditi principio speciei, hoc est animae rationali simul cum specie transfundendi.

*Ad octavam* dicitur quod assumptum est verum loquendo de vitio culpae actualis, quae ex voluntate singularis personae (intellige, inquantum singularis est) provenit: cum actus generativae potentiae non obediat rationi vel voluntati. Non est autem verum de vitio originalis culpae, quae ad naturam pertinet: cum et actus generativae potentiae naturales dicantur.

Advertendum quod culpa originalis dicitur esse in actu generativae potentiae, non quidem formaliter aut subiective, sed virtualiter tantum, quo modo etiam dicitur esse in semine. Ad hoc autem non requiritur quod actus huiusmodi obediat rationi: sed sufficit quod sit actus naturae et causativus ipsius, sicut et ipsa culpa originalis est vitium naturae.

*Ad nonam* dicit quod, licet per peccatum huiusmodi non tollatur homini bonum naturae quod ad naturae speciem pertinet, bonum tamen naturae per gratiam superadditum auferri potuit, ut dictum est.

*Ad decimam* dicitur quod, cum privatio et forma sibi correspondeant, sicut donum naturae praestitum, licet ad rationem speciei non pertineret, tamen a primo homine ex divina gratia in totam speciem erat derivandum; ita peccatum per quod illud bonum privatur, per totam speciem derivatur.

Ex ista responsione vult negare Sanctus Thomas hanc propositionem, *In iis quae non pertinent ad rationem speciei, non oportet filium parentibus assimilari.* Falsa est enim quando aliquid datur parenti ut derivandum in filios; aut quando est privatio eius quod in filios erat derivandum.

XII. *Ad undecimam* dicit quod, licet aliquis per sacramenta ab originali peccato mundetur inquantum est culpa, quod est personaliter a peccato huiusmodi liberari; et in generante non sit peccatum originale inquantum est persona quaedam; contingatque etiam in actu generationis nullum esse peccatum: non tamen natura totaliter sanatur. Et idcirco manet huiusmodi peccatum in generante inquantum est naturale generationis principium, et in actu generationis; atque per hunc actum, qui est actus naturae, transfunditur in posteros.

2. Ad evidentiam huius responsionis, considerandum est ex doctrina Sancti Thomae I$^{a}$ II$^{ae}$, q. LXXXI, a. 3, ad 2; *de Malo,* q. IV, a. 6, ad 4; et II *Sent.,* d. XXXII, q. I, a. 1, quod, cum originale peccatum iustitiae originali opponatur; haec autem faciat subiectionem superioris partis animae ad Deum, et inferiorum virium ad superiorem, atque corporis ad animam; omnes istae rectitudines et subiectiones per peccatum originale tolluntur. Unde formale in peccato originali est privatio rectitudinis superioris partis ad Deum: et ex hoc habet rationem culpae, quae rectitudini voluntatis opponitur. Materiale vero, ut inferius * declarabitur, est concupiscentia, seu fomes, aut habilitas ad malum. Per baptismum ergo removetur peccatum originale quantum ad id quod est formale in ipso: scilicet quantum ad ipsam inordinationem voluntatis, sive privationem rectitudinis in voluntate, ex qua huiusmodi defectus originalis culpae habet rationem, et ex qua habet ut personam inficiat macula culpae. Non autem removetur quantum ad concupiscentiam sive fomitem. Ideo bene hic dicitur hominem per sacramenta ab originali mundari personaliter, et ut ei non imputetur ad poenam, non autem naturam totaliter sanari: quia videlicet manet infectio in partibus inferioribus animae, non autem in superiori parte. Et quia homo non generat secundum superiorem partem animae, sed secundum inferiorem, ideo bene dicitur quod secundum actum generationis, qui est actus naturae ab huiusmodi generante cui remissum est peccatum originale modo dicto, transmittitur dictum peccatum in posteros.

* Num. XVI.

Advertendum etiam quod non dicit Sanctus Thomas naturam per sacramenta absolute non sanari, sed *non sanari omnino:* quia, ut patet ex locis praedictis, praecipue II *Sent.,* illa dispositio ad malum quae dicitur concupiscentia vel fomes, per baptismum aliquo quidem modo tollitur, *inquantum per gratiam minuitur, ipsa gratia in contrarium inclinante ei ad quod fomes disponebat:* non tamen tollitur totaliter, cum sequatur conditionem naturae.

XIII. Sed occurrit duplex dubium. Primum est, quia videtur velle Sanctus Thomas *de Malo,* qu. allegata*, ad 10, quod post baptismum remanet quidem concupiscentia, non tamen cum carentia originalis iustitiae: ex quo sequitur quod nullo modo remaneat peccatum originale post baptismum; ubi enim est iustitia originalis, ibi non est originale peccatum.

* q. IV a. 1. Cf. supra num. XII, 2.

Secundum dubium est, quia non videtur quomodo possit a generante transmitti in prolem vitium naturae sub ratione culpae, si in ipso generante non est sub ratione culpae: cum non sit vitium in natura geniti nisi propter vitium naturae generantis. Effectus enim non excedit suam causam.

2. Ad primum dicitur quod de iustitia originali dupliciter loqui possumus. Uno modo, universaliter: scilicet et

quantum ad effectum quo perficit partem superiorem animae, et quantum ad effectum quo perficit omnes alias partes. Alio modo, tantum ut perficit superiorem animae partem: quo modo absolute etiam potest dici in homine esse iustitia originalis, quia ex ordinatione in illa superiori parte sequitur in aliis inferioribus partibus ordinatio. Dictum ergo Sancti Thomae non est intelligendum de carentia iustitiae originalis primo modo, sed de carentia ipsius secundo modo. Remanet enim concupiscentia, quae dicit carentiam iustitiae originalis ut perficiebat inferiores partes: sed non remanet cum carentia iustitiae originalis ut perficit superiorem partem; cum per baptismum restituatur gratia, per quam superior pars animae coniungitur Deo; et sic restituitur iustitia originalis quantum ad illum effectum, licet non restituatur secundum essentiam. Unde in I$^{a}$ II$^{ae}$ inquit Sanctus Thomas* quod post baptismum *remanet peccatum originale actu, sed transit reatu:* idest, remanet quantum ad concupiscentiam, quae est materiale in peccato originali; non remanet autem quantum ad privationem iustitiae originalis ut perficit superiorem partem animae, quod est formale, ex quo habet ut sibi debeatur poena.

*Qu. LXXXI, a. 3, ad 2.

3. Ad secundum respondetur quod nullum inconveniens est in baptizato defectum naturae non habere rationem culpae sed tantum poenae, et tamen hunc defectum transfundi in prolem sub ratione culpae: quia, ut inquit Sanctus Thomas *de Malo,* ubi supra*, ad 7; et II *Sent.,* d. XXXI, q. 1, a. 1, ad 4, *non est inconveniens quod poena sit causa culpae, non quidem inquantum huiusmodi, sed inquantum ex culpa causatur: virtus enim causae manet in effectu.*

*Vid. num. XII, 2.

Cum autem dicitur quod effectus non excedit suam causam: – dicitur primo, quod hoc est falsum de causa instrumentali.

Dicitur secundo, quod hic effectus non excedit suam causam. Quia quod habet vitium naturae in genito formaliter, habet vitium naturae in generante virtualiter.

XIV. *Ad duodecimam* dicit quod non potuit primus homo satisfacere pro tota natura, neque bonum naturae reintegrare, per suum actum: quia peccatum actuale ipsius transivit in naturam, inquantum ipsa per peccatum huiusmodi destituta est beneficio sibi praestito, qua destituta, actus eius simpliciter naturalis fuit. Sed solum satisfacere aliquatenus potuit pro eo quod ad ipsius personam spectabat.

2. Advertendum primo, ex doctrina Sancti Thomae Tertio, d. I, q. 1, a. 2, ad ult., quod, cum bonum naturae institutae a Deo reintegrari non possit nisi iterum sub beneficio sibi a sua institutione praestito constituatur; et hoc non possit fieri nisi per actum habentem aliquid virtutis supernaturalis, eo quod tale beneficium supernaturale esset: ubi actus fuerit mere naturalis, nihil videlicet habens supernaturalis virtutis, natura non poterit per huiusmodi actum reintegrari; cum per actum omnino naturalem non possit natura elevari supra suae naturae conditionem, sed hoc ad Conditorem naturae pertineat, ad quem etiam pertinet naturarum gradum ordinare. Ideo bene ostendit Sanctus Thomas primum hominem non potuisse bonum naturae per actum suum reintegrare: quia, cum natura per peccatum primi hominis destituta esset supernaturali beneficio, actus eius simpliciter naturalis fuit.

Advertendum secundo, quod per actum personalem non potuit primus homo satisfacere pro peccato humanae naturae: quia, ut tangitur inferius*; et Tertia, q. 1, a. 2; ac III *Sent.,* d. I, q. 1, a. 2, ad 6, purus homo est aliquid minus tota generis humani universitate. Sed bene pro peccato suo, inquantum ad personam pertinebat, satisfacere potuit: nec tamen per seipsum plene, sed tantum cum adiutorio gratiae. Ideo bene dicitur hic quod *aliquatenus* pro eo quod ad ipsius personam pertinebat, satisfacere potuit.

*Cap. LIV. Comm. num. VI, 3.

Advertendum quoque illam probationem consequentiae, *quia videlicet bonum est potentius ad agendum quam malum,* non esse efficacem: quia non dicimus peccatum Adae causasse peccatum in alios per modum efficientiae, sed per modum demeriti. Per peccatum enim demeruit Adam iustitia originali privari et pro se et pro aliis, et sic ut actus eius, ut scilicet a natura proveniens, remaneret naturalis omnino.

XV. *Ad ultimam,* negat sequelam. Quia, cum peccata posteriorum parentum inveniant naturam destitutam beneficio sibi primitus concesso, ex eis non sequitur aliquis defectus qui propagetur in posteros, sed solum qui personam peccantis inficiat.

Advertendum responsionem, ut etiam clarius ostenditur I$^{a}$ II$^{ae}$, q. LXXXI, a. 2; et *de Malo,* q. IV, a. 8, ad hoc tendere quod non est eadem ratio de peccato Adae, et de peccatis proximorum parentum. Quia per peccatum Adae destituta est natura eo quod transmittendum erat in posteros: et ideo per actum naturae transmissum est ad posteros eius peccatum. Per peccata autem actualia proximorum parentum non inficitur aliquo modo natura, sed ipsa est prius infecta. Ideo non sequitur ut eorum peccata in posteros transmittantur.

XVI. Ex his concludit Sanctus Thomas contra Pelagianos, neque inconveniens esse, neque contra rationem, peccatum originale in hominibus esse.

Ceterum, quia superius* praesuppositum est peccatum originale consistere in privatione iustitiae originalis et concupiscentiam includere; ne ex ignorantia *quod quid est* peccati originalis, quae superius tradita sunt minus clara sint: videndum est quid per *formale,* et quid per *materiale* peccati originalis intelligamus.

*Num. XII, 2.

Conveniunt quidem omnes Thomistae in hoc, quod duo includuntur in peccato originali: unum scilicet formale, quod est *privatio originalis iustitiae;* alterum vero materiale, quod est *concupiscentia;* haec enim ad peccatum huiusmodi pertinere expresse ponit Sanctus Thomas in I$^{a}$ II$^{ae}$; in Qu. *de Malo;* et in II *Sent.** Sed in horum declaratione diversis viis incedunt.

*Vid. loca citata eodem num. XII, 2.

2. Quidam enim dicunt quod per privationem iustitiae originalis intelligitur et privatio illius doni supernaturalis quod iustitia originalis proprie dicitur et privatio subiectionis ad Deum, quae est primus talis doni effectus; sed illa privatio pertinet primo ad formale peccati originalis, ista vero secundario. Per concupiscentiam autem dicunt intelligi omnem aliam inordinationem tam voluntatis, quam aliarum virium animae.

Primum accipiunt ex eo quod Sanctus Thomas, I$^{a}$ II$^{ae}$, q. LXXXII, a. 3, de huiusmodi formali loquens, dicit *privationem iustitiae originalis, per quam voluntas subdebatur Deo, esse formale;* et subdit quod *omnis alia inordinatio virium animae se habet sicut materiale.* Ex his enim videtur velle Sanctus Thomas quod et privatio iustitiae originalis, et inordinatio voluntatis, quae est privatio subiectionis voluntatis ad Deum, ad formale pertineat. – Secundum vero accipiunt ex eo quod ibidem subditur, non quidem quod omnis inordinatio aliarum virium animae sit sicut materiale, sed absolute quod *omnis alia inordinatio virium animae,* in hac includens etiam aliquam voluntatis inordinationem, scilicet conversionem voluntatis ad malum: quae quidem absolute pertinet ad materiale, sed tamen inter materialia peccati originalis se habet ut formale. – Addunt quoque isti quod peccatum originale non est pura privatio originalis iustitiae, sed est aliquod positivum, scilicet qualitas quaedam et habitus. Hoc autem accipiunt ex verbis Sancti Thomae dicentis, I$^{a}$ II$^{ae}$, qu. allegata, a. 1, et ad 1, quod est *habitus,* et quod ultra privationem *habet aliquid positive, sicut et aegritudo corporalis.*

3. Capreolus vero, in Secundo, d. XXX*, videtur per privationem iustitiae originalis intelligere privationem illius doni gratuiti, et omnem inordinationem in voluntate inde consequentem; per concupiscentiam vero inordinationem in omnibus viribus animae aliis a voluntate. Tenere quoque videtur concupiscentiam non dicere aliquem habitum aut aliquam qualitatem inclinantem ad malum; sed aut privationem, aut relationem quandam.

*Qu. I, a. 1, Concl. 4, p. 331.

XVII. Videtur autem mihi quod Capreoli opinio magis sit ad mentem Sancti Thomae. Quantum quidem ad formale peccati originalis, quia ubique distinguit Sanctus Thomas voluntatem ab aliis potentiis animae, sicut motivum a mobili; et ait ob hanc causam quod pertinet ad volun-

tatem esse quasi formale; ex quo concludit quod, cum privatio iustitiae originalis pertineat ad voluntatem, – intellige, non formaliter et primo, sed inquantum primus effectus iustitiae originalis erat in voluntate, – ipsa est sicut formale in peccato originale. Ex iis enim habetur quod per privationem iustitiae originalis privatio illius doni gratuiti existentis in essentia animae formaliter, et omnis inordinatio voluntatis inde proveniens, intelligitur.

Quantum ad materiale quoque, patet quod sola inordinatio aliarum virium a voluntate ad ipsum pertinet: cum dicat Sanctus Thomas quod, cum ex parte virium inferiorum a voluntate motarum sit pronitas ad inordinate appetendum, quae concupiscentia dici potest, ipsa concupiscentia est quasi materiale. Ex hoc enim patet, cum sola concupiscentia ponatur materiale in peccato originali, quod sola inordinatio virium inferiorum ad huiusmodi materiale pertinet.

Quod etiam concupiscentia, secundum quod est materiale peccati originalis, non dicat qualitatem, aut aliquid positivum absolutum, patet quia *de Malo*, q. IV, a. 2, ad 4, inquit Sanctus Thomas concupiscentiam hanc esse *habitualem concupiscentiam per remotionem freni originalis iustitiae acceptam.* Idemque et in II *Sent.*, et in I$^{a}$ II$^{ae}$ tenet*.

* Vid. num. XII, 2.

2. Dicendum ergo quod peccatum originale duo dicit: scilicet aliquid formale, a quo speciem habet; et aliquid materiale, quod scilicet tenet locum materiae. Formale quidem est privatio iustitiae originalis inquantum superiorem partem animae perficiebat: idest, privatio illius doni supernaturalis existentis in essentia animae; et privatio subiectionis voluntatis ad Deum, qui erat primus effectus illius doni.

Materiale vero est ipsa inclinatio naturalis virium inferiorum animae, proveniens ex privatione originalis iustitiae, quae inferiores animae vires regulabat ne inordinate ferrentur in sua obiecta, cum habitudine quadam rationis ad peccatum primi parentis: non enim privatio iustitiae originalis, aut inordinatio inferiorum virium, habet rationem culpae nisi inquantum ex peccato actuali primi parentis dependentiam habet. Similiter et cum habitudine ad inordinate appetendum: quae quidem potest dici habitus, utpote existens quaedam habilitas ad inordinatos actus. Ita quod concupiscentia, ut hic de ipsa loquimur, supra naturales inclinationes virium inferiorum animae nihil addit nisi dictam privationem iustitiae originalis tanquam causam, et relationem concomitantem.

3. Quod autem adducunt alii pro confirmatione opinionis suae*, non iuvat. Nam ex hoc quod inquit Sanctus Thomas formale in peccato originali esse privationem iustitiae originalis, per quam voluntas subdebatur Deo, non infert solam inordinationem voluntatis quae est privatio debitae subiectionis ad Deum, esse formale, excludendo inordinationem quae est per conversionem voluntatis ad bonum creatum: sed illa inordinatio istam includit, sicut et perfecta subiectione voluntatis ad Deum per iustitiam originalem includebat conversionem voluntatis in Deum. Et ideo per illum modum dicendi vult habere Sanctus Thomas quod privatio iustitiae originalis est formale in peccato originali, non prout iustitia originalis erat in omnibus viribus animae per suum effectum: sed prout eius effectus erat in superiori parte animae, ipsam voluntatem perfecte subiiciens Deo.

* Cf. num. XVI, 2.

Ex eo quoque quod Sanctus Thomas subdit omnem aliam inordinationem virium animae ad materiale pertinere, non habetur quod etiam aliqua inordinatio voluntatis ad materiale originalis peccati pertineat. Nam illud dictum intelligitur de inordinatione aliarum virium animae. Quod patet quia, magis explanans quod dixerat, subdit immediate: *Inordinatio autem aliarum virium animae communi nomine potest concupiscentia appellari. Et ideo peccatum originale materialiter quidem est concupiscentia, formaliter vero est defectus originalis iustitiae.* Ex quibus dat intelligere per *omnem aliam inordinationem virium animae* se intellexisse inordinationem in aliis viribus animae existentem, non autem eam quae est in voluntate, quam dixerat ad formale pertinere.

Quod vero ulterius adducitur ad ostendendum peccatum originale esse qualitatem superadditam viribus animae, non convincit. Quia Sanctus Thomas ibi *habitum* accipit, non pro qualitate superaddita potentiae, ut ipsemet ibidem declarat: sed pro *inordinata dispositione naturae,* quae dicitur habilitas quaedam ad concupiscendum. Ista autem habilitas nihil est aliud quam ipsamet dispositio naturalis virium inferiorum ad repugnandum rationi non subditarum freno originalis iustitiae, et per consequens carentium ordine quem debebant habere ex prima institutione naturae. Unde fit comparatio peccati originalis ad aegritudinem corporalem* quantum ad hoc, quod ita, soluta harmonia quae erat inter partes animae ex remotione originalis iustitiae sequitur languor animae et inordinatio in viribus eius, sicut, soluta harmonia humorum in corpore per remotionem sanitatis illos in ordine continentis, sequitur corporis aegritudo. Et sicut aegritudo dicit aliquid positivum, ita et peccatum originale dicit aliquid positivum, scilicet ipsam concupiscentiam, quae dicit ipsas animae vires cum privatione quadam et relatione modo exposito. Non autem quantum ad hoc, quod, sicut aegritudo dicit aliquam qualitatem positivam superadditam humoribus, ita et peccatum originale dicat aliquam qualitatem positivam viribus animae superadditam.

# CAPITULUM QUINQUAGESIMUM TERTIUM

## RATIONES QUIBUS VIDETUR PROBARI QUOD NON FUIT CONVENIENS DEUM INCARNARI.

Quia vero Incarnationis fides ab infidelibus stultitia reputatur, secundum illud Apostoli, I *Cor.* 1$^{21}$, *Placuit Deo per stultitiam praedicationis salvos facere credentes;* stultum autem videtur aliquid praedicare, non solum quia est impossibile, sed etiam quia est indecens: insistunt infideles ad Incarnationis impugnationem, non solum nitentes ostendere esse impossibile quod fides Catholica praedicat, sed etiam incongruum esse, et divinam bonitatem non decere.

1*. – Est enim divinae bonitati conveniens ut omnia suum ordinem teneant. Est autem hic ordo rerum, ut Deus sit super omnia exaltatus, homo autem inter infimas creaturas contineatur. Non igitur decet divinam maiestatem humanae naturae uniri.

* Numeri a nobis appositi sunt.

2. – Item. Si conveniens fuit Deum hominem fieri, oportuit hoc esse propter aliquam utilitatem inde provenientem. Sed quaecumque utilitas detur, cum Deus omnipotens sit, hanc utilitatem producere potuit sola sua voluntate. Cum igitur unum-

6 quia *pr. loco*] sed α, si Z, sed (etiam impossibile, sed nitentes insistunt infideles *etc*) W. etiam *om* DGY, *post* quia E*b*, *post* est NX. 10 incongruum *post* esse DEGNXb.

10 hanc utilitatem producere] ad hanc utilitatem perducere αY; ad hanc *etiam* EXZ.

quodque fieri conveniat quam brevissime potest, non oportuit quod Deus propter huiusmodi utilitatem humanam naturam sibi uniret.

3. – Adhuc. Cum Deus sit universalis omnium causa, ad utilitatem totius universitatis rerum eum praecipue intendere oportet. Sed assumptio humanae naturae solum ad utilitatem hominis pertinet. Non igitur fuit conveniens quod, si alienam naturam Deus assumere debuit, quod solum naturam humanam assumpserit.

4. – Amplius. Quanto aliquid est alicui magis simile, tanto ei convenientius unitur. Deo autem similior et propinquior est angelica natura quam humana. Non igitur conveniens fuit assumere naturam humanam, angelica praetermissa.

5. – Praeterea. Id quod est praecipuum in homine est intelligentia veritatis. In quo videtur homini impedimentum praestari si Deus humanam naturam assumpsit: datur enim ei ex hoc erroris occasio, ut consentiat his qui posuerunt Deum non esse super omnia corpora exaltatum. Non igitur hoc ad humanae naturae utilitatem conveniebat, quod Deus humanam naturam assumeret.

6. – Item. Experimento discere possumus quod circa incarnationem Dei plurimi errores sunt exorti. Videtur igitur humanae saluti conveniens non fuisse quod Deus incarnaretur.

7. – Adhuc. Inter omnia quae Deus fecit, istud videtur esse maximum, quod ipsemet carnem assumpserit. Ex maximo autem opere maxima debet expectari utilitas. Si igitur incarnatio Dei ad salutem hominum ordinatur, videtur fuisse conveniens quod ipse totum humanum genus salvasset: cum etiam omnium hominum salus vix videatur esse competens utilitas pro qua tantum opus fieri debuisset.

8. – Amplius. Si propter salutem hominum Deus humanam naturam assumpsit, videtur fuisse conveniens ut eius divinitas hominibus per sufficientia indicia manifestaretur. Hoc autem non videtur contigisse: nam per aliquos alios homines, solo auxilio divinae virtutis absque unione Dei ad eorum naturam, inveniuntur similia miracula esse facta, vel etiam maiora quam fecerit Christus *. Non igitur videtur Dei incarnatio sufficienter procurata fuisse ad humanam salutem.

* *Ioan.* XIV, 12.

9. – Praeterea. Si hoc necessarium fuit humanae saluti quod Deus carnem assumeret, cum a principio mundi homines fuerint, videtur quod a principio mundi humanam naturam assumere debuit, et non quasi in fine temporum: videtur enim omnium praecedentium hominum salus praetermissa fuisse.

10. – Item. Pari ratione, usque ad finem mundi debuisset cum hominibus conversari, ut homines sua praesentia erudiret et gubernaret.

11. – Adhuc. Hoc maxime hominibus utile est, ut futurae beatitudinis in eis spes fundetur. Hanc autem spem magis ex Deo incarnato concepisset, si carnem immortalem et impassibilem et gloriosam assumpsisset, et omnibus ostendisset. Non igitur videtur fuisse conveniens quod carnem mortalem et infirmam assumpserit.

12. – Amplius. Videtur fuisse conveniens, ad ostendendum quod omnia quae in mundo sunt, sint a Deo, quod ipse abundantia rerum mundanarum usus fuisset, in divitiis et in maximis honoribus vivens. Cuius contraria de ipso leguntur: quod pauperem et abiectam vitam duxit, et probrosam mortem sustinuit. Non igitur videtur esse conveniens quod fides de Deo incarnato praedicat.

13. – Praeterea. Ex hoc quod ipse abiecta passus est, eius divinitas maxime fuit occultata: cum tamen hoc maxime necessarium fuerit hominibus ut eius divinitatem cognoscerent, si ipse fuit Deus incarnatus. Non igitur videtur quod fides praedicat humanae saluti convenire.

14. – Si quis autem dicat quod propter obedientiam Patris Filius Dei mortem sustinuit, hoc non videtur rationabile. Obedientia enim impletur per hoc quod obediens se conformat voluntati praecipientis. Voluntas autem Dei Patris irrationabilis esse non potest. Si igitur non fuit conveniens Deum hominem factum mortem pati, quia mors contraria esse videtur divinitati, quae vita est, huius rei ratio ex obedientia ad Patrem convenienter assignari non potest.

15. – Praeterea. Voluntas Dei non est ad mortem hominum, etiam peccatorum, sed magis ad vitam: secundum illud *Ezech.* XVIII [23,32]: *Nolo mortem peccatoris, sed magis ut convertatur et vivat.* Multo igitur minus potuit esse voluntas Dei Patris ut homo perfectissimus morti subiiceretur.

16. – Amplius. Impium et crudele videtur innocentem praecepto ad mortem inducere: et praecipue pro impiis, qui morte sunt digni. Homo autem Christus Iesus innocens fuit. Impium igitur fuisset si praecepto Dei Patris mortem subiisset.

---

5 universitatis] universalitatis αWY. 6 intendere oportet] intendendae BFH, intendere C, intendere decet W, intendere decuit *b*, (rerum est praecipue) intendere Z. Sed assumptio . . . pertinet *Ita bPc*; sic etiam (si enim C, si etiam W) assumptio . . . pertineret αWYZ, sed assumptive N, sicut assumptive EG, sic assumendo ut omnium naturam assumeret DX. 16 Praeterea] Item αWYZPc. Id] Idem BCFY, *om* Z. praecipuum] principium α*Pc*. 17 In quo] in qua DEGNX; *pro* si, quasi EGN. 22 humanae naturae *post* utilitatem DEGNX*b*. 24 discere] dicere BCDFGY*cd*. 30 ex maximo autem opere maxima] et maxima GX, et maxima maximam N, sed ex maximo maxima *b*, et maxima maximum (debet expectare utilitas) E, et maximam maximum (debet expectare utilitatem) D. 31 Si igitur incarnatio Dei] Dei igitur incarnatio EG *et addito* Dei N, Dei igitur incarnatio si *b*. 35 vix *om* Pc; esse *om* DEGNX. 37 propter *Ita* WZsEFG; Christus BCEFN, Christus propter *et om* Deus DGX; H *legit*: Si Christus salutem hominum dans; Y: Si Christus pro salute hominum Deus; Y: Si pro salute hominum Deus; *c*: Si Christus Deus propter salutem hominum; *idem sine* Christus P*d*. 40 manifestaretur] manifestaret αW. non *om* EN*b*. 41 alios *om* EGNX*b*. 45 sufficienter] sufficiens DGX*b*; procurata *om* DEGNX*b*.

6 debuisset] debuisse α, videtur debuisse Y, *post* conversari DEX. 7 erudiret] et erudiret αW. 8 utile est *om* E, utile GN, utile videtur D, utile fuisset *b*. 9 fundetur] fundaretur NY, funderetur CFHX. 11 si . . . assumpsisset *om* N. carnem] et carnem α*c*. et gloriosam *om* DEGX. 12 omnibus] hominibus DEGNX, omnibus hominibus Y. 14 et] etiam BFW, et etiam Pc. 19 Cuius]cui EX, quorum D. quod] videlicet quod *Pd*. 20 probrosam *om* DEGNX. 24 eius divinitas] essentia divinitatis DEGNX. 25 necessarium fuerit hominibus] fuerit hominibus EN, fuerit hominibus necessarium DGX, necessarium fuerit pro hominibus *b*. 34 Si *om* DEGNX*b*. 37 ad Patrem] ade (*idest* Adae) ad Patrem EN, Dei ad Patrem sG. 40 magis] dicitur *addunt* αWYZ. 42 magis ut *Ita* CH; ut magis ceteri. convertatur] ad vitam *addunt* BFH*cd*. 44 subiiceretur] subiaceret EsG*b*, subiceret G.

17. – Si vero aliquis dicat hoc necessarium fuisse propter humilitatem demonstrandam, sicut Apostolus videtur dicere, *Philipp.* II[8], quod *Christus humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem:* nec haec quidem ratio conveniens videtur. Primum quidem, quia in eo commendanda est humilitas qui habet superiorem, cui subiici possit: quod de Deo dici non potest. Non igitur conveniens fuit Dei Verbum humiliari usque ad mortem.

18. – Item. Satis homines ad humilitatem informari poterant verbis divinis, quibus est fides omnimoda adhibenda, et exemplis humanis. Non igitur ad demostrandum humilitatis exemplum necessarium fuit Verbum Dei aut carnem sumere, aut mortem subire.

19. – Si quis autem iterum dicat quod propter nostrorum peccatorum purgationem necessarium fuit Christum mortem subire et alia quae videntur esse abiecta, sicut Apostolus dicit quod *traditus est propter peccata nostra**, et iterum, *Mortuus est ad multorum exhaurienda peccata**: nec hoc videtur esse conveniens. Primo quidem, quia per solam Dei gratiam hominum peccata purgantur.

* *Ad Rom.* IV, 25.
* *Ad Heb.* IX, 28.

20. – Deinde quia, si aliqua satisfactio requirebatur, conveniens fuit ut ille satisfaceret qui peccavit: quia in iusto Dei iudicio *unusquisque onus suum debet portare**.

* *Ad Galat.* VI, 5.

21. – Item. Si conveniens fuit ut aliquis homine puro maior pro homine satisfaceret, sufficiens fuisse videtur si angelus, carne assumpta, huiusmodi satisfactionem implesset: cum angelus naturaliter sit superior homine.

22. – Praeterea. Peccatum non expiatur peccato, sed magis augetur. Si igitur per mortem Christus satisfacere debuit, talis debuit eius mors esse in qua nullus peccaret: ut scilicet non violenta morte, sed naturaliter moreretur.

23. – Adhuc. Si pro peccatis hominum Christum mori oportuit, cum frequenter homines peccent, oportuisset eum frequenter mortem subire.

24. – Si quis autem dicat quod specialiter propter peccatum originale necessarium fuit Christum nasci et pati, quod quidem totam naturam humanam infecerat, homine primo peccante: – hoc impossibile videtur. Si enim alii homines ad satisfaciendum pro peccato originali sufficientes non sunt, nec mors Christi pro peccatis humani generis satisfactoria fuisse videtur: quia et ipse secundum humanam naturam mortuus est, non secundum divinam.

25. – Praeterea. Si Christus pro peccatis humani generis sufficienter satisfecit, iniustum videtur esse quod homines adhuc poenas patiantur, quas pro peccato Scriptura divina inductas esse commemorat*.

* Cf supra cap. L.

26. – Adhuc. Si Christus sufficienter pro peccatis humani generis satisfecit, non essent ultra remedia pro absolutione peccatorum quaerenda. Quaeruntur autem semper ab omnibus qui suae salutis curam habent. Non igitur videtur sufficienter Christum peccata hominum abstulisse*.

* Obj. 27 deficit. Cf. cap. LV fin.

Haec igitur sunt, et similia, ex quibus alicui videri potest ea quae de Incarnatione fides Catholica praedicat, divinae maiestati et sapientiae convenientia non fuisse.

---

6 primum] primo W. 12 fides *om* E, *post* omnimoda NXsE*b*. 22 exhaurienda] emendanda DEGNX*b*, examinanda C. 33 superior *post* homine DGNX*b*; E *legit* homine sit maior et superior.

1 Peccatum . . 19 Praeterea *hom om* H. 3 Christus] Christi CEGNXP*c*. 3 talis debuit *hom om* EG, debuit D *et post* mors X, al' (alias *vel* animal?) N. 7 frequenter homines] secundum tempus homines αWY *et addito* frequenter Z. 13 si enim *Ita* DXP*d*; quod si enim BCWYZ, quod si F, si autem EGN, quod si etiam *b*. 20 videtur esse *Ita* EGN*b*; est X, videtur D, videtur quidem esse *ceteri*. 27 semper *om* P*c*, *post* qui DEX. 30 igitur] tamen αW, autem Y, *om* Z. 31 potest] posset DEGX*b*.

## Commentaria Ferrariensis

* Cf. Comment. cap. L. Introd.

POSTQUAM determinavit Sanctus Thomas de peccato originali, unde convenientia Incarnationis sumitur, vult de ipsa Incarnationis convenientia determinare*. Circa hoc autem tria facit: primo, ponit obiectiones infidelium reputantium fidem esse *stultitiam,* ut dicitur I *Cor.* I, atque idcirco arguentium non solum impossibile esse quod fides praedicat de Incarnatione, sed etiam quod est incongruum, et divinam bonitatem non decet; secundo, determinat veritatem, cap. seq.; tertio, obiectionibus respondet, cap. LV.

*Primo ergo obiicitur,* quia ordo rerum hic est, ut Deus sit super omnia exaltatus, homo autem inter infimas creaturas contineatur. Est autem divinae bonitati conveniens ut omnia suum ordinem teneant.

*Secundo,* quia quaecumque utilitas detur ex Incarnatione, Deus ipsam potuit producere sola sua voluntate. Convenit autem ut unumquodque quam brevissime fiat.

*Tertio,* quia assumptio humanae naturae solum ad utilitatem hominis pertinet. Oportet autem Deum ad utilitatem totius universitatis rerum praecipue intendere.

*Quarto,* quia quanto aliquid est ei magis simile, tanto convenientius ei unitur. Deo autem similior et propinquior est natura angelica quam humana.

*Quinto,* quia datur ex hoc homini erroris occasio: ut scilicet consentiat ponentibus Deum non esse super omnia corpora exaltatum.

*Sexto,* quia experimento discere possumus circa Dei incarnationem plurimos errores exortos esse.

*Septimo* quia, si incarnatio Dei ad salutem hominum ordinatur, videtur fuisse conveniens ut totum humanum genus ipse salvaret.

*Octavo* quia, si Deus propter salutem hominum humanam naturam assumpsit, debuit per sufficientia indicia eius divinitas manifestari. Quod non videtur contigisse: cum etiam alii, absque unione Dei ad eorum naturam, similia miracula, vel etiam maiora fecerint quam Christus.

*Nono* quia, si sic conveniebat fieri, humanam naturam debuit Deus assumere a principio mundi, et non in fine temporum.

*Decimo* quia, pari ratione, debuit Christus usque in finem mundi cum hominibus conversari.

*Undecimo,* quia spem futurae beatitudinis homo magis ex Deo incarnato concepisset, si carnem immortalem et impassibilem et gloriosam assumpsisset, et omnibus ostendisset.

*Duodecimo,* quia tunc fuisset conveniens, ad ostendendum quod omnia quae sunt in mundo sint a Deo, ut Christus abundantia rerum humanarum usus fuisset, in divitiis et maximis honoribus vivens. Cuius contraria de ipso leguntur.

*Tertio decimo,* quia maxime necessarium fuit hominibus

ut Dei divinitatem cognoscerent, si ipse Deus fuit incarnatus. Fuit autem magis occulta ex eo quod abiecta passus est.

Si dicatur quod propter obedientiam Patris Filius Dei mortem sustinuit: – contra arguitur, *quarto decimo,* quia, si non fuit conveniens Deum, hominem factum, mortem pati, quia mors contraria esse videtur divinitati; huius rei ratio ex obedientia ad Patrem, cuius voluntas irrationabilis non potest esse, convenienter assignari non potest.

*Quinto decimo* quia, cum voluntas Dei non sit ad mortem hominum, etiam peccatorum, sed magis ad vitam, ut dicitur *Ezech.* XVIII; multo minus potuit esse ut homo perfectissimus morti subiiceretur.

*Sexto decimo,* quia Christus innocens fuit. Impium autem et crudele videtur innocentem praecepto ad mortem conducere: praecipue pro impiis.

Si dicatur hoc fuisse conveniens propter humilitatem demonstrandam, ut videtur velle Apostolus *ad Philippenses:* – contra arguitur, *decimo septimo,* quia in eo commendanda est humilitas qui habet superiorem. Quod de Deo dici non potest.

*Decimo octavo,* quia satis poterant homines ad humilitatem informari verbis divinis et exemplis humanis.

Si dicatur oportuisse Christum mortem et abiecta subire, ut etiam videtur Apostolus velle, propter peccatorum nostrorum purgationem: – contra arguitur, *decimo nono,* quia per solam Dei gratiam peccata purgantur.

*Vigesimo,* quia conveniens fuit ut ille satisfaceret qui peccavit.

*Vigesimo primo,* quia videtur sufficiens fuisse si angelus, carne assumpta, huiusmodi satisfactionem implesset.

*Vigesimo secundo* quia, si per mortem Christi homo satisfacere debuit, talis debuit esse eius mors in qua nullus peccaret: naturalis scilicet, non violenta.

*Vigesimo tertio,* quia oportuisset Christum frequenter mortem subire: cum frequenter homines peccent.

Si dicatur quod specialiter propter peccatum originale necessarium fuit Christum nasci et pati: – contra arguitur, [*vigesimo quarto,*]* quia, si alii homines ad satisfaciendum sufficientes non sunt, nec etiam mors Christi: cum et ipse secundum humanam tantum naturam mortuus sit.

* Cf. Lect. var. in Praef.

*Vigesimo quinto,* quia tunc iniustum videtur quod homines adhuc patiantur poenas pro peccato inductas.

*Vigesimo sexto,* quia non essent ultra remedia pro absolutione peccatorum quaerenda.

# CAPITULUM QUINQUAGESIMUM QUARTUM

## QUOD CONVENIENS FUIT DEUM INCARNARI.

Si quis autem diligenter et pie Incarnationis mysteria consideret, inveniet tantam sapientiae profunditatem quod humanam cognitionem excedat: secundum illud Apostoli*: *Quod stultum est Dei, sapientius est hominibus.* Unde fit ut pie consideranti semper magis ac magis admirabiles rationes huius mysterii manifestentur.

*I Cor. I, 25.

Primum igitur hoc considerandum est, quod incarnatio Dei efficacissimum fuit auxilium homini ad beatitudinem tendenti. Ostensum est enim in Tertio* quod perfecta beatitudo hominis in immediata Dei visione consistit. Posset autem alicui videri quod homo ad hunc statum nunquam possit pertingere quod intellectus humanus immediate ipsi divinae essentiae uniretur ut intellectus intelligibili, propter immensam distantiam naturarum: et sic circa inquisitionem beatitudinis homo tepesceret, ipsa desperatione detentus. Per hoc autem quod Deus humanam naturam sibi unire voluit in persona, evidentissime hominibus demonstratur quod homo per intellectum Deo potest uniri, ipsum immediate videndo. Fuit igitur convenientissimum quod Deus humanam naturam assumeret ad spem hominis in beatitudinem sublevandam. Unde post incarnationem Christi homines coeperunt magis ad caelestem beatitudinem aspirare: secundum quod ipse dicit, *Ioan.* X[10]: *Ego veni ut vitam habeant, et abundantius habeant.*

*Cap. XLVIII sqq.

Simul etiam per hoc homini auferuntur impedimenta beatitudinem adipiscendi. Cum enim perfecta hominis beatitudo in sola Dei fruitione consistat, ut supra* ostensum est, necessarium est quod quicumque his quae infra Deum sunt inhaeret finaliter, a verae beatitudinis participatione impediatur. Ad hoc autem homo deduci poterat quod rebus infra Deum existentibus inhaereret ut fini, ignorando suae dignitatem naturae. Ex hoc enim contingit quod quidam, considerantes se secundum naturam corpoream et sensitivam, quam cum aliis animalibus habent communem, in rebus corporalibus et delectationibus carnis quandam beatitudinem bestialem requirunt. Quidam vero, considerantes quarundam creaturarum excellentiam super homines quantum ad aliqua, eorum cultui se adstrinxerunt: colentes mundum et partes eius, propter magnitudinem quantitatis et temporis diuturnitatem; vel spirituales substantias, angelos et daemones, propter hoc quod hominem excedere inveniuntur tam in immortalitate quam in acumine intellectus, aestimantes in his, utpote supra se existentibus, hominis beatitudinem esse quaerendam. Quamvis autem quantum ad aliquas conditiones homo aliquibus creaturis existat inferior; ac etiam infimis creaturis in quibusdam assimiletur: tamen secundum ordinem finis, nihil homine existit altius nisi solus Deus, in quo solo perfecta hominis beati-

* Lib. III, loc. cit.

3 humanam] omnem humanam P*d*. 5 Apostoli *om* αWYZ*c*; *pro* stultum, stultius BFHWYZ; *pro* sapientius, sapiens *b*. 6 semper *om* DEGNX. 9 hoc *om* DEWXZ, *ante* quod G, hic *b*. 14 alicui] homini *addunt* αWYZ. 15 possit] posset DEGNX*b* 19 tepesceret] desisteret X. detentus *Ita* DGP*c*; setractus EN*b*, defectus X, securus H, (ipsam desperationem) secturus BCF, (ipsam desperationem) secutus WY, (ipsarum desperationem) secutus Z. 25 beatitudinem] beatitudine BDFHNXWYZ.

2 beatitudinem adipiscendi] ad beatitudinem adipiscendam DX*b*. 4 consistat] consistit αP*c*. supra *om* P*c*. 5 quod] ut DEGNXY. 22 in acumine] acumine αWY*b*.

tudo consistit. Hanc igitur hominis dignitatem, quod scilicet immediata Dei visione beatificandus sit, convenientissime Deus ostendit per hoc quod ipse immediate naturam humanam assumpsit. Unde ex incarnatione Dei hoc consecutum videmus, quod magna pars hominum, cultu angelorum, daemonum, et quarumcumque creaturarum praetermisso, spretis etiam voluptatibus carnis et corporalibus omnibus, ad solum Deum colendum se dedicaverunt, in quo solo beatitudinis complementum expectant; secundum quod Apostolus monet*: *Quae sursum sunt quaerite, ubi Christus est in dextera Dei sedens; quae sursum sunt sapite, non quae super terram.*

* *Coloss.* III, 1, 2.

Adhuc. Quia beatitudo perfecta hominis in tali cognitione Dei consistit quae facultatem omnis intellectus creati excedit, ut in Tertio* ostensum est, necessarium fuit quandam huiusmodi cognitionis praelibationem in homine esse, qua dirigeretur in illam plenitudinem cognitionis beatae: quod quidem fit per fidem, ut in Tertio* ostensum est. Cognitionem autem qua homo in ultimum finem dirigitur, oportet esse certissimam, eo quod est principium omnium quae ordinantur in ultimum finem: sicut et principia naturaliter nota certissima sunt. Certissima autem cognitio alicuius esse non potest nisi vel illud sit per se notum, sicut nobis prima demonstrationis principia; vel in ea quae per se nota sunt resolvatur, qualiter nobis certissima est demonstrationis conclusio. Id autem quod de Deo nobis per fidem tenendum proponitur, non potest esse homini per se notum: cum facultatem humani intellectus excedat. Oportuit igitur hoc homini manifestari per eum cui sit per se notum. Et quamvis omnibus divinam essentiam videntibus sit quodammodo per se notum tamen, ad certissimam cognitionem habendam oportuit reductionem fieri in primum huius cognitionis principium, scilicet in Deum, cui est naturaliter per se notum, et a quo omnibus innotescit: sicut et certitudo scientiae non habetur nisi per resolutionem in prima principia indemonstrabilia. Oportuit igitur hominem, ad perfectam certitudinem consequendam de fidei veritate, ab ipso Deo instrui homine facto, ut homo, secundum modum humanum, divinam instructionem perciperet. Et hoc est quod dicitur *Ioan.* I*: *Deum nemo vidit unquam: Unigenitus, qui est in sinu Patris, ipse enarravit.* Et ipse Dominus dicit, *Ioan.* XVIII[37]: *Ego ad hoc natus sum et veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati.* Propter quod videmus post Christi incarnationem evidentius et certius homines in divina cognitione esse instructos: secundum illud *Isaiae* XI[9]: *Repleta est terra scientia Domini.*

* Loc. cit.

* Forte capitul. CXVIII; valde probabilius "cap. anecdotum" in Append. 47*. Cf. ib. Praef. XIII a, XVII a § 3; XXIX b, et hic infra b 49, et 158 b 19.

* Vers. 18.

Item. Cum beatitudo hominis perfecta in divina fruitione consistat, oportuit affectum hominis ad desiderium divinae fruitionis disponi: sicut videmus homini beatitudinis desiderium naturaliter inesse. Desiderium autem fruitionis alicuius rei ex amore illius rei causatur. Necessarium igitur fuit hominem, ad perfectam beatitudinem tendentem, ad amorem divinum induci. Nihil autem sic ad amorem alicuius nos inducit sicut experimentum illius ad nos. Amor autem Dei ad homines nullo modo efficacius homini potuit demonstrari quam per hoc quod homini uniri voluit in persona: est enim proprium amoris unire amantem cum amato, inquantum possibile est*. Necessarium igitur fuit homini, ad beatitudinem perfectam tendenti, quod Deus fieret homo.

* Cf. Dion. *de Div. Nom.*, cap. IV; s. Th. l. 9, 12.

Amplius. Cum amicitia in quadam aequalitate consistat*, ea quae multum inaequalia sunt, in amicitia copulari non posse videntur. Ad hoc igitur quod familiarior amicitia esset inter hominem et Deum, expediens fuit homini quod Deus fieret homo, quia etiam naturaliter homo homini amicus est*: ut sic, *dum visibiliter Deum cognoscimus, in invisibilium amorem rapiamur**.

* VIII *Ethic.*, V, 5; s. Th. l. 5.

* Ibid. I, 3; s. Th. l. 1.

* Praef. Missae, in Nat. Dom.

Similiter etiam manifestum est quod beatitudo virtutis est praemium*. Oportet igitur ad beatitudinem tendentes secundum virtutem disponi. Ad virtutem autem et verbis et exemplis provocamur. Exempla autem alicuius et verba tanto efficacius ad virtutem inducunt, quanto de eo firmior bonitatis habetur opinio. De nullo autem homine puro infallibilis opinio bonitatis haberi poterat: quia etiam sanctissimi viri in aliquibus inveniuntur defecisse. Unde necessarium fuit homini, ad hoc quod in virtute firmaretur, quod a Deo humanato doctrinam et exempla virtutis acciperet. Propter quod ipse Dominus dicit, *Ioan.* XIII[15]: *Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita et vos faciatis.*

* I *Ethic.*, IX, 3; s. Th. l. 14.

Item. Sicut virtutibus homo ad beatitudinem disponitur, ita et peccatis impeditur. Peccatum autem, virtuti contrarium, impedimentum affert beatitudini, non solum inordinationem quandam animae inducens secundum quod eam ab ordine debiti finis abducit, sed etiam Deum offendens, a quo beatitudinis praemium expectatur, secundum quod Deus humanorum actuum curam habet, et peccatum contrarium est caritati divinae, ut in Tertio* plenius ostensum est. Et insuper huius offensae homo conscientiam habens, per peccatum fiduciam accedendi ad Deum amittit, quae necessaria est ad beatitudinem consequendam. Necessarium est igitur humano generi, quod peccatis abundat, ut ei remedium aliquod adhibeatur contra peccata. Hoc autem remedium

* Cap. CXVI et CXXVIII; probabilius "cap. anecd." App. 47*. Cf. ib. Praef. XVII § 6, et hic supra a 21.

2 immediata] in immediata Pc. 4 naturam *post* humanam DEGHNXZb. 12 monet] ad Col. cap. 3. *addunt* Pd. 15 beatitudo *post* hominis DEGNX. 16 cognitione *post* Dei DEGNXb. 18 huiusmodi cognitionis *post* praelibationem DEGNXb. 28 nobis] vel BCW, non F, sunt Z, *om* HYPc. 32 tenendum *om* DEGNX, *ante* per fidem W. 36 divinam *post* essentiam DEGNXb. 40 est *post* naturaliter DEGNXb. 41 scientiae] alicuius scientiae DEGNX. 48 unigenitus] nisi unigenitus NWXYZ. 50 dicit *om* DEGNXb. 51 et veni *Ita* CP; et ad hoc veni W, *om ceteri*; *pro* in mundum, in mundo NsZ. 54 instructos] institutos EGN. 55 Domini] Dei DENXb.

1 hominis *post* perfecta DEGNX. 4 homini] hominis α. 10 illius] illius amoris sE, amoris illius bP. 11 homines] hominem DEGNXb. 20 igitur] etiam DEGNX. 23 ut] et ut DEGNX. 24 in invisibilium amorem] invisibilium (invisibilis H) amore HW, in (per hunc in G) invisibilem amorem EG, per hunc in invisibilium amorem DXsN; *pro* rapiamur, recipiamur DpNb. 25 Similiter etiam] Simul etiam BEFGHc, sicut et W. 27 tendentes *om* DEGNX. 30 quanto] quantum Pd. 36 quod a Deo humanato] humanato EN, humanatio Dei ad hoc quod DGX; *pro* quod, ut b. 37 acciperet] acciperent αX. ipse *post* Dominus DEGNXb. 54 peccatis] praedictis EGN.

adhiberi non potest nisi per Deum, qui et voluntatem hominis movere potest in bonum, ut eam ad debitum ordinem reducat, et offensam in se commissam potest remittere; offensa enim non remittitur nisi per eum in quem offensa committitur. Ad hoc autem quod homo a conscientia offensae praeteritae liberetur, oportet quod sibi de remissione offensae per Deum constet. Non autem per certitudinem ei constare potest nisi a Deo de hoc certificetur. Conveniens igitur fuit, et humano generi ad beatitudinem consequendam expediens, quod Deus fieret homo, ut sic et remissionem peccatorum consequeretur per Deum, et huius remissionis certitudinem per hominem Deum. Unde et ipse Dominus dicit, *Matth.* IX[6]: *Ut autem sciatis quia Filius hominis habet potestatem dimittendi peccata* etc.; et Apostolus, *Heb.* IX[14], dicit quod *sanguis Christi emundabit conscientias nostras ab operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi.*

Adhuc. Ex traditione Ecclesiae docemur totum humanum genus peccato esse infectum. Habet autem hoc ordo divinae iustitiae, ut ex superioribus* patet, quod peccatum sine satisfactione non remittatur a Deo. Satisfacere autem pro peccato totius humani generis nullus homo purus poterat: quia quilibet homo purus aliquid minus est tota generis humani universitate. Oportuit igitur, ad hoc quod humanum genus a peccato communi liberaretur, quod aliquis satisfaceret qui et homo esset, cui satisfactio competeret; et aliquid supra hominem, ut eius meritum sufficiens esset ad satisfaciendum pro peccato totius humani generis. Maius autem homine, quantum ad ordinem beatitudinis, nihil est nisi solus Deus: nam angeli, licet sint superiores quantum ad conditionem naturae, non tamen quantum ad ordinem finis, quia eodem beatificantur*. Necessarium igitur fuit homini ad beatitudinem consequendam, quod Deus homo fieret ad peccatum humani generis tollendum. Et hoc est quod Ioannes Baptista dixit de Christo*: *Ecce agnus Dei: ecce qui tollit peccata mundi.* Et Apostolus, *ad Romanos**, dicit: *Sicut peccatum ex uno in omnes in condemnationem, ita gratia ex uno in omnes ad iustificationem.*

Haec igitur sunt, et similia, ex quibus aliquis concipere potest non fuisse incongruum bonitati divinae Deum hominem fieri, sed expedientissimum fuisse humanae saluti.

* Lib. III, cap. CLVIII.

* Cf. Lib. III cap. LVII, *Hinc est.*

* Ioan. I, 29.

* Cap. V, 16.

2 in] ad DEGNX*b*. 6 a conscientia offensae] a conscientiae offensa D; *cf. var. seq.* 7 praeteritae] praedictae EGN*b*, *om* DXZ. 8 offensae per Deum] offensae factae per Deum DNsG*b*, offensae factae in Deum E, offensae facta per Deum X. 13 ut sic *om* DEGNX*b*. 14 certitudinem] haberent *addunt hic* P *et post* Deum DGX. 16 quia *Ita* DEX; quod *ceteri*; habet *om* GH, *post* potestatem CDNP*c*; B *om hom* 16 Matth. . . . 18 dicit. 21 Ecclesiae *om* B. 22 esse infectum *Ita* WXsEP; *ceteri addunt* His igitur visis respondendum est ad ea quae, in contrarium sunt obiecta. Non enim est inconveniens etc. (*sine* etc. CFY*b*; *pro* enim est, autem est *b*). Cf. cap. 52, 164 a 22 *eadem verba* esse infectum His igitur visis *etc.*; *unde huc ea transtulit transcriptor autographi, recursu deceptus verborum* esse infectum. *Additio essentialiter est error incoeptae repetitionis homoteleuti, quamvis peculiaris casus eius.* Habet . . . patet *om* H; *cf. var. praeced.* Habet autem hoc *Ita* WP*c*; et habet hoc Y, Habet autem hic *ceteri.* 25 a Deo *om* DEGNX*b*.

5 qui *om* DEGNX*b*; homo *om* N. 6 aliquid supra hominem] aliud supra hominem haberet *b*. 7 sufficiens] satisfactionis DEG. 12 ordinem] conditionem BY. 14 homini *om* BY. 17 dixit] dicit CDEGNX*b*. Ecce *alt. loco om* αZ; ecce . . . mundi *om* E; *lac.* pGN. 22 sunt *om* αCFY, *post* similia ZsF. 23 concipere] accipere DX*b*. incongruum] incondignum EGN, condignum D, indignum sEG*b*, inconveniens W.

## Commentaria Ferrariensis

* Cf. art. praec., Introd.

QUANTUM ad secundum, ostendit Sanctus Thomas convenientissimum fuisse mysterium Incarnationis *, inquiens quod *pie consideranti semper magis ac magis admirabiles rationes huius mysterii manifestantur.* Addit autem, *pie consideranti:* quia ei qui non cum pietate et reverentia huiusmodi mysterium consideravit, sed cum arrogantia, reputans impossibile omne ad quod necessarias rationes non viderit, difficile est etiam rationes probabiles invenire. Sed qui cum reverentia et humilitate hoc considerare voluerit, illuminari facile potest: et sibi possunt multae rationes probabiles congruentiae Incarnationis ostendi.

I. Probat ergo Sanctus Thomas Incarnationis convenientiam ex hoc quod efficacissimum homini auxilium fuit ad beatitudinem tendenti.

*Probatur primo sic.* Per hoc sublevatur spes hominis in beatitudinem. Ergo convenientissimum fuit quod Deus humanam naturam assumeret.

Declaratur assumptum. Quia posset alicui videri quod, propter distantiam naturarum, nunquam possit intellectus humanus immediate ipsi divinae essentiae ut intellectus intelligibili uniri, in quo perfecta hominis beatitudo consistit; et sic circa inquisitionem beatitudinis homo tepesceret, ipsa desperatione detentus. Huius autem oppositum per hoc quod Deus humanam naturam sibi unire voluit in persona, evidentissime demonstratur.

Confirmatur a signo. Quia post incarnationem Christi homines coeperunt magis ad caelestem beatitudinem aspirare: iuxta id quod dicitur *Ioan.* X, *Ego veni* etc.

II. *Secundo.* Per hoc homini auferuntur impedimenta beatitudinem adipiscendi. Ergo etc.

Assumptum probatur. Ex ignorantia propriae dignitatis poterat homo a participatione verae beatitudinis impediri. Sed hominis dignitatem Deus per Incarnationem convenientissime ostendit. Ergo etc.

Maior declaratur. Quia, cum perfecta hominis beatitudo in sola Dei fruitione consistat, quicumque iis quae infra Deum sunt inhaeret finaliter, a verae beatitudinis participatione impeditur. Ex ignorantia autem dignitatis suae naturae homo deduci poterat ut rebus infra Deum existentibus inhaereret ut fini. Cuius signum est quod quidam, considerantes se secundum naturam corpoream et sensitivam, in rebus corporalibus et delectationibus carnis quandam beatitudinem bestialem requirunt. Quidam vero, considerantes quarundam rerum excellentiam super homines quantum ad aliqua, eorum cultui se adstrinxerunt: colentes mundum quidem et partes eius, propter magnitudinem quantitatis et temporis diuturnitatem; spirituales vero substantias tanquam hominem excedentes in immortalitate et acumine intellectus, existimantes in iis beatitudinem esse quaerendam.

Minor vero declaratur. Quia secundum ordinem finis, nihil est altius homine nisi solus Deus, in quo perfecta hominis beatitudo consistit. Et hanc dignitatem hominis, scilicet quod in immediata Dei visione sit beatificandus, Deus convenientissime ostendit per hoc quod ipse immediate naturam humanam assumpsit.

Confirmatur haec ratio a signo. Quia ex incarnatione Dei hoc consecutum videmus, quod magna pars hominum, cultu quarumcumque creaturarum praetermisso, spretis quoque corporalibus omnibus, ad solum Deum colendum se dediderunt, in quo solo beatitudinis complementum

expectant: secundum quod monet Apostolus, *Coloss.* III, *Quae sursum sunt* etc.

Advertendum quod Sanctus Thomas perfectam hominis beatitudinem aliquando dicit *in immediata Dei visione* consistere, aliquando vero *in sola Dei fruitione,* quia in proposito non facit differentiam inter visionem beatificam et fruitionem. Non enim accipit visionem ut distinguitur a fruitione; neque fruitionem ut a visione separatur: sed ut nomine *visionis divinae* comprehenditur fruitio, tanquam proprietas eam naturaliter concomitans; nomine vero *fruitionis* comprehenditur visio, tanquam id quod ad ipsam necessario antecedit.

2. Circa id quod dicitur, *secundum ordinem finis nihil homine altius esse nisi solum Deum,* considerandum est primo quod dicitur aliquid altius altero secundum ordinem finis, quando aut ad altiorem finem ordinatur, aut ipsum est eius finis. Et ideo, quia nulla creatura ad altiorem finem ordinatur quam homo, cuius finis et beatitudo in Deo consistit; neque etiam aliqua creatura est finis et obiectum eius beatificum: a nulla creatura exceditur homo quantum ad ordinem finis. Deus autem dicitur hominem secundum hunc ordinem excedere, non quia ipse ordinetur ad altius obiectum beatificum, cum etiam Deus seipso sit beatus: sed quia ipse et hominis et cuiuscumque intellectualis naturae est finis et obiectum beatificum.

III. *Tertio.* Cognitionem qua homo in ultimum finem dirigitur, oportet esse certissimam, cum sit principium omnium quae ordinantur ad finem: nam et principia naturaliter nota certissima sunt. Ergo et fidem. Sed ad perfectam certitudinem consequendam de fidei veritate, oportet hominem ab ipso Deo homine facto instrui. Ergo etc.

Probatur consequentia prima. Quia, cum perfecta hominis beatitudo in ea Dei cognitione consistat quae omnem intellectum creatum excedit, necesse fuit aliquam illius praelibationem esse in homine, qua dirigeretur in finem. Quod quidem fit per fidem.

Minor vero subsumpta probatur. Nam quod oporteat hominem de fidei veritate a Deo instrui, probatur quia, cum id quod de Deo per fidem tenetur non sit per se homini notum, eo quod facultatem humani intellectus excedat, oportuit hoc manifestari per eum cui sit primo per se notum: nam certissima cognitio alicuius esse non potest nisi vel illud sit per se notum, vel in ea quae sunt per se nota resolvatur. Sed Deus est primum principium, cui est hoc naturaliter per se notum, et a quo omnibus innotescit: – licet etiam omnibus divinam essentiam videntibus sit quodammodo per se notum. Ergo, etc. – Quod vero oporteat huiusmodi fidei certitudinem a Deo homine facto nobis fieri, probat quia sic homo secundum modum humanum divinam instructionem suscepit.

Confirmatur eadem minor auctoritate *Ioan.* I, *Deum nemo* etc.; et *Ioan.* XVIII, *Ad hoc natus sum* etc.

Confirmatur ratio signo. Quia videmus, post Christi incarnationem, evidentius et certius homines in divina cognitione esse instructos: iuxta illud *Isaiae* XI, *Repleta* etc.

2. Circa id quod dicitur, *omnibus videntibus divinam essentiam esse quodammodo per se notum quod de Deo hic per fidem tenemus,* considerandum est quod dupliciter potest aliquid dici alicui per se notum. Uno modo, ex hoc solum quod est illi evidens, et non indiget aliqua propositione qua per discursum in illius cognitionem veniat. Alio modo, quia est illi evidens etiam naturaliter, idest ex naturali cognitione: et hoc proprie et perfecte dicitur per se notum, quia non solum est per se notum ex evidentia rei cognitae, sed etiam ex naturali dispositione cognoscentis. Beatis ergo dicitur per se notum id quod nos per fidem tenemus de Deo, primo modo tantum, non autem secundo modo: nam licet illud evidenter cognoscant et clare, hoc tamen non est ex naturali habitu ipsorum, sed ex divina essentia, in qua omnia vident, illud clare repraesentante. Et ideo non dicitur illud esse ipsis simpliciter per se notum, sed *quodammodo.* Deo autem, qui illud naturali sua cognitione perfectissime cognoscit, dicitur simpliciter et omnino per se notum.

IV. *Quarto.* Necessarium fuit homini ad perfectam beatitudinem tendenti, ad amorem divinum induci. Sed nihil sic ad amorem alicuius nos inducit, sicut experimentum amoris eius ad nos. Amor autem Dei ad homines nullo modo potuit hominibus efficacius ostendi quam per hoc quod uniri voluit homini in persona: cum proprium amoris sit unire amantem cum amato quantum possibile est. Ergo etc.

Probatur assumptum. Quia oportuit hominis affectum ad desiderium divinae fruitionis disponi: cum in hac perfecta hominis beatitudo consistat. Desiderium autem fruitionis alicuius rei ex amore illius causatur.

2. *Quinto.* Expediens fuit ut inter hominem et Deum esset amicitia. Sed haec familiarior fuit Deo homine facto. Tum quia etiam homo homini naturaliter est amicus, ut sic (1). – Tum quia ea quae multum inaequalia sunt, non videntur in amicitia posse coniungi. – Tum quia, *dum visibiliter Deum cognoscimus, in invisibilium amorem rapimur.* Ergo etc.

Advertendum quod Sanctus Thomas, cum dixisset *hominem esse homini naturaliter amicum,* addidit, *ut sic:* ut daret intelligere quod unus homo est naturaliter quidem amicus homini, inquantum in humana natura ambo communicant, sed tamen ex aliis causis potest homo homini inimicus esse.

3. *Sexto.* Beatitudo est praemium virtutis. Ergo oportet ad beatitudinem tendentes ad virtutem firmiter disponi. Ergo oportet esse aliquem de cuius bonitate infallibilis opinio habeatur. Ergo oportuit Deum incarnari.

Consequentia prima nota est. – Secunda probatur. Quia ad virtutem verbis et exemplis provocamur. Exempla autem alicuius et verba tanto efficacius ad virtutem inducunt, quanto de eo firmior bonitatis habetur opinio. – Tertia vero probatur: quia de nullo homine puro infallibilis opinio bonitatis haberi poterat, sed tantum de Deo.

Confirmatur. Quia ipse, *Ioan.* XIII, dicit, *Exemplum* etc.

V. *Septimo.* Necessarium est humano generi, quod peccatis abundat, ut ei remedium adhibeatur contra peccata. Sed non potest hoc remedium adhiberi nisi per Deum incarnatum. Ergo etc.

Maior patet. Quia homo peccatis a beatitudine impeditur.

Minor vero probatur sic. Peccatum impedimentum affert beatitudini ex tribus: primo, quia inordinationem quandam animae inducit, eam ab ordine debiti finis abducens; secundo, quia Deum offendit, a quo beatitudinis praemium expectatur, et peccatum est contrarium caritati divinae; tertio, quia huius offensae homo conscientiam habens fiduciam accedendi ad Deum amittit, quae necessaria est ad beatitudinem consequendam. Sed duobus primis remedium adhiberi non potest nisi per Deum, qui et voluntatem hominis potest ad debitum ordinem reducere; et offensam in se commissam potest remittere. Tertio autem adhiberi non potest remedium nisi ipse Deus fiat homo. Quia ad hoc ut homo a conscientia offensae praeteritae liberetur, oportet quod sibi de remissione offensae constet. Non potest autem per certitudinem ei constare nisi a Deo certificetur. Ergo etc.

Confirmatur ista minor auctoritate *Matth.* IX, *Ut autem sciatis* etc.; et Apostoli, *Hebr.* IX, *Sanguis Christi* etc.

2. Ad evidentiam eius quod dictum est, *hominem per peccatum Deum offendere,* rationibus ibidem assignatis, considerandum est, ex doctrina Sancti Thomae IV *Sent.,* d. XIV, q. II, a. 1, qu[a] 1 et 2, quod *offensa, inquantum huiusmodi, est inaequalitas quaedam, qua unus alii subtraxit quod ei debitum erat.* Deo autem debetur a nobis amor prae omnibus, tanquam Patri et Creatori. Debetur etiam honor, inquantum ab ipso expectanda est nostra beatitudo, tanquam ab eo qui humanorum actuum curam habet. Et utrumque per peccatum removetur. Subtrahitur enim Deo debitus honor, qui sibi debetur inquantum ab eo expectatur praemium beatitudinis, dum aliquid contra eius praecepta irreverenter committitur. Item subtrahitur debitus amor et affectus, inquantum homo, mortaliter peccando, aliquid magis amat quam Deum. Ideo bene assi-

(1) Voces *ut sic* habentur quidem in textu Sancti Thomae, sed aliter connectuntur. Iunguntur siquidem cum illa phrasi *dum visibiliter* etc. Quod mente tenendum est dum legitur sequens paragraphus, *Advertendum* etc. Cf. Text., 174, b 23.

gnatur pro ratione quare per peccatum homo Deum offendit: quia videlicet et ab ipso praemium beatitudinis expectatur, et peccatum contrariatur caritati divinae, idest amori quo Deus super omnia diligitur.

Advertendum ulterius quod *liberari a conscientia offensae praeteritae* dupliciter intelligi potest. Uno modo, quia homo amplius non recordatur se Deum offendisse. Et de hac liberatione non loquitur hic Sanctus Thomas. – Alio modo, quia non amplius habet remorsum conscientiae quod Deus sit sibi offensus et inimicus ob offensam praeteritam. Et de hac liberatione loquitur hoc loco, cum inquit quod *ad hoc ut homo a conscientia offensae praeteritae liberetur, oportet ut sibi de remissione offensae per Deum constet.*

[a] Cf. text. Attendendum etiam, cum vult Sanctus Thomas hanc certificationem [de remissione *] offensionis necesse esse fieri a Deo incarnato, quod nomine *necessitatis* intelligit convenientiam quandam, sicut et saepenumero in praecedentibus et sequentibus utitur. Unde in conclusione non utitur nomine *necessarii,* sed *convenientis* et *expedientis.*

VI. *Ultimo.* Ex traditione Ecclesiae docemur totum humanum genus peccato esse infectum. Ergo, ad hoc ut a tali peccato liberaretur, oportuit ut aliquis satisfaceret: quia secundum ordinem divinae iustitiae, peccatum sine satisfactione non remittitur a Deo. Sed nullus homo purus hoc poterat: cum quilibet sit aliquid minus tota generis humani universitate. Ergo oportuit esse aliquem qui esset homo, cui satisfactio competeret; et esset aliquid supra hominem, ut eius meritum sufficiens esset ad satisfaciendum. Ergo ad hoc necessarium fuit ut Deus homo fieret: quia nihil est maius homine, quantum ad ordinem beatitudinis, nisi solus Deus; nam et angeli ab eodem beatificantur.

Confirmatur haec ratio auctoritate Ioannis Baptistae, dicentis, *Ecce agnus* etc.; et Apostoli, *ad Rom.,* dicentis, *Sicut peccatum* etc.

2. Circa hoc quod dicitur, *Secundum ordinem divinae iustitiae peccatum sine satisfactione a Deo non remitti,* attendendum est quod idcirco apposuit Sanctus Thomas *secundum ordinem divinae iustitiae,* ut daret intelligere quod absolute quidem posset Deus relaxare peccatum absque satisfactione, sed non secundum determinationem suae iustitiae, secundum quam attenditur potentia ordinaria Dei. Unde Tertio, d. xx, q. 1, a. 1*, ad 3, ait quod, *quantum est de potentia Dei, posset Deus peccatum absque omni poena dimittere, nec esset iniustus si hoc faceret: sed quantum est ex parte peccantis, secundum ordinem quem nunc Deus rebus imposuit, hoc congrue non potest.*

[a] qu[a] 3.

[a] Cf. etiam cap. LII, Comm. num. XIV 2. 3. Circa id quod dictum est, purum hominem non potuisse pro peccato satisfacere, *quia est aliquid minus tota generis humani universitate**, advertendum, ex doctrina Sancti Thomae III *Sent.,* q. alleg., a. 2; et d. 1, q. 1, a. 2, ad ult., quod *natura humana infinitatem quandam habet, inquantum in ea possunt supposita in infinitum multiplicari;* et ex hoc peccatum ipsius est aliquo modo infinitum, utpote removens bonum naturae, quod est infinitum. Quilibet autem purus homo singularis habet naturam ipsam cum quadam limitatione. Et consequenter operatio ipsius est limitata, non potestque valere tantum quantum est bonum totius naturae, quod per peccatum aufertur, ut digna pro eo possit esse satisfactio. Idcirco convenienter arguitur non posse purum hominem pro huiusmodi peccato satisfacere eo quod sit aliquid minus tota generis humani universitate.

VII. Sed tunc occurrit dubium. Secundum enim doctrinam Sancti Thomae, quamvis peccatum actuale habeat quandam infinitatem, homo tamen informatus gratia per opus suum satisfacere potest, inquantum illud gratia informatur: quia, ut sic, habet quandam infinitatem, licet non inquantum a libero producitur arbitrio. Similiter ergo poterit dici quod, licet per opus suum homo purus non potuerit pro peccato satisfacere inquantum ex libero eius procedit arbitrio, quia, ut sic, procedit ab ipso ut est aliquid minus tota natura: potuit tamen hoc ex gratia divina, per quam eius opus quandam habuit infinitatem. Et sic non oportebat, ad satisfactionem pro hoc peccato, ut Deus fieret homo*.

[a] Cf. cap. seq. Comm. n. XV.

2. Respondetur, ex doctrina Sancti Thomae Tertia, q. 1, a. 2*; et IV *Sent.,* d. xv, q. 1, a. 2; et secundum determinationem Capreoli in Quarto, d. xv*, quod dupliciter loqui possumus de satisfactione: scilicet aut de satisfactione perfecta secundum se, et aequivalenti secundum rigorem iustitiae; aut de satisfactione imperfecta, sufficienti tamen secundum acceptationem eius qui ipsa contentus est. Ad primam satisfactionem requiritur quod bonitas actus satisfactorii sit aequivalens in bonitate malitiae peccati; et quod satisfaciens sit principalis causa et totalis bonitatis talis actus, non autem ille cui fit satisfactio; satisfaciatque per aliquid quod sit totaliter suum, non autem sit eius cui facienda est satisfactio. – Ad secundam autem satisfactionem sufficit quod actus satisfactorius sit sufficiens secundum acceptationem eius cui fit satisfactio; dato etiam quod satisfaciens non sit principalis et totalis causa illius actus; nec talis actus sit totaliter ipsius, sed etiam alias debeatur illi cui facienda est satisfactio.

[a] Ad 2.

[a] Qu. 1, art. 1, p. 325.

Dicitur ergo quod homo purus, etiam cum gratia Dei, non potest satisfacere Deo pro peccato totius naturae satisfactione perfecta et aequivalenti simpliciter et secundum se: quia valor actus satisfactorii aliquo modo infinitus non convenit actui principaliter et totaliter ex ipso satisfaciente, sed ex Deo movente voluntatem ad actum, et ex gratia ipsum informante. Et ulterius quicquid bonitatis invenitur in actu hominis puri, totum debetur Deo, propter beneficia homini a Deo collata. Et sic ille actus, inquantum bonus est et satisfactorius, non est totaliter hominis satisfacientis, sed etiam est Dei moventis ad talem actum, et sibi per ipsum satisfacientis.

3. Cum autem contra hoc arguitur, quia homo ex gratia inhabitante potest satisfacere pro actu peccati mortalis: – dicitur primo, quod hoc falsum est de satisfactione perfecta: licet de imperfecta satisfactione sit verum.

Dicitur secundo quod, licet pro peccato actuali possit purus homo satisfacere ex divina gratia, secundum divinam ordinationem; non tamen sequitur, stante divina dispositione, quae nobis per Sacram Scripturam innotescit, ut pro peccato originali possit satisfacere. Quia licet gratia det actui puri hominis quandam infinitatem respectu boni personalis, non tamen elevat ipsum actum ut aequivaleat bono totius naturae per peccatum deperdito.

VIII. Ex his patet quam vanae sint rationes Scoti, IV *Sent.,* d. xv, q. 1*, arguentis quod de potentia Dei absoluta posset homo Deo pro peccato satisfacere. Patet enim quod hoc est falsum de satisfactione perfecta et sufficienti per adaequationem vel excessum emendae ad offensam: cum homo totum quod habet debeat Deo; et illud sit magis Dei quam ipsius hominis; et insuper non possit esse principalis causa huius satisfactionis, quae fit per gratiam; licet possit satisfacere imperfecte, sive secundum acceptationem divinae misericordiae relaxantis id quod possit exigere de rigore iustitiae.

[a] Apud Capreol., loc. cit., a 2.

2. Si autem arguatur ex hoc etiam sequi non oportuisse Deum fieri hominem ad satisfaciendum pro humanae naturae peccato: quia, quamvis homo non possit omnino perfecte satisfacere pro peccato, divina tamen adiutus gratia satisfacere poterat secundum Dei acceptationem; sicut non oportet ut Deus fiat homo ad satisfaciendum pro actuali peccato alicuius hominis peccantis, quia potest ipse homo, adiutus divina gratia, satisfacere: – respondetur negando consequentiam. Quia etiam si homo potuerit per divinam gratiam aliquo modo satisfacere, utilis tamen et conveniens fuit Dei incarnatio, ad hoc ut homo gloriosior esset, perfecte pro suo peccato satisfaciens. Gloriosius enim est plenarie et per aequivalens absolute satisfacere, quod factum est ab homine per incarnationem Filii Dei, quam imperfecte tantum et secundum acceptationem eius cui satisfit. – Quod autem hoc non fiat pro peccato actuali unius hominis inquantum huiusmodi, est quia bonum naturae praeponderat bono unius individui; et est maius extensive; et diligentior cura in reparatione totius humani generis quam in reparatione unius hominis singularis est adhibenda.

# CAPITULUM QUINQUAGESIMUM QUINTUM

## SOLUTIO RATIONUM SUPRA POSITARUM CONTRA CONVENIENTIAM INCARNATIONIS.

* Cap. LIII.

EA vero quae contra hoc superius* sunt opposita, non difficile est solvere.

Non enim est contrarium ordini rerum Deum hominem fieri, ut *prima* ratio procedebat. Quia quamvis natura divina in infinitum naturam humanam excedat, tamen homo secundum ordinem suae naturae habet ipsum Deum pro fine, et natus est ei per intellectum uniri; cuius unionis exemplum et documentum quoddam fuit unio Dei ad hominem in persona; servata tamen proprietate utriusque naturae, ut nec excellentiae divinae naturae aliquid deperiret, nec humana natura per exaltationem aliquam extra terminos suae speciei traheretur.

Considerandum etiam quod, propter perfectionem et immobilitatem divinae bonitatis, nihil dignitatis Deo deperit ex hoc quod aliqua creatura quantumcumque ei appropinquat, etsi hoc creaturae accrescat. Sic enim ipsis creaturis suam bonitatem communicat quod ex hoc ipse nullum patitur detrimentum.

Similiter etiam, licet ad omnia facienda Dei voluntas sufficiat, tamen divina sapientia exigit ut rebus singulis secundum earum congruentiam provideatur a Deo: rebus enim singulis proprias causas convenienter instituit. Unde licet Deus sola sua voluntate efficere potuerit in humano genere omnes utilitates quas ex Dei incarnatione dicimus provenisse, ut *secunda* ratio proponebat: tamen congruebat humanae naturae ut huiusmodi utilitates inducerentur per Deum hominem factum, sicut ex inductis rationibus* aliquatenus apparere potest.

* Cap. praec.

Ad *tertiam* etiam rationem patet responsio. Homo enim, cum sit constitutus ex spirituali et corporali natura, quasi quoddam *confinium** tenens utriusque naturae, ad totam creaturam pertinere videtur quod fit pro hominis salute. Nam inferiores creaturae corporales in usum hominis cedere videntur, et ei quodammodo esse subiectae. Superior autem creatura spiritualis, scilicet angelica, commune habet cum homine ultimi finis consecutionem, ut ex superioribus* patet. Et sic conveniens videtur ut universalis omnium causa illam creaturam in unitatem personae assumeret in qua magis communicat cum omnibus creaturis.

* Cf. lib. II, cap. LXVIII, et ll. cc. ibid. p. 441 a 2.

* Lib. III, cap. XXV.

Considerandum est etiam quod solius rationalis naturae est per se agere: creaturae enim irrationales magis aguntur naturali impetu quam agant per seipsas. Unde magis sunt in ordine instrumentalium causarum quam se habeant per modum principalis agentis. Assumptionem autem talis creaturae a Deo oportuit esse quae per se agere posset tanquam agens principale. Nam ea quae agunt sicut instrumenta, agunt inquantum sunt mota ad agendum: principale vero agens ipsum per se agit. Si quid igitur agendum fuit divinitus per aliquam irrationalem creaturam, suffecit, secundum huius creaturae conditionem, quod solum moveretur a Deo: non autem quod assumeretur in persona ut ipsamet ageret, quia hoc eius naturalis conditio non recepit, sed solum conditio rationalis naturae. Non igitur fuit conveniens quod Deus aliquam irrationalem naturam assumeret, sed rationalem, scilicet angelicam vel humanam.

Et quamvis angelica natura quantum ad naturales proprietates inveniatur excellentior quam humana natura, ut *quarta* ratio proponebat, tamen humana congruentius fuit assumpta. Primo quidem, quia in homine peccatum expiabile esse potest: eo quod eius electio non immobiliter fertur in aliquid, sed a bono potest perverti in malum, et a malo reduci in bonum: sicut etiam in hominis ratione contingit, quae, quia ex sensibilibus et per signa quaedam colligit veritatem, viam habet ad utrumque oppositorum. Angelus autem, sicut habet immobilem apprehensionem, quia per simplicem intellectum immobiliter cognoscit, ita etiam habet immobilem electionem: unde vel in malum omnino non fertur; vel, si in malum feratur, immobiliter fertur; unde eius peccatum expiabile esse non potest. Cum igitur praecipua causa videatur divinae incarnationis esse expiatio peccatorum, ut ex Scripturis divinis docemur*, congruentius fuit humanam naturam quam angelicam assumi a Deo. – Secundo, quia assumptio creaturae a Deo est in persona, non in natura, ut ex superioribus* patet. Convenientius igitur assumpta est hominis natura quam angelica: quia in homine aliud est natura et persona, cum sit ex materia et forma compositus; non autem in angelo, qui immaterialis est. – Tertio, quia angelus, secundum proprietatem suae naturae, propinquior erat ad Deum cognoscendum quam homo, cuius cognitio a sensu oritur. Sufficiebat igitur quod angelus a Deo intelligibiliter instrueretur de veritate divina. Sed conditio hominis requirebat ut Deus sensibiliter hominem de seipso homine instrueret. Quod per incarnationem est factum. – Ipsa etiam distantia hominis a Deo magis repugnare vide-

* Cf. *Matth.* I, 21, et I *Tim.*, I, 15. Cf. supra cap. L.

* Cap. XXXIX, XLI.

1 contra hoc *Ita* GPc; contra BFHWZ*b*, *om* CDY, hic EX, contra haec N. 11 tamen] sine α. 17 deperit] deperiit ENX*b*. 18 etsi hoc] et hoc si B, etsi ex hoc quod F, etsi ex hoc EGN*b*. 19 accrescat] altius accrescat D, altius crescant X, actus stat EsG, crescat G, acc'abat (*idest* accusabat) N. ipsis] ipse DEGNX. 24 congruentiam] exigentiam DEGNX. 26 sola *om* DEX, *post* sua Z. 28 utilitates] utilitas D; inducerentur *om* E, fierent sE, proveniret *post* factum D, provenirent *ibidem* X. 46 in qua] in quo αGN, quae *b*. 47 rationalis *post* naturae DEGNX.

5 mota] motiva EGN*b*, notiva *vel* nociva D. 11 ipsamet] ipsam DEG,i psammet *b*, ipsa WXsE. 12 recipit] requirit DEGNX*b*. 13 conveniens *om* pE. decens DX. 14 naturam] creaturam DFNWPc. 25 viam *om* EN, se DX*b*, *signum* § *rubro* G. 33 esse *aute* videatur DX, *om* P.

batur fruitioni divinae. Et ideo magis indiguit homo quam angelus assumi a Deo, ad spem de beatitudine concipiendam. – Homo etiam, cum sit creaturarum terminus*, quasi omnes alias creaturas naturali generationis ordine praesupponens, convenienter primo rerum principio unitur, ut quadam circolatione perfectio rerum concludatur.

*Vid. supra *Ad tertiam.*

Ex hoc autem quod Deus humanam naturam assumpsit, non datur erroris occasio, ut *quinta* ratio proponebat. Quia assumptio humanitatis, ut supra habitum est, facta est in unitate personae: non in unitate naturae, ut sic oporteat nos consentire his qui posuerunt Deum non esse super omnia exaltatum, dicentes Deum esse animam mundi, vel aliquid huiusmodi.

Licet autem circa incarnationem Dei sint aliqui errores exorti, ut *sexto* obiiciebatur, tamen manifestum est multo plures errores post incarnationem fuisse sublatos. Sicut enim ex creatione rerum, a divina bonitate procedente, aliqua mala sunt consecuta, quod competebat conditioni creaturarum, quae deficere possunt; ita etiam non est mirum si, manifestata divina veritate, sunt aliqui errores exorti ex defectu mentium humanarum. Qui tamen errores exercuerunt fidelium ingenia ad diligentius divinorum veritatem exquirendam et intelligendam: sicut et mala quae in creaturis accidunt, ordinat Deus ad aliquod bonum.

Quamvis autem omne bonum creatum, divinae bonitati comparatum, exiguum inveniatur, tamen quia in rebus creatis nihil potest esse maius quam salus rationalis creaturae, quae consistit in fruitione ipsius bonitatis divinae; cum ex incarnatione divina consecuta sit salus humana, non parum utilitatis praedicta incarnatio attulit mundo, ut *septima* ratio procedebat. – Nec oportuit propter hoc quod ex incarnatione divina omnes homines salvarentur: sed tantum illi qui praedictae incarnationi adhaerent per fidem et fidei sacramenta. Est siquidem incarnationis divinae virtus sufficiens ad omnium hominum salutem: sed quod non omnes ex hoc salvantur, ex eorum indispositione contingit, quod incarnationis fructum in se suscipere nolunt, incarnato Deo per fidem et amorem non inhaerendo. – Non enim erat hominibus subtrahenda libertas arbitrii, per quam possunt vel inhaerere vel non inhaerere Deo incarnato: ne bonum hominis coactum esset, et per hoc absque merito et illaudabile redderetur.

Praedicta etiam Dei incarnatio sufficientibus indiciis hominibus manifestata est. Divinitas enim nullo modo convenientius manifestari potest quam per ea quae sunt propria Dei. Est autem Dei proprium quod naturae leges immutare possit, supra naturam aliquid operando, cuius ipse est auctor. Convenientissime igitur probatur aliquid esse divinum per opera quae supra leges naturae fiunt, sicut quod caeci illuminentur, leprosi mundentur, mortui suscitentur. Huiusmodi quidem opera Christus effecit. Unde et ipse per haec opera quaerentibus, *Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* suam divinitatem demonstravit, dicens*: *Caeci vident, claudi ambulant, surdi audiunt* etc. Alium autem mundum creare necesse non erat: nec ratio divinae sapientiae, nec rerum natura hoc habebat. – Si autem dicatur, ut *octava* ratio proponebat, quod huiusmodi miracula etiam per alios esse facta leguntur: – tamen considerandum est quod multo differentius et divinius Christus effecit. Nam alii orando haec fecisse leguntur: Christus autem imperando, quasi ex propria potestate. Et non solum ipse haec fecit, sed et aliis eadem et maiora faciendi tribuit potestatem, qui ad solam invocationem nominis Christi huiusmodi miracula faciebant. Et non solum corporalia miracula per Christum facta sunt, sed etiam spiritualia, quae sunt multo maiora: scilicet quod per Christum, et ad invocationem nominis eius, Spiritus Sanctus daretur, quo accenderentur corda caritatis divinae affectu; et mentes instruerentur subito in scientia divinorum; et linguae simplicium redderentur disertae, ad divinam veritatem hominibus proponendam. Huiusmodi autem opera indicia sunt expressa divinitatis Christi, quae nullus purus homo facere potuit. Unde Apostolus, *ad Heb.**, dicit quod salus hominum, *cum initium accepisset enarrari per Dominum, per eos qui audierunt in nos confirmata est, attestante Deo signis et virtutibus et variis Spiritus Sancti distributionibus.*

*Matth. XI. 5.

*Cap. II, 3, 4.

Licet autem saluti totius humani generis Dei incarnatio necessaria foret, non tamen oportuit quod a principio mundi Deus incarnaretur, ut *nono* obiiciebatur. Primo quidem, quia per Deum incarnatum oportebat hominibus medicinam afferri contra peccata, ut superius* habitum est. Contra peccatum autem alicui convenienter medicina non affertur nisi prius suum defectum recognoscat: ut sic per humilitatem homo, de seipso non praesumens, iactet spem suam in Deum, a quo solo potest sanari peccatum, ut supra* habitum est. Poterat autem homo de seipso praesumere et quantum ad scientiam, et quantum ad virtutem. Relinquendus igitur aliquando fuit sibi, ut experiretur quod ipse sibi non sufficeret ad salutem: neque per scientiam naturalem, quia ante tempus legis scriptae, homo legem naturae transgressus est; neque per virtutem propriam, quia, data sibi cognitione peccati per legem, adhuc ex infirmitate peccavit. Et sic

*Cap. praec. *Item. Sicut.*

*Cap. praec. l. c. et Lib. III cap. CLVII.

6 primo *om* DEGX. ut] etiam ut BCFWXYZP*c*, et ut H, ut etiam *b*. 8 autem] etiam DEXP. 11 unitate] unitatem *pr. loco* BCFWX, *utrobique* P*c*. 12 oporteat] non oporteat P*d*. 14 dicentes] et dicentes BY. 18 multo *om* DEX. 20 omne *post* bonum WP*c*. 30 tamen quia *Ita* P*c*; cum tamen X, tamen *ceteri*. 33 cum] cum ergo sG*b*, cum igitur sE; *cf. var. praeced.* 36 nec *ante* ut septima X. 39 adhaerent] adhaererent P*c*. 43 quod] qui D*b*, quia WZ. 47 vel non inhaerere *om* DEGN, (inhaerendo) vel non inhaerendo X. 48 coactum] corruptum αWY. 51 enim *om* EGN, cum *ante* divinitas X. 55 aliquid operando] ad operandum αNY, adoperando EG, ad operandam *b*.

8 surdi audiunt *om* DENXZ; ambulant surdi *om* G. 18 et maiore *Ita* EWXP*c*; aut maiora αY, vel maiora DGNX*b*. 19 qui] quod EGX. nominis *om* DEX. 25 caritatis *post* divinae DEX. 27 disertae] discretae GN, dissertae Y*b*. 32 enarrari] errori EG, eñari N; *pro* attestante, contestante DENXsG, testante G. 37 non] nec DEGNX*b*. 39 nono] in nono ENsG, in Christo G. 42 autem *om* EGN*b*. 43 affertur] oĩertur EGN*b*.

oportuit ut demum homini, neque de scientia neque de virtute praesumenti, daretur efficax auxilium contra peccatum per Christi incarnationem: scilicet gratia Christi, per quam et instrueretur in dubiis, ne in cognitione deficeret; et roboraretur contra tentationum insultus, ne per infirmitatem deficeret. Sic igitur factum est quod essent tres status humani generis: primus ante legem; secundus sub lege; tertius sub gratia. Deinde per Deum incarnatum praecepta et documenta perfecta hominibus danda erant. – Requirit autem hoc conditio humanae naturae, quod non statim ad perfectum ducatur, sed manuducatur per imperfecta ut ad perfectionem perveniat: quod in instructione puerorum videmus, qui primo de minimis instruuntur, nam a principio perfecta capere non valent. – Similiter etiam, si alicui multitudini aliqua inaudita proponerentur et magna, non statim caperet nisi ad ea assuesceret prius per aliqua minora. Sic igitur conveniens fuit ut a principio humanum genus instrueretur de his quae pertinent ad suam salutem per aliqua levia et minora documenta per patriarchas et legem et prophetas, et tandem, in consummatione temporum, perfecta doctrina Christi proponeretur in terris: secundum quod Apostolus dicit, *ad Gal.**: *At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum in terris.* Et ibidem* dicitur quod *lex paedagogus noster fuit in Christo, sed iam non sumus sub paedagogo.* – Simul etiam considerandum est quod, sicut adventum magni regis oportet aliquos nuntios praecedere, ut praeparentur subditi ad eum reverentius suscipiendum; ita oportuit adventum Dei in terras multa praecedere, quibus homines essent parati ad Deum incarnatum suscipiendum. Quod quidem factum est dum per praecedentia promissa et documenta hominum mentes dispositae sunt, ut facilius ei crederent qui ante praenuntiatus erat, et desiderantius susciperetur propter priora promissa.

Et licet adventus Dei incarnati in mundum esset maxime necessarius humanae saluti, tamen non fuit necessarium quod usque ad finem mundi cum hominibus conversaretur, ut *decima* ratio proponebat. Hoc enim derogasset reverentiae quam homines debebant Deo incarnato exhibere: dum, videntes ipsum carne indutum aliis hominibus similem, nihil de eo ultra alios homines aestimassent. Sed eo, post mira quae gessit in terris, suam praesentiam hominibus subtrahente, magis ipsum revereri coeperunt. Propter quod etiam suis discipulis plenitudinem Spiritus Sancti non dedit quandiu cum eis conversatus fuit, quasi per eius absentiam eorum animis ad spiritualia munera magis praeparatis. Unde ipse eis dicebat*: *Si non abiero, Paraclitus non veniet ad vos: si autem abiero, mittam eum ad vos.*

Non oportuit autem Deum carnem impassibilem et immortalem suscipere, secundum quod *undecima* ratio proponebat: sed magis passibilem et mortalem. Primo quidem, quia necessarium erat hominibus quod beneficium Incarnationis cognoscerent, ut ex hoc ad divinum amorem inflammarentur. Oportuit autem, ad veritatem incarnationis manifestandam, quod carnem similem aliis hominibus sumeret, scilicet passibilem et mortalem. Si enim impassibilem et immortalem carnem suscepisset, visum fuisset hominibus, qui talem carnem non noverant, quod aliquod phantasma esset, et non veritas carnis. – Secundo, quia necessarium fuit Deum carnem assumere ut pro peccato humani generis satisfaceret. Contingit autem unum pro alio satisfacere, ut in Tertio* ostensum est, ita tamen quod poenam pro peccato alteri debitam ipse, sibi non debitam, voluntarie assumat. Poena autem consequens humani generis peccatum est mors et aliae passibilitates vitae praesentis, sicut supra* dictum est: unde et Apostolus dicit, *ad Rom.**: *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors.* Oportuit igitur ut carnem passibilem et mortalem Deus assumeret absque peccato, ut sic, patiendo et moriendo, pro nobis satisfaceret et peccatum auferret. Et hoc est quod Apostolus dicit, *ad Rom.**, quod *Deus misit Filium suum in similitudinem carnis peccati,* idest, habentem carnem similem peccatoribus, scilicet passibilem et mortalem; et subdit, *ut de peccato damnaret peccatum in carne,* idest, ut per poenam quam in carne pro peccato nostro sustinuit, peccatum a nobis auferret. – Tertio, quia per hoc quod carnem passibilem et mortalem habuit, efficacius dedit nobis exempla virtutis, passiones carnis fortiter superando, et eis virtuose utendo. – Quarto, quia per hoc magis ad spem immortalitatis erigimur, quod ipse de statu carnis passibilis et mortalis mutatus est in impassibilitatem et immortalitatem carnis: quod etiam de nobis sperare possumus, qui carnem gerimus passibilem et mortalem. Si vero a principio carnem impassibilem et immortalem assumpsisset, nulla daretur occasio immortalitatem sperandi his qui in seipsis mortalitatem et corruptibilitatem experiuntur. – Hoc etiam mediatoris officium requirebat quod, cum communem haberet nobiscum passibilem carnem et mortalem, cum Deo vero virtutem et gloriam: ut auferens a nobis quod nobiscum commune habebat, scilicet passionem et mortem, ad id nos duceret quod sibi et Deo erat commune. Fuit enim mediator ad coniungendum nos Deo.

* Cap. IV, 4.
* Cap. III, 24.
* Ioann. XVI, 7.
* Cap. CLVIII, fin.
* Cap. L.
* Cap. V, 12.
* Cap. VIII, 3.

1 demum] divinum CD*b*. 10 Deinde . . . 181 b 48 sublimior *om* H. 12 hoc *om* DEGNXZ*b*. 15 in] et in DEGN*b*P*c*, etiam in X. 16 qui] quod DENX, quia P*b*. 17 valent] possunt DEGX, possent N, valerent *b*. etiam] autem DEGNX. 21 ut a principio] a principio ut P*c*. 27 Vol.] IV. *addunt* XP*d*. 31 Simul etiam] similiter autem DEX, simul autem GN, similiter etiam W*b*. 53 etiam *om* DEGNX. 56 Unde] Unde et P*c*.

14 aliquod phantasma *post* esset DEGNX*b*. 17 ut] non α. 24 Rom.] Rom. (*spat*) CG, Rom. v P; 30 *pro* Rom, Rom. VIII P. 44 qui] quod α. 45 Si vero..... 46 immortalem *om* N; si autem talem non DEGX*b*; *pro* assumpsisset, sumpsisset GN. 47 daretur *Ita* P; nobis daretur *ceteri*. 50 quod cum] quod DXsEG, quod tamen EG, ut P. 51 et mortalem *ante* carnem DEGNX, mortalem C, et passibilem mortalem BF. vero *om* DEX. 55 enim] autem DEGNX.

Similiter etiam non fuit expediens quod Deus incarnatus vitam in hoc mundo ageret opulentam et honoribus seu dignitatibus sublimem, ut *duodecima* ratio concludebat. Primo quidem, quia ad hoc venerat ut mentes hominum, terrenis deditas, a terrenis abstraheret et ad divina elevaret. Unde oportuit, ut suo exemplo homines in contemptum divitiarum et aliorum quae mundani desiderant duceret, quod inopem et privatam vitam ageret in hoc mundo. – Secundo quia, si divitiis abundasset et in aliqua maxima dignitate constitutus fuisset, id quod divine gessit magis potentiae saeculari quam virtuti divinitatis fuisset attributum. Unde efficacissimum argumentum suae divinitatis fuit quod absque adminiculo potentiae saecularis totum mundum in melius commutavit.

Unde patet etiam solutio ad id quod *decimotertio* obiiciebatur.

Non est autem procul a vero quod Filius Dei incarnatus obediens praecepto Patris mortem sustinuit, secundum doctrinam Apostoli*. Praeceptum enim Dei est ad homines de operibus virtutum: et quanto aliquis perfectius actum virtutis exequitur, tanto magis Deo obedit. Inter alias autem virtutes praecipua caritas est, ad quam omnes aliae referuntur. Christus igitur, dum actum caritatis perfectissime implevit, Deo maxime obediens fuit. Nullus enim est actus caritatis perfectior quam quod homo pro amore alicuius etiam mortem sustineat: secundum quod ipsemet Dominus dicit*: *Maiorem caritatem nemo habet quam quod animam suam ponat quis pro amicis suis*. Sic igitur invenitur Christus, mortem sustinens pro salute hominum et ad gloriam Dei Patris, Deo maxime obediens fuisse, actum caritatis perfectum exequendo. Nec hoc repugnat divinitati ipsius, ut *quartadecima* ratio procedebat. Sic enim facta est unio in persona ut proprietas utriusque naturae maneret, divinae scilicet et humanae, ut supra* habitum est. Et ideo, patiente Christo etiam mortem et alia quae humanitatis sunt, divinitas impassibilis mansit, quamvis, propter unitatem personae, dicamus Deum passum et mortuum. Cuius exemplum aliqualiter in nobis apparet, quia, moriente carne, anima remanet immortalis.

Sciendum est etiam quod, licet voluntas Dei non sit ad mortem hominum, ut *quintadecima* ratio proponebat, est tamen ad virtutem, per quam homo mortem fortiter sustinet, et ex caritate periculis mortis se obiicit. Et sic voluntas Dei fuit de morte Christi, inquantum Christus eam ex caritate suscepit et fortiter sustinuit.

Unde patet quod non fuit impium et crudele quod Deus Pater Christum mori voluit, ut *sexta-decima* ratio concludebat. Non enim coegit invitum, sed complacuit ei voluntas qua ex caritate Christus mortem suscepit. Et hanc etiam caritatem in eius anima operatus est.

Similiter etiam non inconvenienter dicitur quod propter humilitatem demonstrandam Christus mortem crucis voluit pati. Et revera quidem humilitas in Deum non cadit, ut *decimaseptima* ratio proponebat: quia virtus humilitatis in hoc consistit ut aliquis infra suos terminos se contineat, ad ea quae supra se sunt non se extendens, sed superiori se subiiciat; unde patet quod Deo humilitas convenire non potest, qui superiorem non habet, sed ipse super omnia existit. Si autem aliquis vel aequali vel inferiori se ex humilitate aliquando subiiciat, hoc est quia secundum aliquid eum qui simpliciter vel aequalis vel inferior est, superiorem se arbitratur. Quamvis igitur Christo secundum divinam naturam humilitatis virtus non competat, competit tamen sibi secundum humanam naturam, et eius humilitas ex eius divinitate laudabilior redditur: dignitas enim personae adiicit ad laudem humilitatis; puta quando, pro aliqua necessitate, expedit aliquem magnum aliqua infima pati. Nulla autem tanta dignitas esse potest hominis quam quod sit Deus. Unde hominis Dei humilitas maxime laudabilis invenitur, dum abiecta sustinuit quae pro salute hominum ipsum pati expediebat. Erant enim homines, propter superbiam, mundanae gloriae amatores. Ut igitur hominum animos ab amore mundanae gloriae in amorem divinae gloriae transmutaret, voluit mortem sustinere, non qualemcumque, sed abiectissimam. Sunt enim quidam qui, etsi mortem non timeant, abhorrent tamen mortem abiectam. Ad quam etiam contemnendam Dominus homines animavit suae mortis exemplo.

Et licet homines ad humilitatem informari potuerint divinis sermonibus instructi, ut *decimaoctava* ratio proponebat: tamen ad agendum magis provocant facta quam verba; et tanto efficacius facta movent, quanto certior opinio bonitatis habetur de eo qui huiusmodi operatur. Unde, licet aliorum hominum multa humilitatis exempla invenirentur, tamen expedientissimum fuit ut ad hoc hominis Dei provocarentur exemplo, quem constat errare non potuisse; et cuius humilitas tanto est mirabilior, quanto maiestas sublimior.

Manifestum est etiam ex praedictis quod oportuit Christum mortem pati, non solum ut exemplum praeberet mortem contemnendi propter veritatis amorem, sed ut etiam aliorum peccata purgaret. Quod quidem factum est dum ipse, qui absque peccato erat, mortem peccato debitam pati voluit, ut in se poenam aliis debitam, pro aliis satisfaciendo, susciperet. Et quamvis sola Dei

* *Philipp.* II, 8.
* *Ioan.* XV, 13.
* Cap. XLI.

---

3 seu] et DEGNXZ. 9 duceret quod *Ita* W; traheret et quod P, *om ceteri*; *pro* ageret, agerent P. 20 a vero] hoc a vero P*c*, auro N. 29 enim *om* BF, autem DWX; est *om* CY, *post* caritatis DXZ, *post* perfectior Y. 31 etiam *om* DEGNX*b*. 33 quod] ut YP, ut homo (*om* quis) X, quod homo (*om* quis) D. 34 sic] si DEX. 42 etiam *om* DEGNX*b*. 50 est *om* DEGNX, *post* tamen *b*. 54 eam *om* BWY, iam F.

1 coegit *Ita* ZsGP*d*; contingit W, cogit *ceteri*. 7 quidem] quid α, quod GY, *om* WsG. 11 se *om* DE, *post* extendens X. 15 se *hic et ante* subiiciat GN*b*. 16 quia *Ita* WYZsGP*d*; qui α, quod DEGNX, quidem *c*; *pro* eum, cum *c*. 17 vel *pr. loco om* αWYZ*cd*. 20 competit *om* E, *post* naturam DXsE. 23 enim] autem DEGNX. 42 bonitatis] veritatis DEGNX. 43 qui] quod αW. 45 ad hoc] adhuc P*c*; provocarentur *post* exemplo DEGNX. 49 Manifestum *reincipit* H, cf. 180 a 10. 52 ut etiam] etiam ut DEX*b*.

gratia sufficiat ad remittendum peccata, ut *decimanona* ratio proponebat, tamen in remissione peccati exigitur etiam aliquid ex parte eius cui peccatum remittitur: ut scilicet satisfaciat ei quem offendit. Et quia alii homines pro seipsis hoc facere non poterant, Christus hoc pro omnibus fecit, mortem voluntariam ex caritate patiendo.

Et quamvis in puniendo peccata oporteat illum puniri qui peccavit, ut *vigesima* ratio proponebat, tamen in satisfaciendo unus potest alterius poenam ferre. Quia dum poena pro peccato infligitur, pensatur eius qui punitur iniquitas: in satisfactione vero, dum quis, ad placandum eum quem offendit, voluntarie poenam assumit, satisfacientis caritas et benevolentia aestimatur, quae maxime apparet cum quis pro alio poenam assumit. Et ideo Deus satisfactionem unius pro alio acceptat, ut etiam in Tertio libro* ostensum est.

* Cap. CLVIII, *fin.*

Satisfacere autem pro toto humano genere, ut supra* ostensum est, nullus homo purus poterat: nec ad hoc angelus sufficiebat, ut *vigesimaprima* ratio procedebat. Angelus enim, licet quantum ad aliquas proprietates naturales sit homine potior, tamen quantum ad beatitudinis participationem, in quam per satisfactionem reducendus erat, est ei aequalis*. – Et iterum: non plene redintegraretur hominis dignitas, si angelo pro homine satisfacienti obnoxius redderetur.

* Cap. praec. *Ad huc. Ex traditione.*

* Cap. praec. l. c.

Sciendum autem est quod mors Christi virtutem satisfaciendi habuit ex caritate ipsius, qua voluntarie mortem sustinuit, non ex iniquitate occidentium, qui eum occidendo peccaverunt: quia peccatum non deletur peccato, ut *vigesimasecunda* ratio proponebat.

Et quamvis mors Christi pro peccato satisfactoria fuerit, non tamen toties eum mori oportuit quoties homines peccant, ut *vigesimatertia* ratio concludebat. Quia mors Christi sufficiens fuit ad omnium expianda peccata: tum propter eximiam caritatem qua mortem sustinuit; tum propter dignitatem personae satisfacientis, quae fuit Deus et homo. Manifestum est autem etiam in rebus humanis quod, quanto persona est altior, tanto poena quam sustinet pro maiori computatur, sive ad humilitatem et caritatem patientis, sive ad culpam inferentis.

Ad satisfaciendum autem pro peccato totius humani generis mors Christi sufficiens fuit. Quia, quamvis secundum humanam naturam solum mortuus fuerit, ut *vigesimaquarta* ratio proponebat, tamen ex dignitate personae patientis, quae est persona Filii Dei, mors eius redditur pretiosa. Quia, ut supra* dictum est, sicut maioris est criminis alicui personae inferre iniuriam quae maioris dignitatis existit, ita virtuosius est, et ex maiori caritate procedens, quod maior persona pro aliis se subiiciat voluntariae passioni.

* Forte p. praec. a 30, b 21; vel lib. III cap. CLVIII?

Quamvis autem Christus pro peccato originali sua morte sufficienter satisfecerit, non est tamen inconveniens quod poenalitates ex peccato originali consequentes remaneant adhuc in omnibus qui etiam redemptionis Christi participes fiunt: ut *vigesimaquinta* ratio procedebat. Hoc enim congruenter et utiliter factum est ut poena remaneret, etiam culpa sublata. Primo quidem, ut esset conformitas fidelium ad Christum, sicut membrorum ad caput. Unde sicut Christus prius multas passiones sustinuit, et sic ad immortalitatis gloriam pervenit; sic decuit ut fideles eius prius passionibus subiacerent, et sic ad immortalitatem pervenirent, quasi portantes in seipsis insignia passionis Christi, ut similitudinem gloriae eius consequerentur; sicut Apostolus, *ad Rom.**, dicit: *Heredes quidem Dei, coheredes autem Christi. Si tamen compatimur, ut et simul glorificemur.* – Secundo quia, si homines venientes ad Iesum statim immortalitatem et impassibilitatem consequerentur, plures homines ad Christum accederent magis propter haec corporalia beneficia quam propter spiritualia bona. Quod est contra intentionem Christi, venientis in mundum ut homines ab amore corporalium ad spiritualia transferret. – Tertio quia, si accedentes ad Christum statim impassibiles et immortales redderentur, hoc quodammodo compelleret homines ad fidem Christi suscipiendam. Et sic meritum fidei minueretur.

* cap. VIII, 17

Quamvis autem sufficienter pro peccatis humani generis sua morte satisfecerit, ut *vigesimasexta* ratio proponebat, sunt tamen unicuique remedia propriae salutis quaerenda. Mors enim Christi est quasi quaedam universalis causa salutis: sicut peccatum primi hominis fuit quasi universalis causa damnationis. Oportet autem universalem causam applicari ad unumquemque specialiter, ut effectum universalis causae percipiat. Effectus igitur peccati primi parentis pervenit ad unumquemque per carnis originem: effectus autem mortis Christi pertingit ad unumquemque per spiritualem regenerationem, per quam homo Christo quodammodo coniungitur et incorporatur. Et ideo oportet quod unusquisque quaerat regenerari per Christum, et alia suscipere in quibus virtus mortis Christi operatur.

Ex quo patet quod effluxus salutis a Christo in homines non est per naturae propaginem, sed

---

1 gratia] misericordia E, voluntas vel gratia Dei D *et sine* Dei X. 6 hoc *post* omnibus P*d*. 8 Et . . . oporteat] Praeterea oportebat E, Praeterea si oportebat X; peccata *om* DG. 9 ut vigesima ratio proponebat *om* DEGN. *Infra ad numerale rationum solvendarum uno numero a vero distant* DE, *et etiam* X; 21 *pro* vigesima prima, secunda G, vigesima sG. 13 satisfactione vero] satisfaciendo enim (autem DX) DEGNX. 17 Deus *om* DEGNX*b*. 18 etiam *om* DENX*b lac.* G. 20 ut] ut etiam P*c*; *pro* ostensum, dictum DEGNX*b*. 22 quantum ad aliquas] ad aliquas EG, quantum ad alias BY. 25 in quam *om* EGN, ad quam DX*b*. 27 redintegraretur] redintegratur DEGNX. 28 satisfacienti] satisfaciente DEX. 39 eximiam] nimiam *b*. 47 autem *om* DEGNX. 50 ratio *om* N*b*.

2 existit] existat EX. 8 adhuc] § Adhuc DEGN*b*. 14 prius] primum DEN, primo X. 16 eius *om* DE; subiacerunt *ante* passionibus BWYP*c*, subiicerentur Z, *om* H, *lac.* X. 24 Iesum] Christum DEGNX*b*P*c*. et impassibilitatem *om* N, impassibilitatemque P. 35 pro peccatis *ante* sufficienter αWY, *om* Z. 37 sunt tamen] Item cum DN, tamen cum X; *in* E *ut videtur* ſt *ex* it *per scriptorem*. 38 enim Christi *Ita scriptor* W *se corrigens, et* P*c*; enim αWYZ, quidem EGN, quidem Christi DX, Christi quidem sE. 39 quaedam *om* EX. 40 fuit *om* DEX. 42 unumquemque] unumquodque DYP*c*. 43 percipiat] participat EGNZ*cd*, participet DZ*b*P. 44 igitur] autem DEGNX; peccati *om* DEGX. 50 alia] illa DX, sacramenta *addit* sE. 52 effluxus] effectus DEX, efflixus pGN. 53 propaginem] propagationem YZ*b*.

per studium bonae voluntatis, qua homo Christo adhaeret. Et sic quod a Christo unusquisque consequitur, est personale bonum. Unde non derivatur ad posteros, sicut peccatum primi parentis, quod cum naturae propagine producitur. Et inde est quod, licet parentes sint a peccato originali mundati per Christum, non tamen est inconveniens quod eorum filii cum peccato originali nascantur, et sacramentis salutis indigeant, ut *vigesimaseptima* ratio concludebat*.

* Cf. Comment. num. XIV. *Ad vigesimumseptimum* etc.

Sic igitur ex praemissis aliquatenus patet quod ea quae circa mysterium Incarnationis fides catholica praedicat, neque impossibilia neque incongrua inveniuntur.

5 propagine] propagatione NY*b*.
1 peccato *om* αWYZ*b*.

## Commentaria Ferrariensis

* Cf. cap. LIII, Introd.

DETERMINATA veritate circa Incarnationis convenientiam, vult ulterius Sanctus Thomas ad obiecta respondere*.

I. *Et ad primum quidem* dicit primo, quod non est contra ordinem rerum Deum hominem fieri. Quia homo, secundum ordinem suae naturae, habet ipsum Deum pro fine, et natus est ei per intellectum uniri. In cuius unionis exemplum et documentum facta fuit unio Dei ad hominem in persona, utriusque naturae proprietate servata.

Dicit secundo quod, propter perfectionem et immobilitatem divinae bonitatis, nihil dignitatis Deo deperit ex quacumque appropinquatione creaturae ad ipsum, etsi ex hoc creaturae aliquid dignitatis accrescat: quia creaturis suam bonitatem absque sui detrimento communicat.

*Ad secundum* dicit quod, licet ad omnia facienda divina voluntas sufficiat, divina tamen sapientia exigit ut rebus singulis secundum earum congruentiam provideatur a Deo. Et sic, licet Deus potuerit sola voluntate in humano genere omnes utilitates efficere quas ex Dei incarnatione dicimus provenisse, congruebat tamen, rationibus supra* positis, ut per Deum hominem factum inducerentur.

* Cap. praec.

*Ad tertium* dicit primo, quod videtur ad totam naturam pertinere quod fit pro hominis salute. Quia homo, constitutus ex corporali et spirituali substantia, quasi quoddam *confinium* tenet utriusque naturae. Et ideo conveniens fuit ut universalis omnium causa illam creaturam, scilicet humanam, in unitatem personae assumeret, in qua magis communicat cum omnibus creaturis.

Dicit secundo, quod non fuit conveniens ut Deus aliquam irrationalem creaturam assumeret. Quia assumptionem talis creaturae a Deo oportuit esse quae per se agere posset, tanquam agens principale. Solius autem naturae rationalis est per se agere: irrationales enim magis aguntur naturali impetu quam agant per seipsas. Unde, si quid agendum fuit per aliquam irrationalem creaturam, suffecit secundum huiusmodi creaturae conditionem, quod solum moveretur a Deo: non autem quod assumeretur ad unitatem personae.

II. Sed circa hanc responsionem dubium occurrit. Nam etiam humana natura in Christo non videtur per se agere: cum non habeat proprium suppositum, cuius est agere per se; et ipsa etiam sit instrumentum divinae personae. Ergo ista non est sufficiens ratio quare naturam humanam, non autem irrationalem assumpsit.

Ad huius evidentiam, considerandum est primo, quod dupliciter de natura humana loqui possumus: uno modo, ut a supposito praescindit; alio modo, ut ipsum suppositum includit. Cum ergo dicitur quod agere per se est solius rationalis naturae, intelligitur de natura ut suppositum includit: quia, ut dicebatur, agere proprie est suppositi. Et secundum hoc differt natura rationalis ab irrationali: quia non solum ipsa natura irrationalis non per se agit, sed nec etiam eius suppositum.

Considerandum secundo, quod per assumptionem naturae creatae a Verbo in unitatem personae, ipsum Verbum fit suppositum illius naturae, agens per ipsam sicut suppositum agit per naturam. Propterea, cum supposito divino non conveniat agi, aut esse instrumentum, sed agere per se tanquam principale agens, oportuit naturam talem ab ipso assumi in unitatem suppositi cuius supposito conveniat per se agere. Quia ergo naturae humanae convenit per se agere, ideo convenienter a Verbo divino assumi potuit, et suppositum divinum dici suppositum humanum. Supposito autem irrationalis naturae non convenit per se agere, sed magis agi. Ideo non convenit sibi ut suppositum divinum fiat eius suppositum per assumptionem eius ad unitatem personae. Et hoc est huius responsionis intentum. Unde, cum dicit quod talis naturae assumptionem a Deo oportuit esse *quae per se agere posset,* non intelligitur quod ipsa, separata a proprio supposito, per se possit agere, sed quod eius supposito conveniat per se agere.

2. Cum autem instatur, quia humana natura in Christo proprium suppositum non habet: – dicitur quod, licet non habeat proprium suppositum, idest, suppositum quod ipsa sibi derelicta nata est consequi; habet tamen proprium suppositum, idest, suppositum quod in ea subsistit et dicitur humanum suppositum.

Cum ulterius dicitur quod est instrumentum: – respondetur quod est tale instrumentum divinitatis cui etiam si sibi relinquatur, convenit per se agere. Non autem est instrumentum tale cui nullo modo per se agere conveniat.

III. *Ad quartum* dicit quod humana natura congruentius fuit assumpta quam angelica. Primo, quia peccatum in homine expiabile esse potest: eo quod eius electio non feratur immobiliter in aliquid; sicut nec eius ratio, quae, quia ex sensibilibus et per signa quaedam colligit veritatem, viam habet ad utrumque oppositorum. Peccatum autem angeli expiabile esse non potest: cum habeat immobilem electionem, sicut et immobilem apprehensionem, utpote per simplicem intellectum immobiliter cognoscens. Constat autem ex Scripturis Sacris praecipuam causam incarnationis divinae expiationem peccatorum fuisse.

Secundo, quia in homine aliud est natura, et aliud persona: non autem in angelo. Assumptio autem creaturae a Deo est in persona, non in natura.

Tertio quia, cum angelus esset propinquior Deo secundum proprietatem suae naturae, sufficiebat ei ut a Deo intelligibiliter de veritate divinitatis instrueretur. Homini autem, cuius cognitio a sensibus oritur, conveniebat ut Deus eum sensibiliter de seipso instrueret. Quod per incarnationem factum est.

Quarto quia, cum magis videretur fruitioni divinae repugnare distantia hominis a Deo, magis indiguit homo quam angelus assumi a Deo, ad spem de beatitudine concipiendam.

Quinto quia, cum homo sit creaturarum terminus, quasi omnes naturaliter ordine generationis praesupponens, per huiusmodi unionem ad primum principium quadam circulatione perfectio rerum concluditur.

2. Circa primam rationem hic assignatam, esset videndum quomodo electio in angelis sit immutabilis. Sed quia hoc etiam tangit Sanctus Thomas inferius*, et magis ex proposito, ideo illucusque differatur.

* Cap. XCV.

3. Circa secundam rationem, considerandum quod in angelis non esse distinctionem naturae a persona non tollit quin absolute possit Deus assumere naturam angelicam in unitatem personae. Quia, ut dicitur Tertia, q. IV, a. 1, ad 3, *potest Deus, novam angelicam naturam producendo, eam sibi in unitatem personae copulare.* Et etiam posset ali-

quam naturam angelicam nunc existentem propria existentia privare et propria personalitate, eamque ad se in unitatem personae trahere. Sed arguit hoc non esse congruum. Quia non congruit ut natura angelica praeexistens assumpta privetur perfectione quam prius habebat. Nec tali naturae convenit ut praeveniatur in sui productione a supposito divino: cum ipsa non procedat in esse per generationem, ut inveniatur natura prius in potentia passiva quam in actu. Natura autem humana procedit in esse per generationem; et prius est in potentia quam in actu. Ideo convenienter potest praeveniri a supposito divino, ut scilicet in illo instanti, in quo deberet habere proprium esse et propriam personalitatem, a divino supposito suppositetur.

Sed quaeret aliquis: Quid ad hanc congruentiam assumptionis facit quod natura humana distinguatur a supposito: cum sit assumpta natura singularis, quae in aliis hominibus est suppositum, secundum quod per se habet esse?

Dicitur quod facit ad hoc, quia in rebus materialibus, ubi suppositum aliquid intrinsece addit supra naturam, principia scilicet individuantia, esse est minus intrinsecum naturae secundum se consideratae, utpote non potens illi convenire nisi per aliquid omnino aliud ab ipsa individuetur. Ubi autem suppositum non constituitur per aliquid omnino extrinsecum a natura, sed natura ipsa secundum se est *haec* et *individua*, esse quod individuo natum est convenire secundum quod est in sua personalitate constitutum, illi naturae secundum se est magis intrinsecum et propinquum. Ideo congruentius est ut, ubi suppositum a natura distinguitur, assumatur natura absque proprio esse et absque supposito, quam ubi suppositum et natura sunt idem. Quod enim natura, ut individuata per materiam signatam, et in sua personalitate constituta, sit immediatum susceptivum esse, non tollit quin esse sit minus intrinsecum illi naturae quam naturae per seipsam individuae: quia huic convenit ex aliquo sui generis, illi autem ex alio adiuncto.

4. Circa ultimam rationem, advertendum est quod, cum Deus in creatione universi servaverit id quod naturae uniuscuiusque congruebat et hominem ultimo loco post universas creaverit creaturas, signum est hoc naturaliter homini convenire, ut naturali generationis ordine omnes alias creaturas praesupponat, tanquam omnium creaturarum terminus. Et ideo, ut ultimum coniungeretur principio, sicque fieret quasi circulus, quae est perfecta figura, conveniens fuit ut humana natura Deo uniretur. Et hic est sensus illius rationis.

IV. *Ad quintum* dicit quod per hoc non datur homini erroris occasio, ut consentiat dicentibus Deum non esse super omnia exaltatum. Quia assumptio humanae naturae non est facta in unitatem naturae, sed personae.

2. *Ad sextum* dicit primo, quod multo plures errores sublati fuerunt post incarnationem quam circa incarnationem fuerint exorti.

Dicit secundo quod, sicuti ex creatione rerum aliqua mala sunt consecuta, pro conditione creaturarum; ita non est mirum si, manifestata veritate, ex humanarum mentium defectu aliqui sunt errores exorti.

Dicitur tertio, quod isti errores exercuerunt fidelium ingenia ad diligentius divinorum veritatem exquirendam et intelligendam: sicut et mala creaturarum Deus ordinat ad aliquod bonum.

Ex ista responsione vult habere Sanctus Thomas quod, quamvis aliqui errores circa incarnationem sint exorti, non tamen fuit inutilis incarnatio. Tum quia hoc est ex defectu humanarum mentium. – Tum quia etiam ex illis erroribus aliquod bonum est exortum, praeter alias utilitates superius* adductas, quae nobis ex incarnatione provenerunt.

* Cap. praec

Unde ista consequentia non valet: Multi errores exorti sunt circa incarnationem. Ergo non fuit conveniens humanae saluti ut Deus incarnaretur.

V. *Ad septimum* dicit primo, quod non parum utilitatis praedicta incarnatio attulit mundo: cum ex ipsa consecuta sit salus humana, qua nihil potest esse maius in rebus creatis, eo quod in ipsa fruitione bonitatis divinae consistat.

Dicit secundo, quod non oportuit ex incarnatione divina omnes homines salvari, sed tantum illos qui ipsi per fidem et sacramenta fidei adhaererent. Quia etsi incarnationis divinae virtus sufficiens sit ad omnium hominum salutem, ex indispositione tamen aliquorum nolentium Deo per fidem et amorem inhaerere, contingit ut incarnationis fructum non consequantur.

Dicit tertio, quod non erat hominibus subtrahenda libertas arbitrii: ne bonum hominis coactum esset, et consequenter absque merito et illaudabile.

2. Ad evidentiam eius quod dicitur de sufficientia virtutis incarnationis, advertendum est, ex doctrina Sancti Thomae Tertio, d. XIX, q. 1, a. 1, qu[a] 2, quod *ad hoc ut aliquid in alterum effectum inducere possit, requiritur ex parte quidem agentis ut ad illum inducendum effectum virtutem habeat sufficientem; ex parte vero recipientis, ut sit dispositum ad suscipiendam actionem agentis.* Quia ergo ex parte quidem Christi est virtus sufficiens ad perducendum omnes ad beatitudinem, eo quod actio ipsius virtutis divinae actio sit; ex parte vero hominum contingit quod aliqui non sunt dispositi per fidem et caritatem ad suscipiendam huiusmodi actionem Christi ad beatitudinem perductivam: ideo tales ad beatitudinem non perveniunt. Bene ergo dictum est virtutem incarnationis divinae sufficientem esse ad omnium salutem, et tamen aliquos ex sua indispositione ad beatitudinem non pervenire.

VI. Sed tunc resultat dubium Scoti in III *Sent.*, d. XIX*, arguentis sic: *Christus non tantum meruit ut habentes gratiam, quomodocumque et undecumque hoc esset, haberent gloriam ex merito Christi: sed etiam meruit nobis primam gratiam, et gratiam baptismalem in Novo Testamento, atque gratiam datam in sacrificiis vel circumcisione Antiquorum. Alioquin, unde veniret nobis illa prima gratia? Ergo meruit ut non coniuncti sibi coniungerentur. Ergo non solum meruit ut sibi coniuncti ulterius operarentur, et sic tandem glorificarentur; sed etiam ut non coniuncti unirentur sibi, etiam qui nunquam se disponunt.*

* Fol. 36 r. a. (Venet. 1497).

2. Respondetur, et dicitur primo quod, quantum pertinet ad praesentem locum, non loquitur Sanctus Thomas de merito universali Christi incarnati: sed de virtute incarnationis, sive etiam de merito Christi incarnati, respectu salutis et beatitudinis. Et vult quod per virtutem incarnationis non consequuntur beatitudinem nisi illi qui per fidem et amorem, atque per fidei sacramenta, Deo incarnato adhaerent. Et hoc quidem conveniens est. Quia, ut haberi potest ex eius doctrina Tertia, q. XLIX, 1*; et *Verit.*, q. XXIX, a. 7, ad 8, cum incarnatio sit causa universalis humanae salutis; universalis autem causae effectus non recipiatur in aliquo nisi per causas particulares virtus eius applicetur subiecto et mobili: necesse est, ad hoc ut salus humana, quae est effectus incarnationis, ad hunc hominem perveniat, ut illi virtus incarnationis per fidei sacramenta, et per fidem ac caritatem, tanquam per causas particulares quibus peccatorum fit remissio et consecutio beatitudinis, applicetur.

* Ad 4.

2. Dicitur secundo, si quaeratur de universali effectu incarnationis, quod eius virtus extenditur etiam ad primam gratiam habitualem: ita quod non solum est causa beatitudinis eorum qui Deo per fidei sacramenta, et fidem atque amorem, uniuntur; sed etiam causa est primae gratiae habitualis, ad quam, ut in Tertio libro* est ostensum, fides caritasque consequitur. Hoc enim videtur esse de mente Sancti Thomae in Qu. *Verit.*, art. alleg.; et I[a] II[ae], q. CXIV, a. 6.

* Cap. CLI, CLII.

Unde patet quod ratio Scoti non procedit contra mentem Sancti Thomae. Licet enim verum sit quod meritum Christi, secundum ultimam efficientiam, extendatur tantum ad remissionem peccatorum et beatitudinem illorum hominum qui sibi per fidem et amorem uniuntur; non tamen ex hoc sequitur quod primae gratiae habitualis non sit causa; immo est causa remissionis peccatorum quia est causa gratiae per quam remittuntur peccata.

3. An autem requiratur aliqua dispositio ad primam gratiam cuius meritum Christi non sit causa? – dicitur quod duplex est dispositio ad gratiam: quaedam imperfecta, quae tempore ipsam gratiae infusionem praecedit, sicut recogitatio peccatorum, et attritio, et similia; quae-

dam vero est perfecta, quae dicitur necessitas ad formam, quae simul infunditur cum gratia, ut est motus voluntatis in Deum ex caritate proveniens. Si loquamur de imperfecta dispositione, utique aliqua requiritur: et illius meritum Christi non est causa. Hoc enim videtur velle Sanctus Thomas in Qu. *Verit.*, articulo allegato. – Si autem loquamur de perfecta dispositione, sic illa quidem requiritur, sed illius meritum Christi est causa, sicut est causa gratiae quam haec dispositio concomitatur.

4. Non approbo autem quod inquit Capreolus in *Tertio*, d. XVIII*, scilicet quod *motus fidei, spei et caritatis, ut procedunt ab habitibus theologicis, sunt dispositio concomitans, et talem dispositionem meruit Christus. Ut autem sunt informes, sunt dispositio remota et praevia: et sic non dantur ex merito Christi, sed ex mera liberalitate divina.* Hoc enim non videtur ad mentem Sancti Thomae esse, qui in infinitis prope locis tenet caritatem informem esse non posse, nec posse stare cum mortali peccato: ut patet IIª IIᵃᵉ, q. XXIV, a. 12, ad 4; *Tertia*, q. LXXIX, a. 1; II. *Sent.*, d. XXVI, a. 4, ad 5; III *Sent.*, d. XXVII, q. II, a. 4*; et *Ver.*, q. XXVII, 2, ad 6; item superius Libro III*; et inferius in hoc Quarto Libro*.

VII. *Ad octavum* dicit primo, quod Dei incarnatio sufficientibus indiciis manifestata est per opera quae supra leges naturae facta sunt a Christo: sicut quod caecos illuminavit, leprosos mundavit, et huiusmodi. Nam Dei proprium est naturae leges immutare posse, supra naturam aliquid operando cuius ipse est auctor. Unde et quaerentibus, *Tu es qui venturus es* etc., per haec opera suam divinitatem manifestavit.

Dicit secundo, quod ipsum alium mundum creare necesse non erat: nec ratio divinae sapientiae, nec rerum natura hoc habebat.

Dicit tertio, quod haec miracula multo excellentius et divinius quam alii Christus effecit. Quia alii orando haec fecisse leguntur: Christus autem imperando, quasi ex propria potestate miracula faciens. Et aliis eadem et maiora faciendi tribuit potestatem, qui ad solam invocationem sui nominis huiusmodi miracula faciebant.

Dicit quarto, quod non solum corporalia miracula per Christum facta sunt, sed etiam spiritualia, quae sunt multo maiora: ut fuit quod per ipsum, et ad invocationem nominis eius, Spiritus Sanctus daretur, per quem et caritatis affectu accenderentur corda, et mentes instruerentur subito in scientia divinorum, et linguae simplicium redderentur disertae; quae nullus purus homo facere potuit.

Confirmatur auctoritate Apostoli, *ad Heb.*, dicentis quod *salus hominum* etc.

2. Ad evidentiam eorum quae hic dicuntur, suppositis iis quae in Tertio Libro dicta sunt, ubi de miraculis agebatur*, considerandum est quod duplicem tangit rationem Sanctus Thomas quare miracula Christi eius divinitatem ostendebant. Prima est ex modo faciendi. Quia scilicet ea faciebat propria virtute, propriaque auctoritate, quod est proprium Dei: alii vero sancti miracula fecerunt virtute alterius, scilicet Dei, cuius erant instrumenta. Huius autem duplex ostendit signum. Unum est, quia alii sancti fecerunt miracula orando, Christus autem imperando: imperare enim est habentis auctoritatem. Alterum est, quia aliis dedit potestatem similia miracula et maiora faciendi, qui ad solam invocationem nominis eius miracula faciebant. Nisi enim ipse haberet virtutem miracula faciendi propria auctoritate, non potuisset aliis hanc virtutem communicare; nec ad solam nominis eius invocationem miracula fierent; invocatur enim ad aliquid faciendum is cuius virtute et auctoritate aliquid fit.

Secunda ratio est ex magnitudine factorum: quia videlicet spiritualia illa miracula quae enarrat, facta scilicet post eius ascensionem, maiora sunt quam quaecumque miracula ab aliis facta.

Addit autem, *super Ioan.*, cap. XV*, quod etiam miracula maiora aliis, dum esset in hac mortali vita, fecit: ut quod Lazarum quatriduanum suscitavit*; et caecum natum illuminavit*, unde dicebant, *Non est a saeculo auditum* etc. – Addit et aliam rationem ibidem, et *Tertia*, q. XLIII*: quia videlicet miracula Christi excedebant aliorum miracula in multitudine; dicitur enim *Luc.* VI* quod *virtus de illo exibat et sanabat omnes;* et *Matth.* XIV*, quod *omnes quotquot male habebant, curabat.* – Additur et alia ratio in *Tertia Parte**, quae mihi inter alia efficacissima videtur: quia videlicet ipse Christus se Deum esse dicebat, et ad confirmationem suae doctrinae miracula faciebat. Nisi autem fuisset verum ipsum esse Deum, non fuisset eius doctrina miraculis divina virtute factis confirmata: cum Deus falsitatis auctor non sit.

3. Advertendum circa primam rationem quod licet alii sancti in operatione miraculorum aliquando fortassis usi sint modo imperativo, tamen hoc non fecerunt nisi praemissa oratione, aut ad invocationem nominis divini, tacitam vel expressam: cum enim dixit Elias*, *Si homo Dei sum, descendat ignis de caelo* etc., tacite ostendebat se virtutem divinam implorare. Christus autem, etsi aliquando visus est orare antequam miraculum operaretur, sicut in suscitatione Lazari*, ostendebat tamen se orare ad Deum tanquam ad Patrem, cui, manenti in ipso, omnia sua opera tribuebat*, per hoc etiam ostendens se esse Deum.

VIII. *Ad nonum* dicit quod non oportuit Deum incarnari a principio mundi. Primo, quia contra peccatum alicui convenienter medicina non affertur nisi suum defectum recognoscat. Poterat autem homo de seipso praesumere et quantum ad scientiam, et quantum ad virtutem. Ideo relinquendus aliquandiu fuit sibi, ut experiretur quod ipse sibi non sufficeret ad salutem, neque per scientiam naturalem, quia ante tempus legis scriptae transgressus est naturae legem; neque per virtutem propriam, quia, data sibi cognitione peccati per legem, adhuc per infirmitatem peccavit; et demum dandum sibi fuit efficax auxilium contra utrumque defectum. Et sic factum est quod essent tres status humani generis, scilicet: ante legem; sub lege; et sub gratia.

Secundo, quia humanae naturae conditio hoc requirit, quod non statim ad perfectum ducatur, sed per imperfecta manuducatur ut ad perfectionem perveniat: ut patet in puerorum et in multitudinis instructione. Sed per Deum incarnatum praecepta et documenta perfecta hominibus danda erant. Conveniens igitur fuit ut prius humanum genus instrueretur de pertinentibus ad salutem per aliqua levia et minora documenta, per Patriarchas, et Legem, ac Prophetas, et tandem perfecta doctrina Christi proponeretur in terris: iuxta illud Apostoli, *ad Gal.* IV, *At ubi venit* etc.; et ibidem, *Lex paedagogus* etc.

Tertio, quia oportuit adventum Dei in terris, tanquam adventum magni regis, multa praecedere, quibus homines essent parati ad Deum incarnatum suscipiendum.

De hac convenientia temporis Incarnationis vide etiam Sanctum Thomam *Tertia*, q. I, a. ult.; et III *Sent.*, d. I, q. 1, a. 4; et Iª IIᵃᵉ, q. CVI, a. 3; item IV *Sent.*, d. II, q. 1, a. 4, quª. 2.

2. Circa secundam rationem dubium occurrit. Quia Lex Vetus videtur gravior fuisse Lege Nova: unde *Matth.* XI* dicit Dominus: *Iugum meum suave est, et onus meum leve.* Ergo non bene dictum est oportuisse humanum genus *per aliqua levia et minora documenta instrui,* ante adventum perfectae doctrinae Christi.

Respondetur, ex doctrina Sancti Thomae Iª IIᵃᵉ, q. CVII, a. 4, quod dupliciter de lege nova et veteri loqui possumus: uno modo, quantum ad exteriora opera virtutum quae praecipiuntur a lege; alio modo, quantum ad interiores virtutum actus. Primo modo, lex verus fuit multo gravior quam sit lex nova: quia ad plures actus exteriores obligabat in multiplicibus caeremoniis quam lex nova. Secundo modo lex nova gravior est et difficilior: quia in nova lege prohibentur interiores motus animi mali, qui expresse in veteri lege non prohibebantur in omnibus, etsi in aliquibus prohiberentur, in quibus tamen prohibendis poena non apponebatur. Hoc autem difficillimum est. Sic ergo praecepta veteris legis erant leviora et minora quantum ad interiores actus virtutum et vitiorum, et sic intelligitur quod hic dicitur: licet essent graviora quantum ad opera exteriora.

* Art. 3, § 3, p. 269.
* Quª 4.
* Cap. CLIV fin., *In praemissis autem.*
* Cap. LXXII. *Primum igitur.*
* Cf. cap. XCVIII sqq.
* Lect. v.
* *Ioan.* XI, 38 sqq.
* Ibid. cap. IX.
* Art. 4.
* Vers. 19.
* Vers. 35, 36; cf. VIII, 16.
* Loc. cit.
* IV *Reg.*, I, 10, 12.
* Loc. supra cit., v. 41, 42.
* *Ioan.* XIV, 10.
* Vers. 30.

Attendendum est autem, cum dicitur praecepta novae legis gravia esse circa actus virtutum et vitiorum interiores, scilicet quod omnes actus interiores vitiorum evitentur, et quod actus virtutum prompte et delectabiliter fiant; quod hoc intelligitur in non habente virtutem. Unde Augustinus, exponens quod dicitur I *Ioan.* v*, *mandata huiusmodi gravia non esse,* ait quod *non sunt gravia amanti, sed non amanti gravia sunt**.

* Vers. 3.

* *De Natura et Gratia*, cap. LXIX (P.L. XLIV, 289).

Potest etiam dici quod loquitur Sanctus Thomas de pertinentibus ad fidem: quia videlicet, ante Christi incarnationem, pauciora proponebantur explicite credenda quam post incarnationem; et sic etiam erant levia et minora ad credendum. Videtur autem hoc litterae congruere, quae mentionem facit de documentis *pertinentibus ad salutem,* quibus humanum genus instruebatur: haec enim principalius sunt fidei documenta.

IX. *Ad decimum* dicitur quod non fuit conveniens ut Christus usque ad finem mundi cum hominibus conversaretur. Quia videntes eum aliis hominibus similem, nihil de ipso ultra alios homines aestimassent, et sic derogaretur eius reverentiae: ipso autem, post mira quae gessit, sui praesentiam subtrahente, magis ipsum revereri coeperunt. Propter quod et discipulis plenitudinem Spiritus Sancti non dedit quandiu cum eis conversatus fuit, sed post ascensionem in caelum: quasi per eius absentiam eorum animis ad spiritualia munera magis praeparatis. Unde eis dicebat, *Si non abiero* etc.

*Ad undecimum* dicit quod non oportuit Deum carnem impassibilem et immortalem suscipere. Primo, quia necessarium erat hominibus ut beneficium incarnationis cognoscerent. Oportuit autem, ad veritatem eius manifestandam, quod carnem aliis similem, scilicet passibilem et mortalem, sumeret: alioquin visum fuisset hominibus quod phantasma esset, et non veritas carnis.

Secundo quia, cum necessarium fuerit Deum carnem assumere ut pro peccato humani generis satisfaceret, oportuit ut poenam illi debitam assumeret: contingit enim unum pro altero satisfacere, ut in Tertio Libro* est ostensum, dum poenam pro peccato alteri debitam ipse sibi non debitam voluntarie assumit. Poena autem consequens humani generis peccatum est mors et aliae passibilitates vitae praesentis, ut patet per Apostolum, *ad Romanos.*

* Vide l. c. in textu.

Confirmatur haec ratio auctoritate Apostoli *ad Romanos,* dicentis quod *Deus misit Filium suum* etc.

Tertio, quia per hoc quod carnem passibilem et mortalem habuit, efficacius dedit nobis exempla virtutis, passiones carnis fortiter superando, et eis virtuose utendo.

Quarto quia, si carnem immortalem et impassibilem assumpsisset, nulla daretur nobis occasio immortalitatem sperandi. Nunc autem datur, dum cognoscimus quod ipse de statu carnis passibilis et mortalis mutatus est in immortalitatem et impassibilitatem carnis.

Quinto, quia mediatoris officium requirebat ut nobiscum commune haberet passibilem carnem et mortalem, cum Deo vero virtutem et gloriam: ut, auferens a nobis quod nobiscum commune habebat, ad id nos duceret quod sibi commune erat et Deo.

X. *Ad duodecimum* dicitur quod non fuit expediens Deum incarnatum vitam in hoc mundo agere opulentam et honoribus seu dignitatibus sublimem. Primo quia, cum ad id venerit ut mentes hominum a terrenis abstraheret et ad divina elevaret, oportuit ut suo exemplo ipsos in contemptum divitiarum traheret.

Secundo, quia aliter id quod divine gessit, magis potentiae saeculari quam virtuti divinitatis fuisset attributum. Unde efficacissimum suae divinitatis argumentum fuit quod absque adminiculo potentiae saecularis totum mundum in melius commutaverit.

Ex quo etiam *ad tertium decimum* patet responsio.

XI. *Ad quartum decimum* dicit primo, quod non est procul a vero quod Christus obediens praecepto Patris mortem sustinuerit, secundum doctrinam Apostoli, dum actum caritatis perfectissime implevit, mortem sustinens pro hominum salute. Quia praeceptum Dei ad homines est de actibus virtutum: et quanto aliquis perfectius actum virtutis exequitur, tanto magis Deo obedit.

Dicit secundo, quod hoc non repugnat divinitati Christi. Quia sic unio facta est in persona ut proprietas humanae et divinae naturae remaneret. Et ideo, patiente Christo, divinitas impassibilis remansit: sicut et in nobis, moriente carne, anima remanet immortalis.

*Ad quintum decimum* dicit quod, licet voluntas Dei non sit ad mortem hominum, est tamen ad virtutem, per quam homo mortem fortiter sustinet. Et sic fuit de morte Christi, inquantum eam ex caritate suscepit et fortiter sustinuit.

Advertendum quod non inconvenit aliquid secundum se non esse eligibile, quod tamen ex aliqua conditione apposita fit eligibile: sicut abscissio brachii, secundum se considerata, elegibilis non est, cum malum quoddam sit; inquantum tamen est praeservativa a morte imminente, fit eligibilis, sic enim quandam boni induit rationem. Ita etiam mors secundum se, cum malum quoddam sit, non habet unde eligi debeat: et sic mors Christi non est a Deo volita. Inquantum tamen a virtute sustinentis mortem provenit, sic bonum quoddam est, et est eligibilis. Et hoc modo volita est a Deo.

*Ad sextum decimum* dicit quod non fuit impium et crudele quod Deus Pater Christum mori voluit. Quia non coegit invitum: sed complacuit ei voluntas qua ex caritate mortem suscepit. Unde ipsam etiam caritatem in eius anima operatus est.

XII. *Ad decimum septimum* dicit primo, quod non inconvenienter dicitur propter humilitatem demonstrandam Christum mortem crucis voluisse pati.

Dicit secundo, quod revera humilitas in Deum non cadit: quia ipse superiorem non habet, sed super omnia existit. Humilitas autem in hoc consistit ut quis superiori se subiiciat. Nam etsi aliquis vel aequali vel inferiori se ex humilitate subiiciat, hoc est quia eum secundum aliquid superiorem se arbitratur.

Dicit tertio, quod tamen Christo secundum humanitatem convenit humilitas. Quae etiam ex eius divinitate laudabilior redditur: quia nulla maior dignitas hominis esse potest quam quod sit Deus; dignitas autem personae adiicit ad laudem humilitatis.

Dicit quarto, quod Dei humilitas maxime laudabilis invenitur, dum abiecta sustinuit quae pro salute hominum ipsum pati expediebat: ut scilicet sua morte abiectissima et animos hominum ab amore mundanae gloriae in amorem divinae gloriae transmutaret; et ad mortem etiam abiectam contemnendam suae mortis exemplo animaret.

*Ad decimum octavum* dicit quod, licet homines ad humilitatem informari potuerint divinis sermonibus instructi, quia tamen ad agendum magis provocant facta quam verba; et tanto efficacius quanto certior habetur opinio bonitatis de eo qui huiusmodi operatur: expedientissimum fuit ut homines Dei provocarentur exemplo, quem constat errare non potuisse, et cuius humilitas tanto est mirabilior quanto maiestas sublimior.

*Ad decimum nonum* dicit primo, quod Christum pati mortem oportuit ut aliorum peccata purgaret, in se poenam aliis debitam suscipiens satisfaciendo.

Dicit secundo quod, quamvis sola Dei gratia sufficit ad remittendum peccata, exigitur tamen aliquid ex parte eius cui dimittitur, ut scilicet satisfaciat ei quem offendit. Quod quidem Christus pro omnibus fecit.

XIII. *Ad vigesimum* dicit quod, quamvis in puniendo oporteat illum puniri qui peccavit, in satisfaciendo tamen potest unus alterius poenam ferre. Quia dum poena pro peccato infligitur, pensatur eius qui punitur iniquitas. In satisfactione vero, dum quis voluntarie poenam assumit, satisfacientis caritas et benevolentia consideratur, quae maxime apparet cum quis pro alio poenam assumit.

Advertendum primo, ex doctrina Sancti Thomae *Quarto,* d. XX, a. 2, qu$^{a}$. III, quod poena, inquantum pertinet ad debiti solutionem, habet vim satisfaciendi maxime ratione caritatis. Et ideo si quis sit in caritate, potest pro alio satisfacere, poenam alii debitam in se voluntarie et ex caritate sustinendo. Non enim minus potest caritas apud

Deum quam apud homines: videmus autem quod unus homo ex amore pro alio debitum solvere potest.

Advertendum secundo, quod differt punitio peccati a satisfactione: quia in punitione quis poenam sustinet contra suam voluntatem omnino; in satisfactione vero quis sustinet poenam aliquo modo voluntarie. Immo, omnibus conditionibus pensatis, satisfacientis poena est simpliciter voluntaria, licet secundum quid repugnet voluntati. Non autem conveniens est ut ei qui non peccavit, inferatur poena contra eius voluntatem pro alterius peccato: sed bene poenam voluntarie ab aliquo pro alterius peccato susceptam Deus, pro recompensatione offensae sibi ab alio factae, ratione caritatis, in qua communicant et is qui satisfacit et is pro quo satisfit, acceptat. Ideo bene hic dicitur quod illum qui peccavit, puniri oportet: sed unus pro alio potest satisfacere.

XIV. *Ad vigesimum primum* dicit quod satisfacere pro toto humano genere nec purus homo poterat, nec angelus sufficiebat: tum quia, licet sit homine potior quantum ad aliquas proprietates naturales, quantum tamen ad beatitudinis participationem, ad quam per satisfactionem reducendus erat, est ei aequalis. – Tum quia non plene hominis dignitas redintegraretur, ipso obnoxio remanente angelo satisfacienti.

*Ad vigesimum secundum* dicit quod mors Christi virtutem satisfaciendi habuit ex caritate ipsius, qua voluntarie mortem sustinuit: non autem ex iniquitate occidentium eum.

*Ad vigesimum tertium* dicitur quod non oportuit toties Christum mori quoties homines peccant: quia mors Christi sufficiens fuit ad omnium expianda peccata. Tum propter eximiam caritatem qua mortem sustinuit. – Tum propter dignitatem personae satisfacientis, quae fuit Deus et homo. Nam et in rebus humanis, quanto persona est altior, tanto poena quam sustinet, pro maiori reputatur.

*Ad vigesimum quartum* dicit quod pro peccato totius humani generis mors Christi sufficiens fuit. Quia quamvis secundum humanam naturam solum mortuus fuerit, tamen ex dignitate personae patientis, quae est persona Filii Dei, mors eius fuit pretiosa. Sicut enim maioris est criminis digniori personae inferre iniuriam, ita virtuosius est, et ex maiori caritate procedens, quod maior persona pro aliis se subiiciat voluntarie passioni.

*Ad vigesimum quintum* dicit quod non est inconveniens, quamvis Christus sufficienter pro peccato originali satisfecerit, poenalitates ex peccato originali consequentes adhuc in omnibus remanere, etiam qui redemptionis Christi participes sunt: quia congruenter et utiliter factum est ut poena remaneret, etiam sublata culpa. Tum ut esset conformitas fidelium ad Christum, sicut membrorum ad caput, portantium insignia passionis Christi, ut similitudinem gloriae eius consequerentur: iuxta id quod dicitur *ad Rom.* VIII, *Heredes* etc. – Tum quia, si venientes ad Christum immortalitatem et impassibilitatem consequerentur, plures ad ipsum accederent magis propter haec corporalia beneficia quam propter spiritualia bona: quod est contra intentionem Christi. – Tum quia hoc quodammodo compelleret homines ad fidem Christi suscipiendam: et sic meritum fidei minueretur.

*Ad vigesimum sextum,* negatur consequentia. Quia mors Christi est quasi quaedam universalis causa salutis. Oportet autem universalem causam applicari ad unumquodque specialiter, ut eius participet effectum. Et ideo oportet effectum mortis Christi per spiritualem regenerationem et alia sacramenta ad unumquemque pertingere.

*Ad vigesimum septimum* – quod tamen in libris multis deficit, et videtur esse tale: quia sequeretur quod filii qui ex parentibus regeneratis nascuntur, cum originali non nascerentur, et sacramentis salutis non indigerent: – negat consequentiam. Quia effluxus salutis a Christo in homines non est per naturae propaginem, sed per studium bonae voluntatis, quo homo Christo adhaeret. Et sic quod a Christo unusquisque consequitur, est personale. Et propterea non derivatur ad posteros, sicut peccatum primi parentis.

*Num. XIV, *Ad vigesimum quartum.*

XV. Ad evidentiam eius quod dictum est*, mortem Christi fuisse sufficientem pro peccato originali ratione personae patientis, licet Christus non sit mortuus nisi secundum humanam naturam, considerandum est, iuxta praedeterminata in praecedenti capite*, quod differentia est inter actionem puri hominis, etiam existentis in gratia, et actionem hominis Dei. Quia licet actio puri hominis quandam habeat infinitatem ex gratia ad satisfaciendum pro peccato actuali personali, tamen actio sua non est infinita ratione suppositi operantis, sed tantum ratione Spiritus Sancti principaliter moventis. Et similiter non est solius hominis, sed etiam Dei, cui fit satisfactio: cui omne bonum quod habet homo debet. Et ideo eius actio, etiam pro peccato actuali, non est perfecte aequivalens satisfactio, sed ex divina acceptatione sufficientiam habet. – Actio autem Christi, etiam humana, habet quandam infinitatem ratione suppositi operantis: quia suppositum illud est divina persona, quae est infinita, cuius virtus in tali actione salvatur; dictum est enim supra* humanam naturam esse veluti instrumentum coniunctum divinitati. – Insuper tale suppositum id quod habet, non tenetur reddere Deo ex aliqua priori obligatione. Et ideo velle Christi, quo voluit mortem pro satisfactione humani generis subire; et consequenter mors eius, ut a tali voluntate procedens; fuit plenarie sufficiens et aequivalens ad satisfaciendum pro huiusmodi peccato, licet secundum humanam tantum naturam mortem subierit.

* Comm. n. VII.

* Cap. XLI. *Aliter enim*, fin. Comm. n. VI. Ct. hic n. II.

Advertendum est tamen quod non sic dicimus velle humanum Christi fuisse infinitum quasi haberet intrinsece et formaliter in sua essentia infinitatem, ut videtur Scotus, III *Sent.*, d. XIX*, Sancto Thomae imponere: sed quia infinitum extrinsece fuit, utpote a persona infinita tanquam a supposito immediate procedens; et a Christi gratia et caritate, quae aliquo modo infinita fuere.

* Fol. 35 v b fin. (Ven. 1497).

2. Nec valet quod obiicit Durandus, apud Capreolum, *Tertio,* d. XVIII*, inquiens quod, *sicut Christus, inquantum homo, non potuit reddere aequivalens pro beneficiis a Deo receptis, ita non potuit, inquantum homo, Deo pro peccato condigna satisfactione satisfacere.*

* Art. 2, p. 263.

Dicitur enim primo, quod assumptum est falsum. Quia Christus, ratione infinitatis personae, cuius est immediate operatio humana tanquam suppositi, potest condigne reddere Deo aequivalens beneficiis suae humanitati concessis.

Dicitur secundo, quod etiam similitudo non tenet. Quia quantumcumque non posset gratiarum actio beneficiis susceptis aequari, eo quod omne bonum quod inest creaturae sit a Deo, et sic in gratiarum actione semper crescat gratiarum actionis materia: posset tamen digne pro peccato satisfacere per poenam aequivalentem culpae, eo quod in satisfactione satisfactionis materia non crescat, sed minuatur.

XVI. Circa praedicta aliud dubium non dissimulandum, et a Capreolo, III *Sent.*, d. I*, discussum, occurrit. Nam dictum est saepenumero Filium Dei humanam carnem assumpsisse ut pro peccato humani generis satisfaceret. Ex quo videtur incarnationem Christi esse ad redemptionem humani generis tanquam ad finem ordinatam. Et ex hoc ulterius sequitur, cum, remota causa removeatur effectus, quod, si humanum genus redemptione non indiguisset, non fuisset Christus incarnatus. Et quia, si non peccasset, non indiguisset reparatione, sequitur quod, si homo non peccasset, Filius Dei non fuisset incarnatus. Id quod expresse tenet Sanctus Thomas *Tertia,* q. I, a. 3.

* Art. 2, p. 3.

2. Contra hoc autem arguit Scotus, III *Sent.*, d. VII, q. III, ad 1m dub.* Primo, *Prius natura quam aliquid praevidebatur circa peccatorem, sive de poena sive de peccato, Deus praeelegit ad curiam caelestem omnes quos voluit habere, et homines et angelos, in certis et determinatis gradibus.* Ergo prius praedestinavit animam Christi quam aliquid praeviderit circa peccatum humani generis. Ergo, si etiam homo non peccasset, Filius Dei incarnatus fuisset.

* Fol. 16 r a (Ven. 1497). Capreolus, loc. cit.

Confirmatur primo. Quia *nullus est praedestinatus tantum quia alius praevisus est casurus.* Ergo hoc multo magis verum est de anima Christi.

Confirmatur secundo. Quia *inter praedestinatos, quibus vult Deus gloriam ordinate, prius videtur velle gloriam illi quem vult fini esse proximiorem.* Constat autem quod

vult animam Christi esse fini propinquiorem quam animam aliorum hominum.

* Ct. num. XIX. 3. Secundo*. *Redemptio, seu gloria animarum redimendarum, non est tantum bonum quantum est gloria animae Christi.* Ergo non videtur quod ad illam Christi incarnatio ordinetur.

Confirmatur. Quia *non est verisimile tantum bonum in entibus, et tam summum, esse solum occasionatum propter minus bonum.*

XVII. Ad evidentiam huius difficultatis, considerandum est primo, ex iis quae dicta sunt superius in Primo Libro*, quod in volitione divinae voluntatis nullus, ex parte ipsius actus volendi, ordo invenitur: cum et uno actu voluntas divina in omnia volita feratur et simul, ita quod non prius in hoc volitum fertur quam in illud, sed omnia quae Deus vult, ab aeterno vult. Et ideo non potest dici, quantum est ex parte voluntatis divinae, quod unum volitum sit causa volendi aliud. Sed tamen cum hoc quod Deus omnia a se volita simul et aeternaliter voluit, stat quod inter volita sua voluerit aliquem ordinem esse, ita videlicet quod unum ad aliud ordinetur, et unum sit propter aliud: sicut voluit in natura ordinari partes universi ad ipsius universi bonum et perfectionem, et inter ipsas partes eas quae imperfectiores sunt ad perfectiores ordinari; similiter in bonis spiritualibus voluit gratiam ordinari ad gloriam.

* Capit. LXXXVII. *Patet tamen*, et LVII, LXXVI.

Considerandum secundo quod, licet non sit aliquis ordo in volitione divina ex parte ipsius actus volendi, potest tamen intellectus noster volitionem divinam, secundum quod ad diversa terminatur, cum quodam ordine intelligere, ac si prius unum esset volitum quam alterum, secundum quod voluntas nostra in plura fertur ordinate, unum prius altero volendo. Et iste ordo dicitur ordo rationis: quia est ordo secundum nostrum modum considerandi. Unde nullo modo concedendus est aliquis ordo naturae in volitione divina ex parte actus volendi secundum quod ad diversa ordinatur, ita quod ex parte actus, secundum quod est in se, concedatur unum esse prius volitum altero. Sed bene concedi potest ibi ordo rationis, inquantum intellectus noster voluntatem divinam considerat primo ut terminatur ad unum, deinde ut terminatur ad alterum, proportionaliter ad ipsas res, secundum videlicet quod una res est prior et altera posterior, et secundum quod a divina voluntate est positus ordo in rebus volitis.

* Art. 3. Considerandum tertio, ut est de mente Sancti Thomae *Tertia,* q. 1, a. 3; et III *Sent.*, d. 1*, quod, *cum ea quae ex sola Dei voluntate proveniunt supra omne debitum creaturae,* (cuiusmodi est Filii Dei incarnatio, et ratio ipsius ex parte rei volitae), *nobis non innotescant nisi quatenus in Sacra Scriptura traduntur:* non possumus necessaria ratione ostendere Filium Dei propter solam humani generis redemptionem esse incarnatum. Sed tamen, quia in Sacra Scriptura ubique ratio incarnationis ex peccato primi hominis assignatur, convenienter dici potest incarnationem huiusmodi a Deo esse in remedium peccati ordinatam, ita quod, si homo non peccasset, non fuisset incarnatio; quamvis et aliter fieri potuerit a Deo.

XVIII. Unde ad rationes Scoti, inquantum probant non fuisse conveniens ut Filius Dei propter solam reparationem humani generis humanam carnem assumpserit; et quod etiam incarnatus fuisset etiam si homo non peccasset: respondetur.

* Vid. num. XIX. Ad primum*, negatur assumptum. Quia in volitione divina nulla est prioritas aut posterioritas ex natura rei extra intellectum; nec possunt dari plura instantia naturae extra intellectum in quorum uno Deus velit unum, et in altero velit aliud; vel in quo prius unum velit quam alterum praevideat; cum omnes divini actus sint aeterni et sint realiter idem cum divina essentia. Et sic non est verum quod Deus prius natura quam praevideat circa peccatorem de poena sive de peccato, praeelegerit ad caelestem curiam quos voluit. Immo simul, ex parte rei, praedestinavit electos; et statuit ut incarnatio Filii sui esset causa salutis humanae; et quod ipse Filius propter salutem humani generis humanam carnem susciperet.

2. Si dicatur quod saltem prius secundum rationem, sive secundum nostrum modum intelligendi, praedestinavit electos omnes quam quicquam de peccato aut remedio peccati praeviderit: – respondetur quod hoc etiam falsum est. Quia secundum quod nobis innotescit ex Sacra Scriptura, oportet ut prius intelligamus Deum praevidisse casum humani generis, et voluisse eius remedium; deinde quod voluerit illi per incarnationem Filii sui remedium afferre. Et consequenter oportet prius intelligere in Deo praescientiam peccati Adae, quam praedestinationem animae Christi. Unde Sanctus Thomas, *Tertia,* q. 1, a. 3, ad 4, inquit quod, *quia praedestinatio praesupponit praescientiam futurorum, Deus opus incarnationis in remedium humani peccati praedestinavit.*

3. Ad confirmationem primam, per idem patet. Assumptum enim est falsum.

Ad secundam confirmationem dicitur eodem modo: quod assumptum est falsum, sive intelligatur de prioritate naturae sive de prioritate rationis, ex parte actus volendi. – Si vero intelligatur de ordine se tenente ex parte rerum volitarum: quia iste ordo nihil aliud importat quam unam rem volitam esse altera priorem, et unam ad aliam ordinari, sic gloria animae Christi potest dici prior gloria et salute humana. Nam in genere causae formalis est prior, quia quod perfectius est comparatur ad id quod est imperfectius in eodem ordine, sicut formale: constat autem quod gloria animae Christi est perfectior gloria aliarum animarum. – Similiter est prior secundum rationem causae finalis: inquantum ex gloria hominum et salute, quam per Incarnationem homines consequuntur, redundat maior gloria animae Christi. Dicitur enim uno modo aliquid finis alterius, cui ex illo aliqua provenit utilitas: ut patet per Sanctum Thomam II *Sent.*, d. 1, q. 11, a. 3. – Dicitur tertio, quod aliud est loqui de gloria animae Christi, ad quam Deus ipsam praeordinavit: et aliud de incarnatione Filii Dei. Licet enim gloria animae Christi sit prior gloria et salute aliorum hominum in genere causae formalis et finalis, ut dictum est; ipsa tamen Incarnatio est posterior hominum salute in genere causae finalis, quia propter hominum salutem facta est.

XIX. Ad secundum* dicitur primo, quod non dicimus gloriam animae Christi ordinari ad humanam salutem tanquam ad finem: sed dicimus ipsam Christi incarnationem esse ordinatam ad humani generis salutem; humanam autem salutem, ut causatam per Christum, esse ad Christi gloriam et exaltationem ordinatam. * Num. XVI, 3.

Dicitur secundo, loquendo de Incarnatione in ordine ad salutem humanam, quod licet ipsa Incarnatio, inquantum terminata est ad unionem in persona divina, sit maius bonum quam humani generis salus, ut videtur velle Sanctus Thomas *Prima,* q. XX, a. 4, ad 1; et III *Sent.*, d. XXXII, a. 4, qu[a] 4, non inconvenit tamen ipsam ordinari ad humanam salutem tanquam ad finem proximum et partialem. Nam maius bonum hoc modo potest ad minus bonum ordinari: praesertim quando ex illo ordine aliqua excellentia resultat maiori bono; sicut Christus per suam incarnationem et ea quae passus est, consecutus est ut sit salutis humanae universalis causa, et maximam ex hoc exaltationem reportavit. Unde ad argumentum, negatur consequentia.

Ad confirmationem similiter dicitur quod non est inconveniens tantum bonum quantum est Filii Dei incarnatio, occasionari propter minus bonum tanquam propter finem proximum et secundarium; ordinari autem ad aliquid altius tanquam ad principalem finem, scilicet ad universi complementum et perfectionem, et ad ampliorem divinae bonitatis manifestationem.

# CAPITULUM QUINQUAGESIMUM SEXTUM

## DE NECESSITATE SACRAMENTORUM.

Quia vero, sicut iam dictum est*, mors Christi est quasi universalis causa humanae salutis; universalem autem causam oportet applicari ad unumquemque effectum: necessarium fuit exhiberi hominibus quaedam remedia per quae eis beneficium mortis Christi quodammodo coniungeretur. Huiusmodi autem esse dicuntur Ecclesiae sacramenta.

* Cap. praec. fin. *Quamvis autem sufficienter.*

Huiusmodi autem remedia oportuit cum aliquibus visibilibus signis tradi.

Primo quidem, quia sicut ceteris rebus ita etiam homini Deus providet secundum eius conditionem*. Est autem talis hominis conditio quod ad spiritualia et intelligibilia capienda naturaliter per sensibilia deducitur. Oportuit igitur spiritualia remedia hominibus sub signis sensibilibus dari.

* Cf. lib. III, capp. CXI et CXIX.

Secundo, quia instrumenta oportet esse primae causae proportionata. Prima autem et universalis causa humanae salutis est Verbum incarnatum, ut ex praemissis* apparet. Congruum igitur fuit ut remedia quibus universalis causae virtus pertingit ad homines, illius causae similitudinem haberent: ut scilicet in eis virtus divina invisibiliter operaretur sub visibilibus signis.

* Cap. praec. l. c. supra.

Tertio, quia homo in peccatum lapsus erat rebus visibilibus indebite inhaerendo. Ne igitur crederetur visibilia ex sui natura mala esse, et propter hoc eis inhaerentes peccasse, per ipsa visibilia congruum fuit quod hominibus remedia salutis adhiberentur: ut sic appareret ipsa visibilia ex sui natura bona esse, velut a Deo creata, sed hominibus noxia fieri secundum quod eis inordinate inhaerent, salutifera vero secundum quod ordinate eis utuntur.

Ex hoc autem excluditur error quorundam haereticorum* qui omnia huiusmodi visibilia a sacramentis Ecclesiae volunt esse removenda. Nec mirum, quia ipsi iidem opinantur omnia visibilia ex sui natura mala esse, et ex malo auctore producta: quod in Secundo Libro* reprobavimus.

* Cf. l. c. infra.

* Cap. XLIV, XLI, fin. Cf. lib. III, cap. VII.

Nec est inconveniens quod per res visibiles et corporales spiritualis salus ministretur: quia huiusmodi visibilia sunt quasi quaedam instrumenta Dei incarnati et passi; instrumentum autem non operatur ex virtute suae naturae, sed ex virtute principalis agentis, a quo applicatur ad operandum. Sic igitur et huiusmodi res visibiles salutem spiritualem operantur, non ex proprietate suae naturae, sed ex institutione ipsius Christi, ex qua virtutem instrumentalem consequuntur.

---

15 deducitur] deducere DEGN, duceretur X, deducere oportet *b*. 18 autem] autem causa αWZ; *statim* causa *om* CW; et universalis causa *om* Z. 1 inhaerendo] adhaerendo DEX. 2 crederetur] crederentur DEGX*b*, videretur N. 3 eis] ei αP*c*. per *et* 4 congruum fuit ... 5 visibilia *hom om* EN; per ipsa visibilia *om* DGX. 5 adhiberentur] in eis *addunt* DGX; *cf. var. praeced.* 9 ordinate *post* eis DEX. 12 volunt *post* esse EG, *post* removenda X. 13 ipsi iidem *Ita* DEYX; ipsi idem αGWZ*b*, ideo N, ipsi ideo N *se corrigens*, ipsi P*c*.

### Commentaria Ferrariensis

Postquam determinavit Sanctus Thomas de Filii Dei incarnatione pro humano genere redimendo, ulterius de effectibus Christi incarnati in nobis determinat*. Duo autem sunt huiusmodi effectus: scilicet liberatio a culpa, quam per sacramenta consequimur; et liberatio a morte, quam per eius resurrectionem in fine saeculi consequemur. Ideo primo, de sacramentis determinat; secundo, de corporum nostrorum resurrectione, cap. LXXIX.

* Cf. cap. XXVII, Comm. introd.

Circa primum duo facit: primo, determinat de sacramentis in generali; secundo in speciali, cap. LIX.

Circa primum tria facit: primo, necessitatem sacramentorum ostendit; secundo, distinctionem sacramentorum Novae Legis a sacramentis Veteris Legis manifestat, cap. seq.; tertio, numerum sacramentorum Novae Legis explicat, capite LVIII.

I. Quantum ad primum, duas ponit conclusiones. Prima est: *Necesse fuit hominibus aliqua sacramenta tradi.*

Probatur. Necessarium fuit hominibus exhiberi quaedam remedia, per quae eis beneficium mortis Christi quodammodo coniungeretur. Ergo necessaria fuerunt sacramenta. – Probatur consequentia. Quia huiusmodi remedia dicuntur esse Ecclesiae sacramenta. – Antecedens vero probatur, quia mors Christi, iuxta superius* dicta, est quasi universalis causa salutis humanae; universalem autem causam ad unumquemque effectum applicari oportet.

* Cf. l. c. in text.

Circa ipsam conclusionem, considerandum est, ex doctrina Sancti Thomae IV *Sent.*, d. I, q. I, a. 2, qu$^{a}$ 1, quod sacramenta non dicuntur necessaria necessitate absoluta, sicut Deum esse: cum sint ex sola divina bonitate instituta. Neque necessitate finis prout illud dicitur necessarium sine quo finis haberi non potest: quia Deus virtutem suam sacramentis non alligavit. Sed necessitate finis quae dicit *congruentiam quandam et utilitatem,* quo modo equus dicitur necessarius ad iter. Sic enim intelligimus sacramenta esse necessaria, quia per ea magis congrue fit hominis reparatio, licet et aliter fieri potuerit.

Circa probationem autem conclusionis, advertendum quod sacramenta dicuntur quaedam remedia, quia effective, instrumentaliter tamen, sanant hominem a peccato, veluti quaedam medicinae. Unde Hugo de Sancto Victore ait* quod sunt instituta *tanquam medicinae peccati.*

* *De Sacram.*, Lib. I, part. IX, capp. V et III (P.L. CLXXVI, 325 et 320).

II. Secunda conclusio est: *Huiusmodi remedia oportuit cum aliquibus visibilibus signis tradi.*

Probatur primo. Conditio hominis est quod ad spiritualia et intelligibilia capienda naturaliter per sensibilia deducitur. Ergo oportuit spiritualia remedia hominibus sub signis sensibilibus tradi. – Probatur consequentia. Quia Deus, sicut ceteris rebus, ita et homini secundum eius conditionem providet.

Secundo. Prima et universalis causa salutis humanae est Verbum incarnatum. Ergo congruum fuit remedia quibus huiusmodi causae virtus ad homines pertingit, eius similitudinem habere: ut scilicet in eis virtus divina invisibiliter operaretur sub visibilibus signis. – Probatur consequentia. Quia instrumenta oportet esse primae causae proportionata.

Tertio. Homo in peccatum lapsus erat rebus visibilibus indebite inhaerendo. Ergo, ne crederetur visibilia esse ex sui natura mala, sed apparerent bona ex sui natura, noxiaque hominibus fieri secundum quod eis inordinate utuntur, salutifera vero secundum quod eis utuntur ordinate: congruum fuit ut per visibilia signa hominibus remedia salutis adhiberentur.

2. Ad evidentiam huius conclusionis, considerandum est, ex doctrina Sancti Thomae *Tertia,* q. LX, a. 1; et *Art. 1. IV *Sent.*, d. 1*, quod sacramentum, secundum suam propriam acceptionem in qua a Catholicis doctoribus accipitur, ponitur *in genere signi.* Est enim sacramentum *sacrae rei signum,* non quomodocumque, sed inquantum illa res sacra, puta gratia, est *sanctificans homines.* Neque etiam omne signum rei sacrae habet proprie rationem sacramenti, sed tantum signum *sensibile,* sive res sensibilis significans spiritualia bona, sive res sacras quibus sanctificamur. Et ideo dicit Sanctus Thomas quod oportuit remedia spiritualia, idest ipsa sacramenta quibus ad nos virtus mortis Christi pervenit – quae dicuntur spiritualia, quia et quadam spirituali virtute operantur; et sunt remedia spiritus et animae; et spiritualem salutem operantur – cum aliquibus visibilibus signis tradi, *visibilis* nomine omnem rem sensibilem intelligens.

3. Ad evidentiam primae rationis, considerandum est quod conditio hominis, inquantum est rationalis, est quod sibi sua sanctificatio innotescat. Et quia naturaliter habet cognitionem a sensibus ortam, ideo sibi convenit ut sibi sua sanctificatio per sensibilia manifestetur. Cum igitur sacramenta sint quaedam signa et etiam causae sanctificationis, convenienter in sensibilibus rebus sunt huiusmodi sacramenta instituta. Et in hoc prima ratio consistit.

Circa secundam rationem, considerandum est quod Verbum incarnatum duo dicit: scilicet ipsam divinam personam, divinamque virtutem, quae invisibilis est; et humanam carnem, secundum quam divinum Verbum est aliquo modo visibile. Ideo remedia et sacramenta, quibus tanquam instrumentis huius universalis causae virtus ad homines pertingit, talia esse convenit ut sub visibilibus signis divina virtus invisibiliter operetur: sic enim instrumenta principali causae sunt proportionata. Et secundum hoc ista ratio procedit.

III. Ex iis – inquit Sanctus Thomas – excluditur error volentium omnia huiusmodi visibilia ab Ecclesiae sacramentis esse remota, utpote opinantium omnia visibilia ex sui natura mala esse, et ex malo auctore producta: quod in Secundo Libro reprobavimus.

Excluditur etiam dubium quod posset oriri, quia videlicet inconveniens videtur ut spiritualis salus per visibiles et corporales res ministretur. Sed inquit Sanctus Thomas hoc non esse inconveniens: cum huiusmodi visibilia sint quasi quaedam instrumenta Dei incarnati et passi, et ideo non operentur spiritualem salutem ex proprietate suae naturae, sed ex institutione ipsius Christi, ex qua virtutem instrumentalem consequuntur; nam instrumentum non ex virtute suae naturae, sed ex virtute principalis agentis operatur.

Advertendum, circa hoc ultimum dictum, quod intelligitur de instrumento inquantum est instrumentum. Nam instrumento convenit quidem aliqua operatio virtute propriae naturae, sicut scindere dura convenit serrae: sed haec operatio convenit sibi non inquantum est instrumentum, sed inquantum est talis natura. Operatio autem quae convenit instrumento inquantum est instrumentum, convenit sibi inquantum in ipso est virtus principalis agentis *per modum intentionis cuiusdam,* idest, per modum formae habentis esse transiens, non autem fixum et stabile. Est enim huiusmodi virtus in instrumento solum quandiu movetur ab agente: sicut virtus artis est in serra ad faciendum scamnum.

IV. Sed circa hoc occurrunt dubia tacta a Scoto, *Quarto,* d. 1, q. V*, per quae vult probare nullam virtutem supernaturalem in sacramentis esse. Arguit enim sic: –

*Ven. 1497, p. 8 r b (Ex Capreolo d. 1, qu. 1, a. 2. Tom. VI, p. 14).

Primo. *Aut illa virtus esset in sacramento indivisibiliter, aut divisibiliter. Non primum: quia inter formas perficientes materiam corporalem sola anima intellectiva ponitur talis. – Non secundum: quia tunc extenderetur per accidens in subiecto, quod est contra rationem virtutis spiritualis.*

Secundo. *Cum in sacramentis requirantur multa verba, vel in qualibet syllaba est eadem virtus omnino: et idem accidens migraret et remaneret postquam subiectum desiit. Vel alia et alia in diversis: et sic sacramentum non haberet aliquam virtutem unam. – Si dicatur quod habet virtutem aggregatam ex multis virtutibus partium, hoc non valet. Tum quia non esset dare quae istarum esset principium causandi illum effectum spiritualem in anima. Tum quia non videtur probabile quod unum sacramentum habeat tot virtutes supernaturales aggregatas.*

Tertio. *Ista virtus causatur in isto sacramento aut ante applicationem eius ad actum sive usum; aut in ipsa applicatione. Si primum, ergo eius causatio* est pure miraculosa. – Si secundum, hoc est inconveniens: quia nullum instrumentum ideo est formaliter aptum ad usum quia aliquis utitur eo sicut instrumento.*

*Ita Scotus l.c.; *Creatio* APS et Capr. 1ª ed.

Quarto. *Nulla est necessitas ponendi huiusmodi virtutem. Ergo* etc.

Quinto. *Instrumenta artificialia non sunt formaliter activa, sed tantum receptiva unius effectus prioris ordinati ad effectum ultimum. Ergo* etc.

V. Ad primum dicitur quod illa virtus est in sacramento indivisibiliter: idest, tota in toto, et tota in qualibet parte. – Ad improbationem dicitur quod sola anima intellectiva est talis inter formas completas: sed non est sola talis inter formas absolute, quia etiam aliquae aliae formae habentes esse intentionale in subiecto, sunt tales.

Ad secundum dicitur primo, quod talis virtus est in ultima syllaba in ordine ad praecedentes: idest, ut significationem totius orationis complet. – Dicitur secundo quod, etiam si in diversis syllabis essent diversae virtutes partiales, propter hoc non sequitur aliquod inconveniens: omnes enim unam completam virtutem, successivam tamen, integrarent. Nec est inconveniens unum sacramentum habere plures virtutes supernaturales incompletas, unam tamen totalem continentes virtutem.

Ad tertium dicitur quod inchoative data est talis virtus sacramentis in ipsorum institutione: completive autem hanc virtutem accipiunt in ipsa applicatione ad proprios usus. Idest: in ipsa institutione sacramenti res sensibilis, puta aqua, fuit determinata ad hoc ut esset apta ad baptismum, et esset susceptiva virtutis divinae ad effectum sacramentalem; in applicatione vero ad proprium usum sacramenti, accipit formaliter ipsam supernaturalem virtutem. – Nec valent quae in contrarium obiiciuntur. Conceditur enim quod causatio* talis virtutis est omnino miraculosa, sicut et institutio sacramentorum: et quod non est inconveniens instrumento plus dari ab agente principali dum eo utitur actu ad inductionem effectus principaliter intenti, quam ante usum talis instrumenti.

*Cf. obi. supra.

Ad quartum*, negatur assumptum. Licet enim instrumentum non agat ad effectum principaliter intentum nisi quando ab agente principali movetur, tamen, dum movetur, accipit virtutem per modum intentionis ab agente principali, quae ad effectum intentum instrumentaliter operatur.

*Verius *Ad quintum.* Deficit *Ad quartum.*

Cetera vide apud Capreolum in *Quarto,* d. 1, q. 1*.

*L. c.

# CAPITULUM QUINQUAGESIMUM SEPTIMUM

## DE DISTINCTIONE SACRAMENTORUM VETERAE ET NOVAE LEGIS.

In titulo lege *veteris*.

DEINDE considerandum est quod, cum huiusmodi visibilia sacramenta ex passione Christi efficaciam habeant et ipsam quodammodo repraesentent, talia ea esse oportet ut congruant saluti factae per Christum. Haec autem salus, ante Christi incarnationem et mortem, erat quidem promissa, sed non exhibita: sed Verbum incarnatum et passum est salutem huiusmodi operatum. Sacramenta igitur quae incarnationem Christi praecesserunt, talia esse oportuit ut significarent et quodammodo repromitterent salutem: sacramenta autem quae Christi passionem consequuntur, talia esse oportet ut salutem hominibus exhibeant, et non solum significando demonstrent.

Per hoc autem evitatur Iudaeorum opinio, qui credunt sacramenta legalia, propter hoc quod a Deo sunt instituta, in perpetuum esse servanda: cum Deus non poeniteat, non mutetur. Fit autem absque mutatione disponentis vel poenitentia, quod diversa disponat secundum congruentiam temporum diversorum: sicut paterfamilias alia praecepta tradit filio parvulo, et alia iam adulto. Sic et Deus congruenter alia sacramenta et praecepta ante incarnationem tradidit, ad significandum futura: alia post incarnationem, ad exhibendum praesentia et rememorandum praeterita.

Magis autem irrationabilis est Nazaraeorum et Ebionitarum error* qui sacramenta legalia simul cum Evangelio dicebant esse servanda, quia huiusmodi error quasi contraria implicat. Dum enim servant evangelica sacramenta, profitentur incarnationem et alia Christi mysteria iam esse perfecta: dum autem etiam sacramenta legalia servant, profitentur ea esse futura.

* Cf. Aug. *De Haer.* capp. IX, X (P. L. XLII, 27).

*Hoc capitulum a praecedenti non dividit* X. 14 exhibeant] significarent E, significent G, conferant D, conferrent X. 17 credunt tradunt DEGNX*b*. 18 esse servanda] non esse privanda DEGNX*b*, esse observanda H.
1 non *alt. loco*] nec DNXYZ*b*, neque P*c*. Fit] Sic DEG. 5 et alia iam] alia DEG, alia iam N, et alia X. 7 tradidit] tradit αGZ*b*P*c*. 9 rememorandum] removendum NY*b*, remorandum X. 12 Ebionitarum *Ita nos soli;* helonicarum BCFHY*c*, helonitarum P*d*, elionicarum EGNX*b*, elyonitarum D, helomarum W, hebionitarum Z.

### Commentaria Ferrariensis

* Cf. cap. praec. Comm. introd.

SECUNDO* loco agit Sanctus Thomas de distinctione sacramentorum veteris et novae legis.

Et ponit hanc conclusionem. *Sacramenta quae incarnationem Christi praecesserunt, significabant, et quodammodo repromittebant salutem: sacramenta autem quae Christi passionem consequuntur, salutem hominibus exhibent, et non solum signando* demonstrant.*

* Cf. text. et var.

Probatur. Sacramenta talia esse oportet ut congruant saluti factae per Christum: cum ex passione Christi efficaciam habeant, et ipsam quodammodo repraesentent. Sed haec salus ante Christi incarnationem et mortem erat quidem promissa, sed non exhibita: Verbum autem incarnatum et passum est salutem huiusmodi operatum. Ergo etc.

2. Per hoc excluditur duplex error. Primus est Iudaeorum dicentium sacramenta legalia, quia a Deo sunt instituta, esse in perpetuum observanda: cum Deus non poeniteat neque mutetur. – Ad quos dicitur quod fit absque mutatione disponentis et poenitentia, ut diversa disponat secundum congruentiam temporum diversorum: ut patet in patrefamilias. Et sic Deus congruenter alia sacramenta et praecepta tradidit ante incarnationem, et alia post incarnationem.

Secundus error, et irrationabilior, fuit Nazaraeorum et Ebionitarum, dicentium sacramenta legalia simul cum Evangelio esse servanda. Implicant enim contraria: quia, dum sacramenta evangelica servant, profitentur incarnationem et alia Christi mysteria esse perfecta; dum autem legalia servant, profitentur ea esse futura.

II. Circa praedicta dubium duplex occurrit. Primum est circa differentiam sacramentorum novae legis et veteris. – Secundum est circa observationem legalium*.

* Cf. 2 et num. VIII.

1. Circa primum dubitatur, quia vult Sanctus Thomas sacramenta novae legis a sacramentis veteris legis differre in hoc, quod illa significant tantum et promittunt salutem, ista vero salutem efficiunt. Ex hac enim differentia sequitur, cum salus humana a gratia formaliter dependeat, eo quod per gratiam fiat remissio peccatorum et fiat homo vita aeterna dignus, quod sacramenta veteris legis non conferebant gratiam, sed bene sacramenta novae legis. Contra hoc autem arguitur.

Primo. Gratia producitur per creationem. Ergo sacramenta novae legis non sunt causa gratiae, sicut nec sacramenta veteris legis. – Probatur consequentia. Quia in praecedentibus* ostensum est virtutem creandi nulli posse communicari creaturae: neque inquam sicut principali agenti, neque sicut instrumento.

* Lib. II cap. XXI.

Secundo: et est argumentum Aureoli apud Capreolum, in *Quarto,* d. 1, q. II*. Si sacramenta praedicta illo solum modo differant, sequitur quod sint aequalis dignitatis. – Probatur consequentia, supposito quod in circumcisione conferebatur gratia ut etiam concedit Sanctus Thomas: Nobilitas instrumenti, et cuiuslibet ordinati in finem, sumitur ex ratione utilitatis. Sed tantae utilitatis erat circumcisio sicut modo est baptismus, si in utroque confertur gratia. Ergo etc.

* Art. 2, p. 55.

2. Circa secundum dubitatur*, quia videtur velle Sanctus Thomas quod post publicationem Evangelii non poterant legalia observari. Contra hoc autem arguit Scotus in *Quarto,* d. III, q. IV*, quia *Act.* XXI** legitur de Paulo quod ascendit in Ierusalem et ibi, de consilio Iacobi et aliorum fratrum, post quartam synodum habitam Ierosolymis, purificatus secundum legem, ascendit in templum et obtulit sacrificium.

* Cf. num. VIII.

* Ven. 1497, p. 15 r b (Ex Capreolo d. 1, qu. III, a. 2, p. 68).
** Vers. 17 sqq.

III. Ad evidentiam primi dubii, considerandum est, ex doctrina Sancti Thomae *Tertia,* q. LXII*; et *Quarto,* d. I** et II, quod sacramenta veteris legis, ut sacrificia, oblationes, decimae et huiusmodi, nullo modo gratiam conferebant ex aliqua virtute eis inhaerente; nec etiam in ipsis conferebatur gratia, nisi forte ex devotione suscipientis: excepta circumcisione*, in qua gratia utique conferebatur, sed non ex aliqua virtute ei inhaerente. Ratio huius est, quia sacramenta habent virtutem iustificandi ex passione Christi: inquantum videlicet continent in se virtutem profluentem a Christo incarnato et passo. Id autem quod nondum est in rerum natura, non movet secundum usum exteriorum rerum: licet possit movere secundum quod praecedit in actu

* Art. 6.
** Qu. I, a. V.

* In *Tertia*, l. c. ad 3, et q. LXX a. 4. corrigitur *Sent.* l. c. qu. II, a. 4, qua 3.

animae, eo modo quo finis dicitur movere dum est in intentione. Ideo virtus passionis Christi non poterat, antequam ipsa passio esset in actu, iustificare per sacramenta, quae in exteriorum usu rerum consistunt: licet per fidem resurrectionis Christi iustificarentur antiqui Patres, sicut et nos. Sacramenta autem novae legis iustificant effective, inquantum virtute eis inexistente a passione Christi, ut superius* dictum est, causant in nobis gratiam. Unde sacramenta antiquae legis erant signum salutis futurae per Christum, inquantum ipsam Christi passionem et alia ipsius mysteria praefigurabant, sed non erant causa salutis: sacramenta autem novae legis sunt et signa salutis et causa, inquantum et gratiam significant in nobis existentem, et ipsam causant in suscipiente rite sacramentum. Propterea bene assignans Sanctus Thomas horum sacramentorum distinctionem, inquit quod illa repraesentabant et promittebant salutem; ista vero exhibent salutem, et non solum significant.

*Cap. praec. et hic num. 1, 1.

Considerandum secundo, quod duplex est instrumentum: quoddam quod sua actione attingit ultimam perfectionem quam principale agens intendit; quoddam vero quod ipsam ultimam perfectionem non attingit, sed aliquam ipsius dispositionem. Semper tamen instrumentum, inquantum est instrumentum, pertingit ad aliquid ultra id quod competit sibi secundum suam naturam. Sacramenta ergo dicuntur causa salutis et gratiae, non quia sua actione gratiam attingant, cum gratia a solo Deo creetur in anima: sed quia ad ipsam gratiam disponunt, causando aliquid in anima inquantum sunt instrumenta divinae virtutis*, puta *characterem vel ornatum,* quo anima ad suscipiendam gratiam fit disposita.

*Cf. *Sent.* l. c. a. 4, qu[a] 1.

IV. Impugnatur autem a Scoto* et ab aliis hic modus ponendi sacramentum esse causam gratiae dispositive per characterem vel ornatum quem in anima causat immediate. Sed horum impugnationes a Capreolo, in 1 dist. *Quarti**, sufficientissime dissolvuntur. Unam tantum Scoti obiectionem, in 1 dist. *Quarti**, similem dubio moto adducam, quae talis est. *Creatura non potest agere instrumentaliter ad terminum creationis, et maxime substantia corporea. Sed ista dispositio ad gratiam, quae dicitur character aut ornatus, est terminus creationis: quia est simpliciter forma supernaturalis, et non est educibilis de potentia naturali materiae.* Ergo ad ipsam non potest agere instrumentaliter agens corporeum, cuiusmodi est sacramentum.

*D. 1, q. v.

*Qu. 1, a. 3, § 3, p. 19 sqq.

*Ven. 1497, p. 7 v b.

Respondetur quod aliter est de forma principali quam agens supernaturale intendit: et aliter de dispositione ad talem formam. Non inconvenit enim formam principalem esse omnino supernaturalem, non posseque nisi ab agente supernaturali produci; et tamen dispositionem ad talem formam posse instrumentaliter ab agente naturali produci, licet non virtute naturae, sed virtute supernaturali sibi data; sicut videmus virtute humani seminis causari dispositionem ultimam ad animam intellectivam, et tamen a solo Deo anima intellectiva creatur.

Unde ad Scotum dicitur quod minor est falsa. Ad probationem dicitur quod formam esse omnino supernaturalem, dupliciter potest intelligi. Uno modo, quia nullo modo ab agente naturali, neque inquam virtute propria neque virtute superaddita, produci potest, nec educi de potentia materiae: et sic negatur characterem aut ornatum esse formam supernaturalem omnino. Alio modo, quia de potentia materiae educi non potest, nec ab agente naturali virtute propriae naturae produci, licet ab ipso instrumentaliter, per virtutem supernaturalem sibi datam, produci possit. Et tunc conceditur quod talis dispositio est forma supernaturalis, sed negatur quod omnis talis forma sit terminus creationis. Ad hoc enim ut forma solius creationis terminus esse possit, requiritur ut non sit de potentia materiae educibilis, et quod nullo modo ab agente naturali, neque inquam virtute propria neque aliena, possit produci. – Haec dixerim sequendo opinionem Capreoli in IV *Sent.**; quae est etiam expresse Sancti Thomae in *Quarto,* d. 1*; et *Pot.,* q. IV, a. 3, ad 8.

*l. c. p. 23.

*Qu. 1, a. 4, qu[a] 1.

V. Sunt autem qui teneant de mente Sancti Thomae esse quod gratia non creetur, sed instrumentaliter attingatur a sacramentis. – Tum quia in *Tertia Parte,* q. LXII, a. 1, dicitur absolute gratiam instrumentaliter a sacramento causari, nulla facta mentione de causatione dispositiva. – Tum quia, cum gratia desinit esse, non annihilatur.

Sed hoc ad mentem Sancti Thomae esse non puto. Nam cum creari sit ex nihilo aliquid fieri; et manifeste appareat gratiam ex nihilo fieri, relinquitur quod creetur, eo modo quo formae inhaerenti convenit creari, quia scilicet secundum ipsam aliquid creatur; secundum quem modum inquit Sanctus Thomas I[a] II[ae], q. CX, a. 2, ad 3, gratiam creari, *quia secundum ipsam homines dicuntur creari, idest in novo esse constitui.*

Si dicatur quod non creatur, quia fit in aliquo subiecto: – constat quod hoc non tollit rationem creationis formae, apud Sanctum Thomam. Ad hoc enim ut non creetur, requiritur ut de potentia materiae educatur: ut dicitur *Pot. Dei,* q. III, a. 8, in responsionibus ad argumenta*. Gratia autem de potentia materiae non educitur*: ut ibidem dicitur; et I *Sent.,* d. XIV, q. III.

*Praecipue ad 3 et 4.
*L. c. ad 5.

Non obstat autem quod primo adducitur. Quia verba Sancti Thomae in *Tertia Parte* exponenda sunt tantum ad sensum alibi expressum. – Non approbo autem interpretationem Capreoli dicentis* quod intelligeret Sanctus Thomas quod sacramenta causant gratiam sacramentalem effective, non autem gratiam gratum facientem. Nam, cum gratia sacramentalis sit effectus gratiae gratum facientis, si illa a sacramentis non causatur effective, nec etiam ista causari potest.

*D. 1, q. 1, a. 1, 3[a] Conclusio, fin. (p. 4).

Non obstat etiam quod secundo adducitur. Nam falsum supponitur: scilicet quod, cum gratia desinit, non annihiletur. Huius enim oppositum tenet Sanctus Thomas II *Sent.,* d. XXVI, a. 2, ad 5, ubi ait quod, *cum gratia corrumpitur, simul etiam in nihilum redit.* Quod intelligendum est, quia nulla eius pars remanet, neque materia de cuius potentia sit educta: licet remaneat subiectum quod per ipsam informabatur.

VI. Sed tunc remanet dubium, cum character non magis educatur de potentia materiae quam gratia, quare magis attribuitur creatio gratiae quam characteri: et quare sacramenta virtute divina possunt causare characterem, non autem gratiam?

Dici potest quod ratio diversitatis est, quia gratia est supra totum naturae ordinem, utpote hominem Deo formaliter coniungens. Ideo a solo agente qui supra omnem naturam est, produci habet. Character autem non est supra totum naturae ordinem, immo est infra aliqua naturalia sui generis: in genere enim dispositionum ad gratiam est actus liberi arbitrii, qui nobilior est ipso charactere. Et ideo non est inconveniens quod instrumentaliter a creatura producatur, quando aliquid sui generis virtute naturae producatur.

Nec obstat quia videtur produci ex nihilo. – Dicitur enim quod non producitur omnino ex nihilo: quia producitur in aliquo quod est in potentia naturali ad aliquid sui generis; et hoc sufficit ad hoc ut dicatur aliquando forma accidentalis produci per aliquam simplicem mutationem, et non per creationem.

Potest ista responsio haberi ex Qu. de *Pot.,* q. III, a. 8, ad 5, ubi tenet Sanctus Thomas quod, quamvis formae artificiales sint totaliter ab extrinseco, non tamen per creationem inducuntur: *quia non excedunt naturae ordinem, sicut gratia; immo sunt infra ordinem naturae, quia omne naturale est nobilius quam artificiale.*

VII. Ex iis patet responsio ad primam obiectionem dubii*. Negatur enim consequentia de causa dispositiva gratiae. – Ad probationem dicitur quod non dicimus sacramenta esse causam gratiae quasi instrumentaliter gratiam creent: sed quia aliquam dispositionem ad gratiam causant.

*Num. II, *Primo.*

Ad secundam vero, negatur consequentia. Ad cuius probationem, negatur minor. Quamvis enim in utroque illorum sacramentorum conferatur gratia, non sunt tamen aequalis utilitatis. Immo circumcisio nullius erat utilitatis: quia nihil agebat ad gratiam; utile enim dicitur quod aliquid confert ad consecutionem finis. Baptismus autem utilis est,

quia ipse habet virtutem gratiae productivam, modo dicto. Quod si *utile* improprie accipiatur, videlicet pro eo ex quo provenit aliquod bonum, sive sicut ex causa sine qua non, sive sicut ex causa effectiva: negatur ista consequentia, *Ista sunt aequalis utilitatis, Ergo sunt aequalis dignitatis:* quia dignius est conferre gratiam per virtutem sibi inexistentem, quam solum ut causa sine qua non.

Advertendum autem, secundum doctrinam Sancti Thomae *Tertia,* q. LXII, a. 2; et IV *Sent.,* d. 1, q. 1, a. 4, qu[a] 5, quod non solum sacramenta novae legis sunt causa gratiae gratum facientis modo dicto, sed etiam sunt causa quorundam effectuum particularium a gratia gratum faciente secundum quod per sacramenta causatur proventium, quae dicuntur *gratiae sacramentales.* Sicut enim a gratia gratum faciente proveniunt virtutes et dona, quibus potentiae perficiuntur in ordine ad suos actus; ita ab ipsa gratia secundum quod per sacramenta causatur proveniunt dispositiones quaedam, quae contra quosdam defectus particulares remedia sunt; puta per baptismi gratiam causatur remedium contra peccatum originale; per poenitentiam remedium contra peccatum actuale; per matrimonium remedium contra concupiscentiam; per confirmationem remedium contra verecundiam et timiditatem confitendi nomen Christi; et sic de aliis, quae quidem remedia et dispositiones, quia proprium nomen non habent, dicuntur *gratiae sacramentales.* Vide apud Capreolum in IV, d. 1, q. III*, concl. 4.

* Art. 1.

VIII. Ad evidentiam secundi dubii*, considerandum, ex doctrina Sancti Thomae I[a] II[ae], q. CIII, a. 4*; et IV *Sent.,* d. 1, q. II, a. 5*, quod circa observationem sacramentorum veteris legis tria distinguenda sunt tempora, secundum Augustinum*, quem Sanctus Thomas contra Hieronymum in hac parte sequitur. Primum fuit ante passionem Christi; secundum post passionem, usque ad divulgationem Evangelii; tertium fuit post Evangelii divulgationem. In primo, sacramenta huiusmodi erant viva, et tenebantur Iudaei illa observare. In secundo, erant mortua, quia nullius utilitatis erant, et vim obligativam non habebant: non tamen erant mortifera, quia poterant absque peccato observari. In tertio, non solum sunt mortua, utpote nullius utilitatis existentia, sed etiam sunt mortifera: quia absque peccato mortali observari non possunt. Quod ergo hic dicitur, *errorem esse, quod cum Evangelio sint sacramenta legalia observanda,* si intelligatur quantum ad necessitatem observationis, sic referendum est ad omne tempus post passionem Christi: nam error est quod, currente Evangelio, post Christi passionem tenerentur conversi ad fidem Christi servare legalia. Si autem intelligatur quantum ad permissionem observationis, sic referendum est ad tertium tempus: error enim est dicere, quod, post publicationem Evangelii, possint licite observari legalia.

* Cf. num. II 2.
* Ad 1.
* Qu[a] 3.
* Ep. 82, ad Hier. cap. II, 15 (P.L. XXXIII p. 281), cf. ib. Epp. 40 et 28.

Sed advertendum quod duplex fuit publicatio Evangelii. Una imperfecta, qua scilicet per Apostolos et alios fuit praedicata necessitas observandi sacramenta novae legis et praecepta Christi. Alia fuit perfecta, qua scilicet etiam sufficientia novae legis absque observatione legalium praedicata est, et inutilitas legalium, et nocumentum ipsorum. Cum ergo hic loquimur de publicatione Evangelii, loquimur de perfecta publicatione. Et ad Scotum dicitur quod Paulus legalia observavit post imperfectam quidem publicationem Evangelii, non autem post publicationem perfectam.

IX. Sed remanet dubium circa rationem qua impugnat Sanctus Thomas errorem praedictum*. Nam sicuti publicato Evangelio per sacramenta novae legis profitemur incarnationem et alia Christi mysteria iam esse perfecta, per sacramenta autem legalia protestamur illa esse futura, et ideo utraque servantes contraria dicunt facto: ita et post passionem Christi ante Evangelii publicationem. Ergo, sicut post publicationem Evangelii non licet sacramentis legalibus uti, ita nec ante publicationem. Cuius contrarium dictum est.

* Cf. num. 1. 2.

Respondetur quod alia ratio est de significatione talium sacramentorum ante publicationem Evangelii: et alia post talem publicationem. Antequam enim publicatum esset ista esse nociva, et quod observanda non erant quia erant instituta ad significandam incarnationem et passionem Christi futuram, non autem factam iam et perfectam; poterant observari, non tanquam hoc significantia, sed ob reverentiam Dei, tanquam aliquid pro aliquo tempore institutum a Deo, quod nondum erat omnino abrogatum et factum nocivum. Sed post perfectam publicationem, quando praedicatum est talia sacramenta esse abrogata et esse nociva, non licet ipsa observare, propter eorum abrogationem et significationem falsitatis.

Cum ergo instatur quod etiam ante publicationem Evangelii sacramenta legalia significabant Christi incarnationem et passionem esse futuram: – dicitur quod, licet ipsa sacramenta sint primo instituta ut sic significarent, tamen observantes ea pro illo tempore medio, non intendebant illam significationem, sed tantum reverentiam ad Deum: quod tunc licebat, eo quod non esset ostensum illam non debere observari. Facta autem perfecta publicatione quod servari non debeant, non excusatur ea observans propter Dei reverentiam: quia non licet contra Dei legem propter Dei reverentiam agere. Et dum quis ea observat, contra Evangelicam doctrinam pertinaciter agens, profitetur facto se Iudaizare, et profiteri Christum esse nasciturum et passurum, non autem Christum esse natum et passum, sicut et illa sacramenta ad hoc fuerunt a Deo instituta.

Potest secundo responderi quod, antequam Evangelium esset perfecte publicatum, passio Christi nondum erat perfecte in actu, quantum ad virtutis ipsius omnimodam publicationem, licet in se esset transacta: et ideo poterat significari aliquo modo ut futura. Post perfectam vero publicationem, omnino complete fuit in actu: ideo nullo modo potest significari ut futura. Propterea, ante publicationem, poterant servari sacramenta legalia quae Christi passionem ut futuram significabant: non autem post publicationem.

# CAPITULUM QUINQUAGESIMUM OCTAVUM

## DE NUMERO SACRAMENTORUM NOVAE LEGIS.

* Cap. LVI.

Quia vero, ut dictum est*, remedia spiritualis salutis sub signis sensibilibus sunt hominibus tradita, conveniens etiam fuit ut distinguerentur remedia quibus provideretur spirituali vitae, secundum similitudinem corporalis.

In vita autem corporali duplicem ordinem invenimus: sunt enim propagatores et ordinatores corporalis vitae in aliis; et sunt qui propagantur et ordinantur secundum corporalem vitam.

Vitae autem corporali et naturali tria sunt per se necessaria, et quartum per accidens. Oportet enim primo, quod per generationem seu nativitatem res aliqua vitam accipiat; secundo, quod per

*Hoc capitulum a praecedenti non dividunt* DNXpEG. 3 conveniens *Ita* Yb: congruum W, cone F, consequens *ceteri.* 4 autem] enim DEGNX.

augmentum ad debitam quantitatem et robur perveniat; tertio, ad conservationem vitae per generationem adeptae, et ad augmentum, est necessarium nutrimentum. Et haec quidem sunt per se necessaria naturali vitae: quia sine his vita corporalis perfici non potest; unde et animae vegetativae, quae est vivendi principium, tres vires naturales assignantur, scilicet generativa, augmentativa, et nutritiva. Sed quia contingit aliquod impedimentum circa vitam corporalem, ex quo res viva infirmatur, per accidens necessarium est quartum, quod est sanatio rei viventis aegrotae.

Sic igitur et in vita spirituali primum est spiritualis generatio, per *baptismum;* secundum est spirituale augmentum perducens ad robur perfectum, per sacramentum *confirmationis;* tertium est spirituale nutrimentum, per *eucharistiae* sacramentum. Restat quartum, quod est spiritualis sanatio, quae fit vel in anima tantum per *poenitentiae* sacramentum; vel ex anima derivatur ad corpus, quando fuerit opportunum, per *extremam unctionem.* Haec igitur pertinent ad eos qui in vita spirituali propagantur et conservantur.

Propagatores autem et ordinatores corporalis vitae secundum duo attenduntur: scilicet secundum originem naturalem, quod ad parentes pertinet; et secundum regimen politicum, per quod vita hominis pacifica conservatur, et hoc pertinet ad reges et principes.

Sic igitur est et in spirituali vita. Sunt enim quidam propagatores et conservatores spiritualis vitae secundum spirituale ministerium tantum, ad quod pertinet *ordinis* sacramentum; et secundum corporalem et spiritualem simul, quod fit per sacramentum *matrimonii,* quo vir et mulier conveniunt ad prolem generandam et educandam ad cultum divinum.

3 ad augmentum] augmentum NZ*b*, ad augmentum perductae P*c*. 4 sunt *post* per se DEX, *om* G. 10 vitam *om* DEGN. 11 viva] una αEGNY. 12 aegrotae] aegrotatae BCYZ, aegrotare FH.
9 regimen] regnum αX *et fortasse* pG. 12 est et] et DEGX, etiam N, *om b*, (et sic igitur) est Z, est CP*d*.

### Commentaria Ferrariensis

*Cf. cap. 56. Comm. introd.

TERTIO* loco ostendit Sanctus Thomas numerum sacramentorum novae legis, et eius sufficientiam.

I. Et dicit primo quod, cum remedia spiritualis salutis sub sensibilibus signis hominibus sint tradita, consequens* fuit ut remedia quibus providetur spirituali vitae, secundum similitudinem vitae corporalis distinguerentur.

*Cf. text. et var.

Dicit secundo quod, cum duplex ordo in corporali vita inveniatur, scilicet eorum qui propagatores et ordinatores vitae sunt in aliis, et eorum qui propagantur et ordinantur; quantum ad secundum ordinem, primo necesse est ut res per generationem et nativitatem vitam accipiat; secundo, quod per augmentum ad debitam quantitatem et robur perveniat; tertio, quod ad horum perfectionem accipiat nutrimentum; quarto, quod sanetur si contingat ipsam infirmari, sed hoc per accidens se habet ad vitam corporalem, inquantum videlicet contingit rem vivam infirmari.

Quantum vero ad primum, duo attenduntur: scilicet origo naturalis, quod ad parentes pertinet; et regimen politicum, per quod vita hominis pacifica conservatur, quod pertinet ad reges et principes.

Dicit tertio quod, quantum ad secundum ordinem, est primo in spirituali vita generatio per baptismum; secundo est spirituale augmentum perducens ad robur perfectum, per sacramentum confirmationis; tertio est spirituale nutrimentum, per sacramentum Eucharistiae; quarto est spiritualis sanatio, quae in anima tantum fit per sacramentum poenitentiae; in corpore autem per animam, quando fuerit opportunum, per extremam unctionem.

Quantum vero ad primum ordinem, sunt in spirituali vita propagatores, et conservatores, et secundum spirituale ministerium tantum, ad quod pertinet ordinis sacramentum; et secundum corporale et spirituale simul, quod fit per sacramentum matrimonii.

II. Advertendum quod praeter hanc numeri sacramentorum rationem, assignat alias rationes Sanctus Thomas *Tertia,* q. LXV*; et IV *Sent.*, d. II, q. I, a. 2. Sed hoc loco, brevitati studens una tantum ratione contentus fuit.

*Art. 1.

Advertendum secundo, quod sunt multa alia sensibilia in lege nova quae quandam rei sacrae significationem habent, ut aqua benedicta, consacratio altaris, et huiusmodi. Sed non dicuntur sacramenta, quia non perducunt ad effectum sacramenti, qui est gratiae consecutio, sed sunt quaedam dispositiones ad sacramenta; sicut aqua benedicta ordinatur contra insidias daemonum, et contra peccata venialia; et altare, sive vasa, consecrantur propter Eucharistiae reverentiam.

# CAPITULUM QUINQUAGESIMUM NONUM

## DE BAPTISMO.

SECUNDUM hoc igitur apparere potest circa sacramenta singula et effectus proprius uniuscuiusque et materia conveniens. Et primo quidem circa spiritualem generationem, quae per baptismum fit, considerandum est quod generatio rei viventis est mutatio quaedam de non vivente ad vitam. Vita autem spirituali privatus est homo in sua origine per peccatum originale, ut supra* dictum est; et adhuc quaecumque peccata sunt addita abducunt a vita. Oportuit igitur baptismum, qui est spiritualis generatio, talem virtutem habere quod et peccatum originale, et omnia actualia peccata commissa tollat.

*Cap. I; et LII, *His igitur visis.*

Et quia signum sensibile sacramenti congruum debet esse ad repraesentandum spiritualem sacramenti effectum, foeditatis autem ablutio in rebus corporalibus facilius et communius fit per aquam:

6 considerandum est] Considerandum est igitur P*d*.
1 adhuc *Ita* BEY*b*; ad hoc *ceteri*. 4 quod et] quod etiam P*c*, quod NZ. 6 sensibile *post* sacramenti P*c*. 9 et communius] et conveniens DEY, et N, conveniens X, et convenientius GsEYP*c*.

idcirco baptismus convenienter in aqua confertur per Verbum Dei sanctificata.

Et quia generatio unius est alterius corruptio; et quod generatur priorem formam amittit et proprietates ipsam consequentes: necesse est quod per baptismum, qui est spiritualis generatio, non solum peccata tollantur, quae sunt spirituali vitae contraria, sed etiam omnes peccatorum reatus. Et propter hoc baptismus non solum a culpa abluit, sed etiam ab omni reatu poenae absolvit. Unde baptizatis satisfactio non iniungitur pro peccatis.

Item, cum per generationem res formam acquirat, simul acquirit et operationem consequentem formam, et locum ei congruentem: ignis enim, mox generatus, tendit sursum sicut in proprium locum. Et ideo, cum baptismus sit spiritualis generatio, statim baptizati idonei sunt ad spirituales actiones, sicut ad susceptionem aliorum sacramentorum, et ad alia huiusmodi: et statim eis debetur locus congruus spirituali vitae, qui est beatitudo aeterna. Et propter hoc baptizati, si decedant, statim in beatitudine recipiuntur. Unde dicitur* quod *baptismus aperit ianuam caeli.*

* Beda, *In Luc.* III (P.L. XCII.358), in *Glossa ord.* Etiam *Hom.* 10 (P.L.XCIV, 54); in littera IV *Sent.* d. 1. c. 7.

Considerandum est etiam quod unius rei est una tantum generatio. Unde, cum baptismus sit spiritualis generatio, unus homo est semel tantum baptizandus.

Manifestum est etiam quod infectio, quae per Adam in mundum intravit, semel tantum hominem inquinat. Unde et baptismus, qui contra eam principaliter ordinatur, iterari non debet. – Hoc etiam commune est, quod, ex quo res aliqua semel consecrata est, quandiu manet, ulterius consecrari non debet, ne consecratio inefficax videatur. Unde, cum baptismus sit quaedam consecratio hominis baptizati, non est iterandum baptisma. – Per quod excluditur error Donatistarum*, vel Rebaptizantium.

* Cf. Aug. *De Haer.* cap. LXIX (P.L. XLII, 43).

3 alterius *post* corruptio DEX. 10 reatu *post* poenae DEGNX. baptizatis] baptismus D; satisfactio *om* DE. 13 simul acquirit *om* DEXZ.
3 decedant] decidant EGN*b*. beatitudine] beatitudinem DEX*b*. 6 una *post* tantum ZP*c*.

## Commentaria Ferrariensis

* Cf. cap. LVI, Comm. introd.

POSTQUAM determinavit Sanctus Thomas de sacramentis in generali, incipit de unoquoque singillatim determinare*, ostendendo uniuscuiusque proprium effectum et materiam convenientem ex praedictis. Et primo, de baptismo; deinde de aliis ordine suo, in capitulis sequentibus.

I. Quantum ad primum ponit quinque conclusiones. Prima est: *Baptismum oportet talem virtutem habere quod et peccatum originale, et omnia peccata actualia commissa tollat.* Probatur: baptismus est spiritualis generatio. Ergo etc. – Probatur consequentia. Quia generatio rei viventis est mutatio de non vivente ad vitam. Vita autem spirituali homo privatus est in sua origine per peccatum originale; et adhuc quaecumque peccata sunt addita, abducunt a vita.

Adverte, quod in ista propositione, *Baptismus est spiritualis generatio*, potest esse praedicatio per causam, si per generationem spiritualem intelligamus ipsam tantum iustificationem interiorem. Est enim sensus quod per baptismum causatur spiritualis generatio, quae est mutatio de non vivente spirituali ad spirituale vivens: unde dictum est in praecedenti capite quod spiritualis generatio est *per* baptismum. – Potest etiam esse essentialis praedicatio. Quia, cum baptismus sit ipsa absolutio corporalis per quam causatur gratia et removetur peccatum, potest dici esse mutatio quaedam de non vivente spiritualiter ad viventem, secundum quod *absolutio* passive sumitur. Dicimus enim cum quis baptizatur, quod regeneratur. Sicut, cum materia disponitur successive ad susceptionem formae hominis, dicimus quod homo generatur, ipsam alterationem praecedentem introductionem animae, generationem vocantes.

Hanc conclusionem disputat Sanctus Thomas *Tertia,* q. LXIX*; et *Quarto,* d. IV, q. II, a. 1 **.

* Art. 1.
** Qua 1.

II. Secunda conclusio est: *Baptismus convenienter in aqua confertur per Verbum Dei sanctificata.* Probatur. Quia signum sacramenti sensibile congruum debet esse ad repraesentandum spiritualem sacramenti effectum. Foeditatis autem ablutio in rebus corporalibus facilius et convenientius* fit per aquam.

* Cf. text. et var.

Ad evidentiam huius conclusionis attendendum, ex doctrina Sancti Thomae *Tertia,* q. LXVI, a. 3 et 4, item IV *Sent.,* d. III, q. 1, a. 3*, quod per aquam hic intelligitur naturalis aqua elementaris. Et ideo aqua rosacea non est conveniens materia baptismi: quia non est vera aqua, sed liquor rosae resolutus. Et similiter aqua alchimica.

* Qua 2.

Attendendum secundo, quod aquam, quae est materia baptismi, non oportet esse simplicem omnino, sed, quantuncumque fuerit transmutata, dummodo non solvatur species aquae, in ea potest fieri baptismus. Unde potest cum lixivio baptizari, et cum aquis sulphureorum balneorum; quia tales aquae non incorporantur aliquibus corporibus mixtis, sed solum alterationem quandam recipiunt ex hoc quod per aliqua corpora transeunt. Item in brodio potest fieri baptismus: nisi forte facta sit tanta resolutio corporum lixatorum in aqua quod liquor plus habeat de aliena substantia quam de aqua: quod ex spissitudine perspici potest. Immo etiam, si ex liquore sic inspissato exprimatur aqua subtilis, potest in ea fieri baptismus, sicut et in aqua quae exprimitur ex luto.

Attendendum tertio, quod aqua secundum suam speciem fuit a Verbo Dei sanctificata quando aquam Iordanis, dum baptizaretur a Ioanne, tetigit*. Illam enim aquam tangendo, dedit vim regenerativam toti speciei aquae, eam baptismi sacramentum instituens. Propter hoc dicitur hic quod baptismus convenienter confertur in aqua *per Verbum Dei sanctificata.*

* *Matth.* III, 13 sqq.

Advertendum quarto, quod, licet aliqua alia corpora aliquando assumantur ad abluendum, sicut oleum et vinum, tamen non habentur in communi usu ablutionis; nec ita bene abluunt sicut aqua; nec ita communiter inveniuntur in omnibus partibus mundi sicut aqua. Propterea inquit Sanctus Thomas quod foeditatis ablutio in rebus corporalibus, per quam significatur ablutio a peccatis quae fit per baptismum, *convenientius* et facilius* fit per aquam.

* Cf. text. et var.

III. Tertia conclusio est: *Per baptismum non solum peccata tolluntur, quae sunt spirituali vitae contraria, sed etiam omnes peccatorum reatus,* abluendo scilicet a culpa, et ab omni reatu poenae absolvendo. Probatur. Quia quod generatur priorem formam amittit et proprietates ipsam consequentes. Baptismus autem est spiritualis generatio – Confirmatur hoc signo, quod baptizatis satisfactio pro peccatis non iniungitur.

Advertendum, ex doctrina S. Thomae *Tertia,* q. LXVIII, a. 5, ad 3, quod, licet baptizatis remittatur culpa et poena, atque ob hoc non sit eis imponenda satisfactio pro peccatis, est tamen eis imponendum ut proximis satisfaciant, si eos in aliquo laeserunt: quia debet baptizatus cessare a peccando, proximum autem laesum non placare est peccatum.

Addit quoque q. LXIX. a. 2, ad 3, quod per baptismum non liberatur baptizatus a poena sibi debita in iudicio humano. Unde non est iniustum suspendere latronem noviter baptizatum: quamvis pie possent principes huic poenam indulgere.

IV. Quarta conclusio est. *Baptizati, si decedant, statim in beatitudine recipiuntur.* Probatur. Baptizati statim sunt

idonei ad spirituales actiones, sicut ad susceptionem aliorum sacramentorum, et ad alia huiusmodi; et eis statim debetur locus congruus spirituali vitae, qui est beatitudo aeterna. Ergo etc. – Probatur assumptum. Quia baptismus est spiritualis generatio. Per generationem autem cum res formam acquirat, simul acquirit et operationem consequentem formam, et locum ei congruentem: ut patet in igne. – Confirmatur ex communi dicto, quo dicitur quod *Baptismus aperit ianuam caeli.*

Advertendum, ex doctrina Sancti Thomae *Tertia*, q. LXIX, a. 7; et IV *Sent.*, d. IV, q. II, a. 2*, quod, cum quis non impediatur regnum caeleste introire nisi ratione culpae aut reatus; et per baptismum omnis culpa et omnis reatus poenae tollatur: necesse est dicere baptizatum statim consequi caeleste regnum, aut in spe certa, sicut decedentes cum baptismo Christi ante eius passionem; aut in actu, sicut baptizati post Christi passionem decedentes.

V. Quinta conclusio est: *Unus homo est semel tantum baptizandus.* Probatur primo, quia unius rei est tantum una generatio. – Secundo, quia et infectio quae per Adam in mundum intravit, contra quam principaliter ordinatur baptismus, semel tantum hominem inquinat. – Tertio, quia hoc commune est, quod ex quo res aliqua semel consecrata est, quandiu manet, ulterius consecrari non debet, ne consecratio inefficax videatur. Baptismus autem est quaedam hominis baptizati consecratio.

Per hoc excluditur error Donatistarum, vel Rebaptizantium.

Advertendum, ex doctrina Sancti Thomae *Tertia*, q. LXVI, a. 9, ad 4, quod, licet baptismus non sit reiterandus, ubi tamen dubium est an aliquis sit baptizatus, baptizari debet sub iis verbis, ut dicit Decretalis Alexandri III*: *Si baptizatus es, ego non te baptizo: si nondum baptizatus es, ego te baptizo* etc.: non enim videtur iterari quod nescitur esse factum.

VI. Attendendum ultimo, quod hoc sacramentum est simpliciter, et absolute necessarium: ita videlicet quod sine ipso, aut actu accepto aut in proposito existente, quis salvari non potest.

Quamvis autem quidam recentiorum* dicant parvulos absque baptismo decedentes, etiam in utero materno existentes in fide parentum salvari posse, aliquo sensibili signo facto, puta signo crucis aut aliquo huiusmodi: non puto tamen illud bene dictum esse. Tum propter verbum Domini dicentis*: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* Tum quia hoc videtur esse contra determinationem Innocentii III in capite *Non ut**, adiuncto praecedente capite *Debitum***, *Extra*, de bapt. – Accedit quoque quod est contra doctrinam Sancti Thomae, *Tertia*, q. LXVIII, a. 3; et IV *Sent.*, d. IV, q. III*.

Non obstat autem quod in veteri lege, tempore circumcisionis, si puer ante octavum diem decedebat, salvabatur in fide parentum, dato quod circumcisus non esset. Dicitur enim quod salvabatur in fide parentum, quia, ut dicitur a Sancto Thomae, *Quarto*, d. I, q. II, a. 3*, ad 4, de mente Hugonis de Sancto Victore*, *isti valebat remedium quod ante circumcisionem fuerat, quia adhuc efficaciam habebat.* Idem videtur velle *Tertia Parte*, q. LXX, a. 3, ad ult. Modo, non sic est in nova lege, in qua praecedentia remedia amplius efficaciam non habent.

2. Si autem instetur adhuc quod tunc aliquod tempus esset in quo nullum remedium esset contra peccatum, quod videtur inconveniens: dicitur primo, quod nunquam homini nato deest remedium contra peccatum. Quia et materia baptismi, scilicet aqua, de facili haberi potest; et unusquisque in casu necessitatis potest baptizare, etiam femina; et sic, antequam infans moriatur, ei potest remedium salutis adhiberi.

Dicitur secundo quod iis qui nondum sunt nati, non est inconveniens si remedium contra peccatum adhiberi non potest. Quia ut dicitur *Tertia*, q. LXVIII, a. 11, ad 1; et IV *Sent.*, d. VI, q. 1, a. 1*, ad 1, hoc non est ex defectu divinae misericordiae, sed quia nondum nati non sunt capaces remedii communiter omnibus exhibiti: non enim possunt subiici operationi ministrorum Ecclesiae, per quos tale remedium ministratur, cum vitam per se cum aliis hominibus non ducant. Possunt tamen in utero per divinam operationem sanctificari.

Si iterum instetur, quia pueri possunt in maternis uteris fieri martyres, si propter Christum occidantur, et sic videtur quod etiam ipsis aliud remedium salutis exhiberi possit: – respondetur quod non est simile. Quia actio inferentis mortem huiusmodi infantibus, eos attingit: nulla autem actio ministri Ecclesiae ad eos potest attingere.

* Qu^a 6.

* Cap. 2, X, *de baptismo et eius effectu*. III, 42.

* Cf. Caietanum, in III, q. LXVIII; art. 11, et Praef. ed. Leon. ibid. p. XVI

* *Ioan.* III, 5.

* L. c. cap. 4.
** L. c. cap. 5.

* Art. 1, qu^a 2.

* Qu^a 1.

* *De Sacram.*, I, part. XII, cap. 2. (P.L.Tom. CLXXVI, 350).

* Qu^a 1.

# CAPITULUM SEXAGESIMUM

## DE CONFIRMATIONE.

PERFECTIO autem spiritualis roboris in hoc proprie consistit, quod homo fidem Christi confiteri audeat coram quibuscumque, nec inde retrahatur propter confusionem aliquam vel terrorem: fortitudo enim inordinatum timorem repellit. Sacramentum igitur quo spirituale robur regenerato confertur, eum quodammodo instituit pro fide Christi propugnatorem. – Et quia pugnantes sub aliquo principe eius insignia deferunt, hi qui confirmationis sacramentum suscipiunt, signo Christi insigniuntur, videlicet signo crucis, quo pugnavit et vicit. – Hoc autem signum in fronte suscipiunt, in signum quod publice fidem Christi confiteri non erubescant.

Haec autem insignitio fit ex confectione olei et balsami, quae chrisma vocatur, non irrationabiliter. Nam per oleum Spiritus Sancti virtus designatur, quo et Christus *unctus** nominatur, ut sic a Christo *Christiani** dicantur, quasi sub ipso militantes. – In balsamo autem, propter odorem, bona fama ostenditur, quam necesse est habere eos qui inter mundanos conversantur, ad fidem Christi publice confitendam, quasi in campum certaminis de secretis Ecclesiae sinibus producti.

Convenienter etiam hoc sacramentum a solis pontificibus confertur, qui sunt quodammodo duces exercitus Christiani: nam et apud saeculares militiam ad ducem exercitus pertinet ad militiam eligendo quosdam adscribere; ut sic qui hoc sacramentum suscipiunt, ad spiritualem militiam quodammodo videantur adscripti. – Unde et eis manus imponitur, ad designandam derivationem virtutis a Christo.

* Cf. Ps. XLIV, 8.
* Cf. *Act.* XI, 26. *Luc.* IV, 18.

2 fidem Christi] fidem Christum BCFY, per fidem Christum ZsY. 3 quibuscunque] quibusdam αWYZ. 6 inordinatum] in ordinato EX. 10 confirmationis sacramentum] confirmationem DEGX, sacramentum configurationis *b*. 11 Christi] igitur EG. 14 erubescant] erubescunt DE; 13 in signum..... 15 insignitio *om* X. 15 Haec] Huiusmodi DEGN*b*.
1 quo et] quomodo et EGX, quo P. 5 eos *om* DEG*Xb*. 7 sinibus] finibus CDHWXYsZP*d*. 9 etiam] autem DEGNX.

## Commentaria Ferrariensis

Cf. cap. praec. Comm. introd.

POSTQUAM determinavit Sanctus Thomas de sacramento baptismi, de sacramento confirmationis determinat*. Et ponit tres conclusiones.

I. Prima est: *Convenienter qui sacramentum suscipiunt confirmationis, signum crucis, quo Christus pugnavit et vicit, in fronte suscipiunt.* Quod convenienter suscipiant tale signum, probatur, quia sacramentum hoc, quo spirituale robur ad confitendum absque timore fidem Christi regenerato confertur, eum quodammodo instituit pro fide Christi propugnatorem; pugnantes autem sub aliquo principe eius insignia deferunt. – Quod vero convenienter *in fronte* suscipiant, probatur quia hoc fit in signum quod publice fidem Christi confiteri non erubescant.

Qua 2.

Advertendum ex doctrina Sancti Thomae *Tertia*, q. LXXII, a. 9; et IV *Sent.*, d. VII, q. III, a. 3*, quod *homo potest impediri a libera confessione nominis Christi et propter timorem, et propter verecundiam. Utriusque autem horum in fronte maxime signum apparet; tum propter propinquitatem imaginationis, ex qua passiones huiusmodi procedunt; tum quia spiritus directe a corde ad frontem ascendunt; unde verecundati rubent, timentes autem pallescunt.* Et ideo, cum sacramentum confirmationis detur ad liberam confessionem nominis Christi, convenienter in fronte unguntur confirmati. Et haec est ratio, quae hic tangitur.

II. Secunda conclusio est: *Rationabiliter fit haec insignitio ex confectione olei et balsami quod chrisma vocatur.* Probatur. Quia per oleum Spiritus Sancti virtus designatur, quo Christus *unctus* nominatur: ut sic a Christo *Christiani* dicantur, quasi sub ipso militantes. In balsamo vero, propter odorem, bona fama ostenditur, quam necesse est habere eos qui inter mundanos conversantur, ad fidem Christi publice confitendam.

Ad 1.
* Qua 1, ad 3.
(P. Gr. III, 471)
Ante § 1; et § 12.

Advertendum, ex doctrina Sancti Thomae *Tertia Parte*, q. suprad., a. 2*; et IV *Sent.* suprad. d., q. I, a. 2**, quod licet Christus usus chrismate non sit in confirmatione, tamen secundum Dionysium, in IV cap. *Eccles. Hier*.*, Apostoli aliquando usi sunt chrismate in exhibitione huius sacramenti, quando non aderat visibile signum descensus Spiritus Sancti super eos quibus per eos impositio manuum facta fuerat. Quando autem aliquod sensibile signum miraculose aderat talis descensus Spiritus Sancti, puta ignis aut aliquid huiusmodi, non utebantur chrismate: quia illa visibilis apparitio supplebat locum elementi visibilis.

III. Tertia conclusio est: *Convenienter hoc sacramentum a solis pontificibus confertur.* Probatur. Quia illi sunt quodammodo duces exercitus Christiani: in saeculari autem militia ad ducem exercitus pertinet quosdam eligendo ad militiam adscribere. – Confirmatur hoc signo: quia eis manus imponitur, ad designandam derivationem virtutis a Christo.

* Qua 3.

Advertendum, ex doctrina Sancti Thomae *Tertia*, q. LXXII, a. 11; et IV *Sent.*, d. VII, q. III, a. 1*, quod hoc quod dicitur sacramentum confirmationis a solis pontificibus conferri, quod est etiam explicatum in Can.* *Manus, de Consecr.*, dist. V; et in Cap. *Quanto, de Consecr.**, intelligendum est *ex officio: nam per impositionem manus Apostolorum, quorum vicem gerunt episcopi, plenitudo Spiritus Sancti dabatur.* Ex commissione vero Papae potest etiam simplex sacerdos hoc sacramentum conferre: eo quod Papa habeat plenitudinem potestatis ministerialis supra corpus Domini mysticum. Nec in tali commissione dicitur proprie Papa mutare ministrum huius sacramenti a Christo institutum: quia licet alicui committat ut confirmet ipsius Papae auctoritate, nulli tamen simplici sacerdoti committit ut hoc ex propria auctoritate et officio faciat.

* Can. 4. D. V.
* Hic non invenitur. Probabiliter Ferr. intendit: cap. 4. *Quanto*. X. *de Consuetud.* I, 4.

IV. Sed tunc occurrit dubium. Cum enim ad integritatem sacramenti requiratur convenientia ministri, ut est de mente Sancti Thomae *Quarto*, d. VII, q. III, a. 1, qua 1, ad 1, quaeritur quis sit minister necessarius in sacramento confirmationis? Si episcopus: ergo non poterit Papa alteri quam episcopo confirmationis collationem committere: quia papa non potest tollere id quod ad sacramenti integritatem pertinet. Si simplex sacerdos: ergo hic male dicitur quod a solis pontificibus confertur.

Respondetur quod dupliciter possumus loqui de ministro necessario: scilicet aut cui soli potest convenire absolute ut sacramentum ministret; aut cui soli convenit ordinarie et ex officio.

Si primo modo loquamur, sic sacerdos, absolute loquendo, est necessarius minister confirmationis, ut declarat Sanctus Thomas quaest. et art. praeallegatis: a solo enim sacerdote conferri potest, sive ex officio sive ex commissione superioris conferatur. Ratio autem in IV *Sent.*,* est, *quia omnis operatio sacramentalis in corpus Christi mysticum, per quam gratia datur, dependet ab operatione sacramentali super corpus Domini verum, cum gratia sacramentalis descendat in corpus mysticum a capite.* Et ideo, cum inferior sacerdote non habeat perficere corpus Domini verum, ei operatio sacramentalis committi non potest. Et sic patet, quod argumentum non procedit: quia dicimus quod neque sacerdos simplex, neque sacerdos episcopus est necessarius minister huius sacramenti, sed sacerdos absolute et indistincte.

* l. c. qua 3.

Si vero loquamur secundo modo, sic solus episcopus est minister necessarius. Unde, cum infertur: *Ergo Papa non poterit collationem alteri quam episcopo committere,* negatur consequentia. – Cum autem probatur quia Papa non potest tollere id quod ad sacramenti pertinet integritatem: – dicitur quod hoc utique verum est loquendo de pertinentibus ad integritatem sacramenti ex institutione Christi. Sed tunc negatur quod episcopus sit de integritate huius sacramenti: licet enim sit minister necessarius, cui hoc sacramentum conferre convenit ex officio, non est tamen absolute necessarius, ut patuit; cum alteri etiam possit ex commissione convenire. Et sic non pertinet ad absolutam integritatem sacramenti, sed tantum ad integritatem sacramenti ordinarie collati. Unde et Gregorius quandoque permisit ut presbiteri confirmarent: ut patet in Can.* *Pervenit,* dist. XCV. Hoc etiam tenet glossa in Can. *Manus, de Consecr.*, dist. V.

* C. 1. *Pervenit quoque.*

V. Utrum autem Papa possit aliquid circa sacramenta statuere tanquam necessarium sacramento, ita quod absque illo non conferatur verum sacramentum: – videtur, secundum doctrinam Sancti Thomae, dicendum quod non, loquendo de eo quod est tantum sacramentum. Nam *Tertia*, q. LXIV, a. 2, postquam determinavit omnia sacramenta a solo Deo instituta esse, in responsione ad 1, dicit quod *illa quae aguntur in sacramentis instituta per homines, non sunt de necessitate sacramenti, sed ad quandam pertinent solemnitatem.* Nec valet glossare ut glossat Capreolus, in *Quarto*, d. VII*, quod intelligit de institutis per homines inferiores Papa, non autem de institutis per Papam: quia subiungit in illa responsione *quod ea quae sunt de necessitate sacramenti, sunt instituta ab ipso Christo, qui est Deus et homo, et quod illa tradita sunt Ecclesiae ex familiari Apostolorum traditione:* ex quibus verbis videtur excludere omnes homines ab institutione eorum quae sunt de necessitate sacramentorum.

* Qu. II, art. 3, *Sed tunc restat dubium* (p. 140).

Nec obstat quod ipse tenet, in *Quarto*, d. XL*, gradus consanguinitatis impedientes matrimonium posse taxari ab Ecclesia usque ad quartum gradum, ita quod de necessitate sacramenti est ut contrahentes in nullo illorum graduum sibi attineant: – quia, ut ipsemet ibidem dicit, q. I, a. 4, ad 2, *matrimonium non est tantum sacramentum, sed etiam in officium naturae. Sicut autem contractus et officia humana determinantur legibus humanis, ita contractus et officia spiritualia lege Ecclesiae.* Ex quibus verbis patet quod Papa non determinat gradus consanguinitatis matrimonium impedientes inquantum matrimonium est sacramentum, sed inquantum est quidam contractus, et est in officium naturae.

* Qu 1, a. 4.

2. Ex praedictis patet argumenta Durandi, apud Capreolum, loco praeallegato*, procedentia ex hoc quod Papa

* Art. 2, arg. 1 (p. 135).

non potest ministrum sacramenti mutare, non procedere contra nos. Quia non dicimus, dum Papa committit simplici sacerdoti collationem sacramenti confirmationis, quod mutet ministrum necessarium simpliciter et absolute ad hoc sacramentum, cum talis minister sit indistincte *sacerdos*, et hic non fiat mutatione de sacerdote in non sacerdotem: sed quod collationem huius sacramenti convenientem uni, scilicet episcopo, ordinarie et ex officio, alteri imponit extraordinarie, cui non competit ex officio, habenti tamen quod est de necessitate sacramenti simpliciter.

ADVERTENDUM quod hoc sacramentum non est simpliciter necessarium, sed ad bene esse. Veruntamen *contemptus esset periculosus*, ut dicit Sanctus Thomas in *Quarto**.

* D. VII, q. 1, a. 1, qua 2.

# CAPITULUM SEXAGESIMUM PRIMUM

## DE EUCHARISTIA.

SICUT autem corporalis vita materiali alimento indiget, non solum ad quantitatis augmentum, sed etiam ad naturam corporis sustentandam, ne propter resolutiones continuas dissolvatur et eius virtus depereat; ita necessarium fuit in spirituali vita spirituale alimentum habere, quo regenerati et in virtutibus conserventur, et crescant.

Et quia spirituales effectus sub similitudine visibilium congruum fuit nobis tradi, ut dictum est*, huiusmodi spirituale alimentum nobis traditur sub speciebus illarum rerum quibus homines communius ad corporale alimentum utuntur. Huiusmodi autem sunt panis et vinum. Et ideo sub speciebus panis et vini hoc traditur sacramentum.

* Cap. LVI.

Sed considerandum est quod aliter generans generato coniungitur et aliter nutrimentum nutrito in corporalibus rebus. Generans enim non oportet secundum substantiam generato coniungi, sed solum secundum similitudinem et virtutem: sed alimentum oportet nutrito secundum substantiam coniungi. Unde, ut corporalibus signis spirituales effectus respondeant, mysterium Verbi incarnati aliter nobis coniungitur in baptismo, qui est spiritualis regeneratio; atque aliter in hoc Eucharistiae sacramento, quod est spirituale alimentum. In baptismo enim continetur Verbum incarnatum solum secundum virtutem: sed in Eucharistiae sacramento confitemur ipsum secundum substantiam contineri.

Et quia complementum nostrae salutis factum est per passionem Christi et mortem, per quam eius sanguis a carne separatus est, separatim nobis traditur sacramentum corporis eius sub specie panis, et sanguinis sub specie vini; ut sic in hoc sacramento passionis Dominicae memoria et repraesentatio habeatur. Et secundum hoc impletur quod Dominus dixit, *Ioann.* VI[56]: *Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus.*

1 autem *om* DEGX. 10 visibilium] fiunt *addunt* P*d*; 2 nobis traditur *om* P. 16 sanguinis] sanguis CDENXY*b*P*c*.

### Commentaria Ferrariensis

POSTQUAM determinavit Sanctus Thomas de sacramento Confirmationis, incipit de sacramento Eucharistiae determinare*. Circa hoc autem duo facit: primo, ostendit quae sit huius sacramenti necessitas, et quae sit eius materia; secundo, qualis ista materia esse debeat, cap. LXIX.

* Cf. cap. LIX, Comm. introd.

Circa primum, duo facit: primo, determinat veritatem circa hoc sacramentum; secundo, respondet obiectionibus quae in contrarium adducuntur, capite sequenti.

Quantum ad primum, ponit quatuor conclusiones.

Prima est: *Necessarium fuit in spirituali vita spirituale alimentum habere, quo regenerati in virtutibus conserventur et crescant.* – Probatur. Quia et corporalis vita materiali indiget alimento, non solum ad quantitatis augmentum, sed etiam ad naturam corporis sustentandam, ne propter resolutiones continuas dissolvatur et eius virtus depereat.

Secunda conclusio est: *Convenienter sacramentum hoc sub speciebus panis et vini traditur.* – Probatur. Quia convenienter huiusmodi spirituale alimentum nobis traditur sub speciebus illarum rerum quibus homines communius ad corporale alimentum utuntur: cum spirituales effectus sub similitudine visibilium congruenter nobis tradantur. Huiusmodi autem sunt panis et vinum.

Tertia conclusio est: *In Eucharistiae sacramento ipsum Verbum incarnatum secundum substantiam continetur.* – Probatur. Quia alimentum spirituale oportet nobis secundum substantiam coniungi: sicut in baptismo coniungitur tantum per virtutem. Declaratur hoc ex differenti coniunctione generantis ad genitum, et nutrimenti ad nutritum: quia videlicet generans non oportet secundum substantiam, scilicet completam, generato coniungi, sed tantum secundum similitudinem et virtutem: alimentum vero oportet secundum substantiam coniungi.

Quarta conclusio est: *Convenienter separatim nobis traditur sacramentum corporis Christi sub specie panis, et sanguis* sub specie vini.* – Probatur. Tum quia habetur memoria et repraesentatio passionis Dominicae, per quam eius sanguis a carne separatus est. – Tum quia sic impletur quod Dominus dixit, *Ioan.* VI, *Caro mea* etc.

* Cf. text. et var.

ADVERTENDUM est quod huius sacramenti susceptio non est absolute de necessitate salutis, sed est tantum de Ecclesiae institutione ut semel in anno sumatur.

# CAPITULUM SEXAGESIMUM SECUNDUM

## DE ERRORE INFIDELIUM CIRCA SACRAMENTUM EUCHARISTIAE.

Sicut autem, Christo proferente haec verba, quidam discipulorum turbati sunt, dicentes, *Durus est hic sermo. Quis potest eum audire?**, ita et contra doctrinam Ecclesiae insurrexerunt haeretici* veritatem huius negantes. Dicunt enim in hoc sacramento non realiter esse corpus et sanguinem Christi, sed significative tantum: ut sic intelligatur quod Christus dixit, demonstrato pane, *Hoc est corpus meum**, ac si diceret, *Hoc est signum, vel figura corporis mei;* secundum quem modum et Apostolus dixit, I *Cor.* x[4], *Petra autem erat Christus,* idest, *Christi figura;* et ad hunc intellectum referunt quicquid in scripturis invenitur similiter dici.

Huius autem opinionis occasionem assumunt ex verbis Domini, qui de sui corporis comestione et sanguinis potatione, ut scandalum discipulorum quod obortum fuerat sopiretur, quasi seipsum exponens, dixit*: *Verba quae ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt:* quasi ea quae dixerat, non ad litteram, sed secundum spiritualem sensum intelligenda essent.

Inducuntur etiam ad dissentiendum ex multis difficultatibus quae ad hanc Ecclesiae doctrinam sequi videntur, propter quas hic sermo Christi et Ecclesiae durus eis apparet.

Et *primo** quidem, difficile videtur quomodo verum corpus Christi in altari esse incipiat. Aliquid enim incipit esse ubi prius non fuit, dupliciter: vel per motum localem, vel per conversionem alterius in ipsum; ut patet in igne, qui alicubi esse incipit vel quia ibi de novo accenditur, vel quia illuc de novo apportatur. Manifestum est autem verum corpus Christi non semper in hoc altari fuisse: confitetur enim Ecclesia Christum in suo corpore ascendisse in caelum.

Videtur autem impossibile dici quod aliquid hic de novo convertatur in corpus Christi. Nihil enim videtur converti in praeexistens: cum id in quod aliquid convertitur, per huiusmodi conversionem esse incipiat. Manifestum est autem corpus Christi praeextitisse, utpote in utero virginali conceptum. Non igitur videtur esse possibile quod in altari de novo esse incipiat per conversionem alterius in ipsum.

Similiter autem, nec per loci mutationem. Quia omne quod localiter movetur, sic incipit esse in uno loco quod desinit esse in alio, in quo prius fuit. Oportebit igitur dicere quod, cum Christus incipit esse in hoc altari, in quo hoc sacramentum peragitur, desinat esse in caelo, quo ascendendo pervenerat. – Amplius. Nullus motus localis terminatur simul ad duo loca. Manifestum est autem hoc sacramentum simul in diversis altaribus celebrari. Non est ergo possibile, quod per motum localem corpus Christi, ibi esse incipiat.

*Secunda** difficultas ex loco accidit. Non enim semotim partes alicuius in diversis locis continentur, ipso integro permanente. Manifestum est autem in hoc sacramento seorsum esse panem et vinum in locis separatis. Si igitur carò Christi sit sub specie panis, et sanguis sub specie vini, videtur sequi quod Christus non remaneat integer, sed semper cum hoc sacramentum agitur, eius sanguis a corpore separetur.

Adhuc. Impossibile videtur quod maius corpus in loco minoris includatur. Manifestum est autem verum corpus Christi esse maioris quantitatis quam panis qui in altari offertur. Impossibile igitur videtur quod verum corpus Christi totum et integrum sit ubi videtur esse panis. Si autem ibi est non totum, sed aliqua pars eius, redibit primum inconveniens, quod semper dum hoc sacramentum agitur, corpus Christi per partes discerpatur.

Amplius. Impossibile est unum corpus in pluribus locis existere. Manifestum est autem hoc sacramentum in pluribus locis celebrari. Impossibile igitur videtur quod corpus Christi in hoc sacramento veraciter contineatur. – Nisi forte quis dicat quod secundum aliquam particulam est hic, et secundum aliam alibi. Ad quod iterum sequitur quod per celebrationem huius sacramenti corpus Christi dividatur in partes: cum tamen nec quantitas corporis Christi sufficere videatur ad tot particulas ex eo dividendas, in quot locis hoc sacramentum peragitur.

*Tertia** difficultas est ex his quae in hoc sacramento sensu percipimus. Sentimus enim manifeste, etiam post consecrationem, in hoc sacramento omnia accidentia panis et vini, scilicet colorem, saporem, odorem, figuram, quantitatem et pondus: circa quae decipi non possumus, quia *sensus circa propria sensibilia non decipitur**.

Huiusmodi autem accidentia in corpore Christi esse non possunt sicut in subiecto; similiter etiam nec in aere adiacenti: quia, cum plurima eorum sint accidentia naturalia, requirunt subiectum determinatae naturae, non qualis est natura corporis humani vel aeris.

Nec possunt per se subsistere: cum *accidentis esse sit inesse**.

Accidentia etiam, cum sint formae, individuari non possunt nisi per subiectum. Unde remoto sub-

*L. c. vers. 61.
*Beringarius, Cf. III, qu. LXXV, a. 1, fin.
*Matth. XXVI, 26. *Marc.* 14, 22; *Luc.* XXII, 19; I *Cor.* XI, 24.
*Ioan. VI, 64.
*Solvitur cap. seq.
*Solvitur cap. LXIV.
*Solvitur cap. LXV.
*De Anima* III cap. VI s. Thom. lect. XI, et *De Sensu et Sensato*, cap. IV; s. Th. I, XI, Cf. I[a], LXXXV, 6.
*Metaph. IV, VII; (s. Th. V, l. IX). Etiam VI, 1 (s. Th. VII, l. I). — Cf. *IV Sent.* d. XII, q. 1, a. 1, qu[a] 1, ad 1.

7 realiter] totaliter EG. 13 Christi *om* DEG. 16 assumunt *om* DEG; occasionem..... 18 potatione *om* X. 17 qui *om* DEG*b*. 19 obortum *Ita* X; ortum ZP*c*, abortum *ceteri*. 20 ego *om* DEGNX*b*. 29 verum *post* corpus N, post Christi G*b*. 30 esse *ante* incipit DEGNX, *om b*. 31 per *alt. loco om* BCEFGNX. 52 quo] in quo αWYZ*b*.
12 remaneat] remanet EGNX*b*. 14 separetur] separatur EGNX*b*. 21 ibi est *post* non totum EGNX*b*. 22 dum] cum P*c*. 24 discerpatur] discrepatur E*b*, dividatur D. 39 etiam] et BDFHWP*c*, *om* EXsG, *rasa* pG. 50 Nec] Nec etiam EGNX, Nec tamen etiam *b*. 52 etiam] autem EGNXP*c*.

iecto, essent formae universales. Relinquitur igitur huiusmodi accidentia esse in suis determinatis subiectis, scilicet in substantia panis et vini. Est igitur ibi substantia panis et vini, et non substantia corporis Christi: cum impossibile videatur duo corpora esse simul.

*Quarta** difficultas accidit ex passionibus et actionibus quae apparent in pane et vino post consecrationem sicut et ante. Nam vinum, si in magna quantitate sumeretur, calefaceret, et inebriaret: panis autem et confortaret et nutriret. Videntur etiam, si diu et incaute serventur, putrescere; et a muribus comedi; comburi etiam possunt, et in cinerem redigi et vaporem; quae omnia corpori Christi convenire non possunt; cum fides ipsum impassibilem praedicet. Impossibile igitur videtur quod corpus Christi in hoc sacramento substantialiter contineatur.

*Quinta** difficultas videtur specialiter accidere ex fractione panis: quae quidem sensibiliter apparet, nec sine subiecto esse potest. Absurdum etiam videtur dicere quod illius fractionis subiectum sit corpus Christi. Non igitur videtur ibi esse corpus Christi, sed solum substantia panis et vini.

Haec igitur et huiusmodi sunt propter quae doctrina Christi et Ecclesiae circa hoc sacramentum dura esse videtur.

*Solvitur cap. LXVI.

*Solvitur cap. LXVII.

a 12 incaute] et incaute EGNYsZP. putrescere] putrefieri ZPc. 13 muribus] vermibus XZ.

### Commentaria Ferrariensis

*Cf. cap. praec. Comm. introd.

POSITA veritate sacramenti Eucharistiae, vult Sanctus Thomas obiectiones haereticorum solvere*. Et primo, ponit ipsas obiectiones; secundo, illis respondet, capite sequenti.

Quantum ad primum, dicit primo, quod, sicut Christo proferente praedicta verba quidam discipulorum turbati sunt dicentes, *Durus est hic sermo,* etc: ita et contra Ecclesiae doctrinam insurrexerunt haeretici, dicentes in hoc sacramento non esse realiter corpus et sanguinem Christi, sed significative tantum. Unde cum Christus dixit, demonstrato pane, *Hoc est corpus meum,* sensus est, *Hoc est signum et figura corporis mei:* secundum quem modum etiam Apostolus I *Cor.* x, dixit, *Petra autem erat Christus.* Et sic de aliis auctoritatibus dicunt.

Dicit secundo, quod huiusmodi opinionis occasionem sumunt ex verbis Domini, qui de hac re loquens, ut scandalum discipulorum quod ortum fuerat sopiretur, quasi seipsum exponens, ait: *Verba quae ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt.*

Dicit tertio, quod inducuntur etiam ad dissentiendum ex multis difficultatibus quae ad hanc Ecclesiae doctrinam sequi videtur.

II. *Prima* est quomodo corpus Christi in altari esse incipiat: cum manifestum sit ipsum non semper in hoc altari fuisse. Non enim hoc videtur fieri posse per conversionem alicuius in corpus Christi: cum nihil in praeexistens convertatur, eo quod id in quod aliquid convertitur, per huiusmodi conversionem esse incipiat. Manifestum est autem corpus Christi praeextitisse. – Similiter nec per mutationem loci. Tum quia oporteret dicere quod, cum Christus incipit esse in hoc altari, desinit esse in caelo. – Tum quia nullus motus localis terminatur simul ad duo loca. Manifestum est autem hoc sacramentum simul in diversis altaribus celebrari.

*Secunda est* ex loco. Tum quia videtur, cum in hoc sacramento seorsum sint panis et vinum in locis separatis, quod Christus non remaneat integer: quia partes alicuius semoti in diversis locis non continentur, ipso integro permanente. Tum quia videtur impossibile quod verum corpus Christi totum et integrum sit ubi videtur esse panis: cum impossibile sit ut maius corpus in loco minoris includatur. Tum quia hoc sacramentum in pluribus locis celebrari contingit: impossibile est autem unum corpus in pluribus locis existere.

*Tertia difficultas est* ex iis quae in hoc sacramento sensu percipimus. Omnia enim accidentia panis et vini sentimus. Huiusmodi autem neque in corpore Christi esse possunt sicut in subiecto, nec in aere: quia, cum plurima eorum sint naturalia, requirunt subiectum determinatae naturae. – Neque possunt per se existere: cum accidentis esse sit inesse; et accidentia individuari non possint nisi per subiectum. – Ex quo relinquitur quod sint in substantia panis et vini, Et consequenter quod ibi non sit substantia corporis Christi: cum impossibile videatur duo corpore esse simul.

*Quarta est* ex passionibus et actionibus quae apparent in pane et vino post consecrationem sicut ante. Quia si vinum in magna quantitate sumeretur, inebriaret; et panis confortaret et nutriret. Videntur etiam putrefieri*, etc. Quae corpori Christi convenire non possunt.

*Quinta difficultas est* ex fractione panis. Quae quidem neque sine subiecto esse potest: neque corpus Christi eius subiectum esse potest.

*Cf. text. et var.

# CAPITULUM SEXAGESIMUM TERTIUM

## SOLUTIO PRAEMISSARUM DIFFICULTATUM, ET PRIMO QUOAD CONVERSIONEM PANIS IN CORPUS CHRISTI.

LICET autem divina virtus sublimius et secretius in hoc sacramento operetur quam ab homine perquiri possit, ne tamen doctrina Ecclesiae circa hoc sacramentum infidelibus impossibilis videatur, conandum est ad hoc quod omnis impossibilitas excludatur.

Prima igitur occurrit consideratio, per quem modum verum Christi corpus esse sub hoc sacramento incipiat*.

Impossibile autem est quod hoc fiat per motum localem corporis Christi. Tum quia sequeretur quod in caelo esse desineret quandocumque hoc agitur sacramentum. – Tum quia non posset simul hoc sacramentum agi, nisi in uno loco: cum unus motus localis non nisi ad unum terminum

*Cf. Cap. praec. *Et primo.*

finiatur. – Tum etiam quia motus localis instantaneus esse non potest, sed tempore indiget. Consecratio autem perficitur in ultimo instanti prolationis verborum.

Relinquitur igitur dicendum quod verum corpus Christi esse incipiat in hoc sacramento per hoc quod substantia panis convertitur in substantiam corporis Christi, et substantia vini in substantiam sanguinis eius.

Ex hoc autem apparet falsam esse opinionem, tam eorum qui dicunt substantiam panis simul cum substantia corporis Christi in hoc sacramento existere*; quam etiam eorum qui ponunt substantiam panis in nihilum redigi, vel in primam materiam resolvi*. Ad utrumque enim sequitur quod corpus Christi in hoc sacramento esse incipere non possit nisi per motum localem: quod est impossibile, ut ostensum est. – Praeterea, si substantia panis simul est in hoc sacramento cum vero corpore Christi, potius Christo dicendum fuit, *Hic est corpus meum*, quam, *Hoc est corpus meum:* cum per *hic* demonstretur substantia quae videtur, quae quidem est substantia panis, si in sacramento cum corpore Christi remaneat. – Similiter etiam impossibile videtur quod substantia panis omnino in nihilum redeat. Multum enim de natura corporea primo creata iam in nihilum rediisset ex frequentatione huius mysterii. Nec est decens ut in sacramento salutis divina virtute aliquid in nihilum redigatur. – Neque etiam in materiam primam substantiam panis est possibile resolvi: cum materia prima sine forma esse non possit. Nisi forte per *materiam primam* prima elementa corporea intelligantur. In quae quidem si substantia panis resolveretur, necesse esset hoc ipsum percipi sensu: cum elementa corporea sensibilia sint. Esset etiam ibi localis transmutatio et corporalis alteratio contrariorum, quae instantanea esse non possunt.

Sciendum tamen est quod praedicta conversio panis in corpus Christi alterius modi est ab omnibus conversionibus naturalibus. Nam in qualibet conversione naturali manet subiectum, in quo succedunt sibi diversae formae, vel accidentales, sicut cum album in nigrum convertitur, vel substantiales, sicut cum aer in ignem: unde *conversiones formales* nominantur. Sed in conversione praedicta subiectum transit in subiectum, et accidentia manent: unde haec conversio *substantialis* nominatur. – Et quidem qualiter haec accidentia maneant et quare, posterius* perscrutandum est.

Nunc autem considerare oportet quomodo subiectum in subiectum convertatur. Quod quidem natura facere non potest. Omnis enim naturae operatio materiam praesupponit, per quam substantia individuatur: unde natura facere non potest quod haec substantia fiat illa, sicut quod hic digitus fiat ille digitus. Sed materia subiecta est virtuti divinae: cum per ipsam producatur in esse. Unde divina virtute fieri potest quod haec individua substantia in illam praeexistentem convertatur*. Sicut enim virtute naturalis agentis, cuius operatio se extendit tantum ad immutationem formae, et existentia subiecti supposita, hoc totum in illud totum convertitur secundum variationem speciei et formae, utpote hic aer in hunc ignem generatum: ita virtute divina, quae materiam non praesupponit, sed eam producit, et haec materia convertitur in illam, et per consequens hoc individuum in illud: individuationis enim principium materia est, sicut forma est principium speciei.

Hinc autem manifestum est quod in conversione praedicta panis in corpus Christi non est aliquod subiectum commune permanens post conversionem: cum transmutatio fiat secundum primum subiectum, quod est individuationis principium. Necesse est tamen aliquid remanere, ut verum sit quod dicitur, *Hoc est corpus meum*, quae quidem verba sunt huius conversionis significativa et factiva. Et quia substantia panis non manet, nec aliqua prior materia, ut ostensum est: necesse est dicere quod maneat id quod est praeter substantiam panis. Huiusmodi autem est accidens panis. Remanent igitur accidentia panis, etiam post conversionem praedictam.

Inter accidentia vero quidam ordo considerandus est. Nam inter omnia accidentia propinquius inhaeret substantiae quantitas dimensiva. Deinde qualitates in substantia recipiuntur quantitate mediante, sicut color mediante superficie: unde et per divisionem quantitatis, per accidens dividuntur. Ulterius autem qualitates sunt actionum et passionum principia; et relationum quarundam, ut sunt pater et filius, dominus et servus, et alia huiusmodi. Quaedam vero relationes immediate ad quantitates consequuntur: ut maius et minus, duplum et dimidum, et similia. Sic igitur accidentia panis, post conversionem praedictam, remanere ponendum est ut sola quantitas dimensiva sine subiecto subsistat, et in ipsa qualitates fundentur sicut in subiecto, et per consequens actiones, passiones et relationes. Accidit igitur in hac conversione contrarium ei quod in naturalibus mutationibus accidere solet, in quibus substantia manet ut mutationis subiectum, accidentia vero variantur: hic autem e converso accidens manet, et substantia transit.

Huiusmodi autem conversio non potest proprie dici *motus*, sicut a Naturali consideratur, ut subiectum requirat: sed est quaedam *substantialis*

* Cf. III^a, LXXV, 2, Edit. Leon. et auctores ib. citatos.
* Cf. III^a l. c. a. 3.
* Cap. LXV.
* Cf. cap. praec. *Videtur autem.*

19 simul *om* EGX. 20 Christo *om* EGNXZ*b*. 22 per hic *Ita* Pc; per hoc *ceteri*. 25 etiam *post* videtur *b*, esse *post* videtur P. 28 rediisset *Ita* P; redegisset DWX, redigisset *ceteri*. 31 materiam *post* primam EXPc. 51 maneant] monent EGWX. 56 substantia *Ita* DG*bcd*; ex substantia BEFHNWZ, haec substantia X, et substantia YsE, ex materia C, subiecta (individuantur) P.
3 fiat ille digitus *hom om* GX, fiat ille E, ille fiat W. 9 et *om* CDEGXZ. 14 et haec] et cum haec αYZ, cum haec W, haec P. 23 aliquid remanere *Ita* sEP; idem immanere BFHW, id remanere EGX*bcd*, aliquid ibi manere CYZ, aliud remanere N, id ma (*fol. seq.*:) remanere D, 27 ut ostensum est *post* necesse est DEGNX. 37 divisionem] dimensionem DEGNX. per accidens *om c*, per accidens alia accidentia P*d*. 38 dividuntur] dividitur EWY. 40 dominus et] et dominus Y, et dominus et Pc. 42 consequuntur] sequuntur Pc. 54 autem] enim EFHNWX*b*Pc. 56 requirat *Ita* DNX*b*; inquirat EG, requirit αWYZPc. substantialis] substantia et αY, substantiarum Z.

*successio,* sicut in creatione est successio esse et non esse, ut in Secundo* dictum est.

* Cap. XVIII. *Videtur tamen,* et Cap. XIX.

Haec igitur est una ratio quare accidens panis remanere oportet: ut inveniatur aliquod manens in conversione praedicta.

Est autem et propter aliud necessarium. Si enim substantia panis in corpus Christi converteretur et panis accidentia transirent, ex tali conversione non sequeretur quod corpus Christi, secundum suam substantiam, esset ubi prius fuit panis: nulla enim relinqueretur habitudo corporis Christi ad locum praedictum. Sed cum quantitas dimensiva panis remanet post conversionem, per quam panis hunc locum sortiebatur, substantia panis in corpus Christi mutata fit corpus Christi sub quantitate dimensiva panis; et per consequens locum panis quodammodo sortitur, mediantibus tamen dimensionibus panis.

Possunt et aliae rationes assignari. Et quantum ad fidei rationem, quae de invisibilibus est. – Et eius meritum quod circa hoc sacramentum tanto maius est quanto invisibilius agitur, corpore Christi sub panis accidentibus occultato. – Et propter commodiorem et honestiorem usum huius sacramenti. Esset enim horrori sumentibus, et abominationi videntibus, si corpus Christi in sua specie a fidelibus sumeretur. Unde sub specie panis et vini, quibus communius homines utuntur ad esum et potum, corpus Christi proponitur manducandum, et sanguis potandus.

---

1 creatione] incarnatione EG. 4 aliquod] aliquid CDEGXZ*b*. 6 propter] propter hoc G, praeter hoc P. Si enim..,.. 8 et panis] si enim..... panis E*b*, si enim cum..... panis X; *lac* G. 12 locum *post* praedictum DEX.
5 fidei rationem] fidei BCF, fidem HWYZsF. 7 invisibilius] invisibilibus ZpNYP. 10 huius] usus *d, om* P. 14 proponitur..... cap. 69, p. 219 a 9 fermentatum *lacuna in* N *ob folium recisum.* 15 sanguis] eius *addunt* DEGX.

## Commentaria Ferrariensis

ENUMERATIS difficultatibus contra veritatem sacramenti Eucharistiae, accedit Sanctus Thomas ad earum dissolutionem*, eo ordine quo sunt propositae, praemittens quod, licet divina virtus sublimius et secretius in hoc sacramento operetur quam ab homine perquiri possit, ne tamen circa hoc Ecclesiae doctrina infidelibus impossibilis videatur, conandum est ad hoc, quod omnis impossibilitas excludatur. Ex quibus verbis dat intelligere Sanctus Thomas maximas esse difficultates quae circa hoc sacramentum emergunt; et quod non oportet laborare ad eius manifestam intelligentiam; sed conandum est ad intelligendum quomodo nulla in ipso impossibilitas inveniatur.

* Cap. LXIII-LXVIII.

I. Ad primam itaque difficultatem, *dicit primo**, quod utique impossibile est ut corpus Christi incipiat esse sub hoc sacramento per motum localem. Tum quia in caelo desineret esse quandocumque agitur sacramentum. – Tum quia non posset hoc sacramentum agi simul nisi in uno loco. – Tum quia motus localis instantaneus esse non potest: consecratio autem perficitur in ultimo instanti prolationis verborum.

* *Impossibile autem.*

*Dicit secundo**, quod hoc fit per conversionem substantiae panis in substantiam corporis Christi; et substantiae vini in substantiam sanguinis eius.

* *Relinquitur igitur.*

*Dicit tertio**, quod ex hoc apparet falsam esse opinionem tam dicentium substantiam panis simul cum substantia corporis Christi in hoc sacramento existere; quam ponentium illam in nihilum redigi, vel in primam materiam resolvi. – Tum quia ad utrumque sequitur quod corpus Christi in hoc sacramento incipere esse non possit nisi per motum localem. – Tum quia, secundum primam opinionem, Christo potius dicendum fuit, *Hic est corpus meum,* quam, *Hoc est corpus meum:* quia demonstraretur substantia panis, quae videtur. – Tum quia, secundum opinionem secundam, multum de materia primo creata iam in nihilum rediisset ex frequentatione huius mysteri. Quod non decet fieri in sacramento salutis. – Tum quia, secundum tertiam opinionem, oportet aut materiam primam esse sine forma, si intelligeretur fieri resolutio in ipsam: aut, si intelligeretur fieri in prima elementa corporea, necesse esset hanc resolutionem percipi sensu; et etiam ibi esse localem transmutationem, et corporalem alterationem contrariorum, quae instantanea esse non possunt.

* *Ex hoc autem.*

* *Sciendum tamen.*

*Dicit quarto**, quod ista conversio est alterius modi ab omnibus conversionibus naturalibus. Quia in qualibet alia manet subiectum, in quo succedunt sibi diversae formae, vel accidentales vel substantiales: unde conversiones *formales* nominantur. In hac autem subiectum transit in subiectum, et accidentia manent. Unde *substantialis* conversio nominatur.

*Dicit quinto**, quod natura quidem facere non potest quod haec substantia fiat illa, ut hic digitus fiat ille digitus: cum operatio naturae materiam praesupponat, per quam substantia individuatur. Sed bene hoc divina virtute fieri potest: cum materia illi subiiciatur, eo quod per ipsam producatur in esse. – Declaratur. Quia sicut virtute naturalis agentis, cuius operatio se extendit tantum ad immutationem formae, supposita subiecti existentia, hoc totum in illud totum convertitur secundum variationem formae, ut hic aer in hunc ignem generatum: ita virtute divina, quae materiam non praesupponit, sed eam producit, haec materia convertitur in illam; et consequenter hoc individuum in illud, cum principium individuationis sit materia.

* *Nunc autem.*

*Dicit sexto**, quod, cum in hac conversione non sit aliquod subiectum commune permanens post conversionem, et tamen necesse sit aliquid remanere, ut verum sit quod dicitur, *Hoc est corpus meum,* quae sunt verba huius conversionis significativa et factiva: necesse est dicere quod accidentia panis remaneant.

* *Hinc autem.*

*Dicit septimo**, quod, cum inter omnia accidentia propinquius inhaereat substantiae quantitas; deinde qualitates sint in substantia mediante quantitate; deinde actiones, passiones et relationes quaedam: sic accidentia panis post conversionem remanere ponendum est, ut sola quantitas dimensiva sine subiecto subsistat; in ipsa vero qualitates fundentur sicut in subiecto; et per consequens actiones, passiones et relationes.

* *Inter accidentia.*

*Dicit octavo**, quod haec conversio non proprie potest dici *motus,* sicut a Naturali consideratur, ut subiectum requirit*: sed est quaedam *substantialis successio,* sicut in creatione est successio esse et non esse.

* *Huiusmodi.*

* Cf. text. et var.

*Dicit nono**, quod ex praedictis habetur una ratio quare accidentia panis remanere oportet: scilicet, ut inveniatur aliquid manens in conversione praedicta.

* *Haec igitur.*

*Dicit decimo**, quod huius aliae etiam rationes sunt. Una est, quia alias non sequeretur corpus Christi secundum substantiam esse ubi prius fuit panis: quia nulla relinqueretur habitudo corporis Christi ad locum praedictum. Sed, manente panis quantitate dimensiva, fit corpus Christi sub quantitate dimensiva panis, et per consequens locum panis quodammodo sortitur, mediantibus tamen dimensionibus panis.

* *Est autem.*

Alia est, quia meritum fidei, quae de invisibilibus est, tanto maius est circa hoc sacramentum, quanto invisibilius agitur, corpore Christi sub accidentibus panis occultato.

Tertia est, quia sic est commodior et honestior usus

sacramenti: dum scilicet sub specie panis et vini, quibus homines communius utuntur ad esum et potum, corpus Christi proponitur manducandum et sanguis potandus.

II. *Ad evidentiam primi dicti*, considerandum est quod non dicimus corpus Christi sic incipere esse sub sacramento, sive sub speciebus panis, quasi incipiat localiter, proprie et circumscriptive a dictis accidentibus contineri, sicut locatum continetur a loco, non enim ad corpus Christi comparantur proprie sicut locus ad locatum: sed quia incipit esse sub illis sicut substantia sub accidentibus continetur; non quidem sibi inhaerentibus, sed separatis, prius autem inhaerentibus substantiae cui haec substantia succedit. Unde respectus corporis Christi ad huiusmodi accidentia sub quibus continetur non potest proprie quidem dici respectus de genere *ubi*, qui est locati ad locum; habet tamen, ut dicitur *Quarto*, d. x, q. 1, a. 3, qu[a] 1, ad 1, aliquam eius similitudinem, *inquantum esse in loco est esse in aliquo separato extra substantiam suam, quod non est causa eius.*

Habet etiam et similitudinem respectus de genere *habitus*: inquantum illae species dicuntur a sanctis *quasi cooperimentum* corporis Christi.

*Ct. num. VII.

III. *Ad evidentiam secundi dicti**, considerandum est primo, quod convenienter ex eo quod corpus Christi non incipit esse sub sacramento per motum localem, infert Sanctus Thomas oportere hoc esse per conversionem substantiae panis in ipsum. Quia duobus tantum modis possumus intelligere corpus Christi esse simul cum dimensionibus panis: aut scilicet manente substantia panis illis dimensionibus coniuncta, ita quod corpus Christi simul diceretur esse cum substantia panis, sicut duo corpora dicuntur simul esse in eodem loco, quo modo, Christo ingrediente ad discipulos ianuis clausis*, simul erant corpus Christi et ianua: aut transeunte substantia panis, et sub eius dimensionibus substantia corporis Christi succedente. – Primum non potest esse nisi per motum localem corporis Christi accedentis ad locum panis, sicut accessit ad ianuas: quia corpus existens in uno loco, non potest occupare locum corporis existentis in alio loco, nisi ad illum locum localiter moveatur; cum idem corpus non possit esse simul in pluribus locis. – Secundum autem esse non potest nisi substantia panis in substantiam corporis Christi convertatur: quia, si annihilaretur panis substantia, aut in aliam substantiam converteretur, nulla esset ratio quare corpus Christi, manens in caelo, deberet sub dimensionibus panis contineri. Si ergo, secundum ea quae fides tenet, non possit dici corpus Christi incipere esse in sacramento per motum localem ipsius corporis Christi, cum proprium locum non derelinquat; relinquitur oportere dici quod incipiat esse in sacramento per conversionem substantiae panis in ipsum.

*Ioan*, XX, 19 et 26.

2. Considerandum secundo, quod hoc non sic est intelligendum, ut Scotus arbitratur* nos intelligere, quasi dicta conversio sit corpori Christi formalis ratio essendi in sacramento, cum, transeunte conversione, remaneat in sacramento corpus Christi: sed quia effective et fundamentaliter dicta conversio huiusmodi existentiam sive praesentialitatem causat, sicut generatio ignis ex lignis est causa aliquo modo quod ignis sit ubi prius erant ligna; facit enim dicta conversio primum ipsius terminum succedere substantiae panis sub ipsis dimensionibus panis remanentibus, et consequenter huiusmodi praesentiam corporis Christi ad tales dimensiones et ad eorum locum causat. Nec est verum quod inquit Scotus*, posse Deum huiusmodi relationem causare absque conversione, cum conversio sit causa eius tantum in fieri. Nam quando causa in fieri, quae est ipsa productio, est fundamentum vel ratio fundandi relationem, non potest fieri relatio absque tali productione, tanquam scilicet illius denominativa relative: sicut paternitas non potest absque generatione alicui advenire, ut per ipsam sit pater. Sic etiam, quia conversio est fundamentum praesentiae corporis Christi ad species et locum panis, non potest talis relatio illi advenire absque huiusmodi conversione: eo quod fundamentum sit de ratione relationis inquantum dat esse relativum.

*IV *Sent.* d. x, q. 3 (Ven. 1497, p. 39 r a); et q. 2 (p. 37 r b).

*Sequitur post l. c. ex q. 3.

IV. Sed contra praedicta arguitur ex Scoto*, IV *Sent.*, d. x, q. 1, II, et III, probaturque quod non est necesse dicere per solam conversionem huiusmodi posse esse corpus Christi, sine sui mutatione locali, in altari.

Primo*. *Non est maior repugnantia corpus Christi simul esse cum substantia panis quam cum quantitate eius: cum non magis repugnet substantia substantiae, quam substantia quantitati quoad talem simultatem. Sed, corpore Christi existente in caelo, potest Deus facere idem corpus simul cum quantitate panis. Ergo et cum substantia eius. Et per consequens sine conversione.*

*Sequitur post l. c. ex qu. 3.

Secundo*. *Ubicumque Deus potest facere substantiam naturalem non sub suo modo naturali, vel sub modo sibi opposito, potest eam facere sub suo modo naturali. Sed Deus potest facere, immo facit corpus Christi sacramentaliter, idest non sub suo modo naturali simul in diversis locis. Ergo potest idem facere in eisdem sub modo naturali, scilicet localiter et dimensive. Ergo non est necessaria huiusmodi conversio.*

* l. c. qu. 2. (p. 37 r a).

Tertio*. *Per nullam mutationem per se habetur illud quod est posterius suo per se termino. Sed praesentia corporis Christi in sacramento est quid posterius simpliciter substantia corporis Christi, quae est terminus per se conversionis. Ergo non habetur per se per illam mutationem quae est conversio vel transubstantiatio.*

* l. c. qu. 1 *De Secundo. Contra* (p. 35 r b).

Quarto*. *Deus potest facere corpus Christi praesens cum pane, substantia panis manente: cum praesentia ista sit posterior substantia panis. Ergo sine aliqua mutatione circa substantiam panis, potest esse nova praesentia corporis ad panem. Ergo oportet dare aliam mutationem ad huiusmodi praesentiam, quae non sit substantialis. Ergo per transmutationem substantialem non habetur per se ista praesentia: terminus enim eiusdem rationis cuiusmodi est praesentia, non est proprie et per se terminus duarum mutationum distinctarum secundum genus.*

* l. c. 2° *sic.*

Quinto*. *Quod convertitur in aliquid praeexistens, magis acquirit conditiones eius quam e converso: ut patet in nutrimento. Ergo ex sola conversione panis in corpus Christi praeexistens, magis acquirit panis conversus praesentiam in caelo, quam corpus Christi praesentiam speciei panis in altari.*

* l. c. 3° *sic.*

Sexto*. *Deus posset convertere panem in corpus Christi ut habens esse in caelo. Sed tunc non haberetur corpus Christi sub specie panis ex ipsa conversione. Ergo nec nunc.*

* l. c. 4° *sic.*

Septimo*. *Si panis quantus converteretur in corpus Christi quantum idest, quantitas in quantitatem, et substantia in substantiam, corpus Christi quantum non haberet ubi circumscriptive, quod fuit ipsius panis. Ergo ex conversione substantiae in substantiam corpus Christi non habet ubi definitive quod erat substantiae panis. Ergo etc.*

* l. c. 5° *sic.*

V. Pro solutione horum argumentorum, praemittendum est quod corpus Christi existens sacramentaliter in altari, duplicem praesentialitatem habet: unam scilicet ad dimensiones panis, sub quibus occultatur; aliam vero ad locum panis. Per primam praesentiam dicimus corpus Christi sub dimensionibus panis esse: per secundam dicimus ipsum esse in loco panis. Utramque autem harum praesentiarum convenit sibi per conversionem substantiae panis in ipsum. Sed prima immediate talem conversionem consequitur: ex eo enim quod substantia panis in corpus Christi convertitur, suis dimensionibus remanentibus, sequitur quod corpus Christi substantiae panis sub illis dimensionibus succedit, quod est corpus Christi praesens fieri dimensionibus huiusmodi. Secunda autem praesentia convenit sibi mediante prima: Nam quia praesens est dimensionibus, ideo praesens est loco huiusmodi dimensiones circumscribenti, qui erat locus panis. – Argumenta itaque Scoti contra utramque praesentiam adducuntur: sed facile est videre quod contra mentem Sancti Thomae non valent.

VI. Unde ad primum dicitur quod maior est falsa, corpore Christi non deserente caelum, et pane alibi existente. – Ad probationem, negatur assumptum, ad eundem sensum. Repugnat enim quod substantia manens in caelo incipiat esse simul cum substantia existente in terra, in neutra illarum mutatione facta: quia, ut est de mente Sancti Thomae IV *Sent.*, d. XI, q. 1, a. 1*; et *Tertia*, q. LXXV,

*Recole verba Scoti saepe referri potius ad sensum quam ad litteram.

*Qu[a] 1.

a. 2, impossibile est aliquid esse ubi prius non fuit, nisi ipsum mutetur, vel aliquid in ipsum. Quod utique intelligitur de loco existente, non autem de loco noviter producto. Non repugnat autem tali substantiae ut simul sit cum quantitate substantiae quae in ipsam est conversa: quia relatio innasci potest ex mutatione unius extremi tantum, etiam altero extremo non mutato.

Attendendum tamen, cum dicimus unam substantiam, non mutatam a suo loco, non posse simul incipere esse cum substantia in alio loco existente quod hoc intelligitur supposito quod nulla etiam alia substantia sit in ipsam conversa. Quia si ponamus, ut ponimus, substantiam panis conversam in substantiam corporis Christi, non inconvenit corpus Christi, non mutatum a suo loco in quo nunc est ratione propriarum dimensionum, simul esse per divinum miraculum cum alia substantia ratione dimensionum panis in ipsum conversi. Sicut enim miraculose corpus Christi, secundum suum esse naturale, simul fuit cum alio corpore dum ad discipulos intravit ianuis clausis*; ita divino miraculo fieri posse puto ut corpus Christi sacramentale simul incipiat esse cum alia substantia, ipso non deserente proprium locum quem habet in caelo.

* Vide l. c. in textu.

2. Ad secundum dicitur primo, quod argumentum peccat in forma. Procedit enim ex quatuor terminis. Nam in maiori assumitur locus *singillatim pro uno determinato*. Et est vera propositio. Quocumque enim loco singillatim ostenso, est verum quod, si in illo potest Deus facere substantiam naturalem esse sub modo non naturali, potest facere eandem esse in eo modo suo naturali. – In minori vero sumitur locus *pro pluribus locis coniunctim*. In quo sensu etiam minor est vera. Nam de facto Deus facit corpus Christi modo sacramentali, qui non est modus naturalis, simul in pluribus locis esse.

Dicitur secundo quod, si argumentum ad debitam formam reducatur, formando sic minorem, *In quotcumque locis simul Deus potest facere substantiam naturalem non sub suo modo naturali, potest eam facere sub suo modo naturali,* ipsa maior est falsa. Primum enim nullam contradictionem implicat, et ideo divina virtute fieri potest. Secundum vero implicat contradictionem. Ostensum est enim in superioribus*, contra Scotum, implicare contradictionem quod unum corpus simul sit in pluribus locis localiter, et ratione propriarum dimensionum. Idcirco nullo miraculo potest fieri.

* Hic sub 1 ? Probabilius cap. praec. 2ª diffic. Huius tamen solut. vide infra, c. seq.

3. Ad tertium, negatur maior: si intelligatur de primo per se termino. Potest enim per mutationem per se haberi aliquid quod est posterius primo per se termino, quando et ipsum est terminus per se, sed secundario. Non enim, ut est de mente Sancti Thomae *Verit.,* quaest. IX, a. 3, inconvenit unius mutationis esse duos terminos ordinem quendam inter se habentes: nam videmus dealbationem simul terminari ad albedinem, et ad similitudinem supposito albo. Si autem intelligatur de per se termino universaliter, sive scilicet primo sive secundario, minor est falsa. Nam neque praesentia corporis Christi ad species est posterius omni termino per se, cum ipsa sit secundario per se terminus: neque substantia corporis Christi sola est terminus per se talis transubstantiationis.

4. Ad quartum, conceditur totum, excepta ultima consequentia. Concedimus enim quod absolute Deus potest facere corpus Christi simul cum pane, substantia panis manente; et quod potest incipere esse corpus Christi praesens pani absque conversione substantiae panis in ipsum. Sed negatur ulterior consequentia, scilicet, *Ergo per transmutationem substantialem non habetur per se ista praesentia.*

Ad probationem, negatur assumptum, absolute loquendo. Nam praesentia quam habet ignis ad locum suae generationis, et praesentia quam habet ad locum qui terminat motum localem ipsius, est eiusdem rationis: et tamen una acquiritur per generationem substantialem, alia vero per motum localem. In terminis enim extrinsecis non inconvenit idem diversas mutationes terminare. Non inconvenit etiam idem esse terminum intrinsecum et primum unius mutationis, alterius vero esse extrinsecum terminum et secundarium.

Si autem adderetur antecedenti, *nullo illorum moto ad alterum localiter, nulloque alio in substantiam alterius converso,* negatur assumptum. Et ad probationem, negatur ista consequentia, *Ista praesentia est posterior substantia panis, Ergo potest esse sine aliqua novitate substantiae panis, aut corporis Christi.* Habitudo enim locati ad locum est posterior ipsa re locata: et tamen non potest esse novitas talis habitudinis nisi aut ipsa re locata mutata, aut mutato loco circa ipsam.

Unde illa propositio, *Ad novitatem posterioris non sequitur novitas prioris,* non habet veritatem ubi posterius per naturalem concomitantiam resultat ex priori. Tunc enim novitas in posteriori non est nisi propter novitatem prioris: sicut non est nova risibilitas nisi propter hominis novitatem; et non est novitas in relatione reali nisi propter aliquam novitatem fundamenti aut termini.

5. Ad quintum, negatur maior de conditione quae est locus, quando remanet aliquid conversi occupans priorem locum, et nihil eius additum ad id in quod convertitur remanet: sicut est in proposito, ubi remanet quantitas panis locum eius occupans; et nihil substantiae panis remanet additum corpori Christi, eo quod tota substantia panis, scilicet et materia et forma, in corpus Christi convertatur.

Quod autem adducitur de alimento, non iuvat: immo est oppositum eius quod assumitur. Forma enim aliti, dum informat materiam alimenti, aliqualiter accedit ad locum alimenti; praesertim quando per mutationem augetur alitum.

6. Ad sextum, negatur maior: si intelligatur quod Deus possit convertere substantiam panis in corpus Christi ut habet esse in caelo, idest, ut localiter in caelo continetur, nullo modo localiter moto pane et eius dimensionibus, quae, facta conversione, remanent ad locum corporis Christi. Nam cum oporteat in tali conversione corpus Christi succedere substantiae panis sub dimensionibus ipsius, si corpus Christi, sub dimensionibus panis existens, non haberet aliud *ubi* quam id quod habet in caelo, oporteret ut ipsae dimensiones tale *ubi* corporis Christi haberent: quod esse non posset nisi ad locum corporis Christi motae essent localiter; alioquin idem esset simul in pluribus locis circumscriptive. – Si autem intelligatur Deum posse illud facere, moto pane et dimensionibus eius ad locum corporis Christi: ipsa admissa, negatur minor. Immo ex ipsa conversione corpus Christi esset sub specie panis, quae ad eius locum suo motu pervenisset.

7. Ad septimum, negatur consequentia. Quia in tali casu, ut dixit Sanctus Thomas in *dicto decimo**, nihil panis remaneret sub quo corpus Christi substantiae panis succederet, quod esset sibi ratio essendi in loco panis. Nunc autem remanent panis dimensiones, quae sunt corporis Christi ratio in loco panis existendi. Non enim propter aliud corpus Christi est in loco ubi erat panis, nisi quia, facta conversione, manent species panis occupantes locum sicut prius, quibus mediantibus substantia panis erat in loco illo.

* Cf. supra sub num. I.

Reliqua quae ad hanc materiam pertinent, vide apud Capreolum, *Quarto,* d. X, q. I; et d. XI*.

* *Tertia conclusio.* cum suis obiect. et solut.

VII. *Circa tertium dictum**, cum inquit Sanctus Thomas, si maneret substantia panis, potius dicendum Christo fuisset, *Hic est corpus meum,* quam, *Hoc est corpus meum,* quia per ly hic demonstraretur substantia panis, quae videtur: advertendum quod, si maneret substantia panis, ista propositio non esset vera, *Hoc est corpus meum,* ut dicitur *Tertia Parte**; et IV *Sent.***: quia, ut hic dicitur, fieret demonstratio panis, cuius accidentia subsunt visui, et esset sensus: *Substantia cuius sunt haec accidentia quae videntur, est corpus Christi.* Nam cum demonstramus aliquid ad sensum, secundum communem modum loquendi demonstramus substantiam cui accidentia, quae sensui subiacent et demonstrant, inhaerent; et non indistincte contentum sub accidentibus, ut vult Scotus, in *Quarto,* d. XI, q. III, a. 1*. Falsum autem esset quod substantia panis esset corpus Christi. Sed vera esset ista propositio, *Hic est corpus meum,* accipiendo istum terminum *hic* ut est adverbium loci: nam verum esset dicere quod in hoc loco in quo est panis, est corpus Christi.

* Cf. num. III.

* Qu. LXXV, a. 2.
** D. XI, q. I, a. 1, qua 1.

* Ven. 1497, p. 46 v a.

2. Circa illud quod dicitur*, *in consecratione huius sacramenti substantiam panis non annihilari:* considerandum est primo, ex doctrina Sancti Thomae V *Quolib.*, q. VI*; et in *Tertia Parte**; et IV *Sent.***, cum motus a termino *ad quem* accipiat denominationem, ad videndum an aliqua mutatio sit annihilatio necne, videndum est an eius terminus sit nihil omnino, vel potius aliquid modo aliquo: quia, si fuerit omnino nihil, erit annihilatio; si vero fuerit aliquo modo aliquid, non erit annihilatio.

Considerandum secundo, quod in denominatione mutationis, non oportet respicere ad quemcumque terminum, sed ad terminum principaliter intentum ab agente. Nam mutatio ad esse hominis dicitur *hominis generatio,* eo quod agens principaliter intendat hominis existentiam: licet sint multi alii termini praecedentes, et positivi et privativi. Sic etiam, ad videndum an aliqua mutatio debeat *annihilatio* nominari, respicendum est non ad quemcumque terminum illius mutationis, sed ad terminum principaliter intentum ab agente talis mutationis. In mutatione ergo qua substantia panis convertitur in corpus Christi, duplex invenitur terminus: scilicet non esse panis, et corpus Christi. Sed esse sacramentale corporis Christi est terminus principaliter intentus a Deo, a quo principaliter haec conversio fit: non esse autem panis ad hunc terminum ordinatur. Ideo, cum esse sacramentale corporis Christi sit aliquid, non autem nihil, talis mutatio substantiae panis non potest dici annihilatio. Immo nec ex ipso non esse panis, ad quod dicta mutatio terminatur tanquam ad dispositionem termini principalis, potest dici annihilatio: quia tale non esse non est omnino nihil, sed est negatio esse panis in corpore Christi sacramentali, in quod conversus est panis. Non enim sufficit ad annihilationem alicuius quod nihil eius maneat in se vel in alio: sed requiritur quod nihil etiam maneat in quod sit conversum.

Non puto autem ad mentem Sancti Thomae esse id quod Capreolus tenet*, quod scilicet remaneat panis in corpore Christi in potentia obedientiali, ad hoc ut ex ipso redeat panis substantia: et quod propter hoc non dicatur panis annihilari. Nam hoc nullibi ait Sanctus Thomas, quod ipse viderim. Immo *Tertia,* q. LXXVII, a. 5, ait impossibile esse corpus et sanguinem Christi iterum in substantiam panis vel vini converti. – Quod si dicatur hoc intelligendum esse de potentia ordinaria, cum ponamus tandiu corpus et sanguinem Christi manere in sacramento, quandiu remanent species panis, non autem de potentia absoluta: hoc quidem non negaverim, licet fortassis a multis negaretur; sed hoc modo substantiam panis in potentia obedientiali corporis Christi esse, non tolleret quin possit dici panis annihilatus. Alioquin nihil posset dici annihilatum a Deo: quia, eadem ratione, diceretur quod remanet in potentia obedientali alterius creaturae: sicut enim, de potentia absoluta, posset Deus convertere corpus Christi in panem, ita posset in rem annihilatam aliquam aliam substantiam convertere, ipsam rem iterum in esse reparando.

Ex his facile solvi possunt omnia argumenta Scoti et Durandi recitata a Capreolo in *Quarto,* d. XI*.

3. Circa id quod dicitur*, *substantiam panis non posse in tali conversione resolvi in materiam primam quia materia prima esset sine forma:* advertendum quod hoc sequitur quia, si substantia panis non converteretur in corpus Christi, et remaneret materia prima, non acciperet aliam formam cum qua esset corpus Christi, quia eadem ratione non posset corpus Christi esse cum forma illa, ipso localiter non mutato, qua ratione non poterat cum substantia panis esse. Non informaretur etiam substantia corporis Christi, ut manifeste constat. Ideo omnino relinqueretur sine forma.

VIII. *Circa quintum dictum* dubitatur. Videtur enim Sanctus Thomas dicere contradictoria. Nam inquit primo, naturam facere non posse ut haec substantia fiat illa: deinde subiungit virtute naturalis agentis hoc totum in illud totum converti, utpote hunc aerem in hunc ignem generatum. Constat enim, ubi totum convertitur in totum, hanc substantiam in illam converti.

Respondetur quod *totum* dupliciter accipitur: scilicet ut idem est quod *perfectum in specie;* et ut idem est quod *quaelibet pars.* Cum ergo dicitur per naturam converti totum in totum, accipitur totum pro perfecto in specie: non autem pro qualibet parte. Patet hoc esse de mente Sancti Thomae, quia, seipsum exponens, inquit quod, *supposita existentia subiecti, hoc totum convertitur in hoc totum per naturam secundum variationem speciei et forma.* Ex hoc autem non sequitur hanc substantiam individuatam in aliam individuatam substantiam existentem converti: sed unam speciem converti in aliam secundum successionem diversarum formarum in materia. Unde nulla est contradictio.

IX. *Circa sextum dictum,* considerandum primo quod, cum pronomen demonstrativum, demonstrans aliquid ad sensum simul et ad intellectum, semper praesupponat aliquid subiectum sensui demonstrabile, non potest dici de aliquo, *Hoc est illud,* nisi per ly *hoc* demonstretur aut ipsum sensibile per se, aut aliquid sensibili coniunctum. Si autem nihil remaneret, facta conversione in corpus Christi, nihil sensibile esset per quod demonstrari posset corpus Christi: nam esse sacramentale sensu percipi non potest. Ideo bene dicitur quod necesse est aliquid panis remanere, ad hoc ut verum sit quod dicitur, *Hoc est corpus meum.*

2. Considerandum secundo, ex doctrina Sancti Thomae *Quarto,* d. VIII, q. II, a. 1, qu$^{a}$ 4, ad 1, quod, cum ea quae sunt in voce proportionentur iis quae sunt in intellectu; sicut in intellectu est aliqua conceptio quae est significativa tantum rei intellectae, quae inquam praesupponit entitatem rei, utpote ab ipso causata; aliqua vero non tantum est significativa, sed etiam factiva rei, ut conceptio practica, quae entitatem rei non praesupponit, sed causat: ita aliqua locutio est significativa tantum; aliqua vero est significativa et factiva rei significatae; sicut haec locutio, *Hoc est corpus meum,* quae ex divina institutione habet virtutem convertendi substantiam panis in substantiam corporis Christi. Ideo bene hic dicitur haec verba esse *significativa et factiva praedictae conversionis.*

3. Considerandum tertio quod, cum significatio totius orationis compleatur in prolatione ultimae particulae, ita quod significationes partium praecedentium comparatur ad significationem totius orationis sicut materia, non autem sicut partes significationem totius orationis integrantes; significatio autem ultimae particulae in ordine ad praecedentes habeat rationem formae, sicut praedicta verba quae sunt significativa et factiva conversionis ipsam in ultimo tantum instanti prolationis significant, et in illo duntaxat eam efficiunt: ideo in principio locutionis ly *hoc* non potest demonstrare corpus Christi, quia nondum substantia panis est in ipsum conversa. Non potest etiam determinate substantiam panis demonstrare: quia tunc impediretur significatio totius orationis, quae in ultimo instanti prolationis, in quo non est substantia panis, completur. Sed necesse est, ut inquit ibidem Sanctus Thomas, quod demonstret aliquid indistinctum et indeterminatum, quod sit commune, tanquam utrumque confuse et potentialiter continens, neutrum autem determinate in actu, scilicet *hoc quod dico contentum sub iis speciebus,* ut sensus sit, *Contentum sub iis speciebus est corpus meum.* – Et sicut dicimus illud pronomen non demonstrare aliquid significatum distinctum, scilicet panem aut corpus Christi, praesens tempore prolationis istius pronominis *hoc,* sed tantum aliquid vagum et indeterminatum, ita dicendum est de hoc verbo *est,* quod non determinate importat tempus praesens mensurans prolationem istius pronominis *hoc,* sed praesens mensurans ultimam prolationem totius orationis: quia pro illo instanti copulat praedicatum subiecto in talibus locutionibus factivis, sicut in illo instanti res per tales locutiones efficitur.

Contra autem hunc sensum argumenta Scoti in VIII dist. *Quarti**, non valent. Immo ex hoc falso fundamento procedunt, quod secundum Sanctum Thomam significatio orationis constituatur ex significato partium: cuius tamen oppositum ipse ponit in IV *Sent.*, loco praeallegato, et art. 3*, ad 7.

* In textu.
* Art. 11.
* Qu. LXXV, a. 3.
** D. XI, q. I, a. 2.
* D. XI, q. 1 a. 3, § 2. (p. 240).
* L. c. supra.
* In textu.
* Qu. 2. *De tertio art.* (Ven. 1497, p. 31 v b).
* Eiusdem d. VIII, et q. II.

X. *Circa septimum dictum,* considerandum primo, ex doctrina Sancti Thomae *Tertia,* q. LXXVII, a. 2, quod, cum ponatur quantitas prima inter omnia accidentia materialia, et immediate inhaerere substantiae materiali, et consequenter esse fundamentum omnium aliorum accidentium materialium, quo mediante insunt substantiae; et alia accidentia retineant esse quod habebant in substantia, cum divina virtute quantitas sine substantia subsistat: relinquitur quod in ipsa omnia alia fundentur accidentia, et in ipsa sola sint sicut in subiecto, quemadmodum erant in substantia mediante quantitate. Propterea ex ordine accidentium in comparatione ad substantiam, convenienter infert Sanctus Thomas solam quantitatem dimensivam panis post conversionem absque subiecto remanere; alia vero accidentia non esse sine subiecto, sed in quantitate fundari.

Considerandum secundo, quod non ideo dicuntur in quantitate fundari sicut in subiecto alia accidentia, quasi quantitas virtute suae naturae possit illis sustentamentum praebere; hoc enim soli rei ex natura subsistenti convenit, ut est de mente Sancti Thomae *Virtut.,* q. 1, a. 3: sed quia hoc sibi virtute divina conceditur, sicut sibi datur ut sine subiecto subsistat. Unde, cum quantitas inhaeret substantiae, non praebet sustentamentum aliis accidentibus: nisi forte in quantum est sustentata a substantia dicatur aliis sustentamentum praebere.

XI. *Circa octavum dictum,* considerandum est quod praedicta conversio dicitur esse *quaedam substantialis successio,* quia est successio unius substantiae post aliam sub eisdem accidentibus, licet alio et alio modo tales substantiae ad illa accidentia se habeant. Nam per conversionem substantiae panis in corpus Christi, fit corpus Christi praesens accidentibus panis sicut illis substantia panis praesens erat: sed verum est quod illa accidentia inhaerebant substantiae panis, non autem inhaerent corpori Christi. Unde talis praesentia corporis Christi non habet aliquid omnino simile in rebus naturalibus: licet aliquo modo assimilari possit praesentiae locati ad locum, et vestiti ad vestimentum, ut superius* dicebatur. Ideo ad Aureolum; quaerentem*, *In quo succedunt sibi istae substantiae?* dicitur quod succedunt sibi invicem in accidentibus panis et in loco ipsius. Ex quo patet quod conversio ista non dicitur successio quaecumque substantialis, sed successio substantiarum sub eisdem accidentibus, quarum una in aliam transit.

* Sub num. II.

* Apud Capreolum, d. XI, q. I, a. 2, § 3 (p. 230).

XII. *Circa decimum dictum,* cum dicitur in prima ratione corpus Christi *locum panis quodammodo sortiri,* addit Sanctus Thomas *quodammodo,* quia corpus Christi non est in loco panis, facta conversione, ratione propriarum dimensionum, nec est subiectum ipsius *ubi:* sed quia praesens est dimensionibus panis, quae sunt in loco ipsius, et sunt subiectum ipsius *ubi,* dicitur et ipsum in illo loco esse. Et sic non ratione sui, sed ratione alterius est in loco panis. Ideo subiunxit, *mediantibus tamen dimensionibus panis.*

# CAPITULUM SEXAGESIMUM QUARTUM

## SOLUTIO EORUM QUAE OBIICIEBANTUR EX PARTE LOCI.

* Cf. capit. LXII, *Secunda difficultas* seqq.

* Cap. praec. *Est autem.*

His igitur consideratis circa modum conversionis, ad alia solvenda* nobis aliquatenus via patet. Dictum* est enim quod locus in quo hoc agitur sacramentum, attribuitur corpori Christi ratione dimensionum panis, remanentium post conversionem substantiae panis in corpus Christi. Secundum hoc igitur ea quae Christi sunt necesse est esse in loco praedicto, secundum quod exigit ratio conversionis praedictae.

Considerandum est igitur in hoc sacramento aliquid esse ex vi conversionis, aliquid autem ex naturali concomitantia. Ex vi quidem conversionis est in hoc sacramento illud ad quod directe conversio terminatur: sicut sub speciebus panis corpus Christi, in quod substantia panis convertitur, ut per verba consecrationis patet, cum dicitur, *Hoc est corpus meum:* et similiter sub specie vini est sanguis Christi, cum dicitur, *Hic est calix sanguinis mei* etc. Sed ex naturali concomitantia sunt ibi omnia alia ad quae conversio non terminatur, sed tamen ei in quod terminatur sunt realiter coniuncta. Manifestum est enim quod conversio panis non terminatur in divinitatem Christi, neque in eius animam; sed tamen sub specie panis est anima Christi et eius divinitas propter unionem utriusque ad corpus Christi.

Si vero in triduo mortis Christi hoc sacramentum celebratum fuisset, non fuisset sub specie panis anima Christi, quia realiter non erat corpori eius unita: et similiter nec sub specie panis fuisset sanguis, nec sub specie vini corpus, propter separationem utriusque in morte. Nunc autem, quia corpus Christi in sua natura non est sine sanguine, sub utraque specie continetur corpus et sanguis: sed sub specie panis continetur corpus ex vi conversionis, sanguis autem ex naturali concomitantia: sub specie autem vini e converso.

Per eadem etiam patet solutio ad id quod obiiciebatur de inaequalitate corporis Christi ad locum panis*. Substantia enim panis directe convertitur in substantiam corporis Christi: dimensiones autem corporis Christi sunt in sacramento ex naturali concomitantia, non autem ex vi conversionis, cum dimensiones panis remaneant. Sic igitur corpus Christi non comparatur ad hunc locum mediantibus dimensionibus propriis, ut eis oporteat adaequari locum: sed mediantibus dimensionibus panis remanentibus, quibus locus adaequatur.

* Cap. LXII, *Adhuc. Impossibile.*

Inde etiam patet solutio ad id quod obiiciebatur de pluralitate locorum*. Corpus enim Christi per suas proprias dimensiones in uno tantum loco existit: sed mediantibus dimensionibus panis in ipsum transeuntis in tot locis in quot huiusmodi conversio fuerit celebrata: non quidem divisum per partes, sed integrum in unoquoque; nam quilibet panis consecratus in integrum corpus Christi convertitur.

* L. c. *Amplius. Impossibile.*

3 enim *om* DEX. 15 sicut *an pro* scilicet? 19 cum] unde αYZ, dum W.
18 eis] ei EG, eius D. 25 locis] invenitur *addit* Z, est *addunt* YP*d*.

## Commentaria Ferrariensis

*Cf. cap. LXII.

*Vide infra Num. V.

CIRCA secundam difficultatem*, quae sumitur ex parte loci, *dicit primo* Sanctus Thomas, respondendo ad primam* obiectionem, quod, cum dictum sit locum in quo agitur hoc sacramentum attribui corpori Christi ratione dimensionum panis remanentium; ea quae Christi sunt necesse est esse in loco praedicto secundum quod exigit ratio conversionis praedictae.

*Dicit secundo,* quod in hoc sacramento aliquid est ex vi conversionis, illud scilicet ad quod directe conversio terminatur, sicut sub speciebus panis est corpus, ut per verba consecrationis patet, cum dicitur, *Hoc est* etc., sub specie autem vini est sanguis Christi, ut patet cum dicitur, *Hic est calix* etc., aliquid autem ex naturali concomitantia, omnia scilicet alia, ad quae conversio non terminatur, sed tamen ei in quod terminatur sunt realiter coniuncta, sicut divinitas, et eius anima.

*Dicit tertio,* quod, si in triduo mortis Christi hoc sacramentum celebratum fuisset, non fuisset sub specie panis anima Christi: quia non erat realiter corpori eius unita. Similiter nec sub specie panis fuisset sanguis, nec sub specie vini corpus: propter separationem utriusque in morte. Nunc autem, quia corpus Christi in sua natura non est sine sanguine, sub utraque specie continetur corpus et sanguis: sed sub specie panis continetur corpus ex vi conversionis, sanguis autem ex naturali concomitantia; sub specie autem vini e converso.

II. Advertendum primo, quod per haec dicta vult Sanctus Thomas ad primam obiectionem negare istam consequentiam, *Seorsum est panis et vinum in hoc sacramento ex vi conversionis. Ergo, si caro Christi est sub specie panis et sanguis sub specie vini, Christus non remanet integer,* quia supponit quod caro sit sub specie panis sine sanguine, et sanguis sub specie vini sine carne, cuius oppositum dictum est. Si autem intelligatur antecedens ad hunc sensum, quod nullo modo sunt simul sanguis et corpus in hoc sacramento: constat ex dictis quod est falsum.

Advertendum secundo, quod ex vi conversionis illud esse in sacramento dicitur in quod substantia sub illis accidentibus praeexistens convertitur: et hoc dicit Sanctus Thomas esse *in quod directe conversio terminatur.* Ad hoc autem cognoscendum, respiciendum est ad verba consecrationis: cum enim efficiant quod significant, illud dicendum est esse in sacramento ex vi conversionis, quod per ipsa verba significatur, et nihil aliud. Unde, cum per verba consecrationis panis significetur tantum ibi esse corpus Christi, per verba autem consecrationis vini significetur tantum ibi esse Christi sanguinem, dicendum est sub specie panis esse tantum corpus Christi ex vi conversionis, sub specie vero vini esse tantum sanguinem. Propter hoc, volens ostendere Sanctus Thomas ita esse, ait, *ut per verba consecrationis patet.*

*Forte erronee pro *Prima*. Cf. var. in Praef.

Considerandum tertio, ex doctrina Sancti Thomae *Tertia**, q. LXXVI, a. 1, quod, cum anima virtualiter contineat formam corporeitatis, de anima Christi dupliciter loqui possumus. Uno modo, inquantum dat esse corporeum. Et sic necesse est dicere in sacramento ipsam esse virtute conversionis: quia, cum corpus Christi non habeat esse corporeum nisi per animam, eo quod in uno composito sit tantum una forma substantialis; si virtute conversionis est in sacramento corpus Christi, necesse est etiam ex vi huiusmodi esse ibi animam Christi secundum quod continet formam corporeitatis, et dat esse corporeum. – Alio modo, inquantum anima est: idest, inquantum dat esse animatum. Et sic intelligitur quod dicitur hic, ipsam non esse in sacramento ex vi conversionis, sed tantum ex naturali concomitantia. Corpus enim non includit in sua ratione animam inquantum anima est: sed bene corpori Christi anima eius, etiam inquantum dat esse animatum, est realiter coniuncta. Ideo, etiam inquantum anima, est in sacramento per concomitantiam.

Advertendum autem, quod per *animam ut dat esse corporeum,* non intelligimus aliquod ens rationis, ut videtur nobis imponere Scotus, *Quarto,* d. XI, q. III, secundi art.*: sed ipsam animae substantiam ut virtute continentem formam corporeitatis et dantem esse corporeum, quae a seipsa ut dat esse animatum, sola ratione distinguitur.

*Ven. 1407, p. 48 r b.

III. Sed circa praedicta occurrit dubium motum a Scoto*. *Si hostia consecrata in cena a Christo fuisset in pyxide conservata, in triduo permansisset ibi eadem res primo contenta. Sed tunc non erat corpus constitutum ex materia et anima intellectiva.* Ergo neque in cena Domini fuit facta conversio in compositum ex materia et anima intellectiva, ergo ex vi conversionis nullo modo erat ibi anima, ergo nec nunc.

*L. c. obiect. praec.

Ad hoc dicitur primo. Ex eo quod inquit Sanctus Thomas, quoniam in triduo mortis non fuisset anima Christi sub specie panis per consecrationem, quia non erat realiter corpori Christi unita, haberi posse quod secundum conditionem corporis Chisti extra sacramentum, est etiam conditio ipsius in sacramento: ita videlicet quod, si extra sacramentum includit animam, ipsam etiam in sacramento includit; si autem animam non includit, neque etiam includit ipsam in sacramento. Unde dicendum est quod in illa hostia consecrata in cena, in triduo mortis non fuisset corpus Christi constitutum in actu per animam, sicut erat in die cenae, sed constitutum per aliam formam, puta cadaveris, sicut et extra hostiam erat.

Dicitur secundo, quod in triduo permansisset eadem res primo contenta aliquo modo, non autem omnibus modis: sicut et ipsum corpus Christi aliquo modo extra hostiam erat idem quod prius, aliquo vero modo non, secundum mentem Sancti Thomae *Tertia,* q. L, a. 5; et *Quolib.* III, q. II*. Nam non erat idem quantum ad formam: sed quantum ad materiam; et quantum ad suppositum, quod erat divinum; et quantum ad esse existentiae, iuxta praedicta in superioribus*, ubi ostensum est in Christo esse tantum unum esse actualis existentiae, scilicet esse divinum.

*Art. 4.

*Capit. XXXV. Comm. num. VIII, IX.

IV. Sed tunc resultat aliud dubium. Si materia corporis Christi in triduo non fuisset informata anima, sicut informabatur in cena quando hostia fuit consecrata, sed alia forma, cum non possit esse sine forma: quaeritur quomodo illa alia forma fuisset in hostia? Neque enim ibi fuisset ex vi conversionis: quia quando consecrata est hostia, per animam actuabatur materia corporis, non autem per illam formam. Neque etiam per naturalem concomitantiam: quia tunc non erat realiter unita corpori Christi; immo non erat omnino. Ergo nullo modo potuisset esse in hostia in triduo.

Dicerem ego quod non fuisset ibi ex vi conversionis, quia ex vi conversionis non est in sacramento nisi id in quod convertitur substantia panis in ultimo instanti verborum consecrationis, constat autem quod tunc illa forma non actuabatur materia corporis Christi, cum non esset: sed fuisset ibi per naturalem concomitantiam. Dicitur enim aliquid esse hoc modo in sacramento dupliciter: aut scilicet quia, quando proferuntur verba consecrationis, est realiter coniunctum ei in quod fit conversio; aut quia illi realiter coniungitur etiam post huiusmodi verba. Nam si corpori Christi, facta consecratione alicuius hostiae, aliquid absolutum realiter coniungeretur extra hostiam, etiam illi coniungeretur in hostia: quia sicut non esset sine illo extra hostiam, ita nec in hostia. Et hoc modo fuisset illa forma in sacramento in triduo mortis: nam licet non esset in die cenae realiter unita materiae corporis Christi, fuisset tamen unita illi realiter in illo triduo.

V. Ad secundam obiectionem* dicit quod dimensiones corporis Christi sunt in sacramento ex naturali concomitantia, non autem ex vi conversionis: cum dimensiones panis remaneant. Et ideo corpus Christi non comparatur ad hunc locum mediantibus dimensionibus propriis, ut eis oporteat adaequari locum: sed mediantibus dimensionibus panis remanentibus, quibus adaequatur.

*Capit. LXII, *Adhuc. Impossibile.* — Vide supra num. I.

Advertendum primo, per hoc quod hic dicitur, velle Sanctum Thomam ad illam propositionem, *Impossibile est maius corpus in loco minoris includi,* respondere. Est enim vera quando corpus maius est in loco ratione propriarum dimensionum: non autem quando est in loco ratione alienarum dimensionum, quae adaequantur loco, ut est in proposito.

Advertendum secundo, quod, licet corpus de genere substantiae videatur includere quantitatem aliquo modo, alia tamen res est ipsa substantia corporis, et alia eius dimensio. Et ideo non inconvenit substantiam panis ex vi conversionis in substantiam corporis Christi converti, ipsa non conversa in eius quantitatem. Signum autem quod dimensiones corporis Christi non sint ex vi conversionis in sacramento, assignat Sanctus Thomas *quia dimensiones panis remanent.* Oportet enim id quod convertitur, proportionari ei in quod convertitur: ut scilicet, si sola substantia panis convertitur, remanent vero eius dimensiones; etiam sola substantia corporis Christi sit in quam convertitur, dimensiones vero eius sint extra terminum per se conversionis. Quia, cum corpus Christi succedat dimensionibus panis, sicut ipsa substantia panis substabat illis dimensionibus immediate, ita conveniens est ut ipsa substantia corporis Christi immediate, et absque alia dimensione, ex vi conversionis illis dimensionibus substet. Si autem simul converterentur et substantia panis et eius dimensiones, oporteret fieri conversionem in substantiam et in dimensiones corporis Christi: ita videlicet quod substantia in substantiam, et dimensio in dimensionem converteretur.

*Amplius Impossibile.

VI. Ad tertiam obiectionem* dicit quod corpus Christi per suas proprias dimensiones in uno tantum loco existit: sed mediantibus dimensionibus panis in tot locis est, non quidem divisum per partes, sed integrum, in quot conversio fuerit celebrata.

Advertendum primo, quod vult Sanctus Thomas ad illam propositionem, *Impossibile est unum corpus esse in pluribus locis,* dicere quod vera est ratione propriarum dimensionum: falsa est autem ratione dimensionum alienarum.

Advertendum secundo, ex dictis sequi quod corpus Christi, secundum esse quod habet in sacramento, non solum non est in loco circumscriptive secundum se, sed nec definitive, ut etiam tenet Sanctus Thomas *Tertia,* q. LXXVI, a. 5*; et IV *Sent.*, d. X, q. I, a. 3**: Quia quod est definitive alicubi, ita est ibi quod non alibi. Hic autem dictum est quod corpus Christi, ratione dimensionum panis in ipsum conversi, est simul in tot locis in quot ipsa conversio celebrata est.

* Ad 1.
** Qua 1 et 2.

Advertendum tertio, ex doctrina Sancti Thomae*, quod duplex est quantitatis effectus. Unus est omnino intrinsecus subiecto quanto: scilicet esse quantum, et divisibilitas in partes, atque ordo partium in toto. Alius est aliquo modo extrinsecus, inquantum scilicet convenit subiecto in ordine ad extrinsecum: scilicet condividi alteri quantitati, et partes eius partibus loci correspondere. Primum convenit quantitati necessario et per se: secundum vero sibi non convenit nisi quando habet primo et per se ordinem ad locum et ad extrinsecas dimensiones. In sacramento ergo Altaris quantitas corporis Christi, sub dimensionibus panis existens, habet primum effectum, quia ipsum corpus Christi est in seipso divisibile, et habet ordinem partium in toto: non autem secundum effectum habet, quia partes corporis Christi non correspondent partibus dimensionis panis neque partibus loci, sed totum est sub qualibet parte. Ex quo sequitur quod potest dici corpus Christi esse sub dimensionibus panis et divisibiliter et indivisibiliter: divisibiliter quidem, quia in seipso divisibilitatem partium habet; indivisibiliter autem, quia partes eius non correspondent partibus illarum dimensionum, sed totum cuilibet parti, sicut anima est tota in qualibet parte. – Et ex hoc solvuntur omnia argumenta Scoti, *Quarto,* d. X, q. I, et Aureoli, apud Capreolum, *Quarto,* d. X, q. II*.

* Cf. *Sent.* l. c. a. 2, qua 4, obj. 3. *Pars III,* LXXVI, 5; LXXVII, 2. Capreol. l. c. infra.

* Art. 3, § 2. (p. 195 seqq.).

Advertendum quarto, quod, sicut substantia quae est in loco ratione propriarum dimensionum habet modum ipsarum, ita dimensio quae est in loco ratione substantiae habet ipsius substantiae modum. Modus autem dimensionis existentis in loco primo et per se est ut sit in ipso commensurative et divisibiliter: ut scilicet ipsa commensuretur quantitati loci, et ut partes ipsius partibus loci correspondeant. Modus autem substantiae est ut indivisibiliter sit in loco: quia, cum substantia secundum se sit indivisibilis, et divisio non conveniat sibi nisi ratione quantitatis, ubi substantia non comparatur ad alteram ratione quantitatis sed per seipsam, ad ipsum non comparatur divisibiliter, sed indivisibiliter. Quia ergo quantitas corporis Christi non est in sacramento ex vi conversionis, sed tantum concomitanter, inquantum substantiae inhaeret; et idcirco ipsa substantia corporis Christi non comparatur ad dimensiones panis aut ad locum eius mediantibus propriis dimensionibus, sed e converso ipsae dimensiones sunt ibi praesentes ratione substantiae, et consequenter indivisibiliter: ideo corpus Christi est ibi indivisibiliter, et potest, quamvis in seipso sit maius dimensionibus panis, sub illis contineri; quia non oportet quod ad aliquam quantitatem indivisibiliter comparatur, illi commensurari, ut scilicet sit illa maior aut minor, aut sit illi aequalis; potest enim pila magna parvam pilam contingere, eo quod ipsam in indivisibili dumtaxat tangit. – Unde, dum ponitur quantitas esse hic modo indivisibili, non ponitur in quantitate aliquid illi incompossibile, ut putat Durandus*. Propterea dixit Sanctus Thomas corpus Christi in pluribus locis esse sacramentaliter *non divisum in partes, sed integrum in unoquoque, quia non est in illis ratione propriarum dimensionum, sed ratione dimensionum panis.*

* Ex Capreolo l. c. (obj. 4° Durandi p. 185, solutio p. 194). Cf. Durand. *IV Sent.* d. X, q. 2, n. 9 (Edit. Ven. 1586, p. 316 r b).

Advertendum ultimo, quod, licet corpus Christi non dicatur commensurari loco panis per se ratione propriarum dimensionum, potest tamen dici illi commensurari per aliud, id est ratione propriarum dimensionum panis. Hoc enim non significat ipsam substantiam corporis Christi immediate commensurari loco, sed dimensionem ipsam sub qua sacramentaliter continetur: sicut anima potest dici circumscribi loco ratione quantitatis corporis cuius est forma, quia quantitas ipsa circumscriptive est in loco, non quod ipsa secundum se loco circumscribatur immediate. Propterea dixit Sanctus Thomas quod *mediantibus dimensionibus panis, quibus locus adaequatur, comparatur ad locum:* quasi dicat quod ratione illarum dimensionum adaequatur loco panis, et est illi aequale, non autem est maius ipso.

# CAPITULUM SEXAGESIMUM QUINTUM

## SOLUTIO EORUM QUAE OBIICIEBANTUR EX PARTE ACCIDENTIUM.

Sic igitur difficultate soluta quae ex loco accidit, inspiciendum est de ea quae ex accidentibus remanentibus esse videtur*. Non enim negari potest accidentia panis et vini remanere: cum sensus hoc infallibiliter demonstret.

Neque his corpus Christi aut sanguis afficitur*: quia hoc sine eius alteratione esse non posset, nec talium accidentium capax est. Similiter autem et substantia aeris. Unde relinquitur quod sint sine subiecto. Tamen per modum praedictum*: ut scilicet sola quantitas dimensiva sine subiecto subsistat, et ipsa aliis accidentibus praebeat subiectum.

Nec est impossibile quod accidens virtute divina subsistere possit sine subiecto*. Idem enim est iudicandum de productione rerum, et conservatione earum in esse. Divina autem virtus potest producere effectus quarumcumque causarum secundarum sine ipsis causis secundis: sicut potuit formare hominem sine semine, et sanare febrem sine operatione naturae. Quod accidit propter infinitatem virtutis eius, et quia omnibus causis secundis largitur virtutem agendi. Unde et effectus causarum secundarum conservare potest in esse sine causis secundis. Et hoc modo in hoc sacramento accidens conservat in esse, sublata substantia quae ipsum conservabat. – Quod quidem praecipue dici potest de quantitatibus dimensivis: quas etiam Platonici posuerunt per se subsistere*, propter hoc quod secundum intellectum separantur*. Manifestum est autem quod plus potest Deus in operando quam intellectus in apprehendendo.

Habet autem et hoc proprium quantitas dimensiva inter accidentia reliqua, quod ipsa secundum se individuatur*. Quod ideo est, quia positio, quae est *ordo partium in toto*, in eius ratione includitur: est enim quantitas *positionem habens**. Ubicumque autem intelligitur diversitas partium eiusdem speciei, necesse est intelligi individuationem: nam quae sunt unius speciei, non multiplicantur nisi secundum individuum; et inde est quod non possunt apprehendi multae albedines nisi secundum quod sunt in diversis subiectis; possunt autem apprehendi multae lineae, etiam si secundum se considerentur: diversus enim situs, qui per se lineae inest, ad pluralitatem linearum sufficiens est. Et quia sola quantitas dimensiva de sui ratione habet unde multiplicatio individuorum in eadem specie possit accidere, prima radix huiusmodi multiplicationis ex dimensione esse videtur: quia et in genere substantiae multiplicatio fit secundum divisionem materiae; quae nec intelligi posset nisi secundum quod materia sub dimensionibus consideratur: nam, remota quantitate, substantia omnis indivisibilis est, ut patet per Philosophum in I *Physicorum**.

Manifestum est autem quod in aliis generibus accidentium, multiplicantur individua eiusdem speciei ex parte subiecti. Et sic relinquitur quod, cum in huiusmodi sacramento ponamus dimensiones per se subsistere; et alia accidentia in eis sicut in subiecto fundari: non oportet nos dicere quod accidentia huiusmodi individuata non sint; remanet enim in ipsis dimensionibus individuationis radix.

* Cf. Cap. LXII. *Tertia difficultas.*
* L. c. *Huiusmodi autem.*
* Cap. LXIII. *Inter accidentia.*
* Cap. LXII, *Nec possunt.*
* Cf. *Metaph.* II, 5; s. Th. III, lect. XIII.
* Cf. *Phys.* II, cap. 2; s. Th. lect. III,
* Cap. LXII, *Accidentia etiam*
* Aristot. *Categor.* Cap. IV, II 1.
* Cap. III, s. Th I. VI.

16 conservatione] de conservatione Pc.
16 in eadem specie *post* possit accidere DEX. 20 divisionem *Ita* BCsE; dimensionem *ceteri*; cf. cap. 63, p. 201 b 37.

### Commentaria Ferrariensis

I. Ad ea quae tertio loco difficultatem faciunt*, *dicit primo* Sanctus Thomas, quod negari non potest accidentia panis et vini remanere: cum sensus hoc infallibiliter demonstret.

*Dicit secundo,* quod his neque corpus Christi aut sanguis afficitur, neque aeris substantia: sed sunt sine subiecto; modo tamen praedicto*, scilicet ut sola quantitas dimensiva sine subiecto subsistat, et ipsa aliis accidentibus sustentamentum* praebeat.

*Dicit tertio,* ad primam rationem in oppositum*, quod non est impossibile quod accidens, virtute divina, subsistere possit sine subiecto. Quia sicut divina virtus potest producere effectus quarumcumque causarum secundarum sine ipsis causis secundis, tum propter eius infinitatem, tum quia omnibus causis secundis largitur virtutem agendi; ita et effectus earum potest sine eis conservare in esse. Et hoc modo in hoc sacramento conservat accidens in esse, sublata substantia quae ipsum conservabat.

*Dicit quarto*, quod hoc praecipue dici potest de quantitatibus dimensivis: quas etiam Platonici subsistere posuerunt, quia secundum intellectum separantur. Plus enim potest Deus in operando quam intellectus in apprehendendo.

*Dicit quinto,* ad secundam obiectionem*, quod quantitas dimensiva inter accidentia reliqua habet hoc proprium, quod ipsa secundum se individuatur; quia *positio,* quae est ordo partium in toto, in eius ratione includitur. Ubicumque autem intelligitur diversitas partium eiusdem speciei, necesse est intelligi individuationem. Unde non possunt apprehendi multae albedines nisi secundum quod sunt in diversis subiectis: possunt autem apprehendi multae lineae etiam si secundum se considerentur, propter situs diversitatem.

*Dicit sexto,* ex praemissis, quod prima radix multiplicationis ex dimensione esse videtur. Quia et in genere substantiae, multiplicatio fit secundum divisionem materiae: quae nec intelligi potest nisi secundum quod materia sub dimensionibus consideratur, cum, remota quantitate, omnis substantia sit indivisibilis, ut dicitur I *Physicorum**. Accidentia vero eiusdem speciei ex parte subiecti multiplicantur.

*Infert septimo,* ad secundam obiectionem respondendo, quod non oportet nos dicere in huiusmodi sacramento accidentia individuata non esse, cum ponamus dimensiones per se subsistere, et alia accidentia in eis sicut in subiecto fundari: quia in ipsis dimensionibus remanet individuationis radix.

* Cf. cap. LXII.
* Vide l. c. in textu.
* Cf. text. et var. (*solius Pianae*, in Praef.).
* Cap. LXII. *Nec possunt.*
* L. c. *Accidentia etiam.*
* Vide l. c. in textu.

2. Advertendum primo, quod ex ista responsione vult Sanctus Thomas ad hanc propositionem, *Accidentia non possunt individuari nisi per subiectum,* dicere, quod habet veritatem de aliis accidentibus a quantitate: non autem de ipsa quantitate.

Advertendum secundo, cum dicat *virtute divina accidens posse sine subiecto conservari,* et tamen quod *non possunt apprehendi multae albedines nisi secundum quod sunt in diversis subiectis,* quod mens ipsius est, ut superius* ad Scotum (1) dicebatur, posse quidem omne accidens divina virtute sine subiecto subsistere, non posse tamen sic sine subiecto subsistere quod individuationem retineat, secundum ea scilicet quae nobis nota sunt.

* In *dicto sexto.*

Quomodo autem quantitas aliis praebeat sustentamentum; similiter quomodo sit radix multiplicationis; ostensum est in praecedentibus*.

* Hic supra in *dicto quinto et sexto,* et cap. LXIII, num. X.

Advertendum tertio, circa hanc propositionem, *Divina virtus potest producere effectus quarumcumque causarum secundarum sine ipsis causis secundis,* quod habet veritatem de causis efficientibus, non autem de causis materialibus et formalibus. Unde rationem huius assignat Sanctus Thomas, *quia omnibus huiusmodi causis largitur virtutem agendi.* Non habet etiam veritatem – secundum opinionem ponentium quod propria passio, quae est entitas realiter distincta a subiecto, etiam per Dei potentiam separari a suo subiecto non potest, – de omni effectu causae secundae: sed tantum de effectu producto ab ipsa per actionem mediam. Unde dicunt quod non potest producere passionem sine subiecto, quia a subiecto per naturalem concomitantiam effluit, non autem per actionem mediam.

II. Sed circa praedicta occurrunt quaedam dubia.

Circa enim *tertium dictum* dubitatur. Primo, quia videtur repugnare accidenti ut sit sine subiecto: cum accidentis ratio sit quod est *ens in subiecto habens esse.*

2. Secundo. Non videtur maior ratio quod Deus possit facere accidens proprium alicuius sine ipso esse, quam quod possit facere ipsum subiectum sine proprio accidente. Sed secundum Deus non potest. Ergo nec primum.

Maior videtur manifesta: quia magis dependet propria passio a suo proprio subiecto, a quo habet esse et sustentamentum, quam subiectum a suo accidente, quod secundum naturam est quolibet suo accidente prius.

Minor vero probatur multipliciter. Primo. Conclusio demonstrationis est per se*, et necessaria**, et incorruptibilis***, secundum Aristotelem, I *Poster.**. Sed propositio in qua praedicatum est propria passio subiecti, est conclusio demonstrationis. Ergo est necessaria et incorruptibilis. Ergo praedicatum non potest a subiecto separari. Ergo, virtute etiam divina, subiectum non potest esse sine propria passione.

* S. Th. lect XIV.
** L. XIII.
*** L. XVI.
* Cap. VI-VIII.

Secundo. Anima, per divinam potentiam, non potest esse sine suis potentiis. Ergo etc. – Probatur antecedens auctoritate Sancti Thomae in Qu. *de Spiritualibus,* a. XI, ad 7; et in Qu. *de Anima,* a. XII, ad 7, ubi tenet quod *anima nec esse nec intelligi potest sine suis potentiis, quia hic esset repugnantia intellectuum;* et idem universaliter de omni subiecto ait respectu propriae passionis.

Tertio. Relatio creationis est propria passio creaturae. Sed sine hac, nec etiam virtute divina, potest esse creatura: ut tenet Sanctus Thomas, *Quolib.* VII, a. 10, ad 4. Ergo etc.

* Cap. XXV, *Praeterea Cum.*

Quarto. Ut in Secundo Libro* dixit Sanctus Thomas, *Deus non potest facere triangulum non habere tres angulos aequales duobus rectis.* Sed constat quod haec est passio trianguli, quae in I *Euclidis** de ipso demonstratur. Ergo etc.

* Prop. XXXII.

Quinto. Si Deus faceret angelum sine intellectu, aut solem sine luce, quaeritur an angelus esset intellectivus, et sol lucidus, necne? Si detur primum, sequitur quod erit effectus formalis sine forma. Si vero secundum, sequitur quod res erit absque eo quod est de eius essentia: angelus enim essentialiter est intellectualis, et sol lucidus. Sed utrumque horum est secundum se impossibile. Ergo etc.

III. Contra *ultimum dictum* arguitur ratione adducta a Scoto, IV *Sent.,* d. XII, q. IV*, quod etiam alia quaedam accidentia in sacramento remanent sine subiecto, praeter quantitatem: quia, cum species Eucharistiae rarefiant et condensentur, rarefactio et condensatio nullum habent subiectum.

* Ven. 1497, p. 60 v b.

Probatur. Quia tunc *quantitas prior et quantitas posterior est alia et alia; et nihil prioris remanet in posteriori, et nihil posterioris praefuit in priori.* Quod probatur, tum *quia terminos motus oportet esse incompossibiles, ex* V *Physic.**; tum *quia quaelibet pars rarioris est maior secundum quantitatem quam prius;* per consequens *quaelibet est quanta nova quantitate.*

* Cap. I, s. Th. lect. I, II.

IV. Ad primum horum* dicitur, ex doctrina Sancti Thomae *Quarto,* d. XII, q. I, a. 1*; et *Tertia,* q. LXXVII, a. 1*, quod ratio et definitio accidentis non consistit in hoc quod sit ens in alio existens, sed quod sit natura *cui debetur esse in alio:* et hoc nunquam potest ab accidente separari. Esse autem actualiter in alio, ab eo separari potest: quia non inconvenit quod alicui debetur secundum rationem suae quidditatis, ei, divina virtute agente, non convenire.

* Cf. num. II, *Primo, quia.*
* Qua 1, ad 2.
* Ad 2.

Sed advertendum quod aliquid deberi alicui secundum rationem suae quiddidatis, dupliciter intelligi potest. Uno modo, quia est de ratione quidditatis, sicut *rationale* debetur homini secundum suam quidditatem: et sic constat nulla virtute hoc separari posse ab eo cui sic debetur. Alio modo, quia concomitatur quidditatem et naturam rei suae naturae et suae virtuti derelictam, sicut comburere materiam dispositam approximatam, debetur igni secundum rationem suae quidditatis. Et tale non inconvenit per divinam virtutem removeri a re, et sibi non convenire: sicut ignis, virtute divina agente, pueros in fornace Chaldaeorum positos non combussit*. Et sic intelligimus hic posse divina virtute, non convenire rei quod sibi secundum rationem propriae quidditatis debetur. Nam inesse subiecto isto secundo modo, debetur accidenti ratione suae quidditatis.

* *Daniel,* cap. III.

V. Ad difficultatem tactam in secundo argumento *, scilicet, *An subiectum possit a propria passione separari?* consideratis diligenterque examinatis iis quae in doctrina Sancti Thomae habentur expresse, videtur mihi ad mentem eius dicendum quod, sicut Deus potest facere ut accidens sit sine substantia, quamvis hoc naturaliter fieri non possit, ita potest facere ut subiectum habeat esse in natura sine propria passione, quamvis hoc natura non possit efficere. Et loquor de passione quae est accidens a subiecto realiter distinctum: non autem de non-repugnantia ad aliquid, quam quidam dicunt nomine propriae passionis significari.

* Cf. num. II, 2.

2. Moveor primo quia, si repugnaret virtuti divinae facere subiectum esse sine propria passione, hoc non posset esse nisi quia implicaretur absolute contradictio: hoc enim solum, ut superius * patuit, virtuti divinae non subditur. Sed hoc est falsum. Ergo etc.

* Lib. II, cap. XXV.

Probatur minor. Si implicat contradictionem subiectum esse sine passione, *aut* hoc est quia passio sit de essentia subiecti; *aut* quia subiectum est eius causa materialis; *aut* quia est eius causa finalis; *aut* quia est eius causa efficiens per veram productionem mediam; *aut* quia est eius causa per naturalem resultantiam.

Non primum: cum passio essentiam subiecti non ingrediatur, sed magis subiectum ingrediatur definitionem passionis, ut patet ex I *Posteriorum**.

* Cap. IV, s. Th. lect. X. Cf. *Metaph.* VI, cap. V, (s. Th. VII, lect. IV).

Non etiam secundum. Quia non est de ratione causae materialis absolute, inquantum huiusmodi, quod non possit esse sine accidente sibi inhaerente; cum videamus subiectum aliquod de uno accidente mutari in aliud, sicut et materia de una forma in aliam mutatur.

Non etiam tertium. Quia non repugnat finem esse absque eo quod ordinatur ad finem, quando ordinatum ad finem non est causa finis, sed est posterius ipso, tanquam prae-

(1) Forte legendum *ad sextum* pro *ad Scotum?* vel *inferius* pro *superius?* Obiectio Scoti huic observationi aliquatenus correspondens habetur infra num. III.

supponens, ordine naturae, finem esse. Hoc autem modo, passio ordinatur ad subiectum tanquam ad finem.

Non etiam quartum. Tum quia ubique tenet Sanctus Thomas quod subiectum non est causa passionis per actionem mediam. – Tum quia, sicut quamlibet causam agentem Deus applicat ad actionem, ita quod sine divina motione nulla causa secunda potest agere, ut ex superioribus * constat; ita omnem actionem causae agentis, per subtractionem sui influxus suspendere Deus potest.

* Lib. III, cap. LXIX seqq.

Non denique quintum, quod magis videri posset. Quia ignem naturaliter concomitatur actio combustiva materiae dispositae absque media actione: non enim actio provenit ab agente mediante alia actione; et tamen prohibuit Deus hanc actionem quando tres illi pueri fuerunt positi in fornace ignis, de quibus apud Danielem fit mentio. Ergo etc.

Sed quia fortassis posset dici quod illud fecit Deus causando aliquod accidens indisponens corpora puerorum illorum ad ignis actionem per modum corrumpentis suscipiendam, quamvis hoc non habeat ex Scripturis fundamentum, aliter probatur propositum. Nullam enim implicat contradictionem, quod est altero naturaliter prius, et ab ipso nullo modo secundum suum esse dependet, absque illo, saltem per divinam potentiam, inveniri: immo videtur implicare quod per divinam potentiam non possit esse sine illo, et tamen secundum suum esse ab ipso non dependeat; sequitur enim quod dependeat et non dependeat ab ipso. Sed id ex quo aliquid per naturalem resultantiam profluit, est prius naturaliter eo, sicut causa suo effectu; et ab ipso nullo modo secundum suum esse dependet, cum illud neque pars eius sit, neque necessaria partis dispositio, sed totum in sua perfectione constitutum praesupponat. Ergo etc.

3. Moveor secundo, quia esse proprium actualis existentiae non minus sequitur formam positam in natura, quam passio suum subiectum sequatur: per se enim consequitur formam, ut superius est declaratum, Lib. II, cap. LV*; et convenit sibi secundum quod ipsum, sicut rotunditas circulo, ut ibidem dicitur a Sancto Thoma. Sed in Christo anima non habet proprium esse: ut est de mente Sancti Thomae*, secundum communem opinionem Thomistarum. Ergo etc.

* Cf. Comm. ibi num. III seqq.

* Cf. supra cap. XXXV. Comm. num. VIII, IX.

Moveor tertio, quia Sanctus Thomas *Quolib.* IX, a. 5, ad 1, ait quod, non obstante quod subiectum in definitione accidentis ponatur propter naturalem dependentiam accidentis a subiecto, Deus potest accidentia sine subiecto conservare: *nec tamen sequitur contradictoria esse simul vera, quia subiectum non est de substantia accidentis.* Sed ista ratio etiam invenitur in subiecto respectu accidentis proprii: quia scilicet non est de substantia sui subiecti, immo nec etiam de ratione eius. Ergo etc. – Confirmatur. Quia, licet inhaerentia aptitudinalis sit de essentia accidentis, inhaerentia tamen actualis est eius propria passio, utpote ipsum naturaliter et necessario concomitans, si suae naturae relinquatur. Et tamen, per divinam potentiam, fit accidens sine subiecto in sacramento Altaris. Ergo etc.

Moveor quarto, quia Sanctus Thomas IV *Sent.*, d. X, a. 2 qu[a] 3, ad 3, tenet quod *Deus posset facere quod substantia corporis Christi sine propriis accidentibus esset: quamvis non posset facere ut esset absque illis sine sui mutatione.* Ergo etc.

Moveor quinto, quia *Pot.*, q. V, a. 7; et IV *Sent.*, d. LVII, q. II, a. 2, qu[a] 2, non habet Sanctus Thomas pro impossibili quod elementa post mundi innovationem remaneant absque propriis qualitatibus, licet hoc non putet probabile. Immo ibi videtur admittere quod possint ad tempus per violentiam removeri. Ergo, virtute divina, possunt a suis passionibus separari.

4. Moveor sexto, quia *Prima*, q. LXVI et LXVII; et II *Sent.*, d. XIII et XIV, non reputat Sanctus Thomas impossibilem illorum positionem qui in universi creatione successionem secundum durationem fuisse tenent: immo eam pro viribus nititur salvare: Sed illa positio, etiam secundum Sancti Thomae expositionem, tenet quod corpora prius fuerunt quantum ad formas substantiales producta, deinde proprias virtutes acceperunt, sicut lucem et alias proprietates. Ergo divina virtute fuit factum ut substantia esset sine sua proprietate, puta sol sine luce. – Nec sufficit dicere quod acceperunt lucem et alias virtutes non quantum ad earum entitatem, sed quantum ad productionem alicuius effectus. Quia ex verbis Sancti Thomae manifeste apparet quod loquitur de virtutibus quantum ad earum entitatem, quarum collationem dicit ad opus distinctionis et ornatus, non autem ad opus creationis pertinere. Unde in locis praeallegatis tenet quod per opus distinctionis collatae sunt rebus antea creatis virtutes activae et passivae communes ad omnem speciem moventes; per opus autem ornatus collatae sunt virtutes moventes ad determinatas species.

Sed circa hanc rationem dubium occurrit. Nam de mente Augustini *, in prima rerum creatione non queritur miraculum, sed quid natura rerum habeat. Sed absque miraculo non potest subiectum esse sine propria passione: cum hoc sola divina virtute fieri possit, [Ergo,] secundum mentem Augustini, non debuit in mundi creatione prius produci substantia, et postea dari illi passio. Et sic ratio adducta nulla est: quia super falso fundatur.

* *De Gen. ad litt.* II, cap. I (P.L. XXXIV, 263). – Cf. I, q. LXVII, 4, ad 3.

Respondetur, quod hoc non fuit absolute miraculum, licet tantum virtute divina fieri posset: nam natura rei sic exigebat. Ut enim dicitur II *Sent.*, d. XII, a. 2 in responsionibus ad argumenta, *in creatione non tantum debuit ostendi potentiae divine virtus, sed etiam sapientiae ordo, ut quae prius natura sunt, prius etiam instituerentur**. Quamvis enim natura rei iam perfectae exigat ut simul sit substantia cum omnibus suis proprietatibus, natura tamen rei ut est in suo fieri, exigit ut unum prius alio producatur: *sicut in homine perfecto cor sine aliis partibus animalis esse non potest; in formatione tamen embryonis, cor ante omnia membra formatur**.

* Ad 4.

* Ad 6.

Moveor postremo, quia Capreolus, in IV *Sent.*, d. XLIV, q. III, ad argg. Durandi et Scoti contra 3 concl., respondendo, expresse tenet, sequendo opinionem Petri de Palude, Deum posse subiectum a propria passione separare: ut patet cum, per miraculum, duo corpora sunt in eodem loco.

Ex iis itaque constat secundum mentem Sancti Thomae esse quod non repugnat Deum posse propriam passionem a suo subiecto separare, quamvis hoc virtute naturae fieri nullo modo possit.

VI. Ad ea autem quae in oppositum adducuntur *, respondetur. Ad primum quidem dicitur primo, quod aliter loquendum est de propositionibus necessariis in primo modo dicendi per se: et aliter de necessariis secundi modi perseitatis. Nam illae nullo modo esse falsae possunt, et opposita ipsarum per se contradictionem implicant. Ideo non potest per divinam potentiam subiectum a praedicato separari: non enim ab homine tolli potest quin sit rationalis. Istae vero, licet naturaliter falsae esse non possint, id est, licet nulla causa naturalis possit eas falsificare separando praedicatum a subiecto, et subiectum suae naturae derelictum non possit absque praedicato esse, cum praedicatum naturali concomitantia subiectum concomitetur: possunt tamen per divinam potentiam esse falsae, cum possit Deus praedicatum a subiecto separare.

* Cf. num. II, 2. *Minor vero.*

Dicitur secundo quod, licet virtute divina falsificari possint, Aristoteles tamen et alii philosophi dicunt ipsas esse necessarias et sempiternae veritatis, quia considerant quid naturae rei conveniat secundum se ab intrinseco: non autem quid sibi divino miraculo possit accidere.

Non approbo autem illam responsionem, quae fortassis dari posset: illas scilicet propositiones esse necessarias quando praedicatum ipsarum dicit subiecti naturam, non autem quando dicit accidens superadditum naturae subiecti; sicut quod ista est necessaria, *homo est risibilis*, si significet hominem habere naturam quae est nata ridere; non autem si significet hominem habere accidens aliquod per quod ridere possit. Nam tunc illa propositio, proprie loquendo, secundum mentem philosophorum, non esset in secundo, sed in primo modo per se: quia praedicatum esset de essentia subiecti.

VII. Ad secundum *, negatur assumptum. Ad auctoritatem Sancti Thomae dicitur primo, quod non loquitur

* Num. II, 2. *Secundo.*

de anima et potentiis in ordine ad virtutem divinam, sed in ordine ad virtutem naturae.

Dicitur secundo, quod esset repugnantia intellectuum si anima suae naturae derelicta esset absque propriis ipsius animae potentiis: quia sequeretur ipsas animae potentias esse naturales animae, et non esse naturales. Non autem esset repugnantia intellectuum si virtute divina fieret anima absque suis potentiis: quia non repugnat aliquid necessario aliud, suae naturae derelictum, concomitari; et tamen virtute divina fieri ut non sequatur ex eo; ut patet ex iis quae in hoc capite superius dicta sunt ad primum argumentum istius primi dubii *.

* Vide num. IV.

VIII. Ad tertium *, secundum eos qui tenent relationem creationis immediate fundari in substantia, et relationem a fundamento non distingui, faciliter responderetur quod talis relatio non potest separari a creatura, quia est idem realiter quod creatura. Nos autem loquimur de passione quae dicit entitatem a subiecto realiter distinctam. Ideo ista auctoritas non est ad propositum.

* Num. II, 2. *Tertio.*

2. Sequendo autem opinionem hanc, quod relatio distinguatur realiter a fundamento, quam opinionem superius * ostendimus de mente Sancti Thomae esse: dicitur primo, quod relatio creationis, et omnis alia relatio consequens dependentiam creaturae a Deo, non est passio creaturae, sed est de ratione eius, inquantum est ens a Deo dependens, quod ad ipsa nullo modo potest removeri: non enim a Deo fieri potest ut creatura ab ipso non dependeat, sicut non potest facere quod sine ipsius actione conservetur in esse. Unde, licet sit accidens creaturae talis relatio, est tamen de ratione eius: sicut accidentia Sortis quibus individuatur, sunt de eius ratione, et ponerentur in definitione eius si definiretur, inquantum individuum est quantitative et numeraliter ab aliis distinctum. Nam quamvis possit huiusmodi relatio dici proprietas et accidens rei inquantum non constituit rei essentiam, non est tamen proprie passio: quia est de ratione rei creatae inquantum creatura existens est ens a Deo dependens.

* Cap. XIV, Comm. num. X seqq.

Et ad hunc sensum intelligitur dictum Sancti Thomae *Prima Parte,* q. XLIV, a. 1, ad 1, cum ait quod talis habitudo *non intrat definitionem entis quod est causatum, sed sequitur ad ea quae sunt de ratione eius.* Sensus est enim quod non ingreditur definitionem talis entis tanquam pars substantiae et essentiae eius, sed est accidens talem substantiam concomitans inquantum talis est: est tamen de ratione eius inquantum est ens participans esse ab alio. Nec obstat quod datur exemplum de risibili: quia similitudo inter risibile et hanc relationem intelligitur quantum ad hoc quod est esse extra essentiam et substantiam rei, non autem quantum ad hoc quod est esse passionem. Quod autem non sit passio creaturae, manifeste habetur *Pot.*, q. III, a. 3, ad 3, ubi inquit Sanctus Thomas quod est tale accidens *quod non causatur ex principiis subiecti.*

Per hanc solutionem multae aliae possunt instantiae solvi, quibus adducuntur aliqua pro passionibus rerum, eo quod sint ipsarum accidentia, cum tamen non sint, proprie loquendo, passiones, sed sint de rei definitione, uti substantiae determinationes: sicut et accidentia et individualia sunt de ratione individui.

3. Dicitur secundo, quod ex illo potius habetur, quod Deus possit subiectum a passione separare, quam habeatur oppositum. Nam postquam dixit Sanctus Thomas quod Deus non potest facere quod creatura sit sine relatione creationis et similibus accidentibus, quae scilicet dependentiam eius ad Deum consequuntur, subiungit quod tamen *Posset facere quod absque aliis accidentibus esset.* Et constat quod loquitur de omnibus aliis accidentibus: quia hoc petebat argumentum ad quod respondet.

IX. Ad quartum * posset primo dici, quod passiones mathematicorum non distinguuntur realiter ab ipsis. Ideo quod triangulus non possit esse quin habeat tres angulos aequales duobus rectis, non obstat proposito: cum nos loquamur de passione quae a subiecto realiter distinguitur.

* Num. II, 2. *Quarto.*

Sed quia non magis relatio aequalitatis angulorum trianguli ad angulos rectos videtur esse idem realiter cum suo fundamento quam aliorum aequalitas: potest, secundo, melius dici: quod triangulum habere tres angulos duobus rectis aequales, potest dupliciter intelligi: uno modo, quod habeat actualiter relationem aequalitatis ad duos angulos rectos; alio modo, quod habeat illam aequalitatem fundamentaliter et radicaliter, id est, quod sit talis res ad quam naturali concomitantia nata est talis relatio sequi.

Si primo modo intelligatur, dico quod aequalitas potest separari a triangulo, non solum per divinam potentiam, sed etiam naturaliter, si poneretur posse naturaliter fieri ut in natura nulli essent anguli recti: nam, remoto termino, desineret esse relatio.

Si autem intelligatur secundo modo, sic aequalitas illa non potest a triangulo separari: sicut a corpore bicubito potest separari quod non habeat relationem actualem dupli ad corpus unius cubiti, puta si nullum esset corpus unius cubiti; non potest tamen ab eo separari quin sit tale quod ad sui naturam nata est sequi talis habitudo. Et ad hunc sensum intellexit Sanctus Thomas a triangulo non posse removeri quin habeat tres angulos aequales duobus rectis.

Sed tunc dicitur quod habere tres angulos aequales duobus rectis isto modo, non est passio trianguli, sed est essentia et natura trianguli: nisi forte diceretur ratio posterior habere modum passionis respectu rationis prioris, quo modo fortassis Euclides istam rationem trianguli per aliam eius rationem probat.

Quod autem ista sit mens Sancti Thomae, patet, quia ibidem connumerat hoc cum illis propositionibus quarum contraria non possunt fieri a Deo, quia a principiis formalibus rei sumuntur, sine quibus non potest a Deo fieri ut res sit in natura. Unde dat exemplum de ista propositione, *Genus est praedicabile de specie,* dicens quod contrarium eius Deus facere non potest. Constat autem, quod esse praedicabile de specie, est de ratione et essentia generis inquantum genus est, cum illud sit generis definitio. Constat etiam quod habere fundamentaliter relationem hanc quae est praedicari de specie, necessario convenit, et est de natura et essentia illius rei quae est genus: non autem ipsa actualis relatio, cum illa non conveniat rei nisi secundum quod est in intellectu. Ideo non accipit istas propositiones Sanctus Thomas tanquam propositiones per se in secundo modo, sed tanquam propositiones per se in primo modo. Aut, si accipit tanquam propositiones secundi modi, accipit eas ut praedicatum dicit aliquam rationem a ratione subiecti distinctam et illa posteriorem, non autem ut dicit entitatem a subiecto realiter distinctam.

X. Ad quintum * dicitur quod aliquid esse intellectivum dupliciter potest intelligi: uno modo, quia habet essentiam et naturam cui convenit ut sit radix et primum principium intelligendi, sive ad quam nata est sequi potentia intellectiva; alio modo, quia habet in se proximum principium intelligendi. In illo casu, angelus esset intellectivus primo modo, non autem secundo modo: et similiter dicitur quod illo modo sol esset lucidus. – Non sequitur autem, si primo modo sint talia, quod effectus formalis sit absque sua forma: quia esse intellectivum illo modo non est effectus potentiae intellectivae, sed naturae et essentiae rei; immo potius est essentia et natura rei. – Non sequitur etiam, si secundo modo angelus non sit intellectivus, quod sit absque eo quod est de essentia rei; quia esse illo modo intellectivum non est de essentia rei, sed naturam et essentiam rei, sibi derelictae et per divinam potentiam non impeditae, concomitatur.

* Num. II, 2, *Quinto.*

Istam responsionem intellexit Sanctus Thomas I$^{a}$ II$^{ae}$, q. CX, a. 4, ad 4, ubi ait quod, *si anima esset sine suis potentiis, adhuc tamen diceretur intellectualis vel rationalis: non quia actu haberet istas potentias; sed propter speciem talis essentiae ex qua natae sunt tales potentiae effluere.*

Patet itaque ad rationem principaliter adductam *, quod minor est falsa; et quod rationes ad eius probationem adductae non concludunt.

* Cf. num. II, 2, *Minor vero.*

XI. Ad dubium contra ultimum dictum *. dicitur primo, quod tunc rarefactio et condensatio habent pro subiecto ipsam quantitatem sacramenti, si sint motus ad qualitatem.

* Cf. num. III.

Si autem sint motus ad quantitatem, sunt ipsa quantitas: et sic non sequitur aliud accidens praeter quantitatem, sine subiecto esse.

Dicitur secundo, quod falsum est in rarefactione et condensatione corrumpi totaliter primam quantitatem, et novam omnino advenire. Potest enim quantitas, eadem numero manens, nunc accipere maiorem extensionem, nunc minorem: ut videtur esse de mente Sancti Thomae IV *Physic.**; I$^{a}$ II$^{ae}$, q. LII, a. 2, ad 1; et II$^{a}$ II$^{ae}$, q. XXIV, a. 5, ad 1.

*Cap. VII. 7. s. Th. lect. X: clarius cap. IX, 6: lect. XIV, text. 84.

Ad primam huius improbationem dicitur quod termini motus formaliter sumpti sunt incompossibiles: non autem sumpti materialiter, ut patet in intensione et remissione eiusdem formae. Unde si motus rarefactionis et condensationis ponatur primo ad quantitatem terminari, eadem quantitas est terminus a quo et terminus ad quem, sed sub alio et alio gradu. Nam, ut dicitur II$^{a}$ II$^{ae}$*, quantitas, inquantum est forma accidentalis, habet augmentum per modum intensionis et remissionis, sicut et aliae formae accidentales, licet hoc sibi non conveniat inquantum est quantitas. Si autem talis motus ponatur primo terminari ad qualitatem, ponendo quod raritas et densitas sint qualitates, ut videtur velle Sanctus Thomas *Tertia*, q. LXXVII, a. 2, ad 3, patet quod terminus a quo et terminus ad quem non sunt omnino idem.

*L. c.

Per hoc patet responsio ad secundam obiectionem. Nam ista consequentia non valet, *Quaelibet pars rarioris est rarior. Ergo est quanta nova quantitate.*

De hac materia vide apud Capreolum, *Secundo*, d. XVIII*; et *Quarto*, d. XII, q. 1*.

*Concl. 4, cum suis obiect. et solut.

*Conclusio 1.

# CAPITULUM SEXAGESIMUM SEXTUM

## SOLUTIO EORUM QUAE OBIICIEBANTUR EX PARTE ACTIONIS ET PASSIONIS.

*Cf. Cap. LXII. *Quarta difficultas.*

His autem consideratis, quae ad quartam difficultatem pertinent consideranda sunt*. Circa quae aliquid quidem est quod de facili expediri potest: aliquid quidem est quod maiorem difficultatem praetendit.

Quod enim in hoc sacramento eaedem actiones appareant quae prius in substantia panis et vini apparebant, puta quod similiter immutent sensum, similiter etiam alterent aerem circumstantem, vel quodlibet aliud, odore aut colore: satis conveniens videtur ex his quae posita sunt. Dictum est enim* quod in hoc sacramento remanent accidentia panis et vini: inter quae sunt qualitates sensibiles, quae sunt huiusmodi actionum principia.

*Cap. LXIII. *Sciendum tamen*; et cap. praec.

Rursus, circa passiones aliquas, puta quae fiunt secundum alterationes huiusmodi accidentium, non magna etiam difficultas accidit, si praemissa supponantur. Cum enim praemissum sit* quod alia accidentia in dimensionibus fundantur sicut in subiecto, per eundem modum circa huiusmodi subiectum alteratio aliorum accidentium considerari potest, sicut si esset ibi substantia; ut puta si vinum esset calefactum et infrigidaretur, aut mutaret saporem, aut aliquod huiusmodi.

*Cap. LXIII. *Inter accidentia.*

Sed maxima difficultas apparet circa generationem et corruptionem quae in hoc sacramento videtur accidere. Nam si quis in magna quantitate hoc sacramentali cibo uteretur, sustentari posset, et vino etiam inebriari, secundum illud Apostoli I *Cor.* XI$^{21}$, *Alius esurit, alius ebrius est:* quae quidem accidere non possent nisi ex hoc sacramento caro et sanguis generaretur; nam nutrimentum convertitur in substantiam nutriti; – quamvis quidam* dicant hominem hoc sacramentali cibo non posse nutriri, sed solum confortari et refocillari, sicut cum ad odorem vini confortatur. Sed haec quidem confortatio ad horam accidere potest: non autem sufficit ad sustentandum hominem, si diu sine cibo permaneat. Experimento autem de facili inveniretur hominem diu sacramentali cibo sustentari posse.

*Cf. Ed. Leon. ad III$^{am}$, qu. 77, a. 6.

Mirandum etiam videtur cur negent hominem hoc sacramentali cibo posse nutriri, refugientes hoc sacramentum in carnem et sanguinem posse converti: cum ad sensum appareat quod per putrefactionem vel combustionem in aliam substantiam, scilicet cineris et pulveris, convertatur.

Quod quidem difficile tamen videtur: eo quod nec videatur possibile quod ex accidentibus fiat substantia: nec credi fas sit quod substantia corporis Christi, quae est impassibilis, in aliam substantiam convertatur.

Si quis autem dicere velit quod, sicut miraculose panis in corpus Christi convertitur, ita miraculose accidentia in substantiam convertuntur: primum quidem, hoc non videtur miraculo esse conveniens, quod hoc sacramentum putrescat, vel per combustionem dissolvatur; deinde, quia putrefactio et combustio consueto naturae ordine huic sacramento accidere inveniuntur: quod non solet esse in his quae miraculose fiunt.

Ad hanc dubitationem tollendam quaedam famosa positio est adinventa, quae a multis* tenetur. Dicunt enim quod, cum contingit hoc sacramentum in carnem converti aut sanguinem per nutrimentum, vel in cinerem per combustionem aut putrefactionem, non convertuntur accidentia in substantiam; neque substantia corporis Christi; sed redit, divino miraculo, sub-

*Ex. g. Inn. III; Alex. Hal.; s. Bonav. Cf. Ed. Leon. l. c. a. 5.

3 quae] quam α. quidem est... quidem est] est... quidem est WX*cd*, quidem est... vero est Z, est... au em P. 7 hoc *om* Pc. 11 aut] vel DEGX*b*. 12 conveniens *Ita* DGYZ; conveniens esse *b*, ostensum X, consequens α EWsG. 33 l. *Ita* Pc; *om ceteri.* alius *alt. loco*] et alius DEX, alius autem P*d*. 35 generaretur] generatur EG.

1 quamvis quidam dicant] quam quidam dicunt EG. 7 de facili *post* inveniretur DEGX. 15 quidem *om* DEGHX. 20 quod sicut miraculose *om* EG, quod sicut DX. 23 primum] primo Z. 29 Ad hanc] autem *addit* Y. 31 cum] omnium α, *om* WZ, quando sW *a scriptore.* 33 per *Ita* WZsG; aut BHP*c*, vel CF, aut per DEXY*b*, *rasa* pG.

stantia panis quae prius fuerat, et ex ea generantur illa in quae hoc sacramentum converti invenitur.

Sed hoc quidem omnino stare non potest. *Cap. LXIII, *Relinquitur igitur.* Ostensum est enim supra* quod substantia panis in substantiam corporis Christi convertitur. Quod autem in aliquid conversum est, redire non potest nisi e converso illud reconvertatur in ipsum. Si igitur substantia panis redit, sequitur quod substantia corporis Christi reconvertitur in panem. Quod est absurdum. – Adhuc, si substantia panis redit, necesse est quod vel redeat speciebus panis manentibus; vel speciebus panis iam destructis. Speciebus quidem panis durantibus, substantia panis redire non potest: quia quandiu species manent, manet sub eis substantia corporis Christi; sequeretur ergo quod simul esset ibi substantia panis et substantia corporis Christi. Similiter etiam neque, corruptis speciebus panis, substantia panis redire potest: tum quia substantia panis non est sine propriis speciebus; tum quia, destructis speciebus panis, iam generata est alia substantia, ad cuius generationem ponebatur quod substantia panis rediret.

Melius igitur dicendum videtur quod in ipsa consecratione, sicut substantia panis in corpus Christi miraculose convertitur, ita miraculose accidentibus confertur quod subsistant, quod est proprium substantiae: et per consequens quod omnia possint facere et pati quae substantia posset facere et pati, si substantia adesset. Unde sine novo miraculo, et inebriare et nutrire, et incinerari et putrefieri possunt, eodem modo et ordine ac si substantia panis et vini adesset.

---

2 in quae hoc] quae in hoc DEX, (generatur illa) quae in hoc G. 8 e converso] eo converso sE; *cf. var seq.* illud reconvertatur *om* DEGX, illud revertatur BY, illud convertatur Z, illud reconvertatur scilicet W. 14 panis *om* BY. 17 esset *post* ibi E. 10 convertitur ita miraculose *hom om* DEGX.

## Commentaria Ferrariensis

*Cf. cap. LXII. QUANTUM ad quartam difficultatem*, *dicit primo* Sanctus Thomas, quod in sacramento easdem actiones apparere quae prius in substantia panis et vini apparebant, satis conveniens videtur ex iis quae posita sunt. Dictum est enim quod remanent accidentia panis et vini: inter quae sunt qualitates sensibiles quae sunt huiusmodi actionum principia. – Similiter circa passiones aliquas, puta quae fiunt secundum alterationem huiusmodi accidentium, non magna est difficultas, suppositis praemissis. Cum enim alia accidentia in quantitate fundentur sicut in subiecto, per eundem modum circa huiusmodi subiectum alteratio aliorum accidentium considerari potest, sicut si esset ibi substantia; puta si vinum esset calefactum et infrigidaretur, aut aliquid huiusmodi.

2 *Dicit secundo,* quod maxima difficultas apparet circa generationem et corruptionem quae in hoc sacramento videtur accidere. Quia si quis in magna quantitate hoc sacramentali cibo uteretur, sustentari posset, et vino etiam inebriari, secundum illud Apost. I *Cor.* XI, *Alius esurit* etc. Quod quidem fieri non posset nisi ex hoc sacramento caro et sanguis generarentur. – Nisi dicatur, ut dicunt quidam, quod non potest homo hoc sacramentali cibo nutriri, sed tantum confortari et refocillari. Quod falsum est. Tum quia haec confortatio ad horam quidem accidere potest, sed non sufficit ad sustentandum hominem si diu sine cibo permaneat: experimento autem de facili inveniretur hominem diu sacramentali cibo sustentari posse. – Tum quia ad sensum apparet per putrefactionem vel combustionem hoc sacramentum in aliam substantiam, scilicet cineris et pulveris, converti.

Hoc autem difficile videtur. Cum nec videatur possibile quod ex accidentibus generetur substantia: nec credi fas sit quod substantia corporis Christi, quae est impassibilis, in aliam substantiam convertatur.

Si dicatur hoc miraculose fieri, non videtur. Tum quia non videtur miraculo conveniens ut hoc sacramentum putrescat, et per consequens dissolvatur. – Tum quia putrefactio et combustio consueto ordine naturae huic sacramento accidere videntur.

3. *Dicitur tertio,* quod ad hanc difficultatem tollendam a multis dicitur in supradicto casu neque accidentia huius sacramenti, neque substantiam corporis Christi in substantiam converti: sed redire, divino miraculo, substantiam panis quae prius fuerat; et ex ea generari illa in quae hoc sacramentum converti invenitur.

Contra hoc autem arguitur, tum quia sequitur ex hoc quod substantia corporis Christi reconvertatur in panem: cum substantia panis in ipsam sit conversa. – Tum quia redire non potest neque speciebus panis durantibus, quia cum, quandiu manent, maneat sub eis substantia corporis Christi, simul tunc esset utraque substantia. Neque ipsis corruptis. Tum quia substantia panis non est sine propriis accidentibus. Tum quia, illis destructis, iam alia substantia est generata, propter cuius generationem ponebatur, substantia panis redire.

4. *Dicit quarto,* quod melius dicendum videtur quod, sicut in ipsa consecratione substantia panis in corpus Christi miraculose convertitur, ita miraculose accidentibus confertur quod subsistant, quod est proprium substantiae; et consequenter quod omnia possint facere et pati quae substantia posset si adesset; et hoc sine novo miraculo.

II. Circa praedicta occurrunt dubia quaedam ex Scoto, *Quarto,* d. XII. Nam q. III*, arguit contra primum dictum** responsionis: quod, inquam, *accidens separatum non possit agere ad formam substantialem neque virtute propria, neque virtute substantiae quam informabat.* Primum probat, quia tunc ageret virtute propria ultra suam speciem.

* Ven. 1497, p. 57 r b. Cf. Capreol. q. 1, a. 2, § 2, II, p. 257. ** De difficultate ex actione et passione.

Secundum vero, tum quia nec ageret per aliquod quod sit in substantia panis, quia ipsa substantia panis nihil est: nec per aliquid quod sit in accidente, quia ibi nihil est ipso accidente nobilius. – Tum quia, cum ipsa substantia panis non sit, non potest habere rationem agentis principalis, ut in virtute ipsius aliquid agat.

2. Contra ultimum vero dictum* arguit q. VI** quod scilicet, *cum ex accidentibus separatis generatur vermis, forma substantialis nova non recipiatur subiective in dimensionibus interminatis;* cuius oppositum videtur in hac responsione velle Sanctus Thomas.

* De difficultate ex gen. et corr. ** L. c. p. 64 r a. Capreol. l. c. § 3, p. 259.

Tum quia *forma substantialis determinatur ad materiam substantialem tanquam ad proprium susceptivum.*

Tum quia *de potentia dimensionis non potest educi forma substantialis: cum ex natura rei non sit in illa ut in proprio potentiali.*

Tum quia *ignis genitus ex illa dimensione et forma substantiali non esset univoce nec uniformiter ignis cum alio igne genito ex forma substantiali et ex materia ignis. Et sic non univoce ageret comburendo hostiam sicut comburendo lignum.*

Tum quia *ignis sic genitus esset ignis mathematicus, ex quantitate scilicet et forma substantiali compositus: et sequi posset talis processus in generationibus et corruptionibus usque ad finem mundi, si ex illo generaretur aqua, et ex aqua aer, et sic in infinitum.*

Tum quia *possibile esset ponere casum quod puer nu-*

*tritus ex istis speciebus usque ad finem vitae suae, non resurgeret nisi compositus ex dimensionibus et forma substantiali.*

III. Ad evidentiam primi dubii, considerandum est primo, quod aliter dicitur instrumentum agentis aliquod separatum quo agens utitur ad suum effectum inducendum: et aliter forma inhaerens qua substantia operatur. Nam instrumentum separatum se habet sicut agens *quod*, subordinatum tamen principali agenti. Forma inhaerens non se habet ut agens *quod*, sed sicut agens *quo*. Una enim et eadem est actio substantiae agentis et ipsius formae: substantiae quidem ut agentis quod elicit actionem; formae vero ut quo ipsa actio elicitur; sicut calefactio elicitur a substantia ignis per calorem sibi inhaerentem.

2. Considerandum secundo, quod aliquid dicitur agere in virtute alterius dupliciter. Aut videlicet quia sibi superadditur aliqua virtus per quam operatur: sicut virtus artis superadditur serrae. Aut quia ipsum est virtus ipsius, et in sua natura habet intrinsecam perfectionem ad agendum, ex eo quod est forma eius: sicut calor naturalis animalis agit in virtute substantiae cui coniungitur, ad conversionem alimenti in substantiam animalis, non quia calori huiusmodi sit aliquid superadditum tanquam accidens eius, sed quia ipse intrinsece et essentialiter habet ut possit ad illum effectum concurrere, tanquam virtus qua animalis substantia operatur, ex eo quod est eius forma. Nam, ut dicitur *De spiritual.*, a. ult., ad 10, *forma accidentalis quae est principium actionis, ipsamet est virtus substantiae agentis.*

In proposito ergo, cum quaeritur an, quando per ipsam vini qualitatem gutta aquae apposita convertitur in vinum, accidentia sacramenti agant ad formam substantialem virtute propria, an virtute alterius? dicitur quod possunt dici agere in virtute propria; et possunt dici agere in virtute alterius. Accidens enim vini, puta calor eius naturalis, dupliciter considerari potest: uno modo, absolute, inquantum est accidens talis speciei de tali genere; alio modo inquantum est accidens talem substantiam determinatam concomitans, scilicet substantiam vini.

Si accipiatur primo modo, sic potest dici agere virtute aliena: quia non habet tale accidens hanc perfectionem ut possit convertere aquam in vinum inquantum calor est, sed inquantum est calor substantiam vini concomitans; et ideo ab alio hanc perfectionem sortitur.

Si vero accipiatur secundo modo, sic potest dici agere virtute propria: quia sibi convenit hoc agere non per aliquid sibi superadditum, sed per propriam naturam, secundum quam est forma accidentalis vini. Et quia accidentia quae remanent in sacramento, retinent idem omnino esse et eandem perfectionem qualem habebant in substantia conversa, ideo eodem modo dicendum est de ipsis quod agunt in virtute propria vel aliena. – Hoc addito, quod agunt etiam virtute divina ipsis superaddita, quae, sicut ea sine substantia conservat, ita ipsis largitur etiam virtutem ut possint agere sine substantia.

Utrum autem ad huiusmodi effectus concurrant qualitates activae tantum quae erant in substantia conversa, an etiam quantitas dimensiva? videretur prima facie dicendum quod solae qualitates ad hoc concurrant. Tum quia quantitas non est forma activa. Tum quia, in substantia conversa existens, non erat eius virtus qua ageret. Sed, hoc non obstante, dicerem ego, salvo semper meliori iudicio, quod ipsa etiam quantitas ad hoc active concurrat. Sicut enim confertur sibi virtute divina quod alia accidentia sine substantia sustentet, et sic teneat vicem substantiae; sic videtur dicendum quod qualitates activae sint eius virtutes, sicut erant virtutes substantiae a qua sustentabantur; et consequenter quod per eas agat, sicut et substantia cui inerant agebat. Licet enim quantitas secundum se non sit forma activa, potest tamen, virtute divina sibi superaddita, formae activae vicem agere: sicut, licet ex se non habeat ut subsistat sine subiecto, nec quod aliis accidentibus sustentamentum praebeat, hoc tamen habet virtute divina.

*Num. II, 1. IV. Ad primum* itaque Scoti patet quid dicendum. Nam eo modo quo conceditur accidens huiusmodi agere virtute propria, non repugnat sibi agere ultra propriam speciem, inquantum est virtus substantiae cui inerat. Agere enim hoc modo virtute propria, non repugnat ei quod est agere virtute aliena, modo dicto. Eo vero modo quo conceditur agere in virtute alterius, patet ex dictis quod non intelligitur hoc quia agat per aliquod absolutum quod esset in substantia quae praeerat; neque per aliquod accidens sibi superadditum; sed quia aliquam perfectionem intrinsecam et essentialem contraxit inquantum erat accidens talis substantiae, quam perfectionem etiam a substantia separatum retinet. Unde illa divisio sumpta in prima ratione, erat insufficiens.

Ad aliam rationem dicitur quod, licet id quod non est, non possit habere rationem agentis principalis tanquam novam actionem elicientis, et novum motum causantis in instrumento, potest tamen habere rationem agentis principalis, inquantum virtus agens ab ipso perfectionem habuit qua potest agere. Et sic dicimus huiusmodi accidentia agere in virtute substantiae quae praefuit: quia, ut dictum est, erant dictae substantiae virtus agendi, et ab ipsa perfectionem hanc contraxerunt ut hunc effectum agere possent.

V. Ad argumenta secundi dubii* dicit Capreolus II *Sent.*, d. 1, q. III *; et IV *Sent.*, d. XII **, quod non procedunt contra mentem Sancti Thomae. *Quia non est mens eius, cum ex accidentibus Eucharistiae generatur aliqua substantia, quod forma substantialis rei noviter generatae ex illis, recipiatur subiective in solis dimensionibus interminatis, et non in aliqua materia: Sed quod huiusmodi dimensiones convertuntur divina virtute in materiam quantam, quae est subiectum talis formae, et pars compositi noviter generati;* ut patet *Quarto*, d. XII, q. 1, a. 2, qu[a] 4; et *Tertia*, q. LXXVII, a. 5, ad 3. In instanti enim generationis novae substantiae, advenit nova materia, non nuda, sed sub nova quantitate, per conversionem scilicet dimensionum sacramenti in ipsam substantiam quantam; et consequenter per corruptionem sive desitionem dimensionum, vicem materiae omni ex parte gerentium, et substantium omnibus transmutationibus praeviis productioni formae substantialis.

* Num. II. 2.
* Concl. 1. cum suis respp.? Expressius d. XVIII, q. 1, concl. 6.
** Q. 1. a. 3, § 3. p. 274.

2. Sed licet hanc viam dicat Sanctus Thomas in locis praeallegatis esse probabilem, aliam tamen viam dicit *Tertia Parte* * probabiliorem esse, et hanc videtur etiam hoc loco tenere: scilicet quod ipsa dimensio sacramentalis sit subiectum formae substantialis rei quae ex ipsa generatur. *Datur enim,* inquit in Tertia Parte, *in ipsa consecratione miraculose quantitati dimensivae panis et vini quod sit primum subiectum subsequentium formarum, quod est proprium materiae. Et ideo ex consequenti datur sibi omne quod ad materiam pertinet. Ideo quicquid posset generari ex materia panis si esset, totum potest generari ex ipsa quantitate dimensiva, non quidem novo miraculo, sed ex vi miraculi facti.*

* L. c.: in fine art.

Item, respondendo ad primum argumentum, quomodo possit aliquid generari ex dimensionibus, cum ibi non sit materia: ait quod, *quamvis non sit ibi materia ex qua aliquid generetur, quantitas tamen supplet vicem materiae.*

Respondendo quoque ad secundum, quomodo ex speciebus possit substantia generari, cum sint accidentia: ait quod *sunt quidem accidentia, sed tamen actum et vim substantiae habent.*

Ex quibus aperte constat ipsum velle, non quod nova adveniat materia in generatione substantiae ex speciebus sacramentalibus, in qua forma substantialis rei generatae recipiatur: sed quod ipsa quantitas sit loco materiae, et quod forma substantialis huiusmodi recipiatur in ipsa tanquam in primo subiecto, virtute divina hoc sibi dante in consecratione.

3. Quod autem hanc viam etiam hoc loco sequatur, patet, tum quia dicit quod *in ipsa consecratione miraculose accidentibus confertur quod subsistant, quod est proprium substantiae, et per consequens quod omnia possint facere et pati quae substantia posset si adesset.* Constat autem quod substantia panis, si adesset, sic corrumperetur in aliam substantiam quod eius materia esset subiectum formae substantialis rei generatae ex ipsa. Ergo et similiter

dicendum est de quantitate. – Tum quia vult ex ipsis accidentibus generari substantiam sine novo miraculo: cum generetur *consueto modo et ordine naturae,* quod in operibus miraculosis non accidit. Constat autem quod creatio novae materiae, aut conversio dimensionis in materiam, non esset sine novo miraculo.

*Sub 1 huius n.v.

4. Ad id autem quod adducitur ex IV *Sent.**, potest dici quod ibi illam sequitur opinionem, quae etiam probabiliter sustineri posset.

Vel potest dici quod illud non tenet absolute, sed sub disiunctione: ut patet in fine corporis articuli, ubi ait quod, *vel,* ipsa eadem numero quantitate interminata remanente, *advenit materia propter naturalem concomitantiam formae ad materiam; vel ipsi dimensioni dabitur virtute divina natura materia propter propinquitatem ad ipsam.*

Et tunc ad sensum huius secundae partis disiunctivae possumus interpretari quod dicit in solutionibus argumentorum. Nam cum ait, ad tertium, quod *dimensiones fiunt unum, scilicet materia dimensionata,* non est sensus quod ipsae, desinentes esse, convertantur in materiam dimensionatam: sed quia ipsa, habens naturam et proprietatem materiae, fit dimensionata dimensionibus terminatis substantiae quae generatur; sicut, cum aer convertitur in ignem, materia aeris fit ignis, inquantum ipsa, eadem manens, suscipit formam ignis.

Cum etiam dicit, ad quartum, *substantiae reditum, vel creationem materiae, vel conversionem dimensionum in materiam, esse miraculosam:* per conversionem dimensionum in materiam, non intelligit desitionem dimensionum et successionem materiae loco ipsarum; sed mutationem ipsius* in proprietatem materiae, inquantum ipsa, eadem manens, in consecratione vim et proprietatem materiae miraculose suscepit.

*Sc. quantitatis dimensivae.

*L. c. sub 1 huius n. v.

5. Quod autem adducitur ex *Tertia Parte**, ubi videtur velle quantitatem dimensivam panis transire in substantiam et dimensionem: non sic est intelligendum quasi ipsa quantitas, desinens, convertatur in substantiam: sed quia ipsa, manens et vim substantiae retinens, suscipit formam substantialem et dimensionem illam consequentem, secundum quod in materia, aut in eo quod locum materiae tenet, recipitur. Sic enim dicitur materia transire in aliquam substantiam dimensionatam.

*Sub II, 2. *Tum quia forma,* et seqq.

VI. Sequendo igitur hanc viam, dicitur ad primum Scoti*, quod forma substantialis, secundum naturae cursum, determinatur ad materiam substantialem: sed miraculose etiam determinatur ad quantitatem tanquam ad ad proprium susceptivum, inquantum virtute divina quantitas habet vim et proprietatem materiae substantialis. – Hoc autem non sic intelligo quasi ipsa receptio formae substantialis in tali quantitate sit miraculosa: sed quia miraculosum est quod quantitas per se subsistat, et materiae proprietatem habeat. Ipsa tamen receptio formae substantialis in quantitate taliter miraculose effecta, est naturalis illa suppositione facta: ut videtur esse de mente sancti Thomae in locis praeallegatis*.

*Sub v, 1.

Ad secundum dicitur quod de quantitate soli naturae suae dimissa forma substantialis educi non potest. Sed bene de quantitate virtute divina habente vim et proprietatem materiae educi potest; et est in ipsa potentialiter, sicut in tenente vicem proprii potentialis.

Ad tertium, negatur sequela. Tum quia, cum univoca sint *quorum ratio est una**; et ratio rei sumatur a forma: ubi aliqua eandem formam secundum speciem habent, illa dicuntur univoca. – Tum quia, cum quantitas huiusmodi omnem proprietatem materiae substantialis habeat, eandem possunt dici habere materiam et quae ex materia naturali constituuntur et quae constituuntur ex huiusmodi quantitate dispositionibus tali speciei convenientibus affecta.

*Arist. *Categ.* 1, 2.

Ad quartum dicitur quod talis ignis non esset mathematicus. Quia non constitueretur ex quantitate ut quantitas est: sed ut habet vim et proprietatem substantiae. – Nec esset inconveniens quod sic procederet in aliquibus generationibus et corruptionibus usque ad finem mundi.

Ad quintum dicitur quod ille casus non est possibilis: quia nunquam tota materia nutriti desinit esse in ipso, sed semper aliquid ipsius manet. Unde, si aliquis usque ad finem vitae fuisset nutritus speciebus sacramentalibus, resurgeret ex forma substantiali et materia compositus; habens tamen aliquam partem materiae quae non esset vera et naturalis materia, sed quantitas vim et proprietatem materiae habens. – Vel dicendum quod Deus tunc suppleret in resurrectione quicquid in hoc deficeret de materia: ut in alio proposito inquit Sanctus Thomas inferius*; et IV *Sent.*, d. XLIV.

*Cap. LXXXI, in 5$^{a}$ solut.

2. Attendendum autem, quia facta est superius* mentio *de dimensionibus interminatis*,* quod non admittimus dimensiones interminatas coaeternas materiae, ut visus est velle Commentator*: sed quod eadem dimensio potest dici interminata, si consideretur absque determinatione ad hunc vel ad illum terminum, figuram scilicet aut gradum; et potest dici terminata, inquantum habet determinatum gradum et determinatam figuram. Cum ergo dictum est in generatione substantiae ex speciebus sacramentalibus, formam substantialem rei generatae recipi in dimensionibus subsistentibus: intelligitur de ipsis ut interminatae sunt, quia constat quod in substantia genita, puta verme, non habet quantitas eandem figuram et terminationem quam prius habebat.

*Qu. I, a. 2, qu$^{a}$ 4, ad 3.

*Sub II, 2, et v. 1.

**De substantia orbis,* cap. 1. Cf. Capreol. II *Sent.* d. XVIII, q. 1, a. 1, concl. 6; cum respp.

3. Si quis autem vellet tenere primam viam* esse de mente Sancti Thomae etiam in hoc loco et in *Tertia Parte*,* posset dicere quod in consecratione datur quantitati dimensivae miraculose ut possit quicquid materia posset, inquantum datur sibi ut in materiam possit converti, immo ut in materiam a Deo convertatur, dum ex ipsa aliquid fuerit generandum, et hoc quidem non fit omnino novo miraculo, sed vi primi miraculi; et quod sic intelligitur dictum Sancti Thomae.

*Sub v, 1.

*L. c. ib.

# CAPITULUM SEXAGESIMUM SEPTIMUM

## SOLUTIO EORUM QUAE OBIICIEBANTUR EX PARTE FRACTIONIS.

*Cf. cap. LXII. *Quinta difficultas.*

*Cap.praec. *Rursus, circa passiones.*

RESTAT autem ea quae ad quintam difficultatem pertinent*, speculari. Manifestum est autem secundum praedicta*, quod fractionis subiectum ponere possumus dimensiones per se subsistentes. Nec tamen, huiusmodi dimensionibus fractis, frangitur substantia corporis Christi: eo quod totum corpus Christi sub qualibet portione remaneat.

Quod quidem, etsi difficile videatur, tamen secundum ea quae praemissa sunt, expositionem habet. Dictum est enim supra* quod corpus Christi est in hoc sacramento per substantiam suam ex vi sacramenti; dimensiones autem corporis Christi sunt ibi ex naturali concomitantia quam ad substantiam habent; e contrario ei secundum quod corpus naturaliter est in loco; nam

*Cap. LXIV. *Per eadem etiam.*

3 est *om* DEX; est autem *om b.*

2 expositionem] exponere EW, poni GX, positionem D*cd*, exponi P.

corpus naturale est in loco mediantibus dimensionibus quibus loco commensuratur.

Alio autem modo se habet aliquid substantiale ad id in quo est; et alio modo aliquid quantum. Nam quantum totum ita est in aliquo toto quod totum non est in parte, sed pars in parte, sicut totum in toto. Unde et corpus naturale sic est in toto loco totum quod non est totum in qualibet parte loci, sed partes corporis partibus loci aptantur: eo quod est in loco mediantibus dimensionibus. Si autem aliquid substantiale sit in aliquo toto totum, etiam totum est in qualibet parte eius: sicut tota natura et species aquae in qualibet parte aquae est, et tota anima est in qualibet corporis parte.

Quia igitur corpus Christi est in sacramento ratione suae substantiae, in quam conversa est substantia panis dimensionibus eius manentibus; sicut tota species panis erat sub qualibet parte dimensionum, ita integrum corpus Christi est sub qualibet parte earundem. Non igitur fractio illa, seu divisio, attingit ad corpus Christi, ut sit in illo sicut in subiecto: sed subiectum eius sunt dimensiones panis vel vini remanentes, sicut et aliorum accidentium ibidem remanentium diximus* eas esse subiectum.

* Cap. LXIII, *Inter accidentia*; cap. LXV, *Neque his*.

1 naturale] naturaliter XsG*b*P, cf. 7; nam ... in loco *hom om* DEGX. 5 Nam quantum *hom et* quod totum ... 7 in toto *pr. loco hom om* E. 11 aliquid] aliquod Pc.
6 panis] eius EG. 13 esse *om* DEGX*b*.

## Commentaria Ferrariensis

* Cf. cap. LXII.

Ad quintam difficultatem*, *dicit primo Sanctus Thomas,* quod secundum praedicta possumus ponere fractionis subiectum dimensiones per se subsistentes.

*Dicit secundo,* quod, huiusmodi dimensionibus fractis, substantia corporis Christi non frangitur: eo quod totum corpus Christi sub qualibet portione remaneat; cum sit in hoc sacramento per substantiam suam ex vi sacramenti, dimensiones autem eius sint ibi ex naturali concomitantia; e contrario ei secundum quod corpus naturaliter est in loco; quia corpus naturale est in loco mediantibus dimensionibus, quibus loco commensuratur.

*Dicit tertio,* pro declaratione praedictorum, quod alio modo se habet aliquid substantiale ad id in quo est; et alio modo aliquid quantum. Quantum enim ita est totum in aliquo toto quod totum non est in parte, sed pars in parte, sicut totum in toto. Et simili modo est in loco: eo quod sit in loco mediantibus dimensionibus. – Si autem aliquod substantiale totum sit in aliquo toto, etiam totum est in qualibet parte eius. Declaratur in specie aquae, et in anima. Quia igitur corpus Christi est in sacramento ratione suae substantiae, in qua conversa est substantia panis, dimensionibus eius manentibus; sicut tota species panis erat sub qualibet parte dimensionum, ita et integrum corpus Christi. Et consequenter fractio illa non attingit corpus Christi: sed subiectum eius sunt dimensiones panis et vini, sicut et aliorum accidentium diximus* eas esse subiectum.

* Cf. l. c. in textu.

II. Circa *primum dictum,* advertendum quod in fractione sacramenti videtur duplex esse mutatio: scilicet motus localis partium; et corruptio quantitatis totalis. Constat autem quod motus localis est in eo quod localiter movetur. Similiter, quod corruptio formae totius non est aliud quam ipsa forma tendens de esse in non esse. Cum ergo dicitur quod talis fractio est subiective in ipsis dimensionibus, intelligitur quantum ad ipsum motum localem partium. Nam corruptio totalis quantitatis non est proprie loquendo in ipsa quantitate, neque in partibus eius, sicut in subiecto, sed est ipsa quantitas. Et ideo, sicut quantitas ipsa est sine subiecto, ita et talis corruptio.

Circa *secundum dictum,* advertendum quod idcirco ex eo quod dimensiones corporis Christi sunt in sacramento per concomitantiam ad substantiam, dicitur corpus ipsum esse e contrario ei secundum quod corpus naturaliter est in loco, eo quod corpus naturale sit in loco mediantibus dimensionibus, quibus commensuratur loco, quia videlicet ipsae dimensiones sunt sibi ratio existendi in loco: corpus autem Christi non est in sacramento mediantibus suis dimensionibus, cum illae ibi non sint ex vi sacramenti, sed e contrario ipsae dimensiones in sacramento sunt ratione substantiae corporis Christi, ita quod ipsa corporis substantia est illis ratio quod sint in sacramento.

Circa *tertium dictum,* advertendum, cum dicitur *animam esse totam in qualibet parte,* quod hoc non intelligitur de omni totalitate animae, sed tantum de totalitate essentiae et perfectionis. Nam anima intellectiva secundum totalitatem virtutis, non est in qualibet parte corporis, sed secundum diversas virtutes, est in diversis partibus. Si quae autem animae sunt per accidens extensae ad extensionem corporis, ut de animabus imperfectorum animalium existimatur, et de animabus plantarum: illae neque secundum totalitatem virtutis, neque secundum totalitatem quantitatis dimensivae ipsis per accidens convenientem, sunt in qualibet parte totae, sed diversae partes in diversis partibus.

III. Sed circa hoc tertium dictum occurrit dubium. Non enim videtur sufficienter ostendere Sanctus Thomas quod corpus Christi non dividatur ad divisionem dimensionum subsistentium, quia sit ibi ratione suae substantiae, sit autem substantia tota in qualibet parte. Posset enim dici quod, licet substantia corporis Christi sit tota in qualibet parte secundum totalitatem essentiae, non est tamen tota in qualibet parte secundum totalitatem dimensivam, quam habet etiam in sacramento existens: sicut albedo extensa est quidem tota secundum essentiam in qualibet parte albi, non autem secundum totalitatem quantitativam. Et ideo poterit dividi corpus Christi ad divisionem illarum dimensionum: sicut albedo dividitur ad divisionem albi.

Respondetur quod optime procedit Sanctus Thomas, si bene inspiciatur. Ut enim dictum est supra*, licet quantitas corporis Christi det substantiae existenti in sacramento esse divisibile et partibile intrinsece, non tamen dat sibi partibilitatem in ordine ad extrinsecum: eo quod ipsa substantia non habeat quod sit praesens dimensionibus panis ratione propriarum dimensionum, sed e contrario dimensiones sunt ibi ratione substantiae. Et quia substantiae, in quantum substantia est, convenit ut indivisibiliter sit in eo in quo est, et sit tota in qualibet parte: ideo et quantitas in sacramento eundem essendi modum habet. Unde non potest dici quod substantia corporis Christi sit ibi tota secundum essentiam indivisibiliter, divisibiliter autem secundum quantitatem extensivam, sicut albedo: nam albedo in ipso subiecto in quo est, divisibilis est, quia ipsam extensionem et divisibilitatem habet ex ipsa quantitate subiecti.

* Cap. LXIV, Comment. num. VI, *Advertendum tertio,* et *quarto.*

# CAPITULUM SEXAGESIMUM OCTAVUM

## SOLUTIO AUCTORITATIS INDUCTAE.

His igitur difficultatibus remotis, manifestum est quod id quod ecclesiastica traditio habet circa sacramentum Altaris, nihil continet impossibile* Deo, qui omnia potest.

* Cf. cap. LXIII, init.

Nec etiam contra Ecclesiae traditionem est verbum Domini dicentis ad discipulos, qui de hac doctrina scandalizati videbantur: *Verba quae ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt**. Non enim per hoc dedit intelligere quod vera caro sua in hoc sacramento manducanda fidelibus non traderetur: sed quia non traditur manducanda carnaliter, ut scilicet, sicut alii cibi carnales, in propria specie dilacerata sumeretur; sed quia quodam spirituali modo sumitur, praeter consuetudinem aliorum ciborum carnalium.

* *Ioan.* VI, 64. Cf. cap. LXII, initio.

8 scandalizati] scandalizari DX*b*P.
4 quia] quod H.

### Commentaria Ferrariensis

Ultimo loco respondet Sanctus Thomas auctoritati ex qua impugnandi huius sacramenti veritatem haeretici occasionem sumpserunt*. Et ait quod ex praedictis patet id quod ecclesiastica traditio habet circa sacramentum Altaris, nihil Deo, qui omnia potest, impossibile continere.

* Cf. cap. LXII, initio.

Nec etiam contra traditionem Ecclesiae est quod Dominus ait: *Verba quae ego locutus sum, spiritus et vita sunt.* Quia non est sensus quod vera caro sua in hoc sacramento manducanda fidelibus non traderetur: sed quia quodam spirituali modo, praeter consuetudinem aliorum ciborum carnalium, sumitur; non autem carnaliter, tanquam scilicet in propria specie dilaceranda.

Advertendum quod, secundum interpretationem horum verborum hic positam, sensus est: Verba quae locutus sum vobis de carne mea manducanda, spiritualem sensum habent: quia scilicet intelliguntur, non quod caro mea sit carnaliter, modo aliorum ciborum qui dentibus dilaniantur, manducanda; sed quod spirituali modo sit sumenda. Et sic intellecta sunt vita, idest, *vitam praestant.*

Alium quoque sensum addit Sanctus Thomas, *super Ioannem**, ad mentem Augustini, scilicet: – *Verba quae locutus sum vobis, referenda sunt ad Spiritum coniunctum carni. Quia videlicet caro Christi, secundum se considerata, inquantum caro, non prodest quicquam: non enim alium habet effectum quam alia caro. Sed coniuncta Verbo et Spiritui Sancto, multum prodest, et vitam aeternam praestat. Et sic intellecta, vita sunt animae,* idest, id quod dicitur per ipsa, est vita animae, *quia anima spirituali vita per Spiritum Sanctum et divinitatem vivit.*

* Cap. VI, lect. VIII, 5.

# CAPITULUM SEXAGESIMUM NONUM

## EX QUALI PANE ET VINO DEBET CONFICI HOC SACRAMENTUM.

Quia vero, ut supra* dictum est, ex pane et vino hoc sacramentum conficitur, necesse est eas conditiones servari in pane et vino, ut ex eis hoc sacramentum confici possit, quae sunt de ratione panis et vini. Vinum autem non dicitur nisi liquor qui ex uvis exprimitur: nec panis proprie dicitur nisi qui ex granis tritici conficitur. Alii vero qui dicuntur panes, pro defectu panis triticei, ad eius supplementum, in usum venerunt: et similiter alii liquores in usum vini. Unde nec ex alio pane, nec ex alio vino hoc sacramentum confici posset: neque etiam si pani et vino tanta alienae materiae admixtio fieret quod species solveretur.

* Cap. LXI, *Et quia spirituales.*

Si qua vero huiusmodi pani et vino accidunt quae non sunt de ratione panis et vini, manifestum est quod, his praetermissis, potest verum confici sacramentum. Unde, cum esse fermentatum vel azymum non sit de ratione panis, sed utrolibet existente species panis salvetur, ex utrolibet pane potest confici sacramentum. Et propter hoc diversae ecclesiae diversum in hoc usum habent: et utrumque congruere potest significationi sacramenti. Nam, ut Gregorius dicit in *Registro**: *Romana ecclesia offert azymos panes, propterea quod Dominus sine ulla commixtione carnem suscepit. Sed caeterae ecclesiae offerunt fermentatum: pro eo quod Verbum Patris indutum est carne, et est verus Deus et verus homo, sicut et fermentum commiscetur farinae.*

* Cf. III$^{a}$, q. LXXIV, a. 4, Ed. Leon.; Praef. ib. p. XII; et Tom. I *Diss. Crit.* De Rubeis, XXXII, V, 5.

Congruit tamen magis puritati corporis mystici, idest Ecclesiae, quae in hoc sacramento configuratur, usus azymi panis: secundum illud Apostoli, I *Cor.* v$^{7,8}$: *Pascha nostrum immolatus est Christus. Itaque epulemur in azymis sinceritatis et veritatis.*

Per hoc autem excluditur error quorundam

*Hoc capitulum a praecedenti non dividunt* DGXpE. 1 supra *om* Pc. 7 proprie *post* dicitur Pc. 13 si] simul his EG, si his DXsEG*b*, si his scilicet Z.
2 salvetur] solvetur BFH, solveretur CY, salvaretur sY. ex] et ex αYZ. 3 propter hoc] propterea E; *pro* usum habent, habent E, habent modum sE; D *legit* propter hoc diversae diversum in hoc ecclesiae habent usum, *ita sed* ecclesiae *ante* diversae X; *b*: hoc propter diversae ecclesiae ritum qui diversum in hoc usum habent. 16 I. *om* DEGX.

Graecorum, qui dicunt in azymo sacramentum hoc celebrari non posse. Quod etiam evidenter Evangelii auctoritate destruitur. Dicitur enim *Matth.* XXV[17]; et *Marc.* XIV[12]; et *Luc.* XXII[7], quod Dominus prima die azymorum pascha cum discipulis suis comedit, et tunc hoc sacramentum instituit. Cum autem non esset licitum secundum legem quod prima die azymorum fermentatum in domibus Iudaeorum inveniretur, ut patet *Exodi* XII[15], Dominus autem, quandiu fuit in mundo, legem servavit: manifestum est quod panem azymum in corpus suum convertit, et discipulis sumendum dedit. Stultum est igitur improbare in usu Ecclesiae Latinorum quod Dominus in ipsa institutione huius sacramenti servavit.

Sciendum tamen quod quidam dicunt ipsum praevenisse diem azymorum, propter passionem imminentem: et tunc fermentato pane eum usum fuisse. Quod quidem ostendere nituntur ex duobus. Primo, ex hoc quod dicitur *Ioan.* XIII[1], quod *ante diem festum paschae* Dominus cum discipulis cenam celebravit, in qua corpus suum consecravit, sicut Apostolus tradit I *Cor.* XI[23]. Unde videtur quod Christus cenam celebraverit ante diem azymorum: et sic in consecratione sui corporis usus fuerit pane fermentato. – Hoc etiam confirmare volunt per hoc quod habetur *Ioan.* XVIII[28], quod sexta feria, qua Christus est crucifixus, *Iudaei non intraverunt praetorium Pilati, ut non contaminarentur, sed manducarent pascha.* Pascha autem dicuntur azyma. Ergo concludunt quod cena fuit celebrata ante azyma.

Ad hoc autem respondetur quod, sicut Dominus mandat *Exodi* XII, festum azymorum *septem diebus celebrabatur, inter quos dies prima erat sancta atque solemnis praecipue inter alias, quod erat quintadecima die mensis.* Sed quia apud Iudaeos solemnitates a praecedenti vespere incipiebant, ideo quartadecima die ad vesperam incipiebant comedere azyma, et comedebant per septem subsequentes dies. Et ideo dicitur in eodem capitulo*: *Primo mense, quartadecima die mensis ad vesperam, comedetis azyma, usque ad diem vigesimam primam eiusdem mensis ad vesperam. Septem diebus fermentatum non invenietur in domibus vestris.* Et eadem quartadecima die ad vesperas immolabatur agnus paschalis*. Prima ergo dies azymorum a tribus Evangelistis, Matthaeo, Marco, Luca, dicitur quartadecima dies mensis: quia ad vesperam comedebant azyma, et tunc *immolabatur pascha,* idest *agnus paschalis:* et hoc erat secundum Ioannem, *ante diem festum paschae,* idest, ante diem quintam decimam diem mensis, qui erat solemnior inter omnes, in quo Iudaei volebant comedere pascha, idest *panes azymos paschales,* non autem agnum paschalem. Et sic nulla discordia inter Evangelistas existente, planum est quod Christus ex azymo pane corpus suum consecravit in cena. Unde manifestum fit quod rationabiliter Latinorum Ecclesia pane azymo utitur in hoc sacramento.

* Vers. 18-19.

* Vers. 6.

1 Graecorum] haereticorum DEGXP*c*. 9 in domibus *Reincipit* N. *cf.* cap. LXIII, p. 202 b 14. 11 servavit] servaverit P. 17 ipsum] Christum DEGNX*b*. 19 eum *om* DE. 24 l. *om* DEGNX. 25 celebraverit *Ita* HYZ; celebravit *ceteri.* 27 fuerit] fuit DWYP*c*. 31 manducarent] manducaverunt CDEGHN*b*, man. X.

1 dicuntur] dicitur CZ. Ergo ... azima *hom om* DEG(N)X; N *habet*: homo redditur vitiosus quandiu homo est alterabilis secundum animae passiones; *hoc est, ni fallor: Corrector exemplaris quo scriptor* N *utebatur, supra marginem scripserat duo homoteleuta omissa in textu, unum huius loci, alterum ad textum cap. seq.* p. 221 a 21 *pertinens, scriptor codicis* N *inadvertenter alterum pro priore hic inserit; cf. variantes ad locum citatum. – Cf. similem correctorum inadvertentiam* Lib. III. *Praef. p.* XXVI b, *sub* v: *Ultima haec.* 3 autem *om* DEGX. 12 mense] mense et αWYZ. 15 invenietur] invenitur EGNWX. 20 comedebant] comedebatur DEGNXZ*b*. 23 festum ... diem *hom om* DEX. 27 inter Evangelistas *post* existente DEX. 30 rationabiliter *post* Ecclesiae DEXP*d*, *om c*.

## Commentaria Ferrariensis

Postquam ostendit Sanctus Thomas quae sit materia sacramenti Eucharistiae, quia videlicet est panis et vinum, vult ostendere qualis huiusmodi materia esse debeat, scilicet qualis panis et quale vinum*. Et ponit tres conclusiones.

* Vide cap. LXI. Introd. comment.

I. Prima est: *Nec ex alio pane quam qui ex granis tritici conficitur, neque ex alio liquore quam qui ex uvis exprimitur, hoc sacramentum confici potest; neque si pani et vino tanta alienae materiae admixtio fieret quod species solveretur.*

Probatur. Necesse est eas conditiones panis et vini in hoc sacramento servari quae sunt de ratione panis et vini: cum ex pane et vino hoc sacramentum conficiatur. Sed vinum non dicitur nisi quod ex uvis exprimitur, nec panis dicitur proprie nisi qui ex granis tritici conficitur: alii vero qui dicuntur panes, pro supplemento panis in usum venerunt; et similiter alii liquores in usum vini. Ergo etc.

2. Advertendum, ex doctrina Sancti Thomae *Tertia,* q. LXXIV*; et IV *Sent.,* d. XI, q. II**, quod, *cum generans generet sibi simile in specie, si qua frumenta sint quae ex semine tritici generari possint, sicut ex grano seminato in malis terris nascitur siligo, panis ex tali frumento confectus potest esse materia huius sacramenti,* licet frumentum illud alio nomine, propter aliquam diversitatem accidentium, significetur: talis enim vere dicitur panis triticeus, cum granum ex quo conficitur, eiusdem speciei sit cum grano tritici. *Ex aliis autem frumentis, quae nullo modo possunt ex grani semine generari, ut est hordeum, spelta, far, non potest confici panis qui sit materia conveniens huius sacramenti:* cum non sint eiusdem speciei cum tritico.

* Art. III, ad 2.
** Art. II, qu[a] 1, ad 3.

3. Advertendum secundo, quod aliquando est tanta corruptio panis et vini quod solvitur species: id quod ex solutione continuitatis et ex saporis et coloris atque aliorum accidentium mutatione deprehendi potest. Et tunc ex tali materia non potest confici; sicut ex aceto confici non potest; neque ex amido, cum fiat ex tritico corrupto; licet quidam contrarium dicant. Aliquando vero est solum dispositio ad corruptionem: quod aliqualis immutatio saporis declarat. Et tunc ex tali materia potest confici sacramentum, sicut ex vino acido: licet conficiens peccet propter irreverentiam sacramenti.

II. Secunda conclusio est: *Ex pane fermentato et ex pane azymo hoc sacramentum confici potest.*

Probatur. Esse fermentatum vel esse azymum, non est de ratione panis, sed utrolibet existente, species panis salvatur. Ergo etc. – Probatur consequentia. Quia si qua pani triticeo et vino vero accidunt quae non sunt de ratione panis et vini, iis praetermissis, potest verum confici sacramentum.

Confirmatur conclusio primo: quia diversae ecclesiae in hoc diversum usum habent.

Confirmatur secundo: quia utrumque congruere potest

significationi sacramenti: azymi scilicet panes, secundum Gregorium, in *Registro**, puritati carnis Christi; fermentatum vero unioni Verbi divini cum carne.

* Cf. text.

III. Tertia conclusio est: ***Convenit magis puritati corporis mystici, idest Ecclesiae, quae in hoc sacramento configuratur, usus azymi panis.*** Declaratur auctoritate Apostoli, I *Cor.* v, dicentis, *Pascha nostrum* etc.

IV. Per hoc excluditur error dicentium in azymo hoc sacramentum celebrari non posse. Qui utique error etiam evidenter Evangelii auctoritate destruitur: cum et *Matth.* XXVI, et *Marc.* XIV, et *Luc.* XXII, dicatur quod Dominus *prima die azymorum* Pascha cum discipulis suis comedit. Constat enim quod non erat licitum secundum legem, ut prima die azymorum fermentatum in domibus Iudaeorum inveniretur, ut patet *Exodi* XII. Unde, cum Dominus, quandiu fuit in mundo, legem servaverit, manifestum est quod panem azymorum in suum corpus convertit et discipulis sumendum dedit.

2. Dicunt tamen quidam ipsum, imminente passione, diem azymorum praevenisse, et tunc fermentato pane eum fuisse usum. Quod nituntur ostendere, tum ex eo quod *Ioan.* XIII dicitur, *Ante diem festum paschae* etc. – Tum ex eo quod *Ioan.* XVIII dicitur, sexta feria, qua Christus est crucifixus, Iudaeos non intrasse praetorium Pilati *ut non contaminarentur, sed manducarent pascha.* Pascha autem dicuntur azyma. Et sic concluditur quod cena fuit ante azyma celebrata.

3. Sed ad hoc respondet Sanctus Thomas: cum festum azymorum septem diebus celebraretur; inter quas prima erat sancta atque praecipue solemnis inter alias, scilicet quintadecima mensis; et apud Iudaeos solemnitates a praecedenti vespere inciperent; quartadecima die ad vesperam incipiebant comedere pascha, ut patet *Exodi* XII, et eadem die immolabatur agnus paschalis. Ideo ab aliis Evangelistis prima dies azymorum dicitur quartadecima dies mensis: quia ad vesperam comedebant azyma, et tunc immolabatur agnus paschalis. Hoc autem secundum Ioannem, erat *ante diem festum paschae,* idest ante quintumdecimum diem, qui erat solemnior; in quo Iudaei volebant *comedere pascha,* idest azymos panes; non autem agnum paschalem.

Ex istis infert Sanctus Thomas planum esse quod Christus ex azymo pane corpus suum consecravit: et ideo Latinorum ecclesia rationabiliter pane azymo utitur in hoc sacramento.

IV. Advertendum, ex doctrina Sancti Thomae in locis praeallegatis*, quod etiam consuetudo Graecorum aliquam rationem habet: videlicet, et propter significationem, quam tangit Gregorius; et in detestationem haeresis Nazaraeorum, sive Ebionitarum*, qui legalia Evangelio miscebant. In primitiva enim ecclesia Apostoli in azymis celebrabant: et hunc morem Romana ecclesia ab Apostolis accepit, ut Innocentius tradit*: Sed postea, imminente haeresi quod simul cum Evangelio essent observanda legalia, sancti patres, ut Leo Papa dicit*, ne eis viderentur consentire, voluerunt ad tempus* hoc sacramentum ex fermentato confici. Cessante deinde hac haeresi, ad pristinum morem Romana quidem rediit ecclesia: sed Graeci morem illum, ad tempus institutum, servare perpetuo voluerunt.

* Supra, num. 1, 2.

* Cf. cap. LVII.

* Inn. III. *De Sacro Altaris Mysterio.* Lib. IV, cap. IV, fin. (P. L. CCXVII, 858).

* Leo IX. Cf. Ep. c. cap. V, VI; ep. CII, (P. L. CXLIII, 747, 775).

2. Advertendum ulterius, ut inquit Sanctus Thomas in locis praeallegatis, quod licet in utroque pane sacramentum confici possit, peccaret tamen presbyter in ecclesia Latinorum celebrans de pane fermentato. Ut enim patet *Extra, de Celebratione missae,* cap. *Litteras**, punitur sacerdos qui in pane fermentato celebrare praesumpsit. Peccaret etiam presbyter Graecus in ecclesia Graecorum celebrans de azymo pane, utpote ecclesiae suae ritum pervertens.

* Hoc, Ferr. probabiliter habet ex s. Th. *Sent.* l. c. qu$^{a}$ 3, sed non ipsis verbis in Epp. cit. invenitur.

* C. 14, X, *de celebr. Miss.*, III, 41.

# CAPITULUM SEPTUAGESIMUM

## DE SACRAMENTO POENITENTIAE. ET PRIMO, QUOD HOMINES POST GRATIAM SACRAMENTALEM ACCEPTAM PECCARE POSSUNT.

QUAMVIS autem per praedicta sacramenta hominibus gratia conferatur, non tamen per acceptam gratiam impeccabiles fiunt.

Gratuita enim dona recipiuntur in anima sicut habituales dispositiones: non enim homo secundum ea semper agit. Nihil autem prohibet eum qui habitum habet, agere secundum habitum vel contra eum: sicut grammaticus potest secundum grammaticam recte loqui, vel etiam contra grammaticam loqui incongrue. Et ita est etiam de habitibus virtutum moralium: potest enim qui iustitiae habitum habet, et contra iustitiam agere. Quod ideo est quia usus habituum in nobis ex voluntate est: voluntas autem ad utrumque oppositorum se habet. Manifestum est igitur quod suscipiens gratuita dona peccare potest contra gratiam agendo.

Adhuc. Impeccabilitas in homine esse non potest sine immutabilitate voluntatis. Immutabilitas autem voluntatis non potest homini competere nisi secundum quod attingit ultimum finem. Ex hoc enim voluntas immutabilis redditur quod totaliter impletur, ita quod non habet quo divertat ab eo in quo est firmata. Impletio autem voluntatis non competit homini nisi ut finem ultimum attingenti: quandiu enim restat aliquid ad desiderandum, voluntas impleta non est. Sic igitur homini impeccabilitas non competit antequam ad ultimum finem perveniat. Quod quidem non datur homini in gratia quae in sacramentis confertur: quia sacramenta sunt in adiutorium hominis secundum quod est in via ad finem. Non igitur ex gratia in sacramentis percepta aliquis impeccabilis redditur.

Amplius. Omne peccatum ex quadam igno-

11 est etiam] etiam BDEGXY, est CN, etiam se H. et contra] etiam contra BW, contra C, iusta agere et potest etiam contra P*d.*
15 autem *om* N, autem est BFH; se habet *om* H.
7 est *post* firmata DEGX. 8 ut] in BYZ, *om* sYZ. 9 enim] autem DEGNX.

rantia contingit: Unde dicit* Philosophus quod *omnis malus est ignorans;* et in *Proverbiis* dicitur*: *Errant qui operantur malum.* Tunc igitur solum homo securus potest esse a peccato secundum voluntatem, quando secundum intellectum securus est ab ignorantia et errore. Manifestum est autem quod homo non redditur immunis ab omni ignorantia et errore per gratiam in sacramentis perceptam: hoc enim est hominis secundum intellectum illam veritatem inspicientis quae est certitudo omnium veritatum; quae quidem inspectio est ultimus hominis finis, ut in Tertio* ostensum est. Non igitur per gratiam sacramentorum homo impeccabilis redditur.

Item. Ad alterationem hominis quae est secundum malitiam et virtutem, multum operatur alteratio quae est secundum animae passiones: nam ex eo quod ratione passiones animae refrenantur et ordinantur, homo virtuosus fit vel in virtute conservatur: ex eo vero quod ratio sequitur passiones, homo redditur vitiosus. Quandiu igitur homo est alterabilis secundum animae passiones, est etiam alterabilis secundum vitium et virtutem. Alteratio autem quae est secundum animae passiones, non tollitur per gratiam in sacramentis collatam, sed manet in homine quandiu anima passibili corpori unitur. Manifestum est igitur quod per sacramentorum gratiam homo impeccabilis non redditur.

Praeterea. Superfluum videtur eos admonere ne peccent qui peccare non possunt. Sed per Evangelicam et Apostolicam doctrinam admonentur fideles iam per sacramenta Spiritus Sancti gratiam consecuti: dicitur enim *Heb.* XII[15]: *Contemplantes ne quis desit gratiae Dei, ne qua radix amaritudinis, sursum germinans impediat;* et *Ephes.* IV[30]: *Nolite contristare Spiritum Sanctum Dei, in quo signati estis;* et I *Cor.* X[12]: *Qui se existimat stare, videat ne cadat.* Ipse etiam Apostolus de se dicit*: *Castigo corpus meum et in servitutem redigo: ne forte, cum aliis praedicaverim, ipse reprobus efficiar.* Non igitur per gratiam in sacramentis perceptam homines impeccabiles redduntur.

Per hoc excluditur quorundam haereticorum error*, qui dicunt quod homo, postquam gratiam Spiritus percepit, peccare non potest: et si peccat, nunquam gratiam Spiritus Sancti habuit.

Assumunt autem in fulcimentum sui erroris quod dicitur I *Cor.* XIII[8]: *Caritas nunquam excidit.* Et I *Ioan.* III[6] dicitur: *Omnis qui in eo manet, non peccat; et omnis qui peccat, non vidit nec cognovit eum.* Et infra* expressius: *Omnis qui est ex Deo, peccatum non facit: quoniam semen ipsius in eo manet, et non potest peccare, quoniam ex Deo natus est.*

Sed haec ad eorum propositum ostendendum efficacia non sunt. Non enim dicitur quod *caritas nunquam excidit,* propter hoc quod ille qui habet caritatem, eam quandoque non amittat, cum dicatur *Apoc.* II[4], *Habeo adversum te pauca, quod caritatem tuam primam reliquisti.* Sed ideo dictum est quod *caritas nunquam excidit,* quia, cum cetera dona Spiritus Sancti de sui ratione imperfectionem habentia, utpote spiritus prophetiae et huiusmodi, *evacuentur cum venerit quod perfectum est**, caritas in illo perfectionis statu remanebit.

Ea vero quae ex Epistola Ioannis inducta sunt, ideo dicuntur quia dona Spiritus Sancti quibus homo adoptatur vel renascitur in filium Dei, quantum est de se, tantam habent virtutem quod hominem sine peccato conservare possunt, nec homo peccare potest secundum ea vivens. Potest tamen contra ea agere, et ab eis discedendo peccare. Sic enim dictum est, *Qui natus est ex Deo, non potest peccare,* sicut si diceretur quod *calidum non potest infrigidare:* id tamen quod est calidum, potest fieri frigidum, et sic infrigidabit. Vel sicut si diceretur, *Iustus non iniusta agit:* scilicet, inquantum est iustus.

* *Ethic.* III, cap. [1; 8. Th. lect. 3.
* Cap. XIV, 22.
* Capp. XXV, XXVII.
* I *Cor.* IX, 27.
* Cf. Hieron. *Adversus Iovinianum.* Lib. II, initio. (P. L. XXIII, 295). — Aug. *De Haer.* cap. 82.
* Vers. 9.
* I *Cor.* XIII, 10.

---

1 dicit *post* Philosophus BYP*c*. 2 dicitur *om* DEGNX. 9 perceptam *om* DEGX*b*. 19 et ordinantur *om* DEXpGZP*c*; 17 nam ... 22 passiones *hom om* F. fit *om* E, efficitur DGXP*c*. vel] et DEGNX*bc*. 21 homo ... 22 passiones *hom om* (DE)G(*et prima manu exemplar scriptoris* N? *Cf. cap. praec.* p. 219 b 1), animae DG; homo ... 24 passiones *hom om X; pro* redditur vitiosus, non redditur virtuosus *b*. 25 non tollitur ... *post* collatam BY. 35 quis] quid Y*b*P. ne qua] neque αWYZP*c*. 38 I. *om* DEGNXY.

5 error *ante* quorundam DEHNX. 10 I. *om* CDEGXY. 22 I. *om* DEGNX. 21 dicatur Apoc.] dicat Apostolus αW; dicat etiam *Xcd*. 23 excidit] excidat DEGN. 29 inducta] ducta E, dicta DG. 31 adoptatur] in filium *addunt* pGP*c*. 37 non potest *post* peccare DEGX, *om b*.

## Commentaria Ferrariensis

POSTQUAM determinavit Sanctus Thomas de sacramento Eucharistiae, de Poenitentiae sacramento incipit determinare*.

Circa hoc autem duo facit: primo, praemittit quaedam necessaria ad propositum; secundo, huius sacramenti necessitatem ostendit, cap. LXXII.

Circa primum duo facit. Quia enim, si homines post acceptam baptismi gratiam peccare non possent aut post peccatum ad gratiam non possent redire, nulla esset necessitas sacramenti Poenitentiae, antequam huiusmodi necessitas ostendatur, primo ostendit quod homines post acceptam gratiam impeccabiles non fiunt, secundo, quod post sacramentorum gratiam homo in peccatum cadens ad gratiam reverti potest, capite sequenti.

Circa primum duo facit: primo, probat intentum; secundo, rationes quasdam haereticorum removet*.

I. Quantum ad primum, *arguit primo sic.* Gratuita dona recipiuntur in anima sicut habituales dispositiones: cum non semper homo agat secundum ea. Ergo ea suscipiens peccare potest, contra gratiam agendo. – Probatur consequentia. Quia nihil prohibet eum qui habitum habet, agere secundum habitum vel contra eum: ut patet in grammatico et in habente habitum iustitiae. Ratio est, quia usus habituum in nobis ex voluntate est: voluntas autem ad utrumque oppositorum se habet.

Advertendum quod, cum habitus medius sit inter potentiam et actum perfectum, proprie dicitur quis habere aliquod donum per modum habitus, quando secundum

* Cf. cap. LIX, Comm. introd.
* Vide num. VI.

ipsum non operatur actualiter, sed est in potentia proxima ad operandum: quando vero actualiter operatur secundum ipsum, non dicitur illud habere per modum habitus. Unde habens habitum, proprie loquendo de habitu, non semper operatur secundum ipsum, sed aliquando secundum ipsum non operatur. Et ideo, volens probare Sanctus Thomas dona gratuita recipi in anima sicut habituales dispositiones, adducit pro ratione quod homo non semper secundum ea agit.

II. *Secundo.* Homini impeccabilitas non convenit antequam ad ultimum finem perveniat. Sed hoc non datur homini in gratia quae in sacramentis confertur: cum sacramenta sint in adiutorium hominis secundum quod est in via ad finem. Ergo etc. – Probatur maior. Quia impeccabilitas in homine esse non potest sine immutabilitate voluntatis. Haec autem non potest homini competere nisi secundum quod attingit ultimum finem: cum voluntas immutabilis reddatur ex hoc quod totaliter impletur; hoc autem non convenit homini nisi ut finem ultimum attingit; quandiu enim restat aliquid ad desiderandum, voluntas impleta non est.

Advertendum quod, cum de ratione peccati sit ut sit voluntarium, necesse est ut hominis existentis in gratia voluntas a bono mutetur in malum dum peccat: et quandiu est huiusmodi mutabilitas voluntatis a bono in malum, tandiu est in homine peccabilitas. Ideo, si debeat homo impeccabilis reddi, necesse est ut voluntas in statu immutabilitatis constituatur. Non enim stant simul quod homo peccare non possit, et quod voluntas in malum converti possit: cum ipsa conversio voluntatis ad malum sit peccatum. Propterea bene inquit Sanctus Thomas quod impeccabilitas in homine esse non potest sine immutabilitate voluntatis. Quomodo autem voluntas impleri non possit antequam ad ultimum finem perveniat, ex iis quae dicta sunt in Tertio Libro* patere potest.

* Cf. cap. XLVIII. *Item. Ultimus; Adhuc. Omne.* seqq. — Cap. LXIII, *Sic igitur.*

III. *Tertio.* Homo non redditur immunis ab omni ignorantia et errore per gratiam in sacramentis perceptam: cum hoc sit hominis illam veritatem inspicientis quae est certitudo omnium veritatum, in quo est ultimus hominis finis. Ergo etc. – Probatur consequentia. Quia, cum omne peccatum ex aliqua ignorantia procedat, ut per Philosophum patet, et per Sapientem in *Proverbiis;* tunc solum homo securus potest esse a peccato secundum voluntatem, quando secundum intellectum securus est ab ignorantia et errore.

IV. *Quarto.* Alteratio quae est secundum animae passiones, non tollitur per gratiam in sacramentis collatam, sed manet in homine quandiu anima passibili corpori unitur. Ergo etc. – Probatur consequentia. Quia ad alterationem hominis quae est secundum malitiam et virtutem, multum operatur alteratio quae est secundum animae passiones: Nam ex eo quod ratione refrenantur, redditur homo virtuosus, et* in virtute conservatur; ex eo vero quod ratio sequitur passiones, homo redditur vitiosus.

* Cf. text. et var.

Circa istam propositionem, *Alteratio secundum animae passiones manet in homine quandiu anima passibili corpori unitur,* advertendum quod non hoc ideo dicitur quasi, quando fuerit anima corpori impassibili unita, in homine nullo modo sint animae passiones: nam etiam in Beatis erunt aliqui appetitus sensitivi motus, qui animae passiones dicuntur: – sed quia, cum anima corpori passibili unitur, in homine etiam iusto passiones non solum praevisae, sed etiam subitae, ex quibus iudicium rationis intercipi potest et impediri, sunt; et non solum passiones respectu boni, ut sunt gaudium, amor et huiusmodi, sed etiam respectu mali et nocivi, ut sunt timor, ita et similia. Et quia dicitur proprie esse in homine alteratio secundum animae passiones secundum quod homo afficitur aliqua subita passione, aut vehementi aut remissa; et etiam secundum passionem respectu mali et nocivi, ideo dicit Sanctus Thomas in homine esse huiusmodi alterationem quandiu anima corpori passibili unitur, volens se ab illo statu praeservare in quo anima corpori impassibili coniungitur. In Beatis enim non erit proprie *alteratio* secundum tales passiones: quia, ut dicitur in Qu. *Verit,* q. XXVI, a. 8, in illis passiones appetitus sensitivi non erunt subitae, quia in eis *nullus motus appetitus sensitivi insurget nisi secundum dictamen rationis.* Non erunt etiam passiones respectu mali, sed tantum respectu boni.

V. *Quinto.* Per Evangelicam et Apostolicam doctrinam admonentur fideles iam per sacramenta Spiritus Sancti gratiam consecuti, ne peccent: ut patet *Hebr.* XII, *Contemplantes* etc.; *ad Ephes.* IV, *Nolite contristare* etc.; I *Cor.* X, *Qui se existimat* etc. Et Apostolus de se etiam dicit, *Castigo* etc. Ergo etc. – Probatur consequentia. Quia superfluum videtur eos admonere ne peccent, qui peccare non possunt.

VI. Quantum ad secundum*, inquit Sanctus Thomas quod per hoc excluditur error quorundam haereticorum dicentium quod homo, postquam gratiam Spiritus Sancti percepit, peccare non potest: et si peccat, nunquam gratiam Spiritus Sancti habuit. Quod quidem probant ex eo quod dicitur I *Cor.* XIII, *Caritas nunquam excidit.* Et I *Ioan.* III, dicitur, *Omnis qui in eo* etc., et infra, *Omnis qui est ex Deo* etc.

* Vide num. 1.

Respondet autem Sanctus Thomas ad autoritatem Apostoli, quod non ideo illud dicitur quasi ille qui habet caritatem, nunquam eam amittat, cum dicatur *Apoc.* II, *Habeo adversum te* etc.: sed quia, cum cetera dona Spiritus Sancti, ut prophetia et huiusmodi, evacuentur cum venerit quod perfectum est, caritas in illo etiam perfectionis statu remanebit.

Ad autoritatem vero Ioannis dicit quod sensus illorum verborum est, dona* Spiritus Sancti quibus homo adoptatur in filium Dei vel renascitur, tantam virtutem habere, quantum est de se, quod hominem sine peccato conservare possunt, nec homo potest peccare secundum ea vivens; quamvis possit contra ea agere, et ab eis discedendo peccare. Et est simile ac si diceretur quod *calidum non potest fieri frigidum,* aut *infrigidare;* et quod *iustus iniusta non agit,* scilicet, inquantum est iustus.

* Ita text., *bona* APS, cf. var. P – *solius,* in Praef.

2. Advertendum sensum huius responsionis esse quod verbum Ioannis intelligitur, omnem natum ex Deo per dona Spiritus non posse ex vi ipsorum donorum peccare; licet scilicet ex libertate et mutabilitate voluntatis hoc possit: sicut nec aliquis habens aliquam formam, ex vi illius formae potest operari contra illam formam, licet aliunde habeat ut illam formam possit amittere. Cui sensui faventur exempla hic posita. Licet enim caliditatis subiectum possit, ratione suae potentialitatis, fieri frigidum; non potest tamen calidum ex vi caliditatis infrigidare. Et similiter, licet homo qui habet iustitiae habitum, possit illam amittere; non potest tamen ex vi iustitiae, sive secundum iustitiam vivens, operari iniusta. Sic licet habens dona Spiritus Sancti possit illa amittere et sic peccare, non tamen potest peccare ex vi ipsorum donorum, sive secundum huiusmodi dona vivens.

3. De hac materia vide Sanctum Thomam II$^{a}$ II$^{ae}$, q. XXIV, a. 11*; et in Qu. *Virt.,* q. *de Caritate,* a. 12**; ubi ad praedictam auctoritatem dat aliam responsionem, dicens illam intelligi *secundum potestatem Spiritus Sancti moventis animam,* cuius conservatione immunes a peccato redduntur quos ipse movet quantum voluerit. Secundum enim hanc interpretationem, sensus dictorum verborum est quod ille qui natus est ex Deo, non potest peccare, quando sic virtute Spiritus Sancti regeneratur in filium Dei quod Spiritus Sanctus vult illi dare perseverantem divinae dilectionis motum.

* Ad. 1.
** Ad. 1.

VII. Sed circa praedicta dubium occurrit. Videtur enim ex dictis quod nullus per gratiam viae possit in bono confirmari: cum confirmatio in bono impeccabilitatem includat; dictum sit autem quod per gratiam in via homo non potest impeccabilis reddi. Hoc autem videtur esse contra id quod communiter tenetur de Beata Virgine et Apostolis. Ergo etc.

Respondetur, ex doctrina Sancti Thomae in Qu. *Verit.,* q. XXIV, a. 9, quod dupliciter potest intelligi aliquis confirmari in bono. Uno modo, totaliter ab intrinseco: quia

videlicet sibi detur *principium aliquod sufficiens suae firmitatis,* per quod peccare non possit. Alio modo, partim ab intrinseco et partim ab extrinseco: quia videlicet et *sibi detur aliquod gratiae donum per quod ita inclinatur ad bonum quod non de facili possit a bono deflecti, licet per ipsum non ita retrahatur a malo ut omnino peccare non possit;* et, *divina providentia ipsum quandocumque peccati occasio se ingerit ad resistendum excitante, custodiatur ne peccet.* Primo modo, nullus confirmari potest in bono, rationibus dictis: et de hac confirmatione loquitur Sanctus Thomas hoc loco. Sed bene secundo modo potest aliquis in bono confirmari: et sic intelliguntur Beata Virgo et Apostoli fuisse confirmati, et aliquo modo impeccabiles facti.

# CAPITULUM SEPTUAGESIMUM PRIMUM

## QUOD HOMO PECCANS POST SACRAMENTORUM GRATIAM POTEST CONVERTI PER GRATIAM.

Ex praemissis autem apparet ulterius quod homo post sacramentalem gratiam susceptam in peccatum cadens, iterum reparari potest ad gratiam.

Ut enim ostensum est*, quandiu hic vivitur, voluntas mutabilis est secundum vitium et virtutem. Sicut igitur post acceptam gratiam potest peccare, ita et a peccato, ut videtur, potest ad virtutem redire.

Item. Manifestum est bonum esse potentius malo: nam *malum non agit nisi in virtute boni*, ut supra in Tertio* est ostensum. Si igitur voluntas hominis a statu gratiae per peccatum avertitur, multo magis per gratiam potest a peccato revocari.

Adhuc. Immobilitas voluntatis non competit alicui quandiu est in via. Sed quandiu hic homo vivit, est in via tendendi in ultimum finem. Non igitur habet immobilem voluntatem in malo, ut non possit per divinam gratiam reverti ad bonum.

Amplius. Manifestum est quod a peccatis quae quis ante gratiam perceptam in sacramentis commisit, per sacramentorum gratiam liberatur: dicit enim Apostolus, I *ad Cor.* VI[10,11]: *Neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri,* etc., *regnum Dei possidebunt. Et hoc quidem fuistis aliquando, sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis in nomine Domini nostri Iesu Christi, et in Spiritu Dei nostri.* Manifestum est etiam quod gratia in sacramentis collata naturae bonum non minuit, sed auget. Pertinet autem hoc ad bonum naturae, quod a peccato reducibilis sit in statum iustitiae: nam potentia ad bonum quoddam bonum est. Igitur, si contingat peccare post gratiam perceptam, adhuc homo reducibilis erit ad statum iustitiae.

Adhuc. Si peccantes post baptismum ad gratiam redire non possunt, tollitur eis spes salutis. Desperatio autem est via ad libere peccandum: dicitur enim *ad Ephes.* IV[19] de quibusdam quod *desperantes, tradiderunt semetipsos impudicitiae, in operationem omnis immunditiae et avaritiae.* Periculosissima est igitur haec positio, quae in tantam sentinam vitiorum homines inducit.

Praeterea. Ostensum est supra* quod gratia in sacramentis percepta non constituit hominem impeccabilem. Si igitur post gratiam in sacramentis perceptam peccans ad statum iustitiae redire non posset, periculosum esset sacramenta percipere. Quod patet esse inconveniens. Non igitur peccantibus post sacramenta percepta reditus ad iustitiam denegatur.

Hoc etiam auctoritate Sacrae Scripturae confirmatur. Dicitur enim I *Ioan.*, II[1]: *Filioli mei, haec scribo vobis ut non peccetis. Sed et si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem, Iesum Christum iustum, et ipse est propitiatio pro peccatis nostris:* quae quidem verba manifestum est quod fidelibus iam renatis proponebantur. – Paulus etiam de Corinthio fornicario scribit II *Cor.*, II[6,7]: *Sufficit illi qui eiusmodi est obiurgatio haec quae fit a pluribus, ita ut e contrario magis doleatis et consolemini.* Et infra, VII[9], dicit: *Gaudeo, non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad poenitentiam.* – Dicitur etiam *Ier.* III[1]: *Tu autem fornicata es cum amatoribus multis: tamen revertere ad me, dicit Dominus.* Et *Thren.* ult.*: *Converte nos, Domine, ad te, et convertemur, innova dies nostros sicut a principio.* – Ex quibus omnibus apparet quod, si fideles post gratiam lapsi fuerint, iterum patet eis reditus ad salutem.

Per hoc autem excluditur error Novatianorum, qui peccantibus post baptismum indulgentiam denegabant*.

Ponebant autem sui erroris occasionem ex eo quod dicitur *Heb.* VI[4-6]: *Impossibile est eos qui semel sunt illuminati, et gustaverunt donum caeleste, et participes sunt facti Spiritus Sancti, gustaverunt nihilominus bonum verbum Dei, virtutesque saeculi venturi, et prolapsi sunt, renovari rursum ad poenitentiam.*

Sed ex quo sensu hoc Apostolus dixerit, ap-

* Cap. praec. *Adhuc.*

* Cap. VIII, *Adhuc;* cap. IX, *Per hoc etiam patet.* (Vide p. 22 a. 7).

* Cap. praec.

* Vers. 21.

* Cf. Aug. *De Haer.* cap. 38. Euseb. *Hist. Eccl.* VI, 43 (P. G. XX, 615). — Cf. supra, Lib. III, cap. LVI.

2 sacramentalem] sacramentorum *b*; gratiam *om* E, *ante* sacramentalem DXZ; *pro* in peccatum, in ipsum EG, ab ipsa DX. 7 potest *post* peccare DEX; et *om* DEX. 11 in virtute] virtute GN*b*P*c*. 12 in III. est ostensum] ostensum est in III. CDEGNX. 14 per gratiam *om* DEX. 23 I. ad Cor] Cor CDENX. 26 estis *pr. loco om* NG; *pro* sed sanctificati estis, sed (et EZ) sanctificati BEFHYZ, *om* C: sed iustificati estis *om* CW. 31 quod] quod homo DEX. 32 nam .. 35 iustitiae *hom om* DEX. 38 est *post* via DEGX; *b legit*: et datur desperationis via. 39 quod] dicitur quod BCFW,*om* GZ, qui DEXs*Gb*. 40 tradiderunt] tradunt DEGX*b*.

1 igitur *om* DEGX, *post* est HP*c*; *pro* positio, potentia BY. 2 sentinam] sententiam EN, sn̄am X, setinam G. 7 sacramenta] prius sacramenta G*b*, post sacramentum E. 12 I. *om* EGHZP. 20 doleatis] doletis αNZ, dolens W, donetis *b*. 22 sed ... estis *hom om* X*b*P; *post* poenitentiam *b addit* sed quia cum (*pro* con) e. ad pe. 37 sunt *post* facti DEWXY; *lac b*. 38 bonum verbum Dei] bonum (*om* E) Dei verbum DEGNX*b*. 41 sed *om* EG.

paret ex hoc quod subditur: *rursus crucifigentes sibimetipsis filium Dei, et ostentui habentes.* Ea igitur ratione qui prolapsi sunt post gratiam perceptam renovari rursus ad poenitentiam non possunt, quia Filius Dei rursus crucifigendus non est. Denegatur igitur illa renovatio in poenitentiam per quam homo simul crucifigitur Christo. Quod quidem est per baptismum: dicitur enim *Rom.* VI[3]: *Quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus.* Sicut igitur Christus non est iterum crucifigendus, ita qui peccat post baptismum, non est rursus baptizandus. Potest tamen rursus converti ad gratiam per poenitentiam. Unde et Apostolus non dixit quod impossibile sit eos qui semel lapsi sunt, rursus revocari vel converti ad poenitentiam, sed quod impossibile sit *renovari,* quod baptismo attribuere solet, ut patet *Tit.* III[5]: *Secundum misericordiam suam salvos nos fecit, per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus Sancti.*

1 rursus] rursum DE. 3 qui] qua αEWYZsGP*c*, quod N, *om* sE; sunt *om* EG. 4 rursus ... non possunt] rursus ... redire possunt EG*b*, et rursus ... redire non possunt DX. 9 Quicunque] igitur *addunt* P*c*.
5 lapsi] passi αZ, prolapsi WY*b*. 7 quod *pr. loco om* DEX.

## Commentaria Ferrariensis

SECUNDO loco ostendit Sanctus Thomas ex praemissis quod homo post sacramentalem gratiam susceptam in peccatum cadens, iterum reparari potest ad gratiam*.

* Cf. cap. praec. Introd. Comm.

Circa hoc autem duo facit: primo, probat intentum; secundo, excludit errorem quendam, cum suo fundamento*.

* Cf. num. II.

I. Quantum ad primum, *arguit primo sic.* Quandiu hic vivitur, voluntas mutabilis est secundum vitium et virtutem, ut est ostensum. Ergo, sicut homo post acceptam gratiam potest peccare, ita et a peccato, ut videtur, potest ad virtutem redire.

Advertendum quod addidit Sanctus Thomas, *ut videtur,* ut ostendat ad huiusmodi conclusiones necessarias simpliciter rationes adduci non posse, sed tantum probabiles aut necessarias secundum quid.

*Secundo.* Voluntas hominis a statu gratiae per peccatum avertitur. Ergo multo magis potest per gratiam a peccato revocari. – Patet consequentia. Quia bonum est potentius quam malum: cum malum non agat nisi in virtute boni.

*Tertio.* Quandiu hic homo vivit, est in via tendendi in ultimum finem. Ergo non habet immobilem voluntatem in malum: cum immobilitas voluntatis non competat alicui in vita. Ergo etc.

*Quarto.* A peccatis quae quis ante gratiam perceptam in sacramentis commisit, per gratiam sacramentorum liberatur, ut patet I *Cor.* VI. Et ipsa gratia in sacramentis collata naturae bonum non minuit, sed auget. Ergo etc. – Probatur consequentia. Quia pertinet ad bonum naturae quod a peccato sit in statum naturae reducibilis: cum potentia ad bonum quoddam bonum sit.

Advertendum ex prima propositione haberi quod in homine est potentia ad liberationem a peccato: alioquin per gratiam sacramentorum non liberaretur ab iis quae ante ipsam commisit. Ex secunda vero quod per ipsam gratiam sacramentorum non tollitur talis potentia: cum sit bonum naturae. Unde argumentum sic procedit. In homine est potentia ad resurgendum a peccato antequam habeat gratiam. Sed haec non tollitur per ipsam gratiam in sacramentis collatam. Ergo, si contingit hominem post gratiam peccare, adhuc reducibilis est ad statum iustitiae. – Maior probatur: quia a peccatis ante sacramentorum susceptionem commissis per sacramentorum gratiam liberatur, ut patet per Apostolum. – Minor vero probatur: quia gratia sacramentorum bonum naturae non minuit; potentia autem huiusmodi ad bonum naturae pertinet.

*Quinto.* Sic tolleretur peccantibus spes salutis: et consequenter ex desperatione daretur via ad libere peccandum; iuxta illud quod *ad Ephes.* IV dicitur de quibusdam, quod *desperantes* etc. Ergo periculosa est haec positio.

*Sexto.* Tunc periculosum esset sacramenta percipere: cum gratia in sacramentis percepta hominem non constituat impeccabilem.

Advertendum fundamentum huius rationis esse, quia homo in peiorem statum cadere posset post sacramentorum perceptionem quam ante perceptionem eorum esset, si non posset post sacramentorum gratiam peccans a peccato resurgere. Ante eorum enim perceptionem, homo redire a peccato ad iustitiam poterat sacramenta percipiendo. Post eorum vero perceptionem, posset cadere in hunc statum, quod a peccato resurgere non posset: quia etiam post sacramentorum gratiam peccare posset, et, stante illa positione, post tale peccatum redire non posset ad gratiam. Et sic periculosum esset percipere sacramenta.

Confirmatur conclusio auctoritate I *Ioan.* II, *Filioli mei* etc.; II *Cor.* II, *Sufficit illi* etc., et cap. VII, *Gaudeo* etc.; *Ier.* III, *Tu autem* etc.; et *Thren.* ult., *Converte nos* etc.

II. Quantum ad secundum*, excluditur per hoc, inquit Sanctus Thomas, error Novatianorum, peccantibus post baptismum indulgentiam denegantium: ex eo quod dicitur *Heb.* VI, *Impossibile est eos* etc.

* Cf. Introd. supra.

Dicitur autem quod per illa verba Apostoli, ut patet ex eo quod sequitur, *Rursus crucifigentes* etc., denegatur prolapsis post gratiam perceptam illa renovatio in poenitentia per quam homo simul crucifigitur Christo: quod quidem fit per baptismum, iuxta illud *Rom.* VI, *Quicumque igitur baptizati sumus* etc. Sicut enim Christus non est iterum crucifigendus, ita qui peccavit post baptismum, non est rursus baptizandus. Potest tamen rursus converti ad gratiam per poenitentiam. Unde dixit quod impossibile est eos *renovari,* quod baptismo attribuere solet, iuxta illud *ad Titum* III, *Secundum misericordiam* etc.

III. Ad evidentiam huius conclusionis, attendenda est distinctio quam ponit Sanctus Thomas *Verit.,* q. XXIV, a. 11. *Aliquem enim non posse a peccato reverti, dupliciter intelligi potest. Uno modo, ita quod vires suae non sufficiant ad hoc ut a peccato totaliter liberetur: et sic quilibet in peccato mortali existens potest dici non posse ad iustitiam redire. Alio modo, ita quod nec cooperari possit aliquo modo ad hoc quod a peccato resurgat.* Et hoc non potest homini convenire in via: licet aliqui difficultatem habeant, propter malum habitum, ad cooperandum suae liberationi a peccato. Hoc itaque modo intelligimus hominem peccantem post sacramentorum gratiam redire posse ad iustitiam, quia potest Deo cooperari ad suam liberationem a peccato: non autem quia propriis viribus possit a peccato liberari.

# CAPITULUM SEPTUAGESIMUM SECUNDUM

## DE NECESSITATE POENITENTIAE ET PARTIUM EIUS.

Ex hoc igitur apparet quod, si aliquis post baptismum peccet, remedium sui peccati per baptismum habere non potest. Et quia abundantia divinae misericordiae, et efficacia gratiae Christi, hoc non patitur ut absque remedio dimittatur, institutum est aliud sacramentale remedium, quo peccata purgentur. Et hoc est poenitentiae sacramentum, quod est quaedam velut spiritualis sanatio. Sicut enim qui vitam naturalem per generationem adepti sunt, si aliquem morbum incurrant qui sit contrarius perfectioni vitae, a morbo curari possunt, non quidem sic ut iterato nascantur, sed quadam alteratione sanantur; ita baptismus, qui est spiritualis regeneratio, non reiteratur contra peccata post baptismum commissa, sed poenitentia, quasi quadam spirituali alteratione, sanantur.

Considerandum est autem quod corporalis sanatio quandoque quidem ab intrinseco totaliter est: sicut quando aliquis sola virtute naturae curatur. Quandoque autem ab intrinseco et extrinseco simul: ut puta quando naturae operatio iuvatur exteriori beneficio medicinae. Quod autem totaliter ab extrinseco curetur, non contingit: habet enim adhuc in seipso principia vitae, ex quibus sanitas quodammodo in ipso causatur. – In spirituali vero curatione accidere non potest quod totaliter ab intrinseco fiat: ostensum est enim in Tertio* quod a culpa homo liberari non potest nisi auxilio gratiae. Similiter etiam neque potest esse quod spiritualis curatio sit totaliter ab exteriori: non enim restitueretur sanitas mentis nisi ordinati motus voluntatis in homine causarentur. Oportet igitur in poenitentiae sacramento spiritualem salutem et ab interiori et ab exteriori procedere.

* Cap. CLVII.

Hoc autem sic contingit. Ad hoc enim quod aliquis a morbo corporali curetur perfecte, necesse est quod ab omnibus incommodis liberetur quae per morbum incurrit. Sic igitur et spiritualis curatio poenitentiae perfecta non esset nisi homo ab omnibus detrimentis sublevaretur in quae inductus est per peccatum. Primum autem detrimentum quod homo ex peccato sustinet, est deordinatio mentis: secundum quod mens avertitur ab incommutabili bono, scilicet a Deo, et convertitur ad peccatum. Secundum autem est quod reatum poenae incurrit: ut enim in Tertio* ostensum est, a iustissimo rectore Deo pro qualibet culpa poena debetur. Tertium est quaedam debilitatio naturalis boni: secundum quod homo peccando redditur pronior ad peccandum, et tardior ad bene agendum.

* Cap. CXL.

*Primum* igitur quod in poenitentia requiritur, est ordinatio mentis: ut scilicet mens convertatur ad Deum, et avertatur a peccato, dolens de commisso, et proponens non committendum: quod est de ratione *contritionis*.

Haec vero mentis reordinatio sine gratia esse non potest: nam mens nostra debite ad Deum converti non potest sine caritate, caritas autem sine gratia haberi non potest, ut patet ex his quae in Tertio* dicta sunt. Sic igitur per contritionem et offensa dei tollitur et a reatu poenae aeternae liberatur, qui cum gratia et caritate esse non potest: non enim aeterna poena est nisi per separationem a Deo, cui gratia et caritate homo coniungitur. – Haec igitur mentis reordinatio, quae in contritione consistit, ex interiori procedit, idest a libero arbitrio, cum adiutorio divinae gratiae.

* Cap. CLI.

Quia vero supra* ostensum est quod meritum Christi pro humano genere patientis ad expiationem omnium peccatorum operatur, necesse est ad hoc quod homo de peccato sanetur, quod non solum mente Deo adhaereat, sed etiam mediatori Dei et hominum Iesu Christo, in quo datur remissio omnium peccatorum: nam in conversione mentis ad Deum salus spiritualis consistit, quam quidem salutem consequi non possumus nisi per medicum animarum nostrarum Iesum Christum, *qui salvat populum suum a peccatis eorum**. – Cuius quidem meritum sufficiens est ad omnia peccata totaliter tollenda, *ipse est enim qui tollit peccata mundi*, ut dicitur *Ioan.* 1[29]: sed tamen non omnes effectum remissionis perfecte consequuntur, sed unusquisque in tantum consequitur in quantum Christo pro peccatis patienti coniungitur.

* Cap. LV, *Quamvis autem sufficienter.*

* Cf. *Matth.* 1, 21.

Quia igitur coniunctio nostri ad Christum in baptismo non est secundum operationem nostram, quasi ab interiori, quia nulla res seipsam generat ut sit; sed a Christo, *qui nos regenerat in spem vivam**: remissio peccatorum in baptismo fit secundum potestatem ipsius Christi nos sibi coniungentis perfecte et integre, ut non solum impuritas peccati tollatur, sed etiam solvatur penitus omnis poenae reatus; nisi forte per accidens in his qui non consequuntur effectum sacramenti propter hoc quod ficte accedunt.

* Cf. I *Petr.* 1, 3.

In hac vero spirituali sanatione Christo coniungimur secundum operationem nostram divina

14 sanantur] sanentur X. 18 sanantur] sanentur X. 21 est *om* E, *ante* ab D. 22 curatur] sanatur DEGNX*b*. 24 iuvatur] in natura EX, iuvatur simul D, *rasae* pGZ. 25 totaliter *ante et post* ab intrinseco BCF, *post* D*b*. 27 quodammodo *om* αWYZPc; *pro* in ipso, in seipso DEGNX*b*. 36 et *om* DEGNX*b*. 41 igitur *om* αWYZPc

1 debilitatio] deliberatio EG. 10 nam ... 11 non potest *hom om* E, vel X, et sE; nam ... 12 non potest *hom om* DN. 15 qui cum] qui sine DEX. quod sine W*b*. 16 aeterna *post* poena DEGNX. 18 igitur] enim DEGXP*c*. reordinatio] ordinatio DEGNX. 21 Quia vero ... meritum *om* αWYZ. 23 necesse est] igitur *addit* Y; *cf. var. praeced.* 24 sanetur] liberetur DEGX*b*P*c*. 29 salutem *om* DEGN*b*; quidem salutem *om* X. 32 sufficiens *post* est DEGNX*b*. 36 perfecte *om* BHWY. 44 ipsius *om* H; Christi *om* DEGX.

gratia informatam. Unde non semper totaliter, nec omnes aequaliter remissionis effectum per hanc coniunctionem consequimur. Potest enim esse conversio mentis in Deum et ad meritum Christi, et in detestationem peccati, tam vehemens quod perfecte remissionem peccati homo consequitur non solum quantum ad expurgationem culpae, sed etiam quantum ad remissionem totius poenae. Hoc autem non semper contingit. Unde quandoque, per contritionem amota culpa, et reatu poenae aeternae soluto, ut dictum est, remanet obligatio ad aliquam poenam temporalem, ut iustitia Dei salvetur, secundum quam culpa ordinatur per poenam.

Cum autem subire poenam pro culpa iudicium quoddam requirat, oportet quod poenitens, qui se Christo sanandum commisit, Christi iudicium in taxatione poenae expectet: quod quidem per suos ministros exhibet Christus, sicut et cetera sacramenta. Nullus autem potest iudicare de culpis quas ignorat. Necessarium igitur fuit *confessionem* institui, quasi *secundam* partem huius sacramenti, ut culpa poenitentis innotescat Christi ministro.

Oportet igitur ministrum cui fit confessio, iudiciariam potestatem habere vice Christi, *qui constitutus est iudex vivorum et mortuorum**. Ad iudiciariam autem potestatem duo requiruntur: scilicet auctoritas cognoscendi de culpa, et potestas absolvendi vel condemnandi. Et haec duo dicuntur *duae claves Ecclesiae,* scilicet scientia discernendi, et potentia ligandi et solvendi, quas Dominus Petro commisit, iuxta illud *Matth.* XVI[19]: *Tibi dabo claves regni caelorum.* Non autem sic intelligitur Petro commisisse ut ipse solus haberet, sed ut per eum derivarentur ad alios: alias non esset sufficienter fidelium saluti provisum.

Huiusmodi autem claves a passione Christi efficaciam habent, per quam scilicet Christus nobis aperuit ianuam regni caelestis. Et ideo, sicut sine baptismo, in quo operatur passio Christi, non potest hominibus esse salus, vel realiter suscepto, vel secundum propositum desiderato, *quando necessitas, non contemptus, sacramentum excludit**; ita peccantibus post baptismum salus esse non potest nisi clavibus ecclesiae se subiiciant, vel actu confitendo et iudicium ministrorum ecclesiae subeundo, vel saltem huius rei propositum habendo, ut impleatur tempore oportuno: quia, ut dicit Petrus *Act.* IV[10,12]: *Non est aliud nomen datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri, nisi in nomine Domini nostri Iesu Christi.*

Per hoc autem excluditur quorundam error qui dixerunt hominem posse peccatorum veniam consequi sine confessione et proposito confitendi*: vel quod per praelatos Ecclesiae dispensari potest quod ad confessionem aliquis non teneatur. Non enim hoc possunt praelati Ecclesiae, ut *claves frustrentur Ecclesiae**, in quibus tota eorum potestas consistit: neque ut sine sacramento a passione Christi virtutem habente, aliquis remissionem peccatorum consequatur; hoc enim est solius Christi, qui est sacramentorum institutor et auctor. Sicut igitur dispensari non potest per praelatos Ecclesiae ut aliquis sine baptismo salvetur, ita nec quod aliquis remissionem sine confessione et absolutione consequatur.

Considerandum tamen est quod, sicut baptismus efficaciam aliquam habet ad remissionem peccati etiam antequam actu suscipiatur, dum est in proposito ipsum suscipiendi, – licet postmodum pleniorem effectum conferat et in adeptione gratiae et in remissione culpae, cum actu suscipitur; et quandoque in ipsa susceptione baptismi confertur gratia, et remittitur culpa, ei cui prius remissa non fuit, – sic et claves Ecclesiae efficaciam habent in aliquo antequam eis se actu subiiciat, si tamen habeat propositum ut se eis subiiciat; pleniorem tamen gratiam et remissionem consequitur dum se eis actu subiicit confitendo, et absolutionem percipiendo; et nihil prohibet quin aliquando virtute clavium alicui confesso in ipsa absolutione gratia conferatur, per quam ei culpa dimittitur.

Quia igitur etiam in ipsa confessione et absolutione plenior effectus gratiae et remissionis confertur ei qui prius, propter bonum propositum, utrumque obtinuit; manifestum est quod virtute clavium minister Ecclesiae, absolvendo, aliquid de poena temporali dimittit, cuius debitor remansit poenitens post contritionem. Ad residuum vero sua iniunctione obligat poenitentem: cuius quidem obligationis impletio *satisfactio* dicitur, quae est *tertia* poenitentiae pars; per quam homo totaliter a reatu poenae liberatur, dum poenam exsolvit quam debuit; et ulterius debilitas naturalis boni* curatur, dum homo a malis abstinet et bonis assuescit; Deo spiritum subiiciendo per orationem; carnem vero domando per ieiunium, ut sit subiecta spiritui; et rebus exterioribus, per eleemosynarum largitionem, proximos sibi adiungendo, a quibus fuit separatus per culpam.

Sic igitur patet quod minister Ecclesiae in usu clavium iudicium quoddam exercet. Nulli autem iudicium committitur nisi in sibi subiectos. Unde manifestum est quod non quilibet sacerdos quemlibet potest absolvere a peccato, ut quidam mentiuntur: sed eum tantum in quem accepit potestatem.

* Cf. *Act.* x, 42.

* Cf. Aug. *De bapt. c. Don.* IV, XXII (P.L.XLIII,173); Can. 34, *Baptismi vicem,* D. IV, *de consecr.*; IV *Sent.* s. Th. d. IV, q. III a. 3, qua 1. ad 1; et d. XVII, q. III, a. 1, qua 1.

* Cf. IV *Sent.* d. XVII. Exposit. textus. *Quibusdam visum est.* — Grat. super c. 87, D. I. *de poenit.*

* Sec. Aug. in Grat. super can. citato, § 10.

* Cf. supra *Hoc autem..... Tertium est.*

3 consequimur] consequuntur EP, (Unde licet . . . ) consequantur D. 4 ad meritum Christi et *om* GNX*b*P; E *habet in textu supra ras.* ad meritum Christi et in, *et quae sequuntur* detestationem . . . 7 non solum *supra marginem, utrobique a scriptore;* N (pE) *om* 5 peccati . . . 8 non solum. 6 homo *om* DXsE. 7 expurgationem] purgationem CP, expiationem W*b*. 17 Christi] a Christo s*Gb*. 40 scilicet *om* DEGNX*b*. 50 tempore *post* oportuno DEGNX*b*. 53 in nomine *Ita* P; nomen *ceteri.*

6 neque ut] *spat* BF, *om* HW, neque Y, non ergo sF. 12 nec quod] quod nec DEGH*b*, nec X. 14 sicut *Ita* DXP; *om ceteri.* 22 sic et] et sic D. 23 eis *Ita* GYsNP*c*; eis aliquis W, ei *ceteri;* se *post* actu ED. 25 eis *Ita* WsNP*c*; ei αNZ*b*; 24 si. . . 25 subiiciat *hom om* DEX; si . . . 26 subiicit (*hom in lectione* E) *om* GY. 26 eis *Ita* WP*c*; ei αZ *et post* actu DENX*b*; *pro* subiicit, subiiciat EX. 28 nihil] nihilominus αWZ. 31 etiam *om* BDEGNXY*b*, *addit scriptor* H. 33 ei *Ita* XP*d et ante* confertur D; *om ceteri; pro* qui, qua W *et* sN *a scriptore.* prius] primum D. 38 obligat *post* poenitentem DEGNX*b*. 55 accepit *Ita* CsG; accipit *ceteri.*

## Commentaria Ferrariensis

PRAEMISSIS iis quae necessaria erant ad ostendendum poenitentiae necessitatem, consequenter vult ostendere Sanctus Thomas ipsum sacramentum poenitentiae necessarium esse.

Circa hoc autem duo facit: primo, ostendit huius sacramenti convenientiam; secundo, necessitatem partium eius*.

* Num. II.

I. Quantum ad primum, ponitur haec conclusio: *Sacramentum poenitentiae convenienter est institutum.* – Probatur. Abundantia divinae misericordiae, et efficacia gratiae Christi, non patitur ut peccans post baptismum absque remedio dimittatur. Sed homo non potest hoc remedium habere per baptismum, ut patuit*. Ergo convenienter institutum est aliud sacramentale remedium quo peccata purgentur, scilicet poenitentiae sacramentum, quod est quaedam velut spiritualis sanatio.

* Cap. praec. *Sed ex quo.*

Declaratur ex similitudine corporalium. Quia videlicet, sicut qui vitam naturalem per generationem adepti sunt, si aliquem morbum incurrant qui sit contrarius perfectioni vitae, a morbo curari possunt, non quidem ut renascantur, sed ut quadam alteratione sanentur*; ita baptismus non reiteratur contra peccata post ipsum commissa, sed poenitentia, quasi quadam alteratione, sanantur.

* Cf. text. et var.

II. Quantum ad secundum* ostendit necessitatem partium poenitentiae. Circa hoc autem duo facit: primo praemittit quaedam necessaria; secundo, ostendit propositum*.

* Cf. introd. comm.

* Num. III.

Quantum ad primum, praemittit primo, quod corporalis quidem sanatio quandoque quidem ab intrinseco totaliter est; quandoque vero ab intrinseco et extrinseco simul; nunquam tamen est totaliter ab extrinseco. Sed spiritualis sanatio non potest totaliter ab intrinseco fieri: cum homo a culpa liberari non possit nisi auxilio gratiae, ut est ostensum in Tertio. Neque etiam potest esse totaliter ab exteriori: quia non restitueretur sanitas mentis nisi ordinati motus voluntatis in homine causarentur. Ex quo relinquitur quod oportet ipsam ab interiori et ab exteriori esse.

Praemittit secundo quod, sicut ad hoc ut aliquis a corporali morbo curetur perfecte, necesse est ut ab omnibus incommodis quae per morbum incurrit, liberetur; ita et spiritualis curatio poenitentiae perfecta non esset nisi homo ab omnibus detrimentis sublevaretur in quae inductus est per peccatum: quae sunt *inordinatio mentis,* secundum quod avertitur ab incommutabili bono, scilicet Deo, et convertitur ad peccatum; *reatus,* secundum quod a iustissimo rectore Deo pro qualibet culpa poena debetur; et *debilitatio naturalis boni,* secundum quod homo peccando redditur pronior ad peccandum, et tardior ad bene agendum.

III. Istis praemissis, ostendit necessitatem partium poenitentiae: et primo, contritionis; secundo, confessionis*; tertio, satisfactionis*.

* Num. VII.
* Num. XIII.

Quantum ad primum, prima conclusio est: *Ad sanationem spiritualem necessaria est contritio.*

Probatur *primo.* In poenitentia requiritur ordinatio mentis: ut scilicet mens convertatur ad Deum; et avertatur a peccato, dolens de commisso, et proponens non committendum. Sed hoc est de ratione contritionis. Ergo contritio necessaria est in poenitentia, sive in spirituali sanatione.

*Secundo.* Ad hanc sanationem requiritur quod offensa Dei tollatur, et homo a reatu poenae aeternae liberetur. Sed hoc fit per contritionem. Ergo etc.

Probatur minor. Mentis reordinatio sine gratia esse non potest. Sed reatus poenae aeternae non potest cum gratia et caritate esse. Ergo etc. – Probatur maior. Quia mens nostra debite ad Deum converti non potest sine caritate. Caritas autem sine gratia haberi non potest. Minor vero: quia non est aeterna poena nisi per separationem a Deo, cui gratia et caritate homo coniungitur.

Advertendum cum dicitur mentem debite ad Deum converti non posse sine caritate, quod ideo additum est *debite,* ut excludatur imperfecta conversio. Potest enim aliquis imperfecte converti ad Deum sine caritate: sed perfecta conversio, quae sufficiat ad deletionem culpae, sine caritate esse non potest, ut patet ex dictis in Tertio*; et QQ. *Verit.*; et Iª IIªᵉ**.

* Cap. CLVII, comm. II.
* Qu. XXVIII, a. 2.
** Qu. CXIII; a. 2.

Quia vero dixit Sanctus Thomas superius* spiritualem sanationem oportere ab interiori et exteriori procedere, infert quod ita constat esse in contritione: quia haec mentis reordinatio, quae in contritione consistit, a libero arbitrio cum adiutorio divinae gratiae procedit.

* Sub. n. II.

IV. Secunda conclusio est: *Per contritionem non semper homo consequitur perfecte remissionem peccati,* quantum scilicet ad purgationem culpae, et quantum ad remissionem totius poenae, *sed aliquando sic, aliquando vero remanet obligatio ad aliquam poenam temporalem.*

Pro hac conclusione praemittit Sanctus Thomas, primo, quod necesse est hominem, ad hoc ut a peccato liberetur, non solum mente Deo adhaerere, sed etiam mediatori Dei, et hominum Iesu Christo. Tum quia meritum Christi ad expiationem omnium peccatorum operatur. – Tum quia in conversione mentis ad Deum salus spiritualis consistit, quam consequi non possumus nisi per medicum animarum nostrarum Iesum Christum, *qui salvat populum suum a peccatis eorum.*

Advertendum, ex doctrina Sancti Thomae *Tertia,* q. XLIX, a. 1; et III *Sent.,* d. XIX, q. I, a. 1, quod passio Christi est causa liberationis nostrae a peccato et per modum meriti; et per modum causae efficientis. Ideo hic tanguntur duae rationes quare oportet mente adhaerere Christo in liberatione a peccato. Prima est, quia meritum passionis eius operatur ad expiationem peccatorum. Secunda, quia est medicus animarum nostrarum: in quo quaedam efficientia respectu sanitatis ostenditur.

2. Praemittit secundo, quod meritum Christi est quidem sufficiens ad omnia peccata totaliter tollenda, cum *ipse tollat peccata mundi,* ut dicitur *Ioan.* 1: non tamen omnes perfecte remissionis effectum consequuntur, sed secundum quod unusquisque Christo coniungitur.

Ex hoc sequitur differentia inter baptismum et poenitentiam. Quia enim coniunctio nostri ad Christum in baptismo non est secundum operationem nostram, sed a Christo, cum nulla res seipsam generet; remissio peccatorum in baptismo fit perfecte et integre, secundum potestatem ipsius Christi, ut non solum impuritas peccati tollatur, sed etiam solvatur penitus omnis poenae reatus; nisi forte per accidens in ficte accedentibus. In hac vero spirituali sanatione Christo coniungimur secundum operationem nostram divina gratia informatam. Ideo non semper totaliter omnes aequaliter remissionis effectum per hanc coniunctionem consequimur: sed aliquando hoc consequitur homo propter vehementem conversionem mentis in Deum et in meritum Christi, atque in detestationem peccati; aliquando autem non, quando scilicet non est ita vehemens conversio.

3. Ex istis vult Sanctus Thomas habere hanc rationem pro conclusione. In spirituali sanatione, quae est per contritionem, Christo coniungimur secundum operationem nostram divina gratia informatam. Sed nostra operatio non est semper aequalis et perfecta. Ergo non semper aequaliter coniungimur Christo et perfecte. Ergo non semper aequaliter et perfecte consequimur remissionem peccati, quantum scilicet ad culpam et poenam. Ergo aliquando remanet obligatio ad aliquam poenam temporalem.

Secunda consequentia probatur. Quia unusquisque in tantum consequitur remissionem peccati in quantum Christo coniungitur. – Ultima vero: quia divina iustitia exigit ut culpa ordinetur per poenam.

V. Ad horum evidentiam, considerandum primo, ex doctrina Sancti Thomae *Quarta,* d. XVII, q. II, a. 5*, quod *vehementia contritionis potest attendi et ex parte caritatis, quae displicentiam causat; et ex parte doloris sensibilis, quem voluntas in contritione excitat.* Et utroque modo potest sufficere ad deletionem poenae et culpae: scilicet et ex intensione caritatis in suo actu; et ex inten-

* Qu. 2.

sione doloris sensibilis, *quia etiam ille poena quaedam est.* Propter primum, dixit Sanctus Thomas quod homo aliquando consequitur absolutionem totius reatus *propter vehementem conversionem mentis in Deum.* Propter secundum, addidit, *et in detestationem peccati:* ex vehementi enim tristitia et displicentia peccati dolor sensibilis excitatur.

2. Considerandum secundo, ex doctrina Sancti Thomae *Verit.* q. XXVIII, a. 4; et I$^{a}$ II$^{ae}$, q. CXIII*, quod coniunctio nostri ad Christum et ad meritum passionis eius, requisita ad hanc spiritualem sanationem quae est per poenitentiam, est coniunctio per fidem, amorem et spem. Oportet enim, ad hoc ut homo iustificetur loquendo de adultis, quod causam iustificantem attingat per actum proprium, qui est actus intellectus et voluntatis: sicut et in corporalibus actio non perficitur nisi per mutuum contactum agentis et patientis, quando utrumque natum est tangere et tangi. Causa autem iustificans et remissionem peccatorum causans non tantum est Deus ut consideratur secundum solam divinitatem, sed etiam Christus. Ideo oportet etiam ipsi Christo et eius passioni adhaerere, et per fidem, qua credimus ipsum esse Salvatorem ac Redemptorem, suaeque passionis merito nobis remissionem peccatorum meruisse; et per amorem, cum spe veniae ab ipso consequendae.

* Art. 4.

3. Considerandum tertio, ex doctrina Sancti Thomae *Tertia,* q. LXIX, a. 2, quod remissio peccatorum fit per baptismum inquantum baptizatus incorporatur Christo tanquam eius membrum. Et ideo *communicatur sibi passio Christi ad remedium ac si ipse passus et mortuus esset. Unde, cum ipsa Christi passio sufficiens sit satisfactio pro peccatis omnium hominum, baptizatus ita liberatur a reatu totius poenae sibi debitae ac si ipse sufficienter satisfecisset pro omnibus peccatis suis.* Propterea bene hic ostendit Sanctus Thomas in baptismo remitti totaliter peccatum, quia remittitur secundum solam potestatem ipsius Christi, idest, secundum virtutem et sufficientiam passionis eius. In spirituali autem sanatione per contritionem non fit remissio per solam sufficientiam passionis Christi, sed ex applicatione illius ad nos per nostram operationem liberi arbitrii. Ideo non oportet ut semper totaliter in ipsa sanatione remittatur peccatum quantum ad poenam, sed plus aut minus secundum perfectionem maiorem aut minorem nostrae operationis: virtus enim primae causae quandam in secunda causa limitationem recipit. Ideo bene ostenditur non semper totaliter remitti nobis peccatum in hac spirituali sanatione, ex eo quod in ipsa coniungimur Christo per operationem nostram.

4. Considerandum quarto, quod ille dicitur ad baptismum fictus accedere, ut habetur ex doctrina Sancti Thomae *Tertia,* q. LXIX*; et *Quarto,* d. IV*, *qui ostendit se velle veteri vitae abrenuntiare et novam inchoare* per susceptionem baptismi, et tamen *adhuc voluntas eius est in vetustate peccati:* aut quia fidem non habet; aut quia sacramentum contemnit; aut quia ipsum recte non celebrat; aut quia indevotus accedit. Modo, constat quod talis qui baptizatur, remissionem peccati non consequitur, non quidem propter sacramenti insufficientiam, sed propter eius indispositionem. Ideo bene dictum est quod per baptismum tollitur reatus omnis poenae, nisi forte per accidens aliter eveniat in his qui effectum baptismi non consequuntur eo quod accedant ficte.

* Art. 9.
* Qu. III, a. 2, qu$^{a}$ 2, ad 1.

VI. Sed duplex hoc loco dubium occurrit. Primum est, quia non videtur bene dictum quod coniunctio nostri ad Christum in baptismo non est secundum operationem nostram, sicut spiritualis sanatio. Oppositum enim huius videtur dici *Tertia,* q. LXVIII, a. 6; et q. LXXXVI, a. 2, ubi dicitur quod *interior confessio, qua scilicet homo, peccata sua recogitans, de eis dolet, requiritur ad baptismum.*

Secundum dubium est quia, sicut baptismus est sacramentum, ita et poenitentia. Sacramenta autem non operantur nisi inquantum sunt instrumenta passionis Christi. Ergo effectus poenitentiae pensandus est ex virtute passionis Christi tantum, et non ex aliquo opere nostro, sicut et effectus baptismi. Ergo non minus ex poenitentia remittitur totaliter peccatum quam ex baptismo.

2. Ad evidentiam primi dubii, considerandum est quod alia est coniunctio hominis ad Christum per baptismum; et alia coniunctio per poenitentiam. Illa enim est coniunctio per quandam incorporationem, inquantum homo fit membrum Christi: ista vero est per quandam amicitiae reintegrationem. Ad primam unionem cum Christo manifestum est quod homo effective non concurrit: quia talis incorporatio per generationem spiritualem fit; nihil autem, ut inquit Sanctus Thomas, seipsum generat. Ad secundam autem unionem potest effective aliquo modo concurrere: inquantum actus humanus est de essentia sacramenti poenitentiae, per quam talis unio causatur.

Ad dubium ergo dicitur quod, licet aliqui actus humani, et ipsa interior poenitentia, requirantur ad baptismum tanquam dispositiones ad ipsum, ut dicitur *Tertia,* q. LXXXIV, a. 1*; non tamen requiruntur tanquam de essentia sacramenti existentes. Actus autem humani requiruntur ad spiritualem sanationem tanquam existentes de essentia sacramenti huiusmodi unionem causantis. Et secundum hunc sensum intelligenda est differentia hic posita inter baptismi unionem, et unionem poenitentiae.

* Ad. 1.

3. Ad secundum dubium dicitur quod, licet poenitentia sit sacramentum et operetur in virtute passionis Christi, hoc tamen est aliter et aliter in baptismo et in poenitentia. Ad remotionem enim reatus poenae debitae pro peccatis per baptismum sola passio Christi operatur, et *homo totaliter virtutem dictae passionis participat,* ut dicitur *Tertia,* q. LXXXVI, a. 4, ad 3; et IV *Sent.,* d. XVIII, q. 1, a. 3, qu$^{a}$ 2. Ad remotionem autem reatus per poenitentiam non sola passio Christi concurrit, sed concurrunt etiam ipsi actus hominis poenitentis: nec poenitens necessario participat totam virtutem passionis huiusmodi, sed *secundum modum propriorum actuum.* Ideo, cum passio Christi sit sufficiens ad tollendum omnem reatum, non autem omnis actus humanus ad hoc, in suo etiam ordine, sufficiat; in baptismo omnis reatus tollitur; non autem in omni spirituali sanatione, et in omni interiori aut exteriori actu poenitentiae.

Advertendum ulterius quod reatus qui dicitur remanere post actum peccati, non est aliquid reale absolutum, neque aliqua relatio realis, ut videtur Sancto Thomae Scotus in *Quarto,* d. XIV, q. 1* imponere: sed est quidam respectus rationis. Est enim obligatio ad poenam futuram propter voluntariam transgressionem divinae legis, cuius proximum fundamentum est defectus ex peccato derelictus, ut dicitur II *Sent.,* d. XLII*, a. 2: aut scilicet macula peccati; aut inaequalitas iustitiae inter hominem et Deum, dum homo, etiam post remotionem culpae, nondum satisfecit pro suo peccato. Iste autem respectus habet quidem actuale esse et complementum per actum intellectus intelligentis peccantem in ordine ad poenam: sed esse fundamentale habet in ipso homine peccante, qui ad poenae solutionem obligatur. Unde causa proxima* istius obligationis est voluntas peccantis, a qua provenit actus peccati, et defectus qui huiusmodi actum consequitur: causa autem prima et remota est voluntas divina statuens ut transgrediens legem obligetur ad poenam.

* Art. 1. (Ven. 1497, p. 70 va).
* Qu. 1.
* Ita nos, *propria* APS.

De hac materia vide Capreolum, *Quarto,* d. XIV, q. 1, concl. 3*.

* Cum obiect. et respp. (p. 295 seqq.).

VII. Secundo loco ostendit Sanctus Thomas secundam* partem poenitentiae, quae est *confessio,* necessariam esse. Et ponit tres conclusiones.

* Cf. num. III.

Prima est: *Necessarium fuit confessionem institui.* Probatur sic. Subire poenam pro culpa, ad quod videlicet tenetur is qui peccavit, iudicium quoddam requirit. Ergo oportet quod poenitens, qui se Christo sanandum commisit, Christi iudicium in taxatione poenae expectet. Ergo necesse fuit confessionem institui.

Probatur secunda consequentia. Quia, cum Christus tale iudicium per suos ministros exhibeat sicut et cetera sacramenta, nullus autem possit iudicare de culpis quas ignorat, necesse est ut culpa poenitentis innotescat Christi ministro, quod fit per confessionem.

Advertendum, ex doctrina Sancti Thomae in *Quarto**, quod praeceptum de confessione a Deo habuit institutionem, et fuit a Iacobo promulgatum*. Quamvis autem non legatur huius expressa institutio a Christo, praefiguratio tamen eius invenitur: et in hoc quod Ioanni confitebantur peccata qui baptismo ipsius ad gratiam Christi praeparabantur*; et in hoc quod Dominus ad sacerdotes, in quibus Novi Testamenti sacerdotium significabatur, leprosos transmisit*.

VIII. Secunda conclusio est*: *Necesse est ministrum cui fit confessio, habere auctoritatem cognoscendi de culpa, et potestatem absolvendi vel condemnandi, quae dicuntur duae claves Ecclesiae.*

Probatur. Tum quia haec duo ad iudiciariam potestatem requiruntur. Oportet autem ministrum cui fit confessio, iudiciariam potestatem habere vice Christi, *qui constitutus est iudex vivorum et mortuorum.*

Tum quia has Dominus Petro commisit, iuxta illud *Matth.* XVI, *Tibi dabo claves regni caelorum,* ut scilicet per eum derivaretur ad alios: alioquin non esset sufficienter fidelium saluti provisum.

IX. Tertia conclusio* est: *Peccantibus post baptismum salus esse non potest nisi clavibus Ecclesiae per confessionem se subiiciant vel actu vel proposito.* Probatur. Sine baptismo vel realiter suscepto vel secundum propositum desiderato, *quando necessitas, non contemptus, sacramentum excludit,* non potest esse salus hominibus. Ergo neque sine clavibus. – Probatur consequentia. Quia claves a passione Christi efficaciam habent, per quam scilicet Christus nobis aperuit ianuam regni caelestis, sicut et ipsa passio in baptismo operatur.

Circa istam rationem, primo advertendum quod per hoc quod dicitur *claves a passione Christi efficaciam habere,* non intendit hoc solum Sanctus Thomas, quod virtutem salvandi a passione Christi habeant, ut videntur verba superficialiter sonare: sed quod sunt a Deo ad salutem post peccatum actuale et institutae et datae. Et ideo, sicut non consequitur quis salutem causandam virtute passionis Christi absque baptismo ad remotionem peccati originalis instituto, ita neque absque clavibus Ecclesiae quis post actuale peccatum salvari potest.

Advertendum secundo, quod dicitur *necessitas sacramentum excludens, non autem contemptus,* quando quis propositum sacramenti suscipiendi habet, sed ipsum executioni mandare non potest. Et tunc dicitur sacramentum, voto et proposito susceptum, salutem operari ac si actu susciperetur: quia, ut dicitur *Quarto,* d. IV, q. III, a. 3, qu$^{a}$ 2, *voluntas pro facto reputatur ei qui non habet tempus operandi.*

Confirmatur conclusio auctoritate Petri *Act.* IV, *Non est aliud nomen,* etc. – Advertendum quod ista auctoritas confirmat propositum, inquantum intendit neminem salvari posse nisi in fide Iesu Christi: et consequenter nisi per sacramenta a Christo ad remotionem peccati instituta. Sic enim sequitur quod, sicut nullus salvari potest nisi in fide Iesu Christi, ita nec salvari potest nisi sacramento poenitentiae actu vel proposito subiiciatur.

X. Per hoc autem, inquit Sanctus Thomas, excluditur quorundam error dicentium hominem posse peccatorum veniam consequi sine confessione et proposito confitendi; vel quod per praelatos Ecclesiae dispensari potest quod ad confessionem quis non teneatur. Hoc enim patet esse falsum.

Tum quia non possunt praelati Ecclesiae agere ut claves frustrentur Ecclesiae, in quibus tota potestas eorum consistit: *supple:* frustrarentur autem si sine ipsis quis posset remissionem peccatorum consequi; potestas enim clavium superflua esset.

Tum quia non possunt agere ut sine sacramento, a passione Christi virtutem habente, aliquis remissionem peccatorum consequatur, sicut neque quod aliquis sine baptismo salvetur: sed hoc est solius Christi, qui est sacramentorum institutor et autor.

2. Pro huius declaratione, advertenda sunt duo, ex doctrina Sancti Thomae, *Quarto,* d. XVII, q. III, a. 1*.

Primum est, quod *institutio Ecclesiae praesupponitur ad operationem ministrorum, sicut opus creationis praesupponitur ad opus naturae: cum ministri Ecclesiae instituantur in Ecclesia fundata*, Ecclesia autem fundatur in fide et sacramentis. Ideo ad ministros Ecclesiae nec novos articulos fidei edere, aut editos removere, nec nova sacramenta instituere, aut instituta removere pertinet, sed ad Christum, qui est Ecclesiae fundamentum.* Et secundum hoc procedit secunda ratio Sancti Thomae. Nam cum dicit ministros non posse dispensare ut quis sine sacramento, a passione Christi virtutem habente, remissionem consequatur, dat intelligere quod, si sacramentum haberet virtutem et efficaciam ab ipsis ministris, utpote ab ipsis instituta, possent in illis dispensare. Sed quia non habent ab ipsis virtutem, sed a passione Christi, a quo sunt instituta, ideo in illis solus Christus potest dispensare, non autem Ecclesiae ministri.

Secundum est quod, cum dicitur ministros dispensare non posse ut quis sine confessione remissionem peccatorum consequatur, hoc intelligitur de confessione *secundum quod obligat ex vi sacramenti, non autem secundum quod obligat ex praecepto Ecclesiae.* Licet enim non possit Papa dispensare ut qui peccatum mortale commisit, nunquam illud confiteatur, *potest tamen dispensare ut possit diutius confessionem differre quam sit ab Ecclesia institutum.* – Quando autem quis teneatur confiteri ex obligatione iuris divini, vide Sanctum Thomam, art. alleg., qu$^{a}$ 4.

3. Advertendum ulterius, ex doctrina Sancti Thomae *Quarto,* d. XVII, in expos. litt*., quod opinio praedicta quae etiam a Magistro Sententiarum recitatur, *nunc est haeresis, propter determinationem Ecclesiae sub Innocentio III,* in cap. *Omnis utriusque sexus**. *Non enim quia sit explicite contra aliquem articulum, vel sit praecedens aut sequens ad ipsum, est haeresis: sed quia implicite continet aliquid contrarium fidei, scilicet quod claves Ecclesiae non sint necessariae ad salutem,* quod vocat hoc loco Sanctus Thomas *frustrari claves,* et *per Ecclesiam determinatum est quod aliquid contrarium fidei sequatur.*

4. Ulterius, quia quantum ad necessitatem paria esse posuit Sanctus Thomas baptismum et claves Ecclesiae, quibus se homo per confessionem subiicit, notat quod, sicut baptismus efficaciam habet ad remissionem peccati etiam antequam actu suscipiatur, dum est in proposito, in ipsa tamen actuali susceptione pleniorem effectum confert et gratiae et remissionis, et quandoque confertur gratia et remittitur culpa ei cui prius dimissa non fuit; ita et de clavibus per omnia dicendum est.

Ad huius evidentiam considerandum est, ex doctrina Sancti Thomae *Quarto,* d. XVIII, q. I, a. 3*, quod aliquando praeparatio sufficiens ad susceptionem effectus baptismi et poenitentiae, ipsam sacramenti susceptionem praecedit tempore. Et tunc in tali praeparatione et dispositione, cum proposito suscipiendi sacramentum, confertur gratia et remissio culpae atque liberatio a reatu poenae aeternae; in ipsa autem actuali susceptione sacramenti augetur gratia vi sacramenti, et a reatu poenae homo absolvitur, aut totaliter, sicut in baptismo, aut quantum ad aliquam partem, ut in confessione. Aliquando vero dispositio sufficiens ad effectum sacramenti, scilicet ad gratiam et remissionem peccatorum, non praecedit tempore, licet aliqua insufficiens praeparatio praecedat, etiam cum proposito suscipiendi sacramentum. Et tunc ex sacramento secundum quod est in proposito, non confertur gratia neque causatur remissio peccatorum: sed in ipsa susceptione sacramenti virtute ipsius gratia confertur, per quam culpa dimittitur, propterea quod sufficiens dispositio in ipsa susceptione sacramenti causetur, puta quando quis de attrito fit contritus; quod quidem in ipsa confessione et absolutione vi clavium fit, nisi quis obicem gratiae ponat. Unde bene dicitur hoc loco quod per baptismum et confessionem aliquando confertur gratia secundum quod in proposito tantum sunt: aliquando vero secundum quod sunt actu.

XI. Quarta conclusio est*: *Minister Ecclesiae, absol-*

* Dist. XVII, III, a. 1, qu$^{a}$ 5 ad 2.
* *Iac.* V, 16.
* Cf. *Matth.* II, 6.
* Cf. *Matth.* VIII, 4; *Luc.* XVII, 14.
* Cf. num. praec.
* Cf. num. XI.
* Qu$^{a}$ 5.
* *divinitus fundata,* S. Thom. l. c.
* Cap. *Quibusdam visum est.*
* Cap. 12. X, *de poen. et remiss.* V. 38.
* Qu$^{a}$ 1.
* Cf. num. IX.

*vendo, virtute clavium aliquid de poena temporali dimittit, cuius debitor remansit poenitens post contritionem: ad residuum vero sua iniunctione obligat poenitentem.*

Primam partem probat, quia in ipsa confessione et absolutione plenior effectus gratiae et remissionis confertur.

Secundam vero relinquit manifestam: quia, cum remissio poenae non fiat nisi vi clavium, si per absolutionem non remittitur tota poena, manifestum est illud quod remanet solvendum de poena, oportere ex iudicio habentis claves taxari et imponi.

2. Advertendum, cum dicitur *vi clavium aliquid poenae in absolutione dimitti*, quod hoc intelligitur supposito quod contritio non fuerit sufficiens ad deletionem omnis poenae debitae. Si enim fuisset tota poena in contritione dimissa, non dimitteretur aliquid eius in absolutione.

Advertendum etiam, quod *quanto maior gratia recipitur, tanto minus de impuritate peccati praecedentis manet: et ideo minor poena purgans debetur*, ut dicitur in IV *Sent.*, art. praecll.*. Ideirco, cum plenior gratia in ipsa confessione et absolutione conferatur, bene infertur quod aliquid de poena cuius poenitens debitor remansit post contritionem, remittatur: aucta enim causa, necesse est et effectum augeri.

* Qu[a] 2, ad 4

Attendendum tamen quod *virtute clavium de poenis singulorum peccatorum proportionaliter dimittitur*, ut inquit Sanctus Thomas art. praecll., qu[a] 2, ad 3; non autem aequaliter secundum absolutam aequalitatem. Non enim, si aliqua quantitas poenae magno peccato debitae remittitur vi clavium, tanta quantitas poenae debita minori peccato remittitur. Quia posset esse quod minori peccato non deberetur maior quantitas poenae quam sit illa quantitas maiori peccato debita quae remittitur, et sic remaneret minus peccatum omnino sine poena. Quod non convenit esse ex vi clavium: licet ex vehementia contritionis illud possit accidere, ut dictum est superius*. Sed, ceteris paribus, si per unam absolutionem virtute clavium remittitur decima pars poenae debitae maiori peccato, per eandem absolutionem remittitur decima pars poenae minori peccato debitae: et sic de aliis partibus est dicendum.

* Cf. num. IV, 81 V, 1

XII. Circa essentiam clavium Ecclesiae, de quibus saepenumero facta mentio est, advertendum quod Scotus, IV *Sent.*, d. XIX*, tenet huiusmodi claves secundum essentiam a charactere sacerdotali distingui, quae est potestas conficiendi corpus Christi*: quia illa fuit Apostolis collata in Cena Domini, potestas autem clavium illis post resurrectionem collata fuit. – Tenet etiam* quod duae claves Ecclesiae, scilicet auctoritas cognoscendi de culpa, et auctoritas sententiandi, sive absolvendi et condemnandi, sunt essentialiter distinctae: quia potest alicui dari una auctoritas absque alia. – Sanctus Thomas autem, IV *Sent.*, d. XVIII*, a. 1, qu[a] 2, ad 1, tenet characterem sacerdotalem et claves esse essentialiter eadem; et quod non differunt nisi ratione, in ordine ad diversos effectus.

* Qu. I, a. 3 (Vat. 1407, p. 301 a)
* Cf. cap. LXXIV, Comment circa finem.
* I., d. a. 1
* Qu. 1

Ad rationem autem Scoti dicitur ex sententia ipsius Sancti Thomae *Quarto*, d. XXIV, q. II, a. 3, ad 2, quod potestas sacerdotalis quae data est in Cena Domini quoad primum et principalem actum, qui est conficere corpus Christi, eadem postmodum data est post resurrectionem quoad secundarium actum, qui est absolvere et ligare.

Quoad ipsas vero claves, tenet etiam Sanctus Thomas expresse, dist. XVIII*, a. 1, qu[a] 3, quod *secundum auctoritatis essentiam* est una, sed distinguuntur duae claves *ex comparatione ad actus, quorum unus alium praesupponit.*

* Qu. 1

Nec obstat quod dicit Scotus, quia una auctoritas absque alia conferri possit. Nam non inconvenit aliqua in aliquibus esse diversa separata, in aliquo vero unum esse: sicut substantia intellectiva separata distinguitur a substantia sensitiva in brutis existente; et tamen in homine substantia intellectiva et sensitiva sunt realiter idem.

XIII. Quantum ad tertium*, scilicet de necessitate satisfactionis, ponitur haec conclusio: *Satisfactio est necessaria.*

* Cf. num. III.

Hanc autem non ponit Sanctus Thomas explicite: sed implicite ex praecedentibus deducitur, et ex probationibus convincitur.

Probatur autem primo sic. Absolvens obligat poenitentem ad residuum poenae cuius remanet debitor post contritionem et remissionem vi clavium factam. Ergo necessaria est satisfactio. – Probatur consequentia. Quia dictae obligationis impletio *satisfactio* dicitur.

Advertendum, ex doctrina Sancti Thomae *Tertia*, q. XC, a. 2; et *Quarto*, d. XVI, q. I, a. 1*, quod, cum recompensatio offensae quae fit per poenitentiam, fiat secundum arbitrium Dei, in quem peccatur, eo quod in tali recompensatione reintegratio amicitiae cum Deo quaeratur; oportet ut fiat secundum arbitrium ministri Dei. Talis autem recompensatio secundum arbitrium Dei, sive eius ministri, dicitur *satisfactio*. Ideo, ex hoc quod sacerdos obligat vi clavium poenitentem ad solutionem alicuius poenae, optime concluditur satisfactionem necessariam esse poenitenti et volenti offensam Dei recompensare.

* Qu[a] 2.

2. Probatur secundo. Ad spiritualem sanationem requiritur ut homo liberetur ab illa debilitatione naturalis boni quam per peccatum incurrit, ut superius* dicebatur. Sed hoc fit per satisfactionem: dum videlicet homo a malis abstinet, et assuescit bonis; Deo spiritum subiiciendo per orationem; carnem vero domando per ieiunium, ut sit subiecta spiritui; et rebus exterioribus, per eleemosynarum largitionem, proximos sibi adiungendo, a quibus fuit separatus, scilicet separatione caritatis, per culpam. Ergo etc.

* Num. II.

Advertendum quod Sanctus Thomas in iis verbis enumerat omnia opera satisfactoria posita a Magistro Sententiarum *Quarto*, d. XV, quae sunt eleemosyna, ieiunium, et oratio. Nam per eleemosynam aliquid nobis ex bonis fortunae subtrahimus; per ieiunium vero, aliquid ex bonis corporalibus; sed per orationem bona animi totaliter Deo submittimus. Et sic per huiusmodi opera satisfactoria sanatur debilitas illa naturalis boni, quae per peccatum contrahitur.

XIV. Ex praedictis infert Sanctus Thomas hoc corollarium: *Non quilibet sacerdos quemlibet potest absolvere a peccato, sed eum tantum in quem accipit potestatem.* Probatur. Quia minister Ecclesiae in usu clavium iudicium quoddam exercet: nulli autem iudicium committitur nisi in sibi subiectos.

Ad huius evidentiam, duo sunt attendenda. Primum est ex doctrina Sancti Thomae *Quarto*, d. XIX, q. I, a. 3, qu[a] 1*, quod duplex est potestas: scilicet potestas *ordinis*, et potestas *iurisdictionis*. Potestas ordinis dicitur potestas quae ordinem concomitatur: puta potestas conficiendi corpus Christi, potestas ligandi atque solvendi in foro animae, et similia. Potestas autem iurisdictionis est qua aliquis alteri ius dicere potest, et eum ligare atque absolvere, in foro contentioso. Potestas ordinis aequaliter est in omnibus sacerdotibus, et, quantum est ex se, ad omnes et ad omnia peccata se extendit: quia videlicet in se sufficiens est omnem poenitentem ab omni peccato absolvere. Sed potestas iurisdictionis non est aequaliter in omnibus sacerdotibus: sed in Petro et successoribus eius est respectu omnium fidelium; in aliis vero est secundum limitationem eis a Pontifice mediate vel immediate datam; quia data est Petro in omnes iurisdictio indistincte, dum ei dictum est, *Tibi dabo claves** etc., et *Pasce oves meas***: aliis autem secundum Petri commissionem dividitur. Licet ergo potestas ordinis, quantum est de se, ad omnem absolvendum se extendat, usus tamen talis potestatis extendi non potest nisi in eum in quem sacerdos habet potestatem iurisdictionis, per quam is in quem usus clavium exercetur, efficitur subiectus absolventi. Ideo Papa omnem poenitentem a peccato potest absolvere: quia in omnem Christianum iurisdictionem habet: alius autem sacerdos illos dumtaxat potest absolvere qui suae iurisdictioni commissione Pontificis sunt subiecti. Et hoc quidem dedit hoc loco intelligere Sanctus Thomas dum dixit quod, quia minister Ecclesiae in usu clavium iudicium quoddam exercet, ideo non potest sacerdos absolvere nisi eum in quem accipit* potestatem. In iis enim verbis vult, praeter potestatem ordinis, oportere esse in sacerdote

* Ad 1.
* *Matth.* XVI, 19.
** *Ioan.* XXI, 17.
* Cf. text. et var.

absolvente potestatem etiam iurisdictionis in eum qui absolvi debet

Nec obstat quod poenitentia est sacramentum iudiciale voluntarium. Quia, licet sit voluntarium ex parte poenitentis, quantum ad hoc quod nullus eum invitum absolvere potest; non tamen voluntarium quantum ad hoc quod possit sibi quem voluerit confessorem eligere a quo absolvatur.

Non obstat etiam quod Papa absolvi potest ab eo cuius iurisdictioni non subditur. Quia Papa nullius curae est particulariter commissus: omnes autem alii sunt eius curae commissi, et eius quibus ipse voluerit. Ideo non est simile de Papa et de aliis hominibus.

2. Secundo attendendum est quod ea quae hic dicuntur, sunt intelligenda extra casum necessitatis. Nam in necessitatis articulo, quando scilicet non adest copia proprii sacerdotis et quis tenetur confiteri, ut in casu mortis, a quolibet sacerdote absolvi potest, secundum Sanctum Thomam loco praeallegato*. Et hoc dicit Sanctus Thomas in *Quarto*, d. XX, q. I, a. 1, qu[a] 2, ad 1, esse de voluntate Ecclesiae, *quae acceptat ut quilibet sacerdos quemlibet in articulo mortis possit absolvere.* Nec tamen propter hoc mutatur minister poenitentiae: sed solum ab Ecclesia aliquo modo habet ut usum iurisdictionis in quemlibet in tali casu exercere possit, quem usum extra hunc casum non habet.

* Qu[a] 1, in corp.

Vide de hac materia plenius apud Capreolum, *Quarto*, d. XIX*.

* Qu. unica, praecipue Concl. 3.

XV. Ultimo loco, quia in praecedentibus dictum est poenitentiam et sacramentum esse*, et habere partes enumeratas superius*, ut completior habeatur hic huiusce rei notitia, primo videndum est, ex doctrina Sancti Thomae tam in *Tertia Parte** quam in IV *Sent.***, quomodo poenitentia sit sacramentum; secundo, quomodo contritio, confessio et satisfactio eius partes sint*.

* Num. I.
* Num. III.
* Qu. LXXXIV, a. 1.
** Dist. XIV, q. 1, a. 1, qu[a] 1.
* III, qu. XC, a. 2. — *Sent.*, d. XVI, q. 1, a. 1.

Ad evidentiam primi, considerandum primo, quod *poenitentia* dupliciter sumitur: uno modo, ut est virtus; alio modo, ut est sacramentum. Primo modo, est habitus in voluntate existens quo quis dolet de peccato, cum emendationis proposito; cuius actus interior est contritio, exterior vero confessio et satisfactio. Secundo modo, est aliquod sensibile signum quod sanctitatem significat et efficit, primo ad remotionem actualis peccati ordinatum.

Considerandum secundo quod, cum in quolibet sacramento sint tria: scilicet id quod est *sacramentum tantum:* quod inquam est solummodo signum sanctitatis; id quod est *res et sacramentum,* idest primus effectus sacramenti, qui est res causata a sensibili signo, et significat ultimum sacramenti effectum; et id quod est *res tantum,* idest ultimus sacramenti effectus; in poenitentia, secundum Sanctum Thomam*, *sacramentum tantum* est actus exterior tam per peccatorem poenitentem exercitus, quam per sacerdotem absolventem; *res autem et sacramentum* est poenitentia interior peccatoris; *res tantum* est remissio peccati.

* III, l. c. ad 3. *Sent.* d. XXII, q. II, a. 1.

XVI. Sed circa hoc difficile dubium occurrit*. Non enim videtur posse poenitentia interior esse res et sacramentum, sive primus effectus poenitentiae.

* Cf. num. XIX.

Tum quia contritio, quae est interior poenitentia, ponitur pars sacramenti poenitentiae. Pars autem sacramenti non potest esse primus eius effectus: alias idem esset causa et effectus.

Tum quia poenitentia interior praecedit confessionem et absolutionem. Effectus autem suam causam non praecedit.

XVII. Ad hanc difficultatem tollendam, Capreolus in XXII dist.* *Quarti,* sequens Petrum de Palude, ad hoc declinat quod in sacramento poenitentiae oportet, secundum mentem Sancti Thomae, praeter poenitentiam interiorem ponere aliquem *ornatum* in anima, qui sit primus effectus sacramenti, et dispositio ad gratiam per modum actus primi. Et hunc dicit esse id quod Sanctus Thomas *gratiam sacramentalem vocat,* id est, effectum proprium ad quem poenitentiae sacramentum est institutum, praeter effectum communem omnibus sacramentis, qui est gratia. Dicitque hunc ornatum prius natura effici et causari a sacramento poenitentiae quam interior poenitentia sit effectus sacramenti: immo quod forte habet aliquam causalitatem super ipsam quoad eius complementum. – Ad id autem quod inquit Sanctus Thomas poenitentiam interiorem esse rem et sacramentum: dicit quod non intelligitur hoc quantum ad essentiam, et productionem ac incoeptionem ipsius, sed quantum ad aliquod sui complementum: puta quantum ad eius intensionem, aut formationem per gratiam et caritatem, aut quantum ad virtutem sanandi peccatum. Unde pro illa duratione quae praecedit absolutionem, non est res et sacramentum actu, sed tantum aptitudine.

* Qu. 1, a. 3. (p. 437 sqq. Cf. *Ex praemissis omnibus* p. 441).

2. Sed haec opinio, quantum ad hoc quod oporteat ponere aliquem ornatum praeter interiorem poenitentiam, qui sit pars sacramenti poenitentiae, quodque talis ornatus sit gratia quam Sanctus Thomas *sacramentalem* vocat: non videtur mihi ad mentem Sancti Thomae esse. Quia, cum, ubi ex proposito et particulariter de ipsa poenitentia loquitur, dicat *poenitentiam interiorem esse id quod est res et sacramentum,* ut patet *Tertia,* q. LXXXIV, a. 1, ad 3; et *Quarto,* d. XXII, q. II, a. 1, qu[a] 2; de nulloque alio tanquam de re et sacramento huiusmodi mentionem faciat; non videtur mihi ab hac sententia discedendum propter aliqua communiter ab ipso dicta, quae huic sententiae adversari videntur. – Expresse autem eius menti repugnare videtur quod gratia sacramentalis sit talis ornatus qui est dispositio ad gratiam. Nam apud ipsum, ut patet *Quarto,* d. I, q. I, a. 4, qu[a] 5, gratia sacramentalis ponitur, non dispositio ad gratiam, sed gratiae, secundum quod a sacramento causatur, effectus, sicut et dona et virtutes gratiae effectus sunt. – Non videtur quoque, etiam posito tali ornatu, quod ipse possit habere aliquam causalitatem super poenitentiam interiorem. Quia sacramentum, quantum ad omnem sui partem, oportet praecedere primum sacramenti effectum saltem natura: poenitentia autem interior aliquo modo est pars sacramenti poenitentiae, secundum etiam Capreolum. Ideo necesse est, ut natura talem ornatum praecedat.

3. Non obstat autem praedictis, primo, quod Sanctus Thomas, *Verit.,* q. XXVII, a. 7, inquit *sacramenta pervenire ad proprios effectus, qui dicuntur gratiae sacramentales, ad quos sequitur infusio gratiae gratum facientis, vel eius augmentum.* Dicitur enim quod duplex est proprius effectus sacramenti. Unus, qui est primus et immediatus; qui dicitur *res et sacramentum,* et dicitur in aliquibus *character.* Alius, qui inter ultimos sacramenti effectus computatur, ad quem scilicet sacramentum est primo institutum. Et uterque potest dici *gratia sacramentalis:* quia uterque habet habitudinem ad gratiam per sacramentum causatam. Sed differunt – primo, quia primus effectus est dispositio ad gratiam, et ipsam saltem ordine naturae antecedit. Secundus autem est effectus gratiae secundum quod per sacramentum causatur: est enim effectus quidam consequens gratiam causatam per sacramentum ad reparandum aliquem defectum qui ex peccato incidit; et vocatur quandoque a Sancto Thoma *divinum auxilium ad consequendum sacramenti finem,* qui scilicet est remotio alicuius defectus ex peccato derelicti. – Differunt secundo, quia primum effectum directe attingit sacramentum: secundum autem sacramentum non attingit directe, sicut nec gratiam, sed tantum dispositive. Omnia enim sacramenta ad gratiam disponunt: sed secundum quod sunt diversa sacramenta, diversimode ad ipsam disponunt; idest, secundum quod ex gratia alii et alii effectus contra defectus ex peccato incidentes proveniunt.

Dictum ergo Sancti Thomae intelligitur de gratia sacramentali primo modo: non autem secundo modo, ut videtur Capreolus intelligere. Sed illa gratia sacramentalis non distinguitur in sacramento poenitentiae a poenitentia interiori, secundum quod est effectus sacramenti: sic enim se habet poenitentia interior ad sacramentum poenitentiae, sicut character in aliis sacramentis habentibus characterem.

4. Non obstat, secundo, quod Sanctus Thomas inquit, *Quarto,* d. XVII, q. I, a. 3, qu[a] 2, ad 3, *adultos posse per baptismum gratiam suscipere in dormiendo, propter habi-*

*tualem dispositionem ex motu liberi arbitrii praecedente.* Dicitur enim primo, quod hoc dictum non est ad propositum. Quia non loquimur hic de dispositione antecedente sacramentum, cuiusmodi est motus liberi arbitrii baptismi susceptionem praecedens: sed de dispositione ad gratiam per sacramentum producta, per cuius productionem dicitur sacramentum gratiam producere, quae in sacramento baptismi est character, non autem motus liberi arbitrii. – Dicitur secundo, quod illa habitualis dispositio ex actu liberi arbitrii praecedente, non est aliquid reale ex actu liberi arbitrii derelictum, sed dicit tantum quandam habitudinem rationis ad ipsum actum praecedentem. Ex hoc enim quod aliquis habuit talem actum in vigilia, est dispositus ad gratiam per baptismum suscipiendam in dormiendo.

5. Non obstat, tertio, quod poenitentiae sacramentum in ficte accedente, recedente fictione habet effectum, secundum Sanctum Thomam*. Hoc autem non videtur posse esse nisi aliquem effectum post se relinquat alium a motu liberi arbitrii. – Dicitur enim quod minor est falsa. Licet enim in baptismo, et aliis sacramentis in quibus character imprimitur, recedente fictione quis dicatur consequi effectum et fructum sacramenti aliquo modo virtute sacramenti, in quantum ex sacramento relinquitur character, qui, remoto impedimento, est talis effectus causa dispositiva; in sacramento tamen poenitentiae non dicitur quis fructum absolutionis, recedente fictione, consequi quia ex ipsa absolutione remaneat in ficto aliqua dispositio absoluta, in qua virtus poenitentiae salvetur; sed quia fictio in sacramento poenitentiae existens, quae imperfectum dolorem de peccato sive imperfectam dispositionem importat, tollitur per veram contritionem, quae est dispositio ad remissionem peccatorum, qui est fructus natus ex sacramento poenitentiae consequi; et in homine qui fictus accessit, remanet habitudo rationis ad sacramentum susceptum. Unde ex eo quod quis sacramento confessionis se subiecit, accedente vera contritione, consequitur, divina virtute agente, id ad quod sacramentum confessionis est ordinatum; et non tenetur amplius eadem peccata confiteri, sed tantum suam fictionem, quia prius verum suscepit sacramentum.

* Dist. XVII, q. III, a. 4, qu[a] 1.

Potest etiam dici, et forte melius, quod, licet ex sacramento poenitentiae remanserit in ficto aliqua dispositio per quam, recedente fictione, sacramenti effectum consequitur; illa tamen dispositio non est aliquid ab interiori poenitentia distinctum, sed est ipsa poenitentia facta aliquo modo perfectior per exterioris poenitentiae susceptionem: licet tantam perfectionem non sit consecuta ut esset ad effectum ultimum poenitentiae sufficiens. Dicitur autem illa dispositio remanere, actuali etiam dolore transeunte, eo modo quo in voluntate dicitur manere aliquid propositum habitualiter, postquam actus transiit.

XVIII. Propterea, sustinendo quod per sacramentum poenitentiae non causetur in poenitente aliquid quod sit res et sacramentum, ab interiori poenitentia distinctum, solvendum est dubium superius* motum.

* Cf. num. XVI.

Ad cuius dissolutionem, praemittendum est primo quod, cum sacramentum rem aliquam sensibilem importet, quae est signum et causa sanctificationis; et materia in sacramento poenitentiae non sit aliqua corporalis materia, sed actus poenitentis; contritio non habet quod sit pars materialis et integralis sacramenti poenitentiae nisi ut aliquo sensibili signo manifestatur; secundum enim quod est in mente, solum est pars poenitentiae interioris, non autem poenitentiae exterioris, quae est sacramentum.

2. Praemittendum secundo quod, licet in aliquibus sacramentis sacramentum secundum quod est in proposito, sit causa tantum eius effectus qui dicitur *res,* sive ultimus effectus sacramenti, non autem causa eius quod dicitur *res et sacramentum,* nisi cum actu exhibetur, ut patet in baptismo, per quem non causatur character nisi cum actu exhibetur: in sacramento tamen poenitentiae, in quo non imprimitur aliqua indelebilis dispositio, et in quo ipsi actus humani sunt dispositio ad eius ultimum effectum, ipsum sacramentum non solum secundum quod actu exhibetur, sed etiam secundum quod est in proposito, effective id quod est res et sacramentum causat. Unde, cum sit causa effectiva gratiae instrumentaliter, ex eo quod causat id quod est res et sacramentum, quod est dispositio ad gratiam, sequitur quod etiam secundum quod est in proposito tantum, est causa totius sui effectus.

3. Praemittendum tertio, quod differt poenitentiae sacramentum ab aliis sacramentis quantum ad materiam: quia, ut dicitur IV *Sent.,* d. XXII, q. II, a. 1, qu[a] 1, ad 2 et 3, id quod est materiale in aliis, habet virtutem aliquam gratiae causativam, et per consequens causativam dispositionis ad gratiam, quae est res et sacramentum; materiale autem in sacramento poenitentiae nullo modo est causativum gratiae efficienter, et consequenter neque eius quod est res et sacramentum; sed tantum id quod est formale in ipso, scilicet absolutio sacerdotis vi clavium facta. Et si aliquando inquit Sanctus Thomas ex vi actuum poenitentis causari peccatorum remissionem, ut ait *Tertia,* q. LXXXVI, a. 6, intelligitur non secundum se, sed ut ex IPSIS et eo quod est formale fit unum. *Ex eo enim quod actus poenitentis ordinem habent ad claves Ecclesiae,* quae remissionem peccatorum efficiunt, possint dici et ipsi eam remissionem aliquo modo causare: inquantum videlicet forma eius cuius sunt materia, virtutem eius causativam habet. Unde Sanctus Thomas *Verit.* q. XXVIII, a. 8, ad 2, inquit quod *contritio, si secundum se consideretur, non se habet ad gratiam nisi per modum dispositionis: sed si consideretur inquantum habet virtutem clavium in voto, sic sacramentaliter operatur in virtute sacramenti poenitentiae.* Addit quoque quod *ex hoc non habetur quod contritio sit causa efficiens remissionis culpae per se loquendo, sed virtus clavis.*

4. Praemittendum quarto, quod poenitentia interior dupliciter considerari potest, ut dicitur in IV *Sent.,* art. allegato qu[a] 2*: Uno modo, ut est quidam actus virtutis, proveniens scilicet ab habitu poenitentiae, quae est virtus; alio modo, ut est actus operans ad sanationem peccati, quae est ultima res sacramenti poenitentiae. Primo modo, non consideratur ut aliquid ad poenitentiae sacramentum pertinens: sed bene secundo modo.

* Ad 1.

XIX. Istis praemissis, dicitur ad dubium* primo, quod contritio et poenitentia interior est effectus sacramenti poenitentiae exterioris tanquam id quod est *res et sacramentum,* secundum quod habet efficaciam sanandi peccatum, non autem inquantum est actus virtutis. Hanc autem efficaciam sanandi intelligo non per modum efficientis, sed per modum dispositionis materialis. Quod patet quia Sanctus Thomas, in loco praeallegato, in secunda ratione in oppositum*, vult quod idcirco poenitentia interior est res poenitentiae exterioris, quia immediate causat remissionem peccatorum, qui est poenitentiae exterioris ultima res. Et dat exemplum de charactere. Constat autem quod character non causat immediate ultimam rem sacramenti, secundum ipsum, per modum efficientis, sed tantum per modum dispositionis. Ideo etc.

* Cf. num. XVI.

* Scilicet arg. *Praeterea* in *Sed Contra.*

Dicitur secundo, quod hanc efficaciam a poenitentia exteriori actu exhibita aliquando quidem habet simpliciter, sicut cum aliquis ad confessionem accedit non plene contritus: tunc enim, nisi quis ponat obicem, virtute clavium causatur plena contritio, quae est sufficiens dispositio ad sanationem peccati. Aliquando autem habet non simpliciter, sed secundum quandam ipsius intensionem, sicut cum quis plene contritus ad confessionem accedit: tunc enim, cum actu poenitentia exterior sive absolutio exhibetur, intenditur ipsa contritio, et fit perfectior dispositio ad sanationem peccati, propter quod augetur gratia, et fit perfectior sanatio.

2. Cum autem instatur, primo, quia contritio est pars poenitentiae. Idem autem non potest esse effectus et causa*: – dicitur primo, quod contritio non est effectus sui ipsius, sed eius quod est formale in poenitentia exteriori, scilicet virtutis clavium et absolutionis: quia, ut dictum est*, pars materialis huius sacramenti non est secundum se causa gratiae. Non est autem inconveniens, id quod est formale in hoc sacramento, esse causam ali-

* Cf. num. XVI, *Tum quia contritio.*

* Cf. num. praec. 3.

cuius partis materialis quantum ad aliquam eius perfectionem.

Dicitur secundo quod, etiam si admittatur aliquo modo ex unione ad claves materiam huius sacramenti esse causam gratiae, non est inconveniens idem esse causam sui ipsius secundum diversa esse et secundum diversas rationes. Sic autem contritio causa sui ipsius dicetur esse. Nam ipsa secundum quod est aliquo sensibili signo manifestata, aut secundum quod est in proposito talis manifestationis, est causa sui ut habet esse interius, non quidem quantum ad sui essentiam, sed ut est sanativa peccati per modum dispositionis completae. Nam voluntas dolens de peccato, habens propositum confitendi et huiusmodi dolorem manifestandi sacerdoti per aliquod sensibile signum, perfectum dolorem habet, et sufficientem ad sanationem peccati: quod non esset nisi tali proposito esset coniuncta. Similiter hunc dolorem augent et perficiunt ipsa actualis confessio et alia signa sensibilia contritionis significativa, adiuncta sacerdotis absolutione.

* Cf. num. xvi. *Tum quia poenitentia.*

3. Cum etiam instatur quia contritio praecedit confessionem et absolutionem*: – dicitur quod, licet aliquo modo possit praecedere confessionem, et absolutionem, non tamen ut est sanativa peccati: hanc enim virtutem non habet nisi confessio et absolutio, saltem in proposito et desiderio, habeatur. Unde si accipiatur contritio secundum quod est effectus poenitentiae exterioris in proposito existentis, sic non praecedit sacramentum poenitentiae, sed est posterior natura: cum virtutem sanandi peccatum ab illo proposito habeat. Si etiam accipiatur secundum quod est effectus poenitentiae secundum quod actu exterius exhibetur, sic etiam non praecedit ipsum sacramentum, sed ipsum naturaliter sequitur: cum ab eo illam virtutem habeat, aut simpliciter aut quantum ad eius intensionem. Unde poenitentia interior nullo modo praecedit poenitentiam exteriorem secundum quod est eius effectus.

XX. Ad evidentiam secundi*, considerandum primo, quod poenitentia est quoddam totum essentiale, et quoddam totum integrale, quemadmodum homo. Inquantum enim est totum essentiale, partes eius sunt materia et forma: inquantum vero est totum integrale, partes eius sunt partes materiae. Pars ergo essentialis ipsius ex parte materiae se tenens, sunt actus poenitentis: pars vero se tenens ex parte formae, est absolutio sacerdotis potestatem clavium habentis. Sed partes integrales ipsius sunt contritio, confessio et satisfactio. Unde istae partes simul sumptae, comparatae ad totum sacramentum compositum ex materia et forma, possunt dici pars essentialis poenitentiae; comparatae autem ad ipsam totam materiam, possunt dici partes materiales eius et partes integrales: sicut partes corporis humani, comparatae ad totum compositum ex anima et corpore, sunt eius pars essentialis; comparatae vero ad solum corpus hominis, dicuntur partes eius materiales et integrales. Cum ergo contritio, confessio et satisfactio dicuntur partes poenitentiae sacramenti, intelligitur quod sunt partes eius materiales et integrales. Unde isti actus sunt quidem actus poenitentiae virtutis, non autem eius materia: poenitentiae autem quae est sacramentum, sunt materia et partes materiales.

* Cf. num. xv.

Considerandum secundo quod, quia actus poenitentis, qui sunt materia poenitentiae, non sunt omnes simul, sed sibi invicem succedunt; poenitentia, inquantum est quoddam totum integrale, non est totum permanens, sed successivum. Ideo non oportet quod, posita una parte poenitentiae, ponantur omnes eius partes, licet ad existentiam cuiuslibet partis, dicatur aliquo modo ipsa poenitentia esse: nam in successivis, dicitur totum esse, quando aliqua eius pars est in actu.

Advertendum quod hoc sacramentum non est absolute de necessitate salutis: sed est necessarium, supposito peccato, contra quod est institutum.

# CAPITULUM SEPTUAGESIMUM TERTIUM

## DE SACRAMENTO EXTREMAE UNCTIONIS.

Quia vero corpus est animae instrumentum; instrumentum autem est ad usum principalis agentis: necesse est quod talis sit dispositio instrumenti ut competat principali agenti; unde et corpus disponitur secundum quod congruit animae. Ex infirmitate igitur animae, quae est peccatum, interdum infirmitas derivatur ad corpus, hoc divino iudicio dispensante. Quae quidem corporalis infirmitas interdum utilis est ad animae sanitatem: prout homo infirmitatem corporalem sustinet humiliter et patienter, et ei quasi in poenam satisfactoriam computatur. Est etiam quandoque impeditiva spiritualis salutis, prout ex infirmitate corporali impediuntur virtutes. Conveniens igitur fuit ut contra peccatum aliqua spiritualis medicina adhiberetur, secundum quod ex peccato derivatur infirmitas corporalis, per quam quidem spiritualem medicinam sanatur infirmitas corporalis aliquando, cum scilicet expedit ad salutem. Et ad hoc ordinatum est sacramentum Extremae Unctionis, de quo dicitur *Iacob.* v[14-15]: *Infirmatur quis in vobis: inducat presbyteros Ecclesiae, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini; et oratio fidei sanabit infirmum.*

Nec praeiudicat virtuti sacramenti si aliquando infirmi quibus hoc sacramentum confertur, non ex toto ab infirmitate corporali curantur: quia quandoque sanari corporaliter, etiam digne hoc sacramentum sumentibus, non est utile ad spiritualem salutem. Nec tamen inutiliter sumunt, quamvis corporalis sanitas non sequatur. Cum enim hoc sacramentum sic ordinetur contra infirmitatem corporis inquantum consequitur ex peccato, manifestum est quod contra alias sequelas peccati hoc sacramentum ordinatur, quae sunt pronitas ad malum et difficultas ad bonum: et tanto magis quanto huiusmodi infirmitates animae sunt propinquiores peccato quam infirmitas corporalis. Et quidem huiusmodi infirmitates spirituales per poenitentiam sunt curandae, prout poenitens per opera virtutis, quibus satisfaciendo utitur, a malis retrahitur et ad bonum inclinatur. Sed quia homo, vel per negligentiam, aut propter occupationes varias vitae, aut etiam propter temporis brevitatem, aut propter alia

20 cum *post* scilicet DEX. 22 dicitur *om* DEGNX*b*.
1 eum *alt loco om* DGX*b*. 17 infirmitates *post* spirituales DEGX*b*. 19 poenitens] poenitentes BYZ, homo poenitens DEGNX*b* 22 propter] per GP*c*.

huiusmodi, praedictos defectus in se perfecte non curat, salubriter ei providetur, ut per hoc sacramentum praedicta curatio compleatur, et a reatu poenae temporalis liberetur, ut sic nihil in eo remaneat quod in exitu animae a corpore eam possit a perceptione gloriae impedire. Et ideo Iacobus addit: *Et alleviabit eum Dominus.* – Contingit etiam quod homo omnium peccatorum quae commisit, notitiam vel memoriam non habet, ut possint per poenitentiam singula expurgari. Sunt etiam quotidiana peccata, sine quibus praesens vita non agitur. A quibus oportet hominem in suo exitu per hoc sacramentum emundari, ut nihil inveniatur in eo quod perceptioni gloriae repugnet. Et ideo addit Iacobus quod, *si in peccatis sit, dimittentur ei.*

Unde manifestum est quod hoc sacramentum est ultimum, et quodammodo consummativum totius spiritualis curationis, quo homo quasi ad percipiendam gloriam praeparatur. Unde et *Extrema Unctio* nuncupatur.

Ex quo manifestum est quod hoc sacramentum non quibuscumque infirmantibus est exhibendum, sed illis tantum qui ex infirmitate videntur propinquare ad finem. – Qui tamen, si convaluerint, iterato potest hoc sacramentum eis conferri, si ad similem statum devenerint. Non enim huius sacramenti unctio est ad consecrandum, sicut unctio confirmationis, ablutio baptismi, et quaedam aliae unctiones, quae ideo nunquam iterantur quia consecratio semper manet, dum res consecrata durat, propter efficaciam divinae virtutis consecrantis. Ordinatur autem huius sacramenti inunctio ad sanandum: medicina autem sanativa toties iterari debet quoties infirmitas iteratur.

Et licet aliqui sint in statu propinquo morti etiam absque infirmitate, ut patet in his qui damnantur ad mortem, qui tamen spiritualibus effectibus huius sacramenti indigerent: non tamen est exhibendum, nisi infirmanti, cum sub specie corporalis medicinae exhibeatur, quae non competit nisi corporaliter infirmato; oportet enim in sacramentis significationem servari. Sicut igitur requiritur in baptismo ablutio corpori exhibita, ita in hoc sacramento requiritur medicatio infirmitati corporali apposita. Unde etiam oleum est specialis materia huius sacramenti, quia habet efficaciam ad sanandum corporaliter mitigando dolores: sicut aqua, quae corporaliter abluit, est materia sacramenti in quo fit spiritualis ablutio.

Inde etiam manifestum est quod, sicut medicatio corporalis adhibenda est ad infirmitatis originem, ita haec unctio illis partibus corporis adhibetur ex quibus infirmitas peccati procedit: sicut sunt instrumenta sensuum et manus et pedes, quibus opera peccati exercentur, et, secundum quorundam consuetudinem, renes, in quibus vis libidinis viget.

Quia vero per hoc sacramentum peccata dimittuntur; peccatum autem non dimittitur, nisi per gratiam: manifestum est quod in hoc sacramento gratia confertur.

Ea vero, in quibus gratia illuminans mentem confertur exhibere solum pertinet ad sacerdotes, quorum ordo est illuminativus, ut Dionysius dicit*. – Nec requiritur ad hoc sacramentum episcopus: cum per hoc sacramentum non conferatur excellentia status, sicut in illis quorum est minister episcopus.

Quia tamen hoc sacramentum perfectae curationis effectum habet, et in eo requiritur copia gratiae; competit huic sacramento quod multi sacerdotes intersint, et quod oratio totius ecclesiae ad effectum huius sacramenti coadiuvet. Unde Iacobus dicit: *Inducat presbyteros Ecclesiae, et oratio fidei sanabit infirmum.* Si tamen unus solus presbyter adsit, intelligitur hoc sacramentum perficere in virtute totius Ecclesiae, cuius minister existit, et cuius personam gerit.

Impeditur autem huius sacramenti effectus per fictionem suscipientis, sicut contingit in aliis sacramentis.

* *De eccl. Hier.* cap. v, §§ 6 et 7. (P. Gr. III, 506).

6 possit] posset EGX*b*. 8 etiam] enim DEGNX. 10 possint ... expurgari] possit ... expurgare YP*c*. 11 etiam] enim DEX. 16 dimittentur] dimittetur BFGHW. 25 propinquare ad finem] morti propinquare DGXP*c*, propinquare N, mori E. 28 consecrandum] confirmandum DEGNX; *pro* confirmationis, consecrationis confirmationis N. 30 unctiones] inunctiones DEGX.

6 specialis *Ita* DXYsFP; spiritualis *ceteri*; *pro* materia, medicina DEG; al' specialis materia *margo* E. 9 sacramenti] baptismi *addunt* XsE. 17 renes] renes vel lumbi Y, rōēs (*idest* rationes) *d*, etiam renes P. 26 episcopus] tempus BFWY, *om* H. 27 per hoc sacramentum] in hoc sacramento DGX *et sine* in E. 31 in eo] ideo DEGX. 40 autem] etiam DEGNX. 41 per fictionem] perfectione D, perfectionem BG, per imperfectionem sG*b*. in] et in P*d*.

## Commentaria Ferrariensis

POSTQUAM determinavit Sanctus Thomas de sacramento Poenitentiae, consequenter de sacramento Extremae Unctionis determinat*. Et ponit decem conclusiones.

* Cf. cap. LIX, Comm. introd.

I. Quarum prima est*: *Sacramentum Extremae Unctionis convenienter est institutum.* Probatur. Ex infirmitate animae, quae est peccatum, interdum infirmitas derivatur ad corpus, hoc divino iudicio dispensante. Quae licet interdum utilis sit ad animae sanitatem, prout eam quis sustinet patienter, et ei quasi in poenam satisfactoriam computatur; est tamen quandoque impeditiva spiritualis salutis, prout ex ea virtutes impediuntur. Ergo conveniens fuit ut aliqua spiritualis medicina adhiberetur, secundum quod ex peccato derivatur infirmitas corporalis, per quam sanetur infirmitas corporalis, cum expedit ad salutem. Ergo convenienter extrema unctio est instituta.

* Cf. num. v.

Probatur prima consequentia. Quia corpus est animae instrumentum. Instrumentum autem, cum sit ad usum principalis agentis, necesse est talem esse eius dispositionem ut competat principali agenti: unde et corpus disponitur, in naturali scilicet generatione, secundum quod congruit animae.

Secunda vero probatur: quia ad illam sanationem ordinatum est extremae unctionis sacramentum, ut patet Iacobi v, *Infirmatur quis* etc.

2. Advertendum circa antecedens, primo, quod infirmitas corporis non est nata naturaliter ex actuali peccato consequi, sed tamen aliquando divina dispositione consequitur, dum Deus hominem propter eius peccata in aegritudinem inducit: aut ut sic pro peccato satisfaciat; aut ut per aegritudinem relevetur a peccato; aut propter aliquid

huiusmodi. Propterea inquit, Sanctus Thomas quod ex infirmitate animae *interdum* infirmitas derivatur ad corpus, hoc divino iudicio dispensante.

3. Advertendum secundo, cum dicitur in littera infirmitatem hominis quandoque ei in poenam satisfactoriam computari, quod flagella quibus homo pro peccatis affligitur a Deo, fiunt aliquo modo ipsius hominis patientis, inquantum ea ad purgationem peccatorum Deus acceptat. Habent autem sic rationem satisfactionis: quia quando recompensatio offensae fit ab ipso qui offendit per aliquid sui, talis recompensatio rationem satisfactionis habet. – De hoc vide *Quartum,* d. xv, q. 1, a. 4*. * Qua 2.

4. Si dicatur hoc sacramentum esse inefficax et inutile, quia quandoque infirmi quibus confertur, non ex toto liberantur: – respondet Sanctus Thomas, et dicit primo, quod hoc non praeiudicat virtuti sacramenti: quia quandoque sanari corporaliter, etiam digne hoc sacramentum sumentibus, ad spiritualem salutem non est utile. *Supple:* Hoc autem sacramentum ordinatur ad corporalem salutem tunc inducendam quando hoc ad spiritualem salutem confert.

Dicit secundo, quod non etiam inutiliter sumitur, quamvis corporalis sanitas non sequatur. Tum quia, cum ordinetur contra corporis infirmitatem inquantum consequitur ex peccato, manifestum est quod contra alias sequelas peccati ordinatur, quae sunt pronitas ad malum et difficultas ad bonum; et tanto magis quanto sunt propinquiores peccato quam corporalis infirmitas. Quia enim homo, propter negligentiam aut alia huiusmodi, praedictos defectus in se perfecte per satisfactionem non curat, salubriter ei providetur ut per hoc sacramentum praedicta curatio compleatur, et a reatu poenae temporalis liberetur, ne per aliquid in exitu animae a corpore a perceptione gloriae impediatur. Ideo Apostolus Iacobus addit, *Et alleviabit eum Dominus.* – Tum quia et contingit hominem omnium peccatorum quae commisit notitiam vel memoriam non habere, ut possit* per poenitentiam singula expurgare; et sunt quotidiana peccata, sine quibus praesens vita non agitur; a quibus oportet hominem in suo exitu per hoc sacramentum emundari. Ideo addidit Apostolus quod, *si in peccatis fuerit, dimittetur* ei.* * Cf. text. et var. * Cf. text. et var.

Ex quibus infert Sanctus Thomas manifestum esse quod hoc sacramentum est ultimum, et quodammodo consummativum totius spiritualis curationis. Tum ex effectu: quia videlicet per ipsum homo quoad perceptionem gloriae praeparatur. – Tum ex nomine: quia videlicet *Extrema Unctio* nuncupatur.

II. Circa id quod dictum est, *hoc sacramentum ad salutem corporis ordinatum esse,* advertendum, ex doctrina Sancti Thomae *Quarto,* d. xxiii, q. 1, a. 2, qua 2, quod hoc intelligitur secundario, non autem primo. Ordinatur enim primo ad animae sanitatem inducendam: secundario vero ad sanitatem corporis secundum quod animae saluti est utile, non quidem inducendam *ex naturali proprietate materiae huius sacramenti, sed ex divina virtute.*

Considerandum secundo, quod idcirco non semper sequitur sanitas corporalis ex hoc sacramento, quia *virtus operans nunquam inducit secundarium effectum nisi secundum quod ad principalem effectum expedit: tunc vero semper inducit, quando expedit.* Non autem expedit semper salus corporis ad animae salutem. Ideo bene Sanctus Thomas hac ratione probat non praeiudicare virtuti huius sacramenti quod aliquando plena salus corporis non sequatur, quia aliquando non est utile ad spiritualem salutem.

III. Circa effectus spirituales huius sacramenti quos hic tangit Sanctus Thomas, considerandum est primo, ex doctrina ipsius articulo praeallegato, qua 1, quod licet sacramentum extremae unctionis tollat haec tria, scilicet reliquias sive sequelas peccari, culpam tam mortalium quam venialium, et reatum; non sunt tamen omnia ista aequaliter huius sacramenti effectus; sed principalis effectus eius, ad quem scilicet primo et principaliter est institutum, est remissio peccatorum quoad eorum reliquias, quae sunt debilitas et ineptitudo quaedam ad fugam mali et ad prosecutionem boni. Remissio autem peccatorum quoad culpam et quoad reatum sunt eius effectus ex consequenti. Inquantum enim per hoc sacramentum datur robur quod gratia facit, quae secum peccatum non compatitur, ex consequenti, si invenit peccatum aliquod quoad culpam, tollit ipsum. Unde non semper removet culpam, sed tantum quando ipsam invenit. Similiter ad remotionem huiusmodi debilitatis, sive reliquiarum peccati, sequitur liberatio a reatu. Ideo et liberatio a reatu est eius secundarius effectus.

Considerandum secundo, quod ista debilitas animae, et ineptitudo ad actus gratiae et gloriae, ex peccato derelicta, dicitur per extremam unctionem removeri, inquantum per ipsam causatur quaedam interior devotio, scilicet habitualis, quae est spiritualis unctio, et est dispositio ad gratiam, et ad effectum ad quem principaliter est institutum. Unde talis interior devotio est *res et sacramentum.* Robur autem contra hanc debilitatem consequens gratiam, secundum quod ex huius sacramenti susceptione causatur, est *res sacramenti.* Quod robur nihil aliud est quam quaedam dispositio et praeparatio animae ad actus gloriae, ad quos prius quodammodo contrarie, ex pronitate ad malum, erat inepta; quae ineptitudo ex peccato causata est, et etiam remoto peccato quoad culpam, remanet, licet aliqualiter debilitata.

IV. Sed circa praedicta duplex occurrit dubium. Primum est, quia non videtur per extremae unctionis sacramentum removeri posse culpam. Cum enim culpa actualis non removeatur nisi per poenitentiam, si is qui Extremam Unctionem recipit, poenitentiae suscepit sacramentum, non est amplius in eo culpa: et sic per extremam unctionem nulla culpa deletur. Si autem sacramentum poenitentiae non suscepit, sibi non remittitur culpa: et sic etiam sequitur quod culpa per extremam unctionem non dimittitur; aut oportet dicere quod poenitentiae sacramentum non est necessarium peccantibus, sed sufficit extrema unctio.

Secundum est, quia videtur velle Sanctus Thomas hoc loco ab omni reatu poenae temporalis per hoc sacramentum hominem liberari, cum dicat hac ratione ipsum a reatu liberari, *ut nihil sit in ipso quod eum in exitu animae a corpore, possit a perceptione gloriae impedire.* Ex hoc autem sequitur quod ille qui suscepto hoc sacramento decedit, ad nullam satisfactionem teneatur post mortem, sed statim evolet ad gloriam; et sic non oportebit pro eo fieri suffragia aut orationes; quod non videtur esse secundum Ecclesiae intentionem.

2. Ad primum horum dicitur, ex doctrina Sancti Thomae loco allegato, quod sic intelligitur dimitti culpa per extremam unctionem, quod tamen adsit poenitentia in proposito ipsam extremam unctionem suscipientis, quando ipsam exteriorem poenitentiam suscipere non potest. Tunc enim ex hoc sacramento, simul cum proposito et desiderio confessionis, confertur gratia, per quam culpa remittitur. Et sic non sequitur quod poenitentiae sacramentum sit superfluum.

Attendendum autem, cum vult Sanctus Thomas per hoc sacramentum emundari hominem a peccatis quae in memoria non habet, quod hoc intelligendum est quando talia peccata prius per poenitentiam non sunt dimissa, puta quia homo non est usus debita diligentia ad recolendum ea. Tunc enim homo in extremo positus, si adsit generalis dolor eorum quorum per incuriam fuit oblitus, per hoc sacramentum ab omnibus emundatur.

3. Ad secundum dicitur primo, ut videtur de mente Sancti Thomae articulo praeallegato*, ad 2, quod non remittitur semper totaliter reatus poenae temporalis, ita quod post mortem homo ad nullam satisfactionem teneatur: sed tunc tantum quando adest interior dispositio ad remotionem talis reatus, simul cum hoc sacramento, sufficiens. Est enim hoc sacramentum ad remotionem omnis reatus remanentis post culpam ordinatum, quando in suscipiente est conveniens dispositio. * Qua 1.

Dicitur secundo, quod semper aliquo modo remittitur reatus: inquantum, remota debilitate quae erat ex peccato,

fit levior poena; *eandem enim poenam levius,* inquit Sanctus Thomas*, *portat fortis quam debilis.*

* L. c. ad 2.

V. Secunda conclusio est: *Hoc sacramentum non quibuscumque infirmantibus est exhibendum, sed iis tantum qui ex infirmitate videntur morti* appropinquare.* Hanc conclusionem non probat Sanctus Thomas, sed eam ex praemissis manifestam relinquit. Si enim est ultimum sacramentum, quo homo ad percipiendam gloriam praeparatur, manifestum est quod dari non debet nisi ex hac vita ad gloriam exituris.

* Cf. text. et var.

* L. c. d. XXIII, q. II, a. 2, qua 2, ad 1.

2. Advertendum, secundum doctrinam Sancti Thomae*, quod, licet in qualibet aegritudine possit dari hoc sacramentum si genera pensentur aegritudinum, quia quaelibet infirmitas augmentata mortem potest inducere: non tamen debet in quolibet statu aegritudinis dari, sed tantum cum quis ex aegritudine est in mortis periculo. Ideo, cum dicitur hic quod non est exhibendum hoc sacramentum quibuscumque infirmantibus, non est hoc referendum ad genera infirmitatum, sed ad earum modum et statum.

V. Tertia conclusio est: *Potest iterari hoc sacramentum cum homo qui convaluit, ad similem statum propinquitatis ad mortem devenerit.* Probatur. Quia quod aliqua sacramenta non reiterentur, est quia unctio eorum, aut ablutio, ad consecrandum ordinatur: consecratio enim semper manet, dum res consecrata durat, propter efficaciam divinae virtutis consecrantis. Unctio autem huius sacramenti non ordinatur ad consecrandum, sed est medicina ad sanandum ordinata, quae toties iterari debet quoties infirmitas iteratur. Ergo etc.

* L. c. a. 4, qua 1.

Advertendum, ex doctrina Sancti Thomae*, quod sacramentum habens perpetuum effectum iterari non debet, quia sibi fieret iniuria, ex eo quod ostenderetur illud non fuisse efficax ad effectum inducendum. Propterea bene arguitur hic sacramentum quod ad consecrandum ordinatur, non debere iterari, quia consecratio semper manet quandiu res consecrata durat.

VI. Quarta conclusio est: *Hoc sacramentum non debet dari propinquis morti absque infirmitate, puta damnatis ad mortem.* Probatur. Exhibetur hoc sacramentum sub specie corporalis medicinae. Quod patet: Tum quia oportet in sacramentis significationem servari. Tum quia materia eius est oleum, quod habet efficaciam ad sanandum corporaliter, mitigando dolores: sicut aqua, quae corporaliter abluit, est materia sacramenti in quo fit spiritualis ablutio: corporalis autem medicina non competit nisi corporaliter infirmanti. Ergo etc.

Advertendum illam propositionem, *Oportet in sacramentis significationem servari,* sic debere intelligi, quod oportet sacramentum sic disponi ut per ipsum significetur id quod efficitur, sicut per ablutionem aquae significatur animae ablutio a peccato. Unde, cum extrema unctio ad sanationem animae ordinetur, ex hoc optime sequitur quod ipsa tanquam medicina quaedam corporis exhibeatur infirmo: sic enim suscipiens sacramentum significatur ut curatione indigens.

Advertendum etiam quod confirmatio adducta ex hoc quod oleum est materia huius sacramenti, non ponitur tanquam necessario propositum concludens, sed tanquam aliqualis persuasio cum aliis concurrentibus. Non enim hoc est signum adaequatum quod aliquod sacramentum adhibeatur sub specie corporalis medicinae, quia oleum sit eius materia: cum etiam in confirmatione oleum sit materia, et tamen confirmatio non exhibeatur sub specie medicinae corporalis.

VII. Quinta conclusio est: *Haec unctio adhibetur convenienter instrumentis sensuum, et manibus, ac pedibus, quibus opera peccati exercentur: atque etiam, secundum aliquorum consuetudinem, renibus, in quibus vis libidinis viget.* Probatur. Haec unctio illis partibus adhibetur convenienter ex quibus infirmitas peccati procedit: nam et medicatio corporalis adhibenda est ad infirmitatis originem. Sed praedicta sunt talia. Ergo etc.

Advertendum, ex doctrina Sancti Thomae in *Quarto** quod ista unctio ab omnibus fit in organis quinque sensuum, scilicet in oculis, naribus, ore, auribus et manibus, quasi ista sint de necessitate sacramenti, quia ista organa sunt principium cognitionis, et per consequens prima origo peccati. A quibusdam autem unguntur renes, propter vim appetitivam concupiscibilem ibi vigentem; pedes autem propter motivam virtutem, cuius sunt principalius instrumentum. Sed licet istud quandam habeat rationem, non tamen videtur esse de necessitate sacramenti: quia vis appetitiva et motiva non sunt prima principia et prima radix peccati. Unde quidam non servant unctiones renum et pedum: quidam autem unctionem pedum servant, non autem renum. Convenientius tamen pedibus unctio exhibetur, sicut et manibus, quia ipsis opera peccati exercentur.

* L. c. d. XXIII, q. II, a. 3, qua 2.

VIII. Sexta conclusio est: *In hoc sacramento gratia confertur.* Probatur. Per hoc sacramentum peccata dimittuntur. Ergo in eo confertur gratia. – Probatur consequentia. Quia peccatum non dimittitur nisi per gratiam.

2. Septima conclusio est: *Conferre hoc sacramentum pertinet solum ad sacerdotes.* Probatur. Quia exhibere ea in quibus gratia illuminans mentem confertur, solum ad sacerdotes pertinet, quorum ordo est illuminativus, secundum Dionysium.

3. Octava conclusio est: *Non requiritur ad hoc sacramentum conferendum episcopus.* Probatur. Quia per ipsum non confertur excellentia status, sicut in illis quorum minister est episcopus.

Sed videtur quod ista ratio non concludat. Nam per Confirmationem non ponitur quis in status excellentia, cum omnibus exhibeatur: et tamen per episcopum confertur. Ergo etc.

Respondetur, ex doctrina Sancti Thomae *Quarto,* d. VII, q. II, a. 1*; et d. XXIII**, quod falsum est per sacramentum confirmationis non poni hominem in quadam excellentia status super alios fideles. Datur enim *ad persistendum fortiter in pugna qua quis nomen Christi impugnat, cui pugnae non omnes exponuntur, sed solum confirmati.*

* Qua 1, ad 1.
** Qu. II, a. 1, qua 3.

Cum arguitur contra, quia omnibus confertur: dicitur quod utique omnibus confertur, quia ponit supra communem statum quantum ad confessionem fidei, quae excellentia omnibus membris Ecclesiae competit, secundum quod sunt confirmati: sed per hoc non tollitur quin confirmati habeant status excellentiam supra non confirmatos.

Si instetur, quia Sanctus Thomas, in *Quarto**, arguit non constitui hominem per extremam unctionem in statu perfectionis supra alios *quia omnibus datur:* – respondetur quod illa ratio intelligenda est sic, quia omnibus datur absque alicuius characteris impressione: ut ibidem haberi potest ex responsione ad primum.

* D. XXIII, l. c.

IX. Nona conclusio est: *Competit huic sacramento quod multi sacerdotes intersint.* Probatur. Quia perfectae curationis habet effectum, et in eo confertur copia gratiae: ad quem effectum inducendum convenit ut oratio totius Ecclesiae coadiuvet.

Confirmatur auctoritate Iacobi, *Inducat praesbyteros* etc.

Addit autem Sanctus Thomas quod tamen, si unus solus praesbyter adsit, intelligitur perficere hoc sacramentum in virtute Ecclesiae, cuius minister existit, et cuius personam gerit.

2. Decima conclusio est: *Impeditur huius sacramenti effectus per fictionem suscipientis.* Probatur. Quia ita contingit in aliis sacramentis.

ADVERTENDUM quod hoc sacramentum non est absolute necessarium, sed tantum ad bene esse. Perficit enim poenitentiam, inquantum per ipsum peccati reliquiae removentur.

# CAPITULUM SEPTUAGESIMUM QUARTUM

## DE SACRAMENTO ORDINIS.

* Capp. LVI, LIX, LX, LXI, LXXII, LXXIII.

MANIFESTUM est autem ex praedictis*, quod in omnibus sacramentis de quibus iam actum est, spiritualis confertur gratia sub sacramento visibilium rerum. Omnis autem actio debet esse proportionata agenti. Oportet igitur quod praedictorum dispensatio sacramentorum fiat per homines visibiles, spiritualem virtutem habentes. Non enim Angelis competit sacramentorum dispensatio, sed hominibus visibili carne indutis: unde et Apostolus dicit, *ad Heb.* V[1]: *Omnis pontifex, ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in his quae sunt ad Deum.*

Huius etiam ratio aliunde sumi potest. Sacramentorum enim institutio et virtus a Christo initium habet: de ipso enim dicit Apostolus, *ad Ephes.* V[25-26], quod *Christus dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans eam lavacro aquae in verbo vitae.* Manifestum est etiam quod Christus sacramentum sui corporis et sanguinis in Cena dedit, et frequentandum instituit*; quae sunt principalia sacramenta. Quia igitur Christus corporalem sui praesentiam erat Ecclesiae subtracturus, necessarium fuit ut alios institueret sibi ministros, qui sacramenta fidelibus dispensarent: secundum illud Apostoli I *ad Cor.* IV[1]: *Sic nos existimet homo ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei.* Unde discipulis consecrationem sui corporis et sanguinis commisit, dicens*: *Hoc facite in meam commemorationem;* eisdem potestatem tribuit peccata remittendi, secundum illud *Ioan.* XX[23]: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis;* eisdem etiam docendi et baptizandi iniunxit officium, dicens *Matth.* ult.*: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos.* Minister autem comparatur ad dominum sicut instrumentum ad principale agens: sicut enim instrumentum movetur ab agente ad aliquid efficiendum, sic minister movetur imperio domini ad aliquid exequendum. Oportet autem instrumentum esse proportionatum agenti. Unde et ministros Christi oportet esse ei conformes. Christus autem, ut Dominus, auctoritate et virtute propria nostram salutem operatus est, inquantum fuit Deus et homo: ut secundum id quod homo est, ad redemptionem nostram pateretur; secundum autem quod Deus, passio eius nobis fieret salutaris. Oportet igitur et ministros Christi homines esse, et aliquid divinitatis eius participare secundum aliquam spiritualem potestatem: nam et instrumentum aliquid participat de virtute principalis agentis. De hac autem potestate Apostolus dicit, II *ad Cor.* ult.*, quod *potestatem dedit ei Dominus in aedificationem, et non in destructionem.*

* Matth. XXVI. Marc. XIV, Luc. XXII, I. Cor. XI.

* Cf. ll.cc. supra.

* Vers. 19.

* Vers. 10.

Non est autem dicendum quod potestas huiusmodi sic data sit Christi discipulis quod per eos ad alios derivanda non esset: data est enim eis *ad Ecclesiae aedificationem,* secundum Apostoli dictum. Tandiu igitur oportet hanc potestatem perpetuari, quandiu necesse est aedificari Ecclesiam. Hoc autem necesse est post mortem discipulorum Christi usque ad saeculi finem. Sic igitur data fuit discipulis Christi spiritualis potestas ut per eos deveniret ad alios. Unde et Dominus discipulos in persona aliorum fidelium alloquebatur: ut patet per id quod habetur *Marc.* XIII[37]: *Quod vobis dico, omnibus dico;* et *Matth.* ult.* Dominus discipulis dixit: *Ecce, ego vobiscum sum usque ad consummationem saeculi.*

* Vers. 20.

Quia igitur haec spiritualis potestas a Christo in ministros Ecclesiae derivatur; spirituales autem effectus in nos a Christo derivati, sub quibusdam sensibilibus signis explentur, ut ex supra dictis patet*: oportuit etiam quod haec spiritualis potestas sub quibusdam sensibilibus signis hominibus traderetur. Huiusmodi autem sunt certae formae verborum et determinati actus, utputa impositio manuum, inunctio, et porrectio libri vel calicis, aut alicuius huiusmodi quod ad executionem spiritualis pertinet potestatis. Quandocunque autem aliquid spirituale sub signo corporali traditur, hoc dicitur sacramentum. Manifestum est igitur quod in collatione spiritualis potestatis quoddam sacramentum peragitur, quod dicitur *Ordinis sacramentum.*

* Cf. Cap. LVI.

Ad divinam autem liberalitatem pertinet ut cui confertur potestas ad aliquid operandum, conferantur etiam ea sine quibus huiusmodi operatio convenienter exerceri non potest. Administratio autem sacramentorum, ad quae ordinatur spiritualis potestas, convenienter non fit nisi aliquis ad hoc a divina gratia adiuvetur. Et ideo in hoc sacramento confertur gratia: sicut et in aliis sacramentis.

Quia vero potestas Ordinis ad dispensationem sacramentorum ordinatur; inter sacramenta autem nobilissimum et consummativum aliorum est Eucharistiae sacramentum, ut ex dictis* patet: oportet quod potestas ordinis consideretur praecipue secundum comparationem ad hoc sacramentum; nam *unumquodque denominatur a fine**.

* Verbotenus non invenitur. Cf. cap. LXI *Sed considerandum* et hic supra a 22.

* Arist. *de Anima.* II cap. IV; s. Thom. lect. IX.

Eiusdem autem virtutis esse videtur aliquam perfectionem tribuere, et ad susceptionem illius materiam praeparare: sicut ignis virtutem habet et ut formam suam transfundat in alterum, et

3 actum] dictum DsZP*c*. 14 etiam] autem GZP*c*. 27 l. *om* DEGNX. 31 potestatem tribuit *post* remittendi E, etiam tribuit potestatem *b*, attribuit potestatem G, tribuit potestatem YP*c*. 35 docete... baptizantes *Ita* DEGX; baptizate... docentes *ceteri*. 39 efficiendum] agendum DEGNX. 47 nostram *om* DEGNX*b*. 49 et] ad *d*, *om* P. 53 hac autem potestate] potestate autem DE. Apostolus dicit] ait Apostolus BY, dicit Apostolus DZP*c*. II. *om* DEGX.

4 sic data sit] sit data sic EGNXYZ, sit data D. 6 Apostoli... cap. 77, p. 244 b 34 suscipiunt *lacuna in* N *ob folium recisum*. 26 utputa] puta P*c*. 39 aliquis] quis DEGX. 41 et in] cum αWYZ. 53 et ut *pr. loco*] ut et Z, ut P*c*. alterum *Ita* DEGX; alteram *ceteri*.

ut materiam disponat ad formae susceptionem. Cum igitur potestas Ordinis ad hoc se extendat ut sacramentum corporis Christi conficiat et fidelibus tradat, oportet quod eadem potestas ad hoc se extendat quod fideles aptos reddat et congruos ad huius sacramenti perceptionem. Redditur autem aptus et congruus fidelis ad huius sacramenti perceptionem per hoc quod est a peccato immunis: non enim potest aliter Christo spiritualiter uniri, cui sacramentaliter coniungitur hoc sacramentum percipiendo. Oportet igitur quod potestas Ordinis se extendat ad remissionem peccatorum, per dispensationem illorum sacramentorum quae ordinantur ad peccati remissionem, cuiusmodi sunt Baptismus et Poenitentia, ut ex dictis* patet. Unde, ut dictum est, Dominus discipulis, quibus commisit sui corporis consecrationem, dedit etiam potestatem remittendi peccata. Quae quidem potestas per *claves* intelligitur, de quibus Dominus Petro, *Matth.* XVI[19], dixit: *Tibi dabo claves regni caelorum.* Caelum enim unicuique clauditur et aperitur per hoc quod peccato subiacet, vel a peccato purgatur: unde et usus harum clavium dicitur esse *ligare et solvere,* scilicet a peccatis. De quibus quidem clavibus supra* dictum est.

* Capp. LIX, LXII.

* Cap. LXII, *Oportet igitur.*

5 quod] ut DEGX*b*. 10 spiritualiter *post* uniri DEX.
7 Matth. XVI *post* dixit DEGX*b*.

## Commentaria Ferrariensis

POSTQUAM determinavit Sanctus Thomas de sacramento Extremae Unctionis, consequenter de sacramento Ordinis determinat*.

* Cf. cap. LIX, Comm. introd.

Circa hoc autem tria facit: primo, determinat de ipso Ordinis sacramento; secundo, de ordinum distinctione, Cap. seq.; tertio, de ministro sacramentorum cui potestas ordinis confertur, Cap. LXXVII.

I. Quantum ad primum, ponit sex conclusiones. Quarum prima est: *Necesse est praedictorum sacramentorum dispensationem fieri per homines visibiles spiritualem virtutem habentes.* Probatur *primo* sic. In omnibus praedictis sacramentis spiritualis confertur gratia sub sacramento visibilium rerum. Ergo etc. – Probatur consequentia. Quia omnis actio debet esse proportionata agenti.

II. *Secundo.* Ista sacramentorum dispensatio angelis non competit, sed tantum hominibus visibili carne indutis. Ergo etc.

Probatur antecedens dupliciter. Primo, auctoritate Apostoli, ad *Heb.* V dicentis, *Omnis pontifex* etc.

2. Secundo sic. Dispensatores sacramentorum oportet esse ministros Christi. Ergo oportet illos esse Christo conformes. Ergo oportet illos homines esse, et aliquid divinitatis eius participare secundum aliquam spiritualem potestatem; de qua dicit Apostolus, II *ad Cor.* ult., quod *potestatem dedit* etc.

Antecedens probatur primo sic. Sacramentorum institutio et virtus a Christo initium habet: nam secundum Apostolum, *ad Ephes.* V, Baptismi instituit sacramentum; ipse etiam sacramentum sui corporis et sanguinis in Cena dedit et frequentandum instituit, quae principalia sunt sacramenta. Ergo necessarium fuit ut alios institueret sibi ministros, qui sacramenta fidelibus dispensarent: quia corporalem sui praesentiam erat Ecclesiae subtracturus. Ergo tales dispensatores sunt ministri eius.

Secundo, auctoritate Apostoli, dicentis I *ad Cor.* IV, *Sic nos existimet* etc.

Tertio, quia discipulis et consecrationem sui corporis et sanguinis commisit, cum dixit, *Hoc facite* etc.; et tribuit potestatem remittendi peccata, iuxta illud *Ioan.* XX, *Quorum remiseritis* etc., et docendi ac baptizandi iniunxit officium, *Matth.* ult., *Euntes docete* etc.

Prima vero consequentia probatur. Quia minister comparatur ad dominum sicut instrumentum ad principale agens: cum moveatur imperio domini ad aliquid exequendum, sicut instrumentum movetur ab agente ad aliquid efficiendum. Oportet autem instrumentum esse proportionatum agenti.

Secunda quoque consequentia probatur: quoad illationem totius consequentis, quia Christus, ut Dominus, operatus est auctoritate et virtute propria nostram salutem, inquantum fuit Deus et homo; ut secundum unum ad nostram redemptionem pateretur; secundum alterum passio eius nobis fieret salutaris. – Quo vero ad illationem secundae partis consequentis, probatur quia instrumentum aliquid participat de virtute principalis agentis.

3. Circa istius rationis antecedens, considerandum ex doctrina Sancti Thomae *Tertia,* q. LXIV, a. 7; et *Quarto,* d. V*, a. ult.**. quod *sicut Deus potentiam suam sacramentis non alligavit, ita nec potestatem dispensandi sacramenta alligavit aliquibus ministris. Unde sicut hanc potestatem hominibus dedit, ita eam posset et angelis dare.* Sed licet non sit impossibile angelos esse sacramentorum dispensatores divinitus sibi potestate concessa, hoc tamen non congruit, sed magis ut per homines haec dispensatio fiat, ut patet ratione inducta. Unde non dixit Sanctus Thomas quod dispensatio sacramentorum non sit angelis possibilis, sed quod *illis non competit:* idest, non congruit eorum naturae. Sed bene hominibus congruit.

* Qu. 2.
** Qu[a] 2.

III. Secunda conclusio est: *Sic data fuit discipulis Christi huiusmodi spiritualis potestas, ut per eos deveniret ad alios.* Probatur. Data est haec potestas, secundum Apostoli dictum, ad Ecclesiae aedificationem. Ergo eam oportet tandiu perpetuari quandiu necesse est aedificari Ecclesiam. Sed hoc necesse est post mortem discipulorum usque ad saeculi finem. Ergo etc.

Confirmatur. Quia Dominus discipulis in persona aliorum fidelium loquebatur: ut patet *Marc.* XIII, *Quod vobis* etc.; et *Matth.* ult., *Ecce ego* etc.

2. Tertia conclusio est: *In collatione huiusmodi spiritualis potestatis quoddam sacramentum peragitur, quod dicitur Ordinis sacramentum.* Probatur. Oportuit ut haec spiritualis potestas sub quibusdam sensibilibus signis hominibus traderetur: quae sunt certae formae verborum, determinati actus, ut impositio manuum, inunctio, et porrectio libri vel calicis vel alicuius huiusmodi quod ad executionem spiritualis pertinet potestatis. Ergo etc. – Probatur consequentia. Quia quandocumque aliquid spirituale sub signo corporali traditur, hoc dicitur sacramentum. – Antecedens vero probatur, quia haec spiritualis potestas a Christo in ministros Ecclesiae derivatur, spirituales autem effectus a Christo in nos derivati sub quibusdam signis sensibilibus explentur, ut ex supra dictis* patet.

* Cap. LVI.

3. Quarta conclusio est: *In hoc sacramento confertur gratia, sicut in aliis sacramentis.* Probatur. Administratio sacramentorum, ad quae ordinatur spiritualis potestas, convenienter non fit nisi aliquis ad hoc a divina gratia adiuvetur. Ergo, etc. – Probatur consequentia. Quia ad divinam liberalitatem pertinet ut cui confertur potestas ad aliquid operandum, conferantur etiam ea sine quibus huiusmodi operatio convenienter exerceri non potest.

Advertendum, ex doctrina Sancti Thomae in *Quarto,* d. XXIV, q. I, a. 2, qu[a] 1, ad 3, quod alio modo praesupponitur gratia in eo qui ad ordines accedit: et alio modo, per sacramentum ordinis causatur. *Praeexigitur enim gratia sufficiens ad hoc ut quis digne in plebe Christi connumeretur. Confertur autem in susceptione*

*Ordinis amplius gratiae munus, per quod ad maiora reddatur idoneus.*

4. Quinta conclusio est: *Potestas Ordinis consideratur praecipue secundum comparationem ad sacramentum Eucharistiae: idest, principaliter attenditur circa corpus Christi conficiendum.* Probatur. Potestas ordinis ad dispensationem sacramentorum ordinatur. Ergo praecipue ordinatur ad id quod est perfectissimum et consummativum omnium aliorum: quia unumquodque denominatur a fine. Sed sacramentum Eucharistiae est huiusmodi. Ergo etc.

5. Sexta conclusio est: *Necesse est ut potestas Ordinis se extendat ad remissionem peccatorum per dispensationem illorum sacramentorum quae ad hoc ordinantur, cuiusmodi sunt Baptismus et Poenitentia.* Probatur. Eiusdem virtutis esse videtur aliquam perfectionem tribuere, et ad susceptionem illius materiam praeparare: ut patet in virtute ignis. Sed potestas Ordinis ad hoc se extendit ut sacramentum corporis Christi conficiat et fidelibus tradat. Ergo oportet ut eadem potestas ad hoc se extendat quod fideles aptos reddat et congruos ad huius sacramenti perceptionem. Sed ad hoc fidelis redditur aptus et congruus per hoc quod est a peccato immunis: cum aliter non possit Christo spiritualiter uniri. Ergo etc.

Confirmatur, quia dominus discipulis, quibus commisit sui corporis consecrationem, dedit hanc potestatem intellectam per claves promissas Petro. Nam caelum unicuique aperitur et clauditur per hoc quod peccato subiacet, vel a peccato purgatur, cuius signum est, quod usus harum clavium dicitur esse ligare et solvere, scilicet a peccatis.

6. Attendendum, quod ut dictum est supra* de mente Sancti Thomae, potestas conficiendi sacramentum corporis Christi, et potestas remittendi peccata, non sunt duae potestates essentialiter distinctae, sed tantum ratione in ordine ad diversos actus. Ideo si sacramentum ordinis in tali potestate consistit, non sequitur, quod sacerdotium sit duo ordines, ut arguit Scotus in IV *Sent.*, d. XXIV*, sed fortassis illud sequeretur, si illae potestates essent essentialiter distinctae.

* Cap. LXXII, Comment. num. XII.

* Qu. 1, a. 1. (Ven. 1497, p. 97 r b).

ADVERTENDUM autem, quod hoc sacramentum non est quidem necessitatis respectu huius, aut illius singularis hominis, est tamen ecclesiae necessarium ut sit in ea aliquis gubernator.

# CAPITULUM SEPTUAGESIMUM QUINTUM

## DE DISTINCTIONE ORDINUM.

CONSIDERANDUM est autem quod potestas quae ordinatur ad aliquem principalem effectum, nata est habere sub se inferiores potestates sibi deservientes. Quod manifeste in artibus apparet: arti enim quae formam artificialem inducit, deserviunt artes quae disponunt materiam; et illa quae formam inducit, deservit arti ad quam pertinet artificiati finis; et ulterius quae ordinatur ad citeriorem finem, deservit illi ad quam pertinet ultimus finis: sicut ars quae caedit ligna, deservit navifactivae; et haec gubernatoriae; quae iterum deservit oeconomicae, vel militari, aut alicui huiusmodi, secundum quod navigatio ad diversos fines ordinari potest. Quia igitur potestas Ordinis principaliter ordinatur ad corpus Christi consecrandum et fidelibus dispensandum, et ad fideles a peccatis purgandos; oportet esse aliquem principalem ordinem, cuius potestas ad hoc principaliter se extendat, et hic est *ordo sacerdotalis;* alios autem qui eidem serviant aliqualiter materiam disponendo, et hi sunt *ordines ministrantium.* Quia vero sacerdotalis potestas, ut dictum est*, se extendit ad duo, scilicet ad corporis Christi consecrationem, et ad reddendum fideles idoneos per absolutionem a peccatis ad Eucharistiae perceptionem; oportet quod inferiores ordines ei deserviant vel in utroque, vel in altero tantum. Et manifestum est quod tanto aliquis inter inferiores ordines superior est, quanto sacerdotali ordini deservit in pluribus, vel in aliquo digniori.

* Cap. praec. *Eiusdem autem.*

Infimi igitur ordines deserviunt sacerdotali ordini solum in populi praeparatione: *Ostiarii* quidem arcendo infideles a coetu fidelium; *Lectores* autem instruendo catechumenos de fidei rudimentis, unde eis Scriptura Veteris Testamenti legenda committitur; *Exorcistae* autem purgando eos qui iam instructi sunt, sed aliqualiter a daemone impediuntur a perceptione sacramentorum.

Superiores vero ordines sacerdotali deserviunt et in praeparatione populi, et ad consummationem sacramenti. Nam *Acolythi* habent ministerium super vasa non sacra, in quibus sacramenti materia praeparatur: unde eis urceoli in sua ordinatione traduntur. *Subdiaconi* autem habent ministerium supra vasa sacra, et super dispositionem materiae nondum consecratae. *Diaconi* autem ulterius habent aliquod ministerium super materiam iam consecratam, prout sanguinem Christi dispensant fidelibus. Et ideo hi tres ordines, scilicet sacerdotum, diaconorum et subdiaconorum, *sacri* dicuntur, quia accipiunt ministerium super aliqua sacra. – Deserviunt etiam superiores ordines in praeparatione populi. Unde et diaconibus committitur Evangelica doctrina populo proponenda; subdiaconibus Apostolica; acolythis ut circa utrumque exhibeant quod pertinet ad solemnitatem doctrinae, ut scilicet luminaria deferant, et alia huiusmodi administrent.

3 nata *Ita* P; innata αWYZ*cd*, haec nata DEGX*b*. 5 manifeste *post* apparet E, maxime D. 9 citeriorem *Ita* CHWX*cd*; *spat* B, certiorem EGY, exteriorem F*b*, ulteriorem Z, anteriorem DP. 11 ars quae] aliquis qui EGX*b*, qui D. 13 alicui *Ita nos soli;* alicuius *omnes.* 17 ad fideles a peccatis] a peccatis fideles DEGX. 18 purgandos] purgandum P*c*. 20 extendat] extendit EGX. 21 serviant] serviunt DE, deserviunt X, deserviant Y. 29 tanto aliquis *post* ordines DEGX.

9 sunt sed] sunt si DEXP, qui *b*. 12 et in] in DEGX*b*.

## Commentaria Ferrariensis

Ostenso quod convenienter est in Ecclesia sacramentum Ordinis institutum, consequenter Sanctus Thomas de ordinum distinctione determinat*.

* Cf. cap. praec. Comm. init.

Circa hoc autem duo facit: primo, determinat de ipsis sacris ordinibus; secundo, de episcopali potestate, per quam ipsi ordines dispensantur, capite sequenti.

I. Quantum ad primum, ponit duas conclusiones. Prima est: *Oportet esse in Ecclesia ordinem sacerdotalem, et alios ei ministrantium ordines.* Prima pars probatur. Potestas ordinis principaliter ordinatur ad corpus Christi consecrandum ac fidelibus dispensandum; et ad fideles a peccatis purgandum. Ergo oportet esse aliquem principalem ordinem, cuius potestas ad hoc principaliter se extendat, qui est ordo sacerdotalis.

Secunda vero pars probatur, quia potestas quae ad aliquem principalem effectum ordinatur, nata est habere sub se inferiores potestates sibi deservientes. Declaratur in artibus.

II. Secunda conclusio est: *Convenienter ordines ministrantium, tam infimi quam superiores, sunt instituti.* Declaratur. Quia, cum sacerdotalis potestas se extendat ad consecrationem corporis Christi, et ad reddendum fideles idoneos per absolutionem a peccatis ad Eucharistiae perceptionem; oportet quod inferiores ordines ei deserviant vel in utroque, vel in altero tantum; et tanto aliquis inter inferiores ordines superior est, quanto sacerdotali ordini in pluribus deservit, vel in aliquo digniori. Infimi igitur solum in populi praeparatione illi deserviunt: *Ostiarii* videlicet arcendo infideles a coetu fidelium; *Lectores* instruendo catechumenos, idest eos qui instruuntur de fidei rudimentis; *Exorcistae,* idest *adiuratores,* purgando eos qui iam instructi sunt si* aliqualiter a daemone a perceptione sacramentorum impediuntur. – Superiores autem illi deserviunt et in praeparatione populi, et ad consummationem sacramenti. *Acolythi* quidem habent ministerium super vasa non sacra, in quibus sacramenti materia praeparatur; *Subdiaconi* super vasa sacra, et super dispositionem materiae nondum consecratae; *Diaconi* vero super materiam iam consecratam, prout sanguinem Christi dispensant fidelibus. Ex quibus infertur quod ordo sacerdotum, diaconorum et subdiaconorum *sacri ordines* dicuntur: quia videlicet accipiunt ministerium circa sacra. – Additur quoque quod superiores ordines sacerdotali deserviunt etiam in praeparatione populi. Cuius signum est quod diaconibus committitur Evangelica doctrina; subdiaconibus Apostolica; acolythis ut exhibeant circa utrumque quod ad solemnitatem pertinet doctrinae, ut scilicet luminaria deferant, et alia huiusmodi administrent.

* Cf. text et var.

III. Attendendum primo, secundum doctrinam Sancti Thomae in *Quarto,* d. XXIV, q. II*, quod *ista divisio ordinum non est divisio alicuius totius integralis aut universalis, sed est divisio totius potestativi, cuius natura est quod totum secundum completam rationem est in uno, in aliis autem est aliqua participatio ipsius. Nam et hic tota plenitudo Ordinis est in sacerdotio: in aliis autem est quaedam Ordinis participatio.*

* Art. 1, qu. 1 ad 2.

Non est autem hoc sic intelligendum quasi ratio et nomen sacramenti Ordinis inferioribus ordinibus non conveniat, sed tantum quaedam participatio eius: sed quia perfecta potestas Ordinis est in sacerdotio tantum, inquantum continet virtualiter omnem potestatem etiam ad inferiores ordines pertinentem; in aliis autem inferioribus ordinibus non est tota et perfecta ordinis potestas, sed quaedam eius pars.

2. Attendendum secundo, quod ordo potest dici *sacer* dupliciter. Uno modo secundum se: Et sic quilibet ordo est sacer, cum sit sacramentum. Alio modo, ratione materiae circa quam habet aliquem actum: et sic dictum est esse tres tantum ordines sacros.

Caetera quae ad hanc materiam pertinent, copiosissime declarat Sanctus Thomas loco praeallegato*.

*Praecipue qua 2.

IV. Sed circa praedicta dubia quaedam oriuntur, a Durando tacta*. Primum est, quia videtur quod ista quae dicuntur inferiores ordines, non debeant inter sacramenta computari. Nam quando plures actiones ordinantur ad unum spiritualem effectum, ita quod una attingit illum, aliae vero solum disponunt; illa sola quae principaliter attingit, est sacramentum; ceterae vero sunt sacramentalia tantum, ut patet de catechismo, et exorcismo respectu ablutionis baptismalis: Sed ita est in istis actionibus ordinum. Ergo etc.

* *In IV Sent.* d. XXIV, q. II, num. 7 seqq. (Ed. Ven. 1580, p. 361). — Apud Capreolum, d. cit. q. 1, a. 2. § 2.

2. Secundum est, quia non videtur quod aliquod illorum possit dici Ordinis sacramentum. Nam, ut superius* dicebatur, potestas Ordinis, ut est sacramentum, est ad conficiendum vel conferendum sacramenta. Sed in ordinibus inferioribus non confertur aliqua huiusmodi potestas, ut patet. Ergo etc.

* Cap. praec. Comm. num. II, 2.

Confirmatur. Quia in ipsis non confertur potestas ordinato per quam aliquid possit facere quod prius non poterat, ut accidit in collatione sacerdotii: sed solum per quam licite potest quod prius non licebat.

3. Ad primum horum dicitur primo, quod utique unumquodque illorum quae prius enumerata sunt, est sacramentum, licet sit imperfectum in comparatione ad ordinem sacerdotii, ad quem ordinatur.

Dicitur secundo, post Capreolum, *Quarto,* d. XXIV*, quod assumptum fortassis est verum *de actionibus ordinatis ab Ecclesia ad principalem actionem institutam a Christo, praesertim quando illae super eodem supposito fiunt.* Non est autem verum *de actionibus ordinatis a Christo super diversis suppositis et cum diversis formis:* sicut de actionibus ordinum inferiorum, quarum quaelibet ex opere operato habet proprium effectum; licet illi non sint per se primo intenti, sed ad Eucharistiam tanquam ad effectum principalem sint ordinati.

* L. c.

4. Ad secundum dubium dicitur quod quilibet illorum ordinum dicitur proprie Ordinis sacramentum. Convenit enim sibi definitio ordinis posita a Magistro in XXIV dist. *Quarti**, ubi dicitur quod *ordo est signaculum quoddam Ecclesiae per quod spiritualis potestas traditur ordinato.* Patet enim, discurrendo per singulos ordines iuxta ea quae hoc loco dicit Sanctus Thomas*, quod haec definitio illis omnibus competit.

* Cap. XIII. *Si autem quaeritur.* Cf. S. Th. hac d. q. 1, a. 1, qua 2.

* Cf. l. c. cum eiusd. d. q. II, a. 1, qua 2.

Cum autem instatur primo, quia potestas huius sacramenti est ad conficiendum vel ministrandum sacramentum: – dicitur quod hoc intelligitur, *mediate vel immediate:* sive quod est ad conficiendum sacramentum, aut ad praeparandum vel ministrandum aliquid ad hoc ordinatum. Et hoc convenit cuilibet ordini.

Cum instatur secundo, quia per istos ordines non confertur ordinato quod aliquid possit quod prius non poterat: – dicitur quod non requiritur ad rationem sacramenti Ordinis ut per ipsum conferatur potestas ad faciendum aliquid quod prius facere nullo modo poterat: sed sufficit, ut videtur velle Sanctus Thomas *Quarto,* d. XXIV, q. II, a. 2, ad 9, quod per potestatem collatam possit agere licite, aut ex officio, quod prius non poterat licite aut ex officio facere.

V. Hoc autem postremo attendendum, quod omnes septem ordines possunt dici aliquo modo septem sacramenta, scilicet materialiter, inquantum unicuique illorum convenit ratio sacramenti: et possunt dici unum sacramentum, formaliter scilicet et completive, inquantum omnia ad unum finem ordinantur, scilicet ad Eucharistiam. Et quia forma est quae rei rationem complet et ei dat unitatem, ideo omnes ordines pro uno sacramento a doctoribus computantur, dum dicunt septem esse sacramenta Ecclesiae, quorum unum est Ordo.

# CAPITULUM SEPTUAGESIMUM SEXTUM

## DE EPISCOPALI DIGNITATE: ET QUOD IN EA UNUS SIT SUMMUS.

* Cap. LXXIV, *Quia igitur*, in fine.

QUIA vero omnium horum ordinum collatio cum quodam sacramento perficitur, ut dictum est*; sacramenta vero Ecclesiae sunt per aliquos ministros Ecclesiae dispensanda: necesse est aliquam superiorem potestatem esse in Ecclesia alicuius altioris ministerii, quae Ordinis sacramentum dispenset. Et haec est episcopalis potestas, quae, etsi quidem quantum ad consecrationem corporis Christi non excedat sacerdotis potestatem; excedit tamen eam in his quae pertinent ad fideles. Nam et ipsa sacerdotalis potestas ab episcopali derivatur; et quicquid arduum circa populum fidelem est agendum episcopis reservatur; quorum auctoritate etiam sacerdotes possunt hoc quod eis agendum committitur. Unde et in his quae sacerdotes agunt, utuntur rebus per episcopum consecratis: ut in Eucharistiae consecratione utuntur consecratis per episcopum calice, altari et pallis. Sic igitur manifestum est quod summa regiminis fidelis populi ad episcopalem pertinet dignitatem.

Manifestum est autem quod quamvis populi distinguantur per diversas dioeceses et civitates, tamen, sicut est una Ecclesia, ita oportet esse unum populum Christianum. Sicut igitur in uno speciali populo unius ecclesiae requiritur unus episcopus, qui sit totius populi caput; ita in toto populo Christiano requiritur quod unus sit totius Ecclesiae caput.

Item. Ad unitatem Ecclesiae requiritur quod omnes fideles in fide conveniant. Circa vero ea quae fidei sunt, contingit quaestiones moveri. Per diversitatem autem sententiarum divideretur Ecclesia, nisi in unitate per unius sententiam conservaretur. Exigitur igitur ad unitatem Ecclesiae conservandam quod sit unus qui toti Ecclesiae praesit. Manifestum est autem, quod Christus Ecclesiae in necessariis non defecit, quam dilexit, et pro qua sanguinem suum fudit: cum et de Synagoga dicatur per Dominum: *Quid ultra debui facere vineae meae, et non feci? Isaiae* v[4]. Non est igitur dubitandum quin ex ordinatione Christi unus toti Ecclesiae praesit.

Adhuc. Nulli dubium esse debet quin Ecclesiae regimen sit optime ordinatum: utpote per eum dispositum *per quem Reges regnant, et legum conditores iusta decernunt**. Optimum autem regimen multitudinis est ut regatur per unum: quod patet ex fine regiminis, qui est pax; pax enim et unitas subditorum est finis regentis; unitatis autem congruentior causa est unus quam multi. Manifestum est igitur regimen Ecclesiae sic esse dispositum ut unus toti Ecclesiae praesit.

* Prov. VIII, 15.

Amplius. Ecclesia militans a triumphanti Ecclesia per similitudinem derivatur: unde et Ioannes in *Apocalypsi**, *vidit Ierusalem descendentem de caelo;* et Moysi dictum est *quod faceret omnia secundum exemplar ei in monte monstratum**. In triumphanti autem Ecclesia unus praesidet, qui etiam praesidet in toto universo, scilicet Deus: dicitur enim *Apoc.* XXI[3]: *Ipsi populus eius erunt, et ipse cum eis erit eorum Deus.* Ergo et in Ecclesia militante unus est qui praesidet universis.

* Cap. XXI, 2.

* *Exod.* XXV, 40; XXVI, 30. Cf. *Hebr.* VIII, 5; *Act.* VII, 44.

Hinc est quod *Oseae* I[11] dicitur: *Congregabuntur filii Iuda et filii Israel pariter, et ponent sibi caput unum.* Et Dominus dicit, *Ioan.* X[16]: *Fiet unum ovile et unus pastor.*

Si quis autem dicat quod unum caput et unus pastor est Christus, qui est unus unius Ecclesiae sponsus: non sufficienter respondet. Manifestum est enim quod omnia ecclesiastica sacramenta ipse Christus perficit: ipse enim est qui baptizat; ipse qui peccata remittit; ipse est verus sacerdos, qui se obtulit in ara crucis, et cuius virtute corpus eius in altari quotidie consecratur: et tamen, quia corporaliter non cum omnibus fidelibus praesentialiter erat futurus, elegit ministros, per quos praedicta fidelibus dispensaret, ut supra* dictum est. Eadem igitur ratione, quia praesentiam corporalem erat Ecclesiae subtracturus, oportuit ut alicui committeret qui loco sui universalis Ecclesiae gereret curam. Hinc est quod Petro dixit ante ascensionem: *Pasce oves meas, Ioan.* ult.*; et ante passionem: *Tu iterum conversus, confirma fratres tuos, Lucae* XXII[32]; et ei soli promisit: *Tibi dabo claves regni caelorum**; ut ostenderetur potestas clavium per eum ad alios derivanda, ad conservandam Ecclesiae unitatem.

* Cap LXXIV, *Huius etiam.*

* Vers. 17.

* *Matth.* XVI, 19.

Non potest autem dici quod, etsi Petro hanc dignitatem dederit, tamen ad alios non derivatur. Manifestum est enim quod Christus Ecclesiam sic instituit ut esset usque ad finem saeculi duratura: secundum illud *Isaiae* IX[7]: *Super solium David, et super regnum eius sedebit, ut confirmet illud et corroboret in iudicio et iustitia, amodo et usque in sempiternum.* Manifestum est igitur quod

5 necesse] et (*om* P) ideo necesse P*d*. 7 ministerii quae] ministri qui αYZ, ministri quae W, ministerii qui DEGX*cd*. 9 quidem quantum ad] quidem ante αY, quidem circa W, quidem ad *b*, quantum quidem ad P. 20 pallis] palliis CFGHX*b*. 39 defecit] deficit DXYZ*b*. 40 qua] ea αWYZP*c*.

1 qui est pax *om* αWYZ. 3 congruentior *post* causa DEGX. 8 Ierusalem] hominem BF, dominum HW, eam Y. 16 Oseae I *ita* P*d*, Ioel I *ceteri*. 21 unius] et unius DEGX*b*. 24 perficit] perfecit DEXZ. 25 ipse *pr. loco*] ipse est P*c*. 31 quia] qua CsG*b*. 36 iterum] aliquando *b et margo* E, *om* C. 42 autem] igitur DX; E *legit:* Potest autem nobis dici *etc.* 43 tamen] per eum tamen P*c*; E *om* tamen *et* non; non *ante* tamen D. 44 enim *om* EGX.

ita illos qui tunc erant in ministerio constituit, ut eorum potestas derivaretur ad posteros, pro utilitate Ecclesiae, usque ad finem saeculi: praesertim cum ipse dicat, *Matth.* ult.*: *Ecce, ego vobiscum sum usque ad consummationem saeculi.*

* Vers. 20.

Per hoc autem excluditur quorundam praesumptuosus error, qui se subducere nituntur ab obedientia et subiectione Petri, successorem eius Romanum Pontificem universalis Ecclesiae pastorem non recognoscentes

a 1 tunc *om* BY.

## Commentaria Ferrariensis

ENUMERATIS omnibus ordinibus ad sacramentum Eucharistiae ordinatis, vult Sanctus Thomas de potestate per quam huiusmodi ordines dispensantur, quae dicitur *potestas episcopalis,* determinare*.

* Cf. cap. LXXIV, Comm. init.

I. Et ponit duas conclusiones*. Quarum prima est: *Necesse est esse in Ecclesia potestatem episcopalem.* Probatur. Omnium ordinum dictorum collatio cum quodam sacramento perficitur, ut superius dictum est. Ergo necesse est esse aliquam superiorem potestatem in ecclesia alicuius altioris ministerii, quae ordines dispenset. Haec autem est episcopalis potestas. Ergo etc. – Probatur prima consequentia. Quia sacramenta Ecclesiae sunt per aliquos ministros Ecclesiae dispensanda.

* Cf. num. IV.

2. Si dicatur quod potestas episcopalis sacerdotalem potestatem non excedit: – respondet Sanctus Thomas quod, licet non excedat quantum ad consecrationem corporis Christi, excedit tamen in iis quae ad fideles pertinent; et ad eum summa regiminis fidelis populi pertinet. Quod patet tum quia sacerdotalis potestas ex episcopali derivatur; et quicquid arduum circa populum fidelem est agendum, episcopis reservatur; quorum auctoritate etiam sacerdotes possunt hoc quod eis agendum committitur – Tum quia et in iis quae sacerdotes agunt, utuntur rebus per episcopum consecratis, ut calice, altari et pallis, in Eucharistiae consecratione.

3. Ad evidentiam rationis inductae pro conclusione, considerandum est, ex doctrina Sancti Thomae *Prima,* q. CIV*, et ex dictis superius**, quod contentum sub aliqua speciei non potest esse primo et per se causa illius speciei inquantum huiusmodi. Sortes enim, qui sub specie humana continetur, non potest esse primo et per se causa hominis inquantum homo est: quia tunc esset causa sui ipsius: quod enim est causa primo et per se alicuius inquantum huiusmodi, est causa eius in quocumque inveniatur secundum eandem rationem. Similiter tale quod est causa per se primo alicuius, non potest esse inferioris ordinis ab illo: cum causa primo et per se agens non sit ignobilior suo effectu. Ideo necesse est ut sit alicuius superioris ordinis. Ex quo sequitur quod, ubi aliquid invenitur primo et per se causa omnium una ratione participantium, oportet ut illud alicuius superioris ordinis sit supra ea quae illa ratione participant.

* Art. 1.
** Lib. III, cap. LXV, *Item Nullum particulare,* et Comment. ib. num. IV seqq.

Secundum ergo hoc fundamentum procedit ratio Sancti Thomae. Quia enim omnes ordines ad Eucharistiam conficiendam ordinati, cum quodam sacramento conferuntur, infert Sanctus Thomas non solum quod necesse est esse aliquam potestatem a qua huiusmodi ordines dispensentur; sed etiam quod oportet illam potestatem quam vocamus episcopalem, potestatem esse alicuius superioris ordinis et ministerii, utpote existentem per se omnium illorum sacramentorum causam.

II. Sed resultat ex iis dubium. Videtur enim ex hac ratione Sancti Thomae sequi quod potestas episcopalis, per quam ordines dispensantur, sit sacramentum: et cum non possit reduci ad aliud sacramentum quam ad sacramentum Ordinis, sequitur quod episcopatus sit ordo qui est sacramentum; cuius oppositum tenet Sanctus Thomas in *Quarto,* d. XXIV*. – Quod autem illud sequatur, patet quia dictum est in praecedentibus* quod potestas dispensandi sacramenta ad sacramentum pertinet, cum hominibus sub quibusdam signis sensibilibus tradatur. Eadem ergo ratione, cum potestas episcopalis sub quibusdam signis sensibilibus tradatur, ut in episcopi consecratione patet; si ipsa est potestas dispensandi sacramenta a potestate sacerdotali distincta, sequitur quod ipsa ad ordinis sacramentum pertineat; et ita episcopatus erit sacramentum.

* Qu. III, a. 2, qua 2.
* Cap. LXXIV, Comm. num. III, 2.

2. Ad huius evidentiam, considerandum est, ex doctrina Sancti Thomae loco praeallegato*, quod aliud est dicere episcopatum, ut a sacerdotio distinguitur, esse ordinem: et aliud ipsum esse Ordinis sacramentum. Nam nomen *ordinis* dicitur et de Ordine quod est sacramentum; et *de officio quodam respectu quarumcumque sacrarum actionum.* Secundo enim modo episcopatus est ordo: quia *habet potestatem in dictis actionibus respectu corporis mystici.* Sed primo modo non est ordo. Quia Ordo sacramentum ordinatur ad sacramentum Eucharistiae secundum quod actu perficitur: aut scilicet ad praeparandum aliquid ad ipsum pertinens, sicut inferiores ordines; aut ad ipsum conficiendum, ut ordo sacerdotalis. Episcopatus autem, licet ordinetur ad collationem ordinum ad Eucharistiam ordinatorum, non tamen ad ipsam Eucharistiam ut actu perficitur, ordinatur.

* Sc. ex *Quarto.*

3. Ad dubium ergo negatur, quod illud ex ratione Sancti Thomae sequatur.

Ad probationem dicitur, de mente Sancti Thomae loco praeallegato, q. III, a. 2, qua 2, ad 2, quod non quaelibet potestas dispensandi sacramenta sub sensibilibus signis tradita, est Ordinis sacramentum: sed illa quae specialiter et directe ordinatur aut ad sacramentum Eucharistiae actualiter conficiendum, aut ad actuale ministerium circa actualem consecrationem Eucharistiae; *et est character Christo configurans in Eucharistia contento.* Potestas autem spiritualis in sua promotione episcopo data respectu quorundam sacramentorum, non est character; nec immediate et directe ordinatur ad corpus Christi verum, secundum quod actualiter consecratur; sed ad corpus Christi mysticum, scilicet ad fideles confirmandos et ordinandos atque benedicendos, et huiusmodi. Ideo ratio non sequitur.

4. Si autem instetur, quia sacramentum est *invisibilis gratiae visibilis forma* etc.: hoc autem videtur convenire episcopatui, cum in eo per sensibilia signa conferatur gratia; et sic videtur quod sit aliquod sacramentum, dato quod non sit sacramentum Ordinis: – potest dici quod, licet conferatur gratia in collatione potestatis episcopalis, non tamen tanquam per causam instrumentaliter agentem ex virtute ei inexistente, quod est de ratione sacramenti: sed sicut ex dispositione et causa *sine qua non.*

III. Circa id quod dictum est, *Episcopalem potestatem excedere sacerdotalem in iis quae pertinent ad fideles, non autem quantum ad consecrationem corporis Christi,* considerandum est quod duplex actus attribuitur potestati sacerdotali: scilicet conficere corpus Christi; et praeparare populum ad Eucharistiae susceptionem per absolutionem a peccatis; et sic unus actus sacerdotis est circa verum corpus Christi, alius vero est circa corpus mysticum, sive super fideles. Intentio ergo Sancti Thomae est quod potestas episcopalis non est superior potestate sacerdotali quoad actum primum, neque excellentior: sed bene quoad actum secundum. Nam, ut dicitur in *Quarto,** *quantum ad actum primum, non dependet sacerdotalis potestas ab alia superiori potestate quam divina: unde potest sacerdos quamlibet materiam a Christo determinatam consecrare, nec aliud requiritur de necessitate sacramenti. Sed bene, quantum ad actum secundum, dependet ab aliqua superiori potestate, etiam humana.* Unde sacerdos non potest absolvere aliquem a peccatis, nisi ab aliquo

* L. c. qua 1.

superiori in eum iurisdictionem accipiat, ut superius* dicebatur.

* Cap. LXXII, Comm. num. XIV.

2. Sed tunc occurrit dubium. Nam dictum est in hoc capite quod necesse est esse aliquam superiorem potestatem a qua ordines dispensentur, quae est potestas episcopalis, et quod ex hac sacerdotalis dependet potestas. Ergo, cum sacerdotalis ordo ad consecrationem corporis Christi principaliter ordinetur, episcopalis potestas est superior sacerdotali quoad actum qui est circa corpus Christi verum.

Dicitur quod illa consequentia non tenet. Aliud est enim loqui de executione actus sacerdotalis, qui est conficere corpus Christi; et aliud de receptione sacerdotalis potestatis, qua quis ad illum actum ordinem habet. Nam per receptionem talis potestatis homo ad corpus Christi mysticum ordinem habet, cuius est pars: non enim esset talis potestatis susceptivus nisi esset pars populi Christiani. Per executionem vero actus sacerdotalis circa Eucharistiae consecrationem, ad corpus Christi verum habet ordinem. Unde ex hoc quod potestas episcopalis est superior ordine sacerdotali, ordinato principaliter ad actum circa corpus Christi verum, tanquam talis ordinis dispensativa, sequitur quod sit illo superior quantum ad actum circa corpus Christi mysticum, inquantum episcopus non solum potest absolvere, et alios actus circa fideles exercere in quos et simplex sacerdos potest, sed etiam habet ipsum sacerdotalem conferre ordinem; non autem quantum ad actum qui immediate circa corpus Christi verum exercetur, quia nec talis actus simplicis sacerdotis quantum ad sui executionem ab episcopali dependet potestate, nec aliquid potest episcopus circa actum consecrandi Eucharistiam, quantum ad ea quae sunt de necessitate sacramenti, quod simplex sacerdos non possit.

2. Considerandum ulterius, ut est de mente Sancti Thomae, in *Quarto,* dist. supradicta, q. III, a. 2, qu[a] 2, ad 3, quod *potestas episcopalis est potestas non solum iurisdictionis, sed etiam ordinis:* non secundum quod ordo est sacramentum, sed *secundum quod est officium respectu quarundam actionum sacrarum**. Ideo, cum dicitur quod episcopalis potestas est superior sacerdotis potestate in iis quae pertinent ad fideles, ista superioritas est superioritas non solum iurisdictionis, sed etiam ordinis, modo exposito.

* In corp. qu[ae].

De ista comparatione episcopalis potestatis ad sacerdotalem, vide apud Capreolum in *Quarto,* dist. XXV*.

* Per totum, p. 478 seqq.

IV. Secunda conclusio est*. *Necesse est ut in toto populo Christiano sit unus qui sit totius Ecclesiae caput.*

* Cf. num. I.

*Probatur primo.* In uno speciali populo unius ecclesiae requiritur unus episcopus, qui sit totius populi caput. Ergo ita requiritur et in toto populo Christiano. – Probatur consequentia. Quia, quamvis populi distinguantur per diversas dioeceses et civitates, oportet tamen esse unum populum Christianum, sicut est una Ecclesia.

Adverte quod ratio fundatur in hoc, quod, sicut quia Christiani unius dioecesis sunt unus populus, et ideo illius convenit unus episcopus; ita, cum omnes Christiani sint unus populus unius universalis Ecclesiae, requiritur ut omnium Christianorum sit unus episcopus, qui omnium sit caput.

*Secundo.* Ad unitatem Ecclesiae conservandam requiritur quod sit unus qui toti Ecclesiae praesit. Ergo non est dubitandum quin ex ordinatione Christi ita sit in Ecclesia.

Probatur antecedens. Quia ad unitatem Ecclesiae requiritur quod omnes fideles in fide conveniant. Hoc autem esse non posset nisi in unitate per unius sententiam conservaretur: quia, cum contingat circa ea quae sunt fidei quaestiones moveri, diversae possent esse sententiae de fide: et sic per diversitatem sententiarum divideretur Ecclesia. – Consequentia vero probatur, quia Christus Ecclesiae, quam dilexit, et pro qua suum sanguinem fudit, in necessariis non defecit: cum et de Synagoga dicat Dominus, *Quid ultra* etc.

Advertendum, ex doctrina Sancti Thomae II[a] II[ae], q. I, a. 10, quod *determinare finaliter** *ea quae sunt fidei, ad auctoritatem Summi Pontificis pertinet, ut ab omnibus inconcussa fide teneantur: et ideo ad eius solam auctoritatem pertinet nova symboli editio.* Propterea hic ex unitate fidei convenienter arguitur oportere in Ecclesia unum caput esse.

* *Sententialiter* habetur l.c. (Ed. Leon.-Cf. etiam ib. Praet. pag. XXIII, 4 s.)

*Tertio.* Optimum regimen multitudinis est ut regatur per unum. Ergo et regimen Ecclesiae sic debet esse dispositum ut unus toti Ecclesiae praesit. – Antecedens probatur. Quia unitatis, quae est finis regiminis, congruentior causa est unus quam multi. – Consequentia vero probatur: quia nulli dubium esse debet quin Ecclesiae regimen sit optime ordinatum, utpote per eum dispositum *per quem reges regnant, et legum conditores iusta decernunt.*

*Quarto.* In triumphanti Ecclesia unus praesidet, scilicet Deus, qui etiam toti praesidet universo. Ergo et in Ecclesia militante unus est qui praesidet universis. – Probatur antecedens per illud *Apoc.* XXI, *Ipsi populus* etc. – Consequentia vero probatur: quia Ecclesia militans ex triumphanti Ecclesia per similitudinem derivatur, iuxta illud *Apoc., Vidi Ierusalem* etc. Unde et Moysi dictum est quod *faceret omnia secundum exemplar ei in monte monstratum.*

Confirmatur conclusio auctoritate Oseae I, dicentis, *Congregabuntur* etc.; et *Ioan.* X, *Fiet unum ovile* etc.

V. Si quis autem dicat quod unum caput et unus pastor est Christus, qui est unus unius Ecclesiae sponsus: – non sufficienter respondet. Quia quamvis omnia ecclesiastica sacramenta ipse Christus perficiat, ut patet discurrendo per singula; tamen, quia corporaliter non cum omnibus fidelibus praesentialiter erat futurus, elegit ministros per quos praedicta fidelibus ministraret. Eadem ratione, quia praesentiam corporalem erat Ecclesiae subtracturus, oportuit ut alicui committeret qui loco sui universalis Ecclesiae gereret curam. Propter quod, ante Ascensionem, dixit Petro, *Ioan.* ult., *Pasce oves meas;* et ante Passionem, *Tu iterum conversus* etc., *Lucae* XXII; et ei soli promisit, *Tibi dabo* etc., ut ostenderetur potestas clavium per eum ad alios derivanda, ad unitatem Ecclesiae conservandam; nam Christus sic Ecclesiam instituit ut esset usque ad finem saeculi duratura, secundum illud *Isaiae* IX, *Super solium* etc. Et eodem modo dicitur de aliis qui tunc erant, quia ita illos in ministerium constituit ut eorum potestas derivaretur ad posteros, pro utilitate Ecclesiae, usque ad finem saeculi: cum ipse dicat, *Matthaei* ult., *Ecce ego vobiscum sum* etc.

Per hoc excluditur praesumptuosus error subducentium se ab obedientia et subiectione Petri, eius successorem universalis Ecclesiae pastorem non recognoscentes.

VI. Ad evidentiam huius, considerandum est, ex doctrina Sancti Thomae II *Sent.,* dist. ult., in expos. litt.*, quod Summus Pontifex habet in Ecclesia *apicem et excellentiam potestatis non solum spiritualis, sed etiam saecularis.* Ideo illi prae omnibus obediendum est et in iis quae ad salutem animae pertinent, et in iis quae ad bonum pertinent civile.

* Circa finem, ad 4.

Similiter, ut dicit idemmet Sanctus Thomas in libro *de Regimine Principum,* lib. III, cap. X et XIX, potest, ratione supremae huius potestatis, unumquemque ratione delicti punire, et tallias atque collectas pro reipublicae Christianae conservatione imponere, sicut et rex in suo regno potest.

Dicit etiam super Epistola Secunda *ad Corinthios,* cap. XI, lect. 2, in fine, quod *pro necessitate unius patriae potest accipere subsidium ab aliis partibus mundi. Quia Ecclesia est unum corpus: videmus autem in corpore naturali quod, quando deficit virtus in uno membro, natura subministrat humores et virtutem ab aliis accipiens membris.*

Sed tamen, quia non est absolutus Papa ab observatione divinae et naturalis legis, intelligitur ista posse facere, et unumquemque Christianum illi teneri obedire, salva iustitiae aequalitate; non autem sibi pro libito res uniuscuiusque usurpare aut alteri dare potest: quoniam, licet universalem iurisdictionem habeat in Ecclesia, non habet tamen omnium rerum immediatam administrationem. Unde inquit Sanctus Thomas IV *Sent.,* d. XXV, q. III, a. 3, ad 2, quod, *quamvis res Ecclesiae sint aliquo modo Papae, non sunt tamen eius omnibus modis habendi, sicut illud quod ad*

*manum habet. Et ideo, si pro aliquo spirituali munus acciperet, simoniam committeret.* – Dicit etiam, super Epi-
* Cap. IV, lect. 2. stola *ad Philipp.*, circa finem*, quod *Papa potest ab una Ecclesia accipere in subsidium aliarum, non autem sine omni causa.*

Ex praedictis constat vanam esse, et a fide Christiana alienam, opinionem dicentium Concilium et Ecclesiam esse supra Papam, et ipsum Papam ab Ecclesia auctoritatem habere, tanquam ab ipsa institutum. Nam manifestum est ex praedictis quod Christus ipse regimen Ecclesiae suae instituit, non autem ipsa Ecclesia aut populus Christianus; et quod in Ecclesia Petrum suum vicarium et successores eius instituit, sicut et ad sacramenta dispensanda instituit ministros. Unde, cum dixit Petro, *Pasce oves meas**, praemisit interrogationem, *Simon Ioannis, diligis me plus his?* ut ostenderet se auctoritatem Petro dare ut distincto ab aliis discipulis praesentibus. Propter quod, exponens Chrysostomus praedicta verba, ait*: *Praeteriens alios, Petro loquitur: Praepositus loco mei esto, et caput fratrum tuorum.*

* *Ioan.* XXI, 17.

* Non invenitur. Cf. Tom. XII, Praef. Suppl. p. XXIII a, notam ad q. XL, a. 6, ad 1.

# CAPITULUM SEPTUAGESIMUM SEPTIMUM

## QUOD PER MALOS MINISTROS SACRAMENTA DISPENSARI POSSUNT.

Ex his quae praemissa sunt manifestum est quod ministri Ecclesiae potentiam quandam in ordinis susceptione divinitus suscipiunt ad sacramenta fidelibus dispensanda.

Quod autem alicui rei per consecrationem acquiritur, perpetuo in eo manet: unde nihil consecratum iterato consecratur. Potestas igitur Ordinis perpetuo in ministris Ecclesiae manet. Non ergo tollitur per peccatum. Possunt ergo etiam a peccatoribus, et malis, dummodo Ordinem habeant, ecclesiastica sacramenta conferri.

Item. Nihil potest in id quod eius facultatem excedit nisi accepta aliunde potestate. Quod tam in naturalibus quam in civilibus patet: non enim aqua calefacere potest nisi accipiat virtutem calefaciendi ab igne; neque balivus cives coercere potest nisi accepta potestate a rege. Ea autem quae in sacramentis aguntur, facultatem humanam excedunt, ut ex praemissis* patet. Ergo nullus potest sacramenta dispensare, quantumcumque sit bonus, nisi potestatem accipiat dispensandi. Bonitati autem hominis malitia opponitur et peccatum. Ergo nec per peccatum ille qui potestatem accepit, impeditur quo minus sacramenta dispensare possit.

* Cap. LXXIV, *Huius etiam*, in fine, ad *Oportet igitur*.

Adhuc. Homo dicitur bonus vel malus secundum virtutem vel vitium, quae sunt habitus quidam. Habitus autem a potentia in hoc differt quod per potentiam sumus potentes aliquid facere: per habitum autem non reddimur potentes vel impotentes ad aliquid faciendum, sed habiles vel inhabiles ad id quod possumus bene vel male agendum. Per habitum igitur neque datur neque tollitur nobis aliquid posse: sed hoc per habitum acquirimus, ut bene vel male aliquid agamus. Non igitur ex hoc quod aliquis est bonus vel malus, est potens vel impotens ad dispensandum sacramenta, sed idoneus vel non idoneus ad bene dispensandum.

Amplius. Quod agit in virtute alterius, non assimilat sibi patiens, sed principali agenti: non enim domus assimilatur instrumentis quibus artifex utitur, sed arti ipsius. Ministri autem Ecclesiae in sacramentis non agunt in virtute propria, sed in virtute Christi, de quo dicitur *Ioan.* $1^{33}$: *Hic est qui baptizat.* Unde et sicut instrumentum ministri agere dicuntur: minister enim est sicut *instrumentum animatum**. Non igitur malitia ministrorum impedit quin fideles salutem per sacramenta consequantur a Christo.

* Cf. Arist. *Polit.* I, cap. II; S. Th. lect. II. — Cf. III, q. LXIV, 8, ad 1.

Praeterea. De bonitate vel malitia alterius hominis homo iudicare non potest: hoc enim solius Dei est, qui occulta cordis rimatur. Si igitur malitia ministri impedire posset sacramenti effectum, non posset homo habere fiduciam certam de sua salute, nec conscientia eius remaneret libera a peccato. Inconveniens etiam videtur quod spem suae salutis in bonitate puri hominis quis ponat: dicitur enim *Ierem.* $XVII^{5}$: *Maledictus homo qui confidit in homine.* Si autem homo salutem consequi per sacramenta non speraret nisi a bono ministro dispensata, videretur spem suae salutis aliqualiter in homine ponere. Ut ergo spem nostrae salutis in Christo ponamus, qui est Deus et homo, confitendum est quod sacramenta sunt salutaria ex virtute Christi, sive per bonos sive per malos ministros dispensentur.

Hoc etiam apparet per hoc quod Dominus etiam malis praelatis obedire docet, quorum tamen non sunt opera imitanda: dicit enim *Matthaeus* $XXIII^{2-3}$: *Super cathedram Moysi sederunt Scribae et Pharisaei. Quae ergo dixerint vobis, servate et facite; secundum autem opera eorum nolite facere.* Multo autem magis obediendum est aliquibus propter hoc quod suscipiunt ministerium a Christo, quam propter cathedram Moysi. Est ergo etiam malis ministris obediendum. Quod non esset nisi in eis Ordinis potestas maneret, propter quam eis obeditur. Habent ergo potestatem dispensandi sacramenta etiam mali.

Per hoc autem excluditur quorundam error dicentium quod omnes boni possunt sacramenta ministrare, et nulli mali.

9 perpetuo] per Petrum αWYZ. ministris] ministro DEG*b*. 26 possit] posset EGX*b*. 30 quod] quia DEGX*b*. 31 autem] vero DEGX*b*. 32 vel impotentes *om* P*d*. 34 neque *pr. loco*] non P*c*.

5 instrumentum *Ita* P*c*; *om* αW(Y)Z, instrumenta D, instrumento X, instrumento multi G, multi E*b*; Y *legit:* Unde et sicut (sic sY) ministri agere dicuntur mysteria sicut instrumentum animatum *etc.* 14 homo *om* DEGX; sG*b legunt*: impedire posset sacramentorum administrationem homo non haberet fiduciam *etc.* 16 etiam] autem X, igitur P*c*. 23 in Christo *post* ponamus DEX. 31 quae] quaecumque YP. 34 ministerium *Reincipit* N. *Cf.* cap. 74, p. 237 b 6. 36 ergo *om* DEGX*b*. 37 in eis] eis *b*, *om* DEGX, *post* maneret N. 38 obeditur] obediatur EGNX. 40 quorundam *post* error DEGNX, *om* C.

## Commentaria Ferrariensis

POSTQUAM de sacramento Ordinis, in quo ministris Ecclesiae quaedam datur potestas ad dispensanda fidelibus sacramenta, determinavit Sanctus Thomas, consequenter de ministris sacramentorum, quibus potestas ordinis est collata, in generali determinat, quantum scilicet ad idoneitatem ipsorum*.

* Cf. cap. LXXIV, Comm. introd.

I. Et ponit hanc conclusionem: *A peccatoribus et malis, dummodo ordinem habeant, ecclesiastica possunt sacramenta conferri.*

*Probatur primo sic.* Potestas ordinis perpetuo in ministris Ecclesiae manet. Ergo non tollitur per peccatum. Ergo etc. – Ambae consequentiae notae. – Probatur vero antecedens. Quia ministri Ecclesiae potentiam quandam in Ordinis susceptione, per quandam videlicet consecrationem, suscipiunt. Quod autem alicui rei per consecrationem acquiritur, perpetuo in eo manet. Cuius signum est, quod nihil consecratum iterato consecratur: scilicet, integrum manens.

*Secundo.* Nullus potest sacramenta dispensare, quantumcunque sit bonus, nisi potestatem accipiat dispensandi. Ergo nec per peccatum ille qui potestatem accepit, impeditur quominus sacramenta dispensare possit. – Consequentia probatur. Quia bonitati hominis opponitur malitia et peccatum. – Antecedens vero probatur, quia ea quae in sacramentis aguntur, facultatem humanam excedunt. Nihil autem potest in id quod eius facultatem excedit, nisi accepta aliunde potestate. Declaratur in aqua respectu calefactionis, et in balivo respectu coercendi cives.

Advertendum fundamentum huius rationis esse quod, sicut ex bonitate non habet quis ut possit sacramenta dispensare, ita ex malitia, quae bonitati opponitur, non habet ille qui potestatem accepit, a tali sacramentorum dispensatione impediri.

*Tertio.* Per habitum non datur neque tollitur nobis aliquod posse, sed tantum datur ut bene vel male aliquid agamus. In quo a potentia differt. Ergo, ex hoc quod aliquis sit bonus vel malus, non est potens vel impotens ad dispensandum sacramenta, sed idoneus vel non idoneus ad bene dispensandum. – Probatur consequentia. Quia homo dicitur bonus vel malus secundum virtutem vel vitium, qui sunt habitus quidam.

Advertendum, ex doctrina Sancti Thomae *Tertia*, q. LXIV, a. 6; et *Quarto*, d. V, q. II, a. 2*, quod mali ecclesiastica sacramenta ministrantes peccant, eo quod non conformentur ei cuius sunt instrumenta. Propterea hic dicitur quod malus non est idoneus *ad bene dispensandum*, idest, ad dispensandum secundum convenientiam et congruentiam sacramenti: licet sit idoneus ad dispensandum sacramenta simpliciter idoneitate sufficiente. Sufficit enim ad hoc ut quis sacramentum conferat, quod sit homo potestatem Ordinis habens.

* Qu$^{a}$ 1, ad 1, et qu$^{a}$ 4.

*Quarto.* Ministri Ecclesiae in sacramentis non agunt in virtute propria, sed in virtute Christi, de quo dicitur *Ioan.* I, *Hic est qui baptizat.* Ergo malitia ministrorum non impedit quin fideles salutem per sacramenta consequantur a Christo. – Probatur consequentia. Quia quod agit in virtute alterius, non assimilat sibi patiens, sed principali agenti: ut patet in instrumentis domus. – Antecedens vero probatur, quia ministri sicut instrumentum agere dicuntur.

II. Sed videtur quod haec ratio non sit efficax. Nam licet instrumentum non assimilet sibi effectum, sed principali agenti, si tamen sit indispositum et ineptum, non potest effectum ad similitudinem principalis agentis perducere: sicut propter defectum et malitiam instrumenti, non potest quandoque artifex effectum intentum inducere. Et sic licet malus minister non impediatur a dispensatione sacramenti quia oporteat effectum illi assimilari, ut scilicet ex ipso malus effectus producatur; potest tamen impediri propter eius indispositionem et ineptitudinem ad effectum principalis agentis, scilicet Christi.

Respondetur quod duplex potest esse indispositio in instrumento: una per quam indisponitur ad suscipiendam motionem et virtutem principalis agentis, quae scilicet est carentia alicuius perfectionis sibi debitae inquantum est instrumentum; alia per quam in seipso est imperfectum, utpote carens aliqua perfectione sibi debita inquantum est talis res, non autem inquantum est instrumentum. Per primam imperfectionem potest instrumentum impediri a productione effectus principalis agentis; non autem per secundam, quia ista accidentaliter se habet ad ipsum inquantum est instrumentum: sicut chirurgici manus si sit arida, ita ut non possit ab ipso moveri, ab ipsa non poterit provenire curatio quam chirurgicus intendit; sed si sit disposita ad suscipiendum motum a chirurgico, quamvis aliqua aegritudine laboret, puta lepra, non impeditur a productione effectus principaliter intenti. Homo ergo malus, licet sit indispositus in seipso per privationem virtutis quam habere deberet, non est tamen indispositus inquantum est instrumentum divinae virtutis. Ad hoc enim ut secundum ordinationem possit moveri a Deo ad causandum instrumentaliter salutem et gratiam, per quam quis Christo assimilatur, per sacramenti ministrationem, sufficit quod sit homo ordinem habens. Et ideo per malitiam non impeditur quin verum sacramentum conferre possit. Secus autem esset si effectum oporteret ipsi malo ministro assimilari: quia, cum ipse sit male affectus secundum mentem, et sit gratia divina privatus, non posset in altero bonam mentis dispositionem et gratiam effective causare. Et ad hunc sensum procedit ratio Sancti Thomae.

III. *Quinto.* Si malitia ministri sacramenti effectum impedire posset, non posset homo habere fiduciam certam de sua salute, nec conscientia eius remaneret libera a peccato. Sed hoc est inconveniens. Ergo etc. – Probatur sequela. Quia de malitia vel bonitate alterius hominis homo iudicare non potest, sed hoc est solius Dei, qui occulta cordis rimatur. – Confirmatur ista ratio. Quia si homo salutem consequi per sacramenta non speraret nisi a bono ministro dispensata, videretur spem suae salutis in homine aliqualiter ponere. Hoc autem est contra id quod dicitur *Ierem.* XVII, *Maledictus* etc. – Confitendum est igitur quod sacramenta sunt salutaria ex virtute Christi, sive per bonos sive per malos ministros dispensentur.

*Sexto.* Dominus etiam malis praelatis obedire docet, quorum tamen opera non sunt imitanda, ut patet *Matth.* XXIII. Ergo et malis ministris est obediendum. Ergo in eis manet Ordinis potestas. Ergo habent potestatem dispensandi sacramenta – Probatur prima consequentia. Quia multo magis obediendum est aliquibus propter hoc quod susceperunt ministerium a Christo, quam propter cathedram Moysi. – Secunda vero probatur, quia propter Ordinis potestatem eis obeditur.

Sed videtur quod haec ratio non sit efficax. Alicui enim obediendum est propter potestatem iurisdictionis in ipso existentem. Ergo ex eo quod malis praelatis aut malis ministris est obediendum, non sequitur quod possint sacramenta ministrare, sed tantum quod in subditos possint iurisdictionem exercere.

Dicitur, quod non solum propter potestatem iurisdictionis est alicui obediendum, sed etiam propter Ordinis potestatem: nam confitens tenetur obedire sacerdoti sibi poenitentiam satisfactoriam iniungenti. Et de tali potestate ratio procedit. Unde, ut ostenderet Sanctus Thomas de hac Ordinis potestate loqui, non autem de potestate iurisdictionis, assumpsit quod propter Ordinis potestatem malis ministris obeditur.

PER HOC AUTEM, inquit Sanctus Thomas, excluditur error dicentium quod omnes boni possunt sacramenta ministrare, et nulli mali.

# CAPITULUM SEPTUAGESIMUM OCTAVUM

## DE SACRAMENTO MATRIMONII.

QUAMVIS autem homines per sacramenta restaurentur ad gratiam, non tamen mox restaurantur ad immortalitatem: cuius rationem supra*, ostendimus. Quaecumque autem corruptibilia sunt, perpetuari non possunt nisi per generationem. Quia igitur populum fidelium perpetuari oportebat usque ad mundi finem, necessarium fuit hoc per generationem fieri, per quam etiam humana species perpetuatur.

* Cap. LV. *Quamvis autem Christus.*

Considerandum est autem quod, quando aliquid ad diversos fines ordinatur, indiget habere diversa dirigentia in finem: quia finis est proportionatus agenti. Generatio autem humana ordinatur ad multa: scilicet ad perpetuitatem speciei; et ad perpetuitatem alicuius boni politici, puta ad perpetuitatem populi in aliqua civitate; ordinatur etiam ad perpetuitatem Ecclesiae, quae in fidelium collectione consistit. Unde oportet quod huiusmodi generatio a diversis dirigatur. – Inquantum igitur ordinatur ad bonum naturae, quod est perpetuitas speciei, dirigitur in finem a natura inclinante in hunc finem: et sic dicitur esse naturae officium. – Inquantum vero ordinatur ad bonum politicum, subiacet ordinationi civilis legis. – Inquantum igitur ordinatur ad bonum Ecclesiae, oportet quod subiaceat regimini ecclesiastico. Ea autem quae populo per ministros Ecclesiae dispensantur, sacramenta dicuntur. Matrimonium igitur secundum quod consistit in coniunctione maris et feminae intendentium prolem ad cultum Dei generare et educare, est Ecclesiae sacramentum: unde et quaedam benedictio nubentibus per ministros Ecclesiae adhibetur.

Et sicut in aliis sacramentis per ea quae exterius aguntur, spirituale aliquid figuratur; sic et in hoc sacramento per coniunctionem maris et feminae coniunctio Christi et Ecclesiae figuratur: secundum illud Apostoli, *ad Ephes.* v[32]: *Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo et Ecclesia.*

Et quia sacramenta efficiunt quod figurant, credendum est quod nubentibus per hoc sacramentum gratia conferatur, per quam ad unionem Christi et Ecclesiae pertineant: quod eis maxime necessarium est, ut sic carnalibus et terrenis intendant quod a Christo et Ecclesia non disiungantur.

Quia igitur per coniunctionem maris et feminae Christi et Ecclesiae coniunctio designatur, oportet quod figura significato respondeat. Coniunctio autem Christi et Ecclesiae est unius ad unam perpetuo habendam: est enim una Ecclesia, secundum illud *Cant.* vi[8]: *Una est columba mea, perfecta mea;* nec unquam Christus a sua Ecclesia separabitur, dicit enim ipse *Matth.* ult.*: *Ecce, ego vobiscum sum usque ad consummationem saeculi;* et ulterius: *semper cum Domino erimus,* ut dicitur I ad *Thess.* iv[17]. Necesse est igitur quod matrimonium, secundum quod est Ecclesiae sacramentum, sit unius ad unam indivisibiliter habendam. Et hoc pertinet ad fidem, qua sibi invicem vir et uxor obligantur.

* Vers. 20.

Sic igitur tria sunt bona matrimonii, secundum quod est Ecclesiae sacramentum*: scilicet *proles,* ad cultum Dei suscipienda et educanda; *fides,* prout unus vir uni uxori obligatur; et *sacramentum,* secundum quod indivisibilitatem habet matrimonialis coniunctio, inquantum est coniunctionis Christi et Ecclesiae sacramentum.

* Cf. supra *Inquantum igitur*, a. 26.

Cetera autem quae in matrimonio consideranda sunt, supra in Tertio Libro pertractavimus*.

* Cap. CXXII sqq.

15 speciei, et ad perpetuitatem *hom om* DEG; et *om* N. 17 ad perpetuitatem *om* Pc. 26 igitur] vero X, autem YP. 11 disiungantur] distinguantur EX. 15 significato] figurato XY*b*. 16 et Ecclesiae] ad Ecclesiam DGN*b*. 19 perfecta mea *om* DEGHXZ. 23 I. *Ita* CFHNPc *et post* ad *b*; *om ceteri*. 27 invicem] adinvicem DEGNX. 30 et educanda *om* BY.

### Commentaria Ferrariensis

POSTQUAM determinavit Sanctus Thomas de Ordinis sacramento, ultimo loco de sacramento Matrimonii determinat*. Et ponit quinque conclusiones.

* Cf. cap. LIX, introd.

Quarum prima est: *Oportet in populo fideli generationem esse.* Probatur. Oportet populum fidelium perpetuari usque ad finem mundi. Ergo etc. – Probatur consequentia. Quia, quamvis per sacramenta homines ad gratiam restaurentur, non tamen mox restaurantur ad immortalitatem. Quaecunque autem corruptibilia sunt, perpetuari non possunt nisi per generationem.

II. Secunda conclusio est: *Matrimonium, secundum quod consistit in coniunctione maris et feminae, intendentium prolem ad cultum Dei generare et educare, est Ecclesiae sacramentum.*

Ad huius evidentiam notat Sanctus Thomas quod, cum generatio humana ordinetur ad perpetuitatem speciei; ad perpetuitatem alicuius boni politici, puta populi in aliqua civitate; atque ad perpetuitatem Ecclesiae, quae in fidelium collectione consistit: oportet ut huiusmodi generatio a diversis dirigatur, quia, quando aliquid ad diversos fines ordinatur, indiget diversis dirigentibus in finem, cum finis proportionetur agenti. Unde quantum ad primum, oportet ut dirigatur a natura in hunc finem inclinante, et sic dicitur naturae officium. Quantum ad secundum, subiacet ordinationi civilis legis. Quantum vero ad tertium, oportet ut regimini subiaceat ecclesiastico.

Isto supposito, arguitur sic. Ea quae populo per ministros Ecclesiae dispensantur, sacramenta dicuntur. Matrimonium est huiusmodi: quia quaedam benedictio nubentibus per ministros Ecclesiae exhibetur. Ergo etc.

2. Circa hanc rationem, advertendum primo, quod propositio haec, *Ea quae populo per ministros Ecclesiae dispensantur, sacramenta dicuntur,* indiget limitatione. Intelligitur enim de iis quae in remedium alicuius spiri-

tualis defectus sunt instituta: quemadmodum matrimonium ad reprimendum concupiscentiam est ordinatum. Unde Sanctus Thomas *Quarto*, d. XXXVIII, q. I, a. 5, ad 2, inquit quod consecratio virginum, inunctio regum, et huiusmodi, non sunt sacramenta, licet in ipsis gratia detur, *quia non sunt instituta ad curationem morbi peccati, sicut alia sacramenta.*

3. Advertendum secundo, quod matrimonium dicitur per ministros Ecclesiae dispensari, non quidem quantum ad aliquid quod sit de essentia sacramenti: sed quantum ad aliquid accidentale, quod est completivum eius et perfectivum, ut est nubentium benedictio. Nullus enim actus ministri Ecclesiae est de eius essentia, sed tantum actus contrahentium, secundum Sanctum Thomam*: nam verba exprimentia consensum sunt matrimonii forma, alii autem actus contrahentium sunt materia. Unde et Sanctus Thomas adducit pro signo dispensationis huiusmodi, quod quaedam benedictio nubentibus per ministros Ecclesiae exhibetur. Aliquid enim indigere ministro, aut ex necessitate aut quantum ad solemnitatem, est signum quod sit Ecclesiae sacramentum, si ad aliquod remedium spirituale causandum exhibeatur.

* IV *Sent.*, d. XXVI, q. II, a. 1, ad 1: et d. XXVIII, q. I, a. 3, ad 2.

III. Tertia conclusio est: *In hoc sacramento per coniunctionem maris et feminae coniunctio Christi et Ecclesiae figuratur: sicut et in aliis sacramentis per ea quae exterius aguntur, spirituale aliquid significatur.* Probatur per illud Apostoli, *Ephes.* V, *Sacramentum hoc* etc.

Advertendum quod, sicut in aliis sacramentis sunt tria, scilicet sacramentum tantum, res et sacramentum, et res tantum, ita etiam est in matrimonio. Nam secundum Sanctum Thomam, *Quarto*, d. XXVI, q. II, a. 1*, *sacramentum tantum* sunt *actus exterius apparentes*, qui, ut sunt sacramentum, rem interiorem per ipsos causatam, ut sanctificat contrahentes, et unionem Christi et Ecclesiae, ex divina institutione repraesentant. *Res et sacramentum* est *obligatio quae innascitur viri ad mulierem* ex huiusmodi actibus consensum interiorem exprimentibus: sive est quaedam spiritualis coniunctio et unio contrahentium, ex mutuo consensu, et ex exterioribus actibus consensum exprimentibus, causata; quae quidem videtur esse potestas quaedam quam in se invicem coniuges accipiunt, cum reali relatione unius ad alterum; sicut et unio in aliis dicit aliquod absolutum in quo res uniuntur, et relationem super illo absoluto fundatam. *Res* autem est *effectus* ad quem hoc sacramentum est institutum: scilicet repressio concupiscentiae per gratiam adiutricem; et unio Christi et Ecclesiae.

* Ad 5.

2. Advertendum etiam, ex doctrina Sancti Thomae loco praeallegato*, quod, cum duplex sit res in hoc sacramento, una, scilicet repressio concupiscentiae per gratiam, est significata et contenta aliquo modo virtualiter in ipso, tanquam quae instrumentaliter et dispositive causatur. Alia vero, scilicet coniunctio Christi et Ecclesiae, est *significata tantum, non autem contenta.*

* Ad 5, et ad 4.

IV. Quarta conclusio est: *Credendum est quod nubentibus per hoc sacramentum gratia conferatur, per quam contrahentes ad unionem Christi et Ecclesiae pertineant.* Probatur. Tum quia sacramenta efficiunt quod figurant. Tum quia hoc ipsis maxime necessarium est, ut sic carnalibus et terrenis intendant quod a Christo et Ecclesia non disiungantur.

Advertendum quod unio Christi et Ecclesiae dupliciter considerari potest. Uno modo, absolute et in communi: et sic sacramentum matrimonii ipsam non efficit, sed tantum significat. Propterea dicit Sanctus Thomas in *Quarto**, quod est *res non contenta, neque causata.* – Alio modo, ut determinatur ad istos pertinentes ad Ecclesiam et Christo unitos. Et sic hanc unionem efficit matrimonium dispositive et instrumentaliter, causando gratiam, per quam quis complete ad Ecclesiam pertinet, et Christo per caritatem unitur. Et ad hunc sensum intelligitur hic quod hanc unionem matrimonium efficit.

* D. XXVI, q. II, a. 1, ad 4.

V. Circa autem hanc conclusionem dubium occurrit ex Durando, apud Capreolum, *Quarto*, d. XXVI*. Videtur enim quod matrimonium gratiam non conferat. Tum quia videtur deiicere a perfectiori statu: scilicet a statu continentiae, qui est perfectior statu coniugali, secundum Apostolum, I *Cor.* VII*.

* Qu. I, a. 2, § 1, *Decimo*, et § 2. (p. 490 sqq).

* Vers. 38.

Tum quia canonistae videntur hoc tenere: hac scilicet ratione, quia in matrimonio pretia interveniunt, et conditiones pecuniariae apponuntur: nec eorum scripta quoad hoc sunt ab Ecclesia reprobata.

2. Ad primum horum dicitur quod utique matrimonium gratiam confert non habenti, nisi obicem ponat: habenti autem eam auget, sicut et alia sacramenta,

Dicitur secundo quod, comparando statum continentiae ad statum coniugalem absolute, et actum ad actum secundum genus, melior est status continentiae quam status coniugalis: et hoc modo continentiam comparat Apostolus statui coniugali. Sed comparando statum continentiae ad coniugium secundum quod est sacramentum, sic coniugium est perfectius continentia, quantum ad opus operatum. Nam per opus operatum matrimonii, idest per ipsum sacramentum, sive per ipsos actus exteriores contrahentium quibus ipsorum consensus exprimitur, confertur gratia: non autem per statum continentis, cuius non est effective gratiam causare, sicut causant sacramenta; licet continens ex opere operante, idest ex actione sua, maiorem gratiam mereatur quam status nuptialis. Unde non est verum quod matrimonium, inquantum est sacramentum, deiiciat a statu perfectiori: licet hoc faciat inquantum est status quidam, aut pars temperantiae.

3. Ad secundum dicitur primo, quod dictum illorum canonistarum non est in hac parte tenendum. Nec eorum motivum valet. Nam secundum Sanctum Thomam*, pactum pecuniarium non intervenit in matrimonio ex ea parte qua est sacramentum, quo modo habet, gratiam conferre, unde pro benedictione nuptiali aliquid accipere simonia est: sed ex ea parte qua est in officium naturae, *sicut et in aliis officiis civilibus et corporalibus non inconvenit conditionem rei temporalis interponere.*

* IV *Sent.*, d. XXV, q. III, a. 2, qu[a] 1, ad 2.

Dicitur secundo, quod fortassis hanc opinionem Romana Ecclesia dissimulat, licet sit contraria dictis sanctorum: sicut et multas alias opiniones.

VI. Quinta conclusio est: *Necesse est quod matrimonium, secundum quod est Ecclesiae sacramentum, sit unius ad unam indivisibiliter habendam.* Probatur. Tum quia Christi et Ecclesiae coniunctio est unius ad unam perpetuo habendam: cum Ecclesia sit una, iuxta illud *Cant.* VI, *Una est* etc.; nec sit unquam Christus ab ea separandus, iuxta illud *Matth.* ult., *Ecce ego* etc.; et I *Thess.* IV, *Semper cum Domino erimus.* Oportet autem quod figura signato respondeat.

Tum quia hoc pertinet ad fidem qua sibi invicem vir et uxor obligantur.

VII. Ex his infert Sanctus Thomas corollarie quod tria sunt bona matrimonii, secundum quod est Ecclesiae sacramentum: scilicet *proles* ad cultum Dei suscipienda et educanda; *fides*, prout unus vir uni uxori obligatur; et *sacramentum*, secundum quod indivisibilitatem habet matrimonialis coniunctio, inquantum est coniunctionis Christi et Ecclesiae sacramentum.

Advertendum, ex doctrina Sancti Thomae *Quarto*, d. XXXI, q. I, a. 2, ad ult., quod dupliciter possumus intelligere *sacramentum* computari inter matrimonii bona. Uno modo, accipiendo *sacramentum*, non pro ipso matrimonii sacramento, sed pro inseparabilitate ipsius, quae idem significat quod matrimonium, scilicet inseparabilem coniunctionem Christi et Ecclesiae: sic enim potest dici sacramentum, quia est sacrae rei signum. Alio modo, accipiendo *sacramentum* pro ipso matrimonii sacramento, inquantum est sacramentum. Sic enim ponitur bonum matrimonii, honestans ipsum, inquantum est in officium naturae. Et sic nomine *sacramenti* non solum intelligitur inseparabilitas, sed etiam omnia quae ad ipsius significationem pertinent. – Videtur autem Sanctus Thomas primo modo hic accipere *sacramentum.*

Cetera inquit Sanctus Thomas quae circa matrimonium sunt consideranda, superius pertractata sunt in Tertio Libro: ubi scilicet de matrimonio, non inquantum est sa-

cramentum, sed inquantum est in officium naturae, et ad civilitatem spectat, est determinatum.

Adverte quod hoc sacramentum non est necessitatis simpliciter: sed est ad bene esse, inquantum Ecclesiae multitudinem per propagationem conservat.

Postremo, circa hanc determinationem de sacramentis, considerandum est quod Sanctus Thomas hoc loco summarie de sacramentis determinat, et pauca de ipsis tangit. Quia, cum adversus gentes hunc librum ediderit, non oportebat rationem omnium quae in sacramentis geruntur adducere, sed sufficiebat sibi ostendere usum sacramentorum in Ecclesia esse rationabiliter institutum, et aliquam rationem unumquodque habere sacramentum. In *Quarto* autem *Sent.**, et in *Tertia Parte***, ubi ea quae fidei sunt intendit fidelibus explanare, de sacramentis exactiorem determinationem facit.

* Dist. I-XLII.
** Qu. LX usque ad finem.

# CAPITULUM SEPTUAGESIMUM NONUM

## QUOD PER CHRISTUM RESURRECTIO CORPORUM SIT FUTURA.

* Cap. LIV, *Adhuc. Ex traditione*; cap. L.

Quia vero supra* ostensum est quod per Christum liberati sumus ab his quae per peccatum primi hominis incurrimus; peccante autem primo homine, non solum in nos peccatum derivatum est, sed etiam mors, quae est poena peccati, secundum illud Apostoli, *ad Rom.* V[12]: *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors:* necessarium est quod per Christum ab utroque liberemur, et a culpa scilicet et a morte.

* Vers. 17.

Unde ibidem* dicit Apostolus: *Si in unius delicto mors regnavit per unum, multo magis accipientes abundantiam donationis et iustitiae, in vitam regnabunt per unum Iesum Christum.*

Ut igitur utrumque nobis in seipso demonstraret, et mori et resurgere voluit: mori quidem voluit ut nos a peccato purgaret, unde Apostolus dicit, *Hebr.* IX[27]: *Quemadmodum statutum est hominibus semel mori, sic et Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata;* resurgere autem voluit ut nos a morte liberaret unde Apostolus, I *Cor.* XV[20-21]: *Christus resurrexit a mortuis, primitiae dormientium. Quoniam quidem per hominem mors, et per hominem resurrectio mortuorum.*

Effectum igitur mortis Christi in sacramentis consequimur quantum ad remissionem culpae: dictum est enim supra* quod sacramenta in virtute passionis Christi operantur.

* Cap. LVI, init. et LVII, init.

Effectum autem resurrectionis Christi quantum ad liberationem a morte in fine saeculi consequemur, quando omnes per Christi virtutem resurgemus. Unde dicit Apostolus, I *Cor.* XV[12-14]: *Si Christus praedicatur quod resurrexit a mortuis, quomodo quidam dicunt in vobis quoniam resurrectio mortuorum non est? Si autem resurrectio mortuorum non est, neque Christus resurrexit. Si autem Christus non resurrexit, inanis est praedicatio nostra, inanis est et fides nostra.* Est igitur de necessitate fidei credere resurrectionem mortuorum futuram.

Quidam vero, hoc perverse intelligentes, resurrectionem corporum futuram non credunt: sed quod de resurrectione legitur in scripturis, ad spiritualem resurrectionem referre conantur, secundum quod aliqui a morte peccati resurgunt per gratiam.

Hic autem error ab ipso Apostolo reprobatur. Dicit enim II *Tim.* II[16-18]: *Profana et vaniloquia devita, multum enim proficiunt ad impietatem, et sermo eorum ut cancer serpit: ex quibus est Hymenaeus et Philetus, qui a veritate fidei exciderunt, dicentes resurrectionem iam factam esse:* quod non poterat intelligi nisi de resurrectione spirituali. Est ergo contra veritatem fidei ponere resurrectionem spiritualem, et negare corporalem.

Praeterea. Manifestum est ex his quae Apostolus Corinthiis dicit*, quod praemissa verba de resurrectione corporali sunt intelligenda. Nam post pauca subdit*: *Seminatur corpus animale, surget corpus spirituale,* ubi manifeste corporis resurrectionem tangit; et postmodum subdit*: *Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, et mortale hoc induere immortalitatem.* Hoc autem corruptibile et mortale est corpus. Corpus igitur est quod resurget.

* L. c.
* Vers. 44.
* Vers. 53.

Adhuc. Dominus, *Ioan.* V[25], utramque resurrectionem promittit. Dicit enim: *Amen, amen dico vobis, quia venit hora, et nunc est, quando mortui audient vocem filii Dei, et qui audierint, vivent:* quod ad resurrectionem spiritualem animarum pertinere videtur, quae tunc iam fieri incipiebat, dum aliqui per fidem Christo adhaerebant. Sed postmodum corporalem resurrectionem exprimit dicens*: *Venit hora in qua omnes qui in monumentis sunt audient vocem Filii Dei.* Manifestum est enim quod animae in monumentis non sunt, sed corpora. Praedicitur ergo hic corporum resurrectio.

* Vers. 28.

Expresse etiam corporum resurrectio praenuntiatur a Iob. Dicitur enim *Iob* XIX[25]: *Scio quod Redemptor meus vivit, et in novissimo die de terra surrecturus sum, et rursus circumdabor pelle mea, et in carne mea videbo Deum.*

Ad ostendendum etiam resurrectionem carnis futuram evidens ratio suffragatur, suppositis his quae in superioribus sunt ostensa. Ostensum est enim in Secundo* animas hominum immortales

* Cap. LXXIX.

2 his] aliis α, illis WY. 8 peccatum *post* mundum EGNX*b*. 11 Unde] Unde et P*c*. 29 Christi *om* DEGNX*b*. 31 consequemur] consequimur BDWXZpGH.

14 Corinthiis] ad Cor NY*b*. 17 ubi] unde EX. 22 resurget] resurgit EGNX. 27 spiritualem *om* DENX. 33 animae *ante* non sunt D, *post* DGX, *om* N. 34 Praedicitur] praedicatur EY; dicitur DGX, praeditur N. 40 Deum] Deum salvatorem meum BWY, Dominum Deum Z, Deum meum N. 41 carnis futuram *Ita* HWZP*d*; carni futuram BCF*c*, corporum futuram NY, futuram DEGX, futuram carnis *b*.

esse. Remanent igitur post corpora a corporibus absolutae. Manifestum est etiam ex his quae in Secundo* dicta sunt, quod anima corpori naturaliter unitur: est enim secundum suam essentiam corporis forma. Est igitur contra naturam animae absque corpore esse. Nihil autem quod est contra naturam, potest esse perpetuum*. Non igitur perpetuo erit anima absque corpore. Cum igitur perpetuo maneat, oportet eam corpori iterato coniungi: quod est resurgere. Immortalitas igitur animarum exigere videtur resurrectionem corporum futuram.

Adhuc. Ostensum est supra, in Tertio*, naturale hominis desiderium ad felicitatem tendere. Felicitas autem ultima est felicis perfectio. Cuicumque igitur deest aliquid ad perfectionem, nondum habet felicitatem perfectam, quia nondum eius desiderium totaliter quietatur: omne enim imperfectum perfectionem consequi naturaliter cupit. Anima autem a corpore separata est aliquo modo imperfecta, sicut omnis pars extra suum totum existens: anima enim naturaliter est pars humanae naturae. Non igitur potest homo ultimam felicitatem consequi nisi anima iterato corpori coniungatur: praesertim cum ostensum sit* quod in hac vita homo non potest ad felicitatem ultimam pervenire.

Item. Sicut in Tertio* ostensum est, ex divina providentia peccantibus poena debetur, et bene agentibus praemium. In hac autem vita homines ex anima et corpore compositi peccant vel recte agunt. Debetur igitur hominibus et secundum animam et secundum corpus praemium vel poena. Manifestum est autem quod in hac vita praemium ultimae felicitatis consequi non possunt, ex his quae in Tertio* ostensa sunt. Multoties etiam peccata in hac vita non puniuntur: quinimmo, ut dicitur *Iob* XXI[7]: Hic *impii vivunt, confortati sunt, sublimatique divitiis.* Necessarium est igitur ponere iteratam animae ad corpus coniunctionem, ut homo in corpore et anima praemiari et puniri possit.

* Cap. LXXXIII, *Ostensum est enim*, et seqq. Cf. cap. LXVIII.

* Cf. Arist. *De Caelo* I, cap. II, 12 (s. Th. lect. IV).

* Cap. XXV, praecipue in fin. *Ultimus autem*. Cf. etiam cap. II.

* Lib. III, cap. XLVIII.

* Cap. CXL.

* Cap. XLVIII.

15 est *om* BFH, *ante* ultima sH, *post* perfectio Z. felicis *om* DEGNX*b*.
1 enim] autem DEGNXpCZ. 9 vita] vita possunt DGXsE, *om* E; *cf. var. seq.* 10 peccant ... agunt] peccare ... agere DEGX *et addito* possunt *b*. 11 hominibus] omnibus DEG. 15 quae] autem GN, autem quae DX; *pro* ostensa sunt, ostensum est GNX. 17 Hic] Quare *b*. 18 confortati] et confortati WY, confortatique DEGX*b*; sublimatique *om* N.

## Commentaria Ferrariensis

POSTQUAM determinavit Sanctus Thomas de sacramentis, per quae a Christo incarnato liberamur a culpa, consequenter de corporum resurrectione determinat, per quam etiam a Christo liberamur a morte*.

* Cf. cap. LVI, Comm. init.

Circa hoc autem duo facit: primo, de ipsa resurrectione determinat; secundo de finali iudicio resurrectionem concomitante, cap. XCVI. – Circa primum duo facit: primo, determinat de ipsa corporum resurrectione quantum ad *an est;* secundo, quantum ad qualitatem resurgentium, cap. LXXXII.

Circa primum tria facit: primo, ostendit corporum resurrectionem esse futuram; secundo, movet quasdam obiectiones, cap. seq.; tertio, eas solvit*.

* Cap. LXXXI.

I. Quantum ad primum, duas ponit conclusiones. Prima est: *De necessitate fidei est credere resurrectionem mortuorum futuram.*

Sed antequam conclusionem probet, praemittit, primo, quod, cum per Christum liberati simus ab iis quae per peccatum primi hominis incurrimus; et, primo homine peccante, non solum peccatum in nos derivatum sit, sed etiam mors, quae est poena peccati, iuxta illud *Rom.* V, *Per unum hominem* etc.: necessarium est quod per Christum ab utroque liberemur; unde subdit Apostolus, *Si in unius* etc.

Praemittit secundo, quod Christus, ut utrumque nobis in seipso demonstraret, et mori voluit, ut nos a peccato purgaret, iuxta illud *Hebr.* IX, *Quemadmodum* etc.; et resurgere, ut nos liberaret a morte, iuxta illud I *Cor.* XV, *Christus resurrexit* etc.

Praemittit tertio, quod effectum mortis Christi in sacramentis consequimur quantum ad remissionem culpae, ut ex superioribus* patet. Effectum autem resurrectionis eius quantum ad liberationem a morte, in fine saeculi consequemur, quando omnes per Christi virtutem resurgemus.

* Vide l. c. in text.

2. Istis praemissis, arguitur primo ad conclusionem per ea quae dicit Apostolus I *Cor.* XV, *Si Christus praedicatur* etc.

Si dicatur, ut quidam perverse intelligunt, hoc, et cetera quae in Scripturis de resurrectione leguntur, ad resurrectionem animae esse referendum, secundum quod aliqui a morte peccati per gratiam resurgunt: – contra arguitur. Quia ipse Apostolus, II *Tim.* II, ait, *Profana et vaniloquia* etc. Quod non poterat intelligi de resurrectione spirituali. Tum quia, ad *Cor.*, post verba adducta, subiungit, *Seminatur corpus* etc., ubi manifeste corporum resurrectionem tangit. Unde etiam subdit, *Oportet corruptibile hoc* etc. – Tum quia Dominus utramque resurrectionem, *Ioan.* V, promittit. Spiritualem quidem cum dicit, *Amen, amen dico vobis quia venit hora et nunc est* etc.: tunc enim spiritualis resurrectio fieri incipiebat, dum aliqui per fidem Christo adhaerebant. Corporalem vero cum ait, *Venit hora in qua omnes* etc.

Secundo, *Iob.* XIX: *Scio quod Redemptor meus* etc. Ergo etc.

3. Circa id quod dictum* est, *nostram liberationem a morte quando omnes resurgemus, esse effectum resurrectionis Christi,* attendendum, ex doctrina Sancti Thomae *Quarto,* d. XLIII,* a. 2**, quod resurrectio Christi dicitur causa nostrae resurrectionis, non quia agat resurrectionem nostram, sed quia principium resurrectionis Christi, scilicet virtus divinitatis existens in Christo, nostram resurrectionem faciet ad similitudinem resurrectionis illius: *sicut, si homo albus generet hominem album, dicitur albedo generantis causa albedinis generati, non quia geniti albedinem effective producat, sed quia principia eius in generante sunt principia generativa facientia albedinem in generato.*

* Supra *Praemittit tertio.*

* Qu. unica. ** Qu[e] 1.

Sed licet Christi resurrectio non sit causa principalis nostrae resurrectionis, *potest tamen dici, ratione divinitatis adiunctae, causa instrumentalis:* ut etiam dicitur *Tertia,* q. LVI, a. 1. *Nam et operationes divinae, secundum Damascenum, tertio libro*, agebantur mediante carne Christi, quasi quodam organo.*

* *De Fid. Orthod.* cap. XV (P. G. XCIV, 1054). - Cf. l. c. d. XLIII.

Potest etiam dici *causa exemplaris:* inquantum nostra resurrectio ad similitudinem fiet resurrectionis Christi.

II. Secunda conclusio est: *Ad ostendendam resurrectionem carnis futuram evidens ratio suffragatur.*

Advertendum autem quod non intendit Sanctus Thomas corporum resurrectionem demonstrativa ratione probari posse: hoc enim est nobis impossibile, cum sit de pertinentibus ad fidem simpliciter. Sed intendit ostendere quod aliqua probabili ratione suaderi potest, *suppositis iis quae in praecedentibus sunt ostensa.* Et hoc haberi potest ex

*Quarto*, d. XLIII, a. 1, qu[a] 3, ad 2: sic enim ostenditur quod positio fidei irrationabilis non est.

Adducit autem tres probabiles rationes.

* Cf. num. v.

2. Pro prima* ratione supponit duo in praecedentibus demonstrata. Primum est, quod animae hominum sunt immortales: et consequenter remanent post corpora a corporalibus separatae. – Secundum est, quod anima corpori naturaliter unitur: cum sit secundum essentiam suam corporis forma. – Haec enim in secundo libro* sunt ostensa.

* Videl. c. in text.

Tunc *arguitur primo sic*, ex animae immortalitate. Anima corpori naturaliter unitur. Ergo est contra naturam animae absque corpore esse. Ergo non est perpetuo absque corpore. Ergo oportet eam corpori iterato coniungi, quod est resurgere. – Consequentia prima nota est. – Secunda vero probatur, quia nihil quod est contra naturam, potest esse perpetuum. – Ultima autem probatur, quia anima perpetuo manet.

III. Ad hanc rationem respondet Scotus in *Quarto*, d. XLIII, q. II*, dupliciter. Primo, quod *duplex est inclinatio naturalis. Una ad actum primum, et imperfecti ad perfectum*: et sic quod est contra naturam, non est perpetuum. *Alia est ad actum secundum*: et sic non inconvenit quod est contra naturam, perpetuum esse. Animae autem inclinatio ad corpus est naturalis secundo modo, non autem primo modo. Ideo non inconvenit ipsam perpetuo remanere a corpore separatam.

* *De Tertia Propos.* (Ven. 1497, p. 120 v a).

Secundo respondet, *secundum mentem Avicennae*, quod coniunctio animae ad corpus est ad hoc ut anima, mediante corpore, suam perfectionem acquirat. Semel autem coniuncta, acquisivit quantum simpliciter appetit acquirere illo modo.*

* *De Anima* V, capp. III, IV. Cf. *Metaph.* IX, cap. VII.

2. Sed nulla istarum responsionum satisfacit argumento. Non quidem prima: quia manifeste falsum est naturalem inclinationem animae ad corpus esse tanquam ad actum secundum, non autem tanquam ad actum primum. Constat enim quod inclinatur ad corpus ut illi coniuncta habeat suae speciei complementum: cum enim essentialiter sit pars speciei, ipsa non est quid completum in specie, sed naturaliter ad constitutionem speciei humanae ordinatur. Quod quia separata a corpore consequi non potest, ideo naturaliter ad corporis unionem inclinatur, ut inde suae perfectionis complementum consequatur.

Non etiam secunda responsio satisfacit. Quia non solum inclinatur anima ad corpus ut suam accidentalem perfectionem mediante corpore acquirat, sed etiam ut habeat complementum suae naturae specificae. Et ideo non inest sibi naturalis appetitus ad huiusmodi unionem solum in principio sui esse, sed semper: et nunquam huiusmodi appetitus satiatur nisi dum unita corpori manet.

IV. Ideo posset ad hanc rationem melius secundum mentem Sancti Thomae in *Quarto*, d. XLIII*, et *Verit.*, q. XXIV, a. 10, ad 1, pro philosophis responderi, quod utique unio animae et corporis est naturalis; et naturaliter anima ad huiusmodi unionem inclinatur, sicut grave naturaliter inclinatur deorsum; et consequenter separatio animae a corpore est contra naturam; *sed negatur ultima consequentia.*

* Qu. I, art. 1, qu[a] 3.

Cum probatur quia nihil quod est contra naturam, potest esse perpetuum: – respondetur quod verum est ubi in natura remanet aliquod principium naturale ad inducendum id quod est secundum naturam: falsum est autem ubi nullum tale principium remanet. Sic autem est in proposito. Nam, separata anima a corpore, nullum remanet activum principium naturale potens ipsam corpori reunire: cum dispositio ad animam intellectivam non possit ab agente naturali nisi ex semine per generationem induci. Et consequenter non remanet aliquod principium naturale passivum sufficiens ad hanc unionem: cum potentia passiva naturalis habeat per agens naturale in actum reduci. Unde inquit Sanctus Thomas quod resurrectio est naturalis quantum ad terminum, non autem quantum ad principium: inquantum videlicet unio animae intellectivae est, absolute considerata, naturalis, et potest ab agente naturali dispositive causari; sed, ipsis per corruptionem separatis, non potest amplius per agens naturale induci, sicut visus naturaliter unitur corpori absolute consideratus, sed, supposito quod aliquis visum amiserit et sit caecus effectus, iam per agens naturale non potest visum acquirere.

V. *Secundo**. Naturale hominis desiderium ad felicitatem tendit. Sed hanc non potest consequi nisi anima iterato corpori coniungatur. Ergo etc.

* Cf. num. II, 2.

Probatur minor. Felicitas ultima est felicis perfectio. Ergo, cui aliquid ad perfectionem deest, nondum habet felicitatem perfectam: quia nondum eius desiderium totaliter quietatur. Sed anima a corpore separata est aliquo modo imperfecta: sicut omnis pars extra suum totum. Ergo felicitatem consequi non potest nisi sit unita corpori. Sed homo non potest in hac vita ad ultimam felicitatem pervenire. Ergo oportet ut, postquam fuerit anima a corpore separata, iterum corpori reuniatur.

2. Ad hanc rationem respondet Scotus*, quod *illa propositio, Omnis pars extra suum totum est imperfecta, non est vera nisi de parte quae recipit aliquam perfectionem in toto. Anima autem rationalis non recipit perfectionem, sed communicat.*

* L. c. supra.

Sed ista responsio nulla est. Superius* enim ostensum est animam esse simpliciter imperfectam separatam a toto imperfectione speciei; et quod perfectionem aliquam accipit in toto, licet sit aliquo modo perfectior quam coniuncta.

* Num. III, 2. Cf. Lib. II, cap. LXXXIII, Comm. num. VI.

3. Unde melius dici posset quod aliud est desiderium naturale quo anima desiderat uniri corpori suaeque speciei; et aliud naturale desiderium quo appetit beatitudinem. Primum enim consequitur ipsam animae substantiam; secundum vero consequitur voluntatem. Unde quies unius desiderii non excludit aliud desiderium, cum non opponantur, sed illud secum compatitur. Anima ergo separata potest consequi perfectam beatitudinem, ad quam secundum voluntatis inclinationem ordinatur; et habere complementum suae perfectionis accidentalis, quae in perfecta cognitione consistit; et potest desiderium eius de beatitudine consequenda totaliter quietari; licet desiderium naturale unionis ad corpus non quietetur, id est, non reducatur in actum, propter defectum naturalis principii potentis illud desiderium ad actum reducere.

Unde minor argumenti est falsa*. Ad probationem negatur consequentia, si intelligatur consequens de carentia perfectionis substantialis et specificae: praecipue cum anima separata sit per se subsistens, et ad suum esse nullo indigeat. Sed bene sequitur quod is cui aliquid ad perfectionem accidentalem deest in qua beatitudo consistit, nondum habet felicitatem completam.

* Sc. *Sed hanc non potest*, init. n. V. – Cf. n. II, 1, *Advert.*, et n. VII.

4. Si dicatur, anima separata cognoscit se esse partem alicuius perfecti in specie; et suae perfectionis specificae complementum esse dum est corpori unita; ergo etiam desiderio voluntatis appetit uniri corpori; ergo, si nunquam unietur, separata non potest totaliter consequi quod desiderat; et sic desiderium voluntatis eius nunquam totaliter quietari poterit: – negatur prima consequentia. Quia sicut separata a corpore cognoscit se esse compositi partem, ita cognoscit se uniri corpori non posse, propter defectum principii activi naturalis. Ideo non sequitur ut, desiderio cognitionem sequentem, illam unionem desideret: quia tale desiderium non est ad impossibile. – Ita, puto, philosophi responderent.

VI. *Tertio**. In hac vita homines ex anima et corpore compositi peccant vel recte agunt. Igitur eis debetur secundum animam et secundum corpus poena vel praemium. Ergo necesse est ponere iteratam animae ad corpus coniunctionem. – Probatur consequentia. Quia ex divina providentia peccantibus debetur poena, et bene agentibus praemium. – Secunda vero, quia in hac vita homines praemium ultimae felicitatis consequi non possunt: multoties etiam peccata non puniuntur, quinimmo, ut dicitur *Iob.* XXI, Hic *impii vivunt*, etc.

* Cf. num. V.

2. Ad hanc rationem dicit Scotus* primo, quod *non apparet per rationem naturalem quod sit unus rector hominum secundum leges iustitiae retributivae et punitivae.* – Dicit secundo quod, *si hoc esset, diceretur unicuique in suo actu fieri retributionem sufficienter.*

* In *Dico ergo*, l. c. v b.

Sed quod haec responsio nulla sit, patet ex superiori-

bus, ubi ostensum est actus hominum puniri et praemiari a Deo*; et quod peccata puniuntur a Deo per experientiam alicuius nocivi*.

*L. III, cap. CXL. *Ibid. cap. CXLV.

3. Posset autem ad hanc rationem melius dici, secundum philosophos animae immortalitatem tenentes, quod sufficiat animam separatam a corpore puniri aut praemiari: quia ipsa per voluntatem est primum et principale principium bonarum aut malarum operationum; corpus autem ad huiusmodi operationes non concurrit nisi instrumentaliter, et ut ab anima movetur.

VII. Et sic patet huiusmodi rationes corporum resurrectionem probantes, ex probabilibus tantum procedere, non autem ex necessariis. Hoc autem dixerim ne quis putet resurrectionem non pertinere simpliciter ad fidem, sed esse aliquid demonstrabile per principia naturalia.

Sed licet non sit naturali ratione resurrectio demonstrabilis, potest tamen ex dictis Scripturae efficaciter ostendi: sicut Dominus subtilissime ostendit, *Matth.* XXII*, ex hoc quod dicitur: *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Iacob.* Cum enim non sit *Deus nisi viventium,* oportet Abraham, Isaac et Iacob vivere. Qui cum actu non vivant, oportet quod hoc sit ex ordine animae et corporis ad resurrectionem: ut deducit Sanctus Thomas in *Quarto,* d. XLIII, a. 1*, [1]qu[a] 1, ad 2.

* Vers. 32, 33.

* Qu. unica.

# CAPITULUM OCTOGESIMUM

## OBIECTIONES CONTRA RESURRECTIONEM.

SUNT autem quaedam quae resurrectionis fidem impugnare videntur. In nullo enim naturalium rerum invenitur id quod corruptum est idem numero redire in esse: sicut nec ab aliqua privatione ad habitum videtur posse rediri. Et ideo, quia quae corrumpuntur eadem numero iterari non possunt, natura intendit ut id quod corrumpitur idem specie per generationem conservetur. Cum igitur homines per mortem corrumpantur, ipsumque corpus hominis usque ad prima elementa resolvatur: non videtur quod idem numero homo possit reparari ad vitam.

*Numeri a nobis appositi sunt.

2*. - Item. Impossibile est esse idem numero cuius aliquod essentialium principiorum idem numero esse non potest: nam essentiali principio variato, variatur essentia rei, per quam res, sicut est, ita et una est. Quod autem omnino redit in nihilum, idem numero resumi non potest: potius enim erit novae rei creatio quam eiusdem reparatio. Videntur autem plura principiorum essentialium hominis per eius mortem in nihilum redire. Et primo quidem ipsa corporeitas, et forma mixtionis: cum corpus manifeste dissolvatur. Deinde pars animae sensitiva et nutritiva, quae sine corporeis organis esse non possunt. Ulterius autem in nihilum videtur redire ipsa humanitas, quae dicitur esse forma totius, anima à corpore separata. Impossibile igitur videtur quod homo idem numero resurgat.

3. - Adhuc. Quod non est continuum, idem numero esse non videtur. Quod quidem non solum in magnitudinibus et motibus manifestum est, sed etiam in qualitatibus et formis: si enim post sanitatem aliquis infirmatus, iterato sanetur, non redibit eadem sanitas numero. Manifestum est autem quod per mortem esse hominis aufertur: cum corruptio sit mutatio de esse in non esse. Impossibile est igitur quod esse hominis idem numero reiteretur. Neque igitur erit idem homo numero: quae enim sunt eadem numero, secundum esse sunt idem.

4. - Amplius. Si idem hominis corpus reparatur ad vitam, pari ratione oportet quod quidquid in corpore hominis fuit, eidem restituatur. Ad hoc autem maxima indecentia sequitur: non solum propter capillos et ungues et pilos, qui manifeste quotidiana praecisione tolluntur; sed etiam propter alias partes corporis, quae occulte per actionem naturalis caloris resolvuntur; quae omnia si restituantur homini resurgenti, indecens magnitudo consurget. Non videtur igitur quod homo sit post mortem resurrecturus.

5. - Praeterea. Contingens est quandoque aliquos homines carnibus humanis vesci; et solum tali nutrimento nutriri; et sic nutritos filios generare. Caro igitur eadem in pluribus hominibus invenitur. Non est autem possibile quod in pluribus resurgat. Nec aliter videtur esse universalis resurrectio et integra, si unicuique non restituetur quod hic habuit. Videtur igitur impossibile quod sit hominum resurrectio futura.

6. - Item. Illud quod est commune omnibus existentibus in aliqua specie videtur esse naturale illi speciei. Non est autem hominis resurrectio naturalis: non enim aliqua virtus naturalis agentis sufficit ad hoc agendum. Non igitur communiter omnes homines resurgent.

7. - Adhuc. Si per Christum liberamur et a culpa et a morte, quae est peccati effectus, illi soli videntur liberandi esse a morte per resurrectionem qui fuerunt participes mysteriorum Christi, quibus liberarentur a culpa. Hoc autem non est omnium hominum. Non igitur omnes homines resurgent, ut videtur.

---

2 fidem impugnare] fidei repugnare EG. nullo] nulla DP. 5 ad habitum *om* DEGX*b*. 6 ideo quia] quia DNX, quia ideo EG. 17 variatur] semper variatur P*d*. 22 hominis *om* DEX. 23 primo *post* quidem BDEGXY. 27 in nihilum *post* videtur DEGNX. 35 infirmatus] infirmatur E, infirmatur et Y*b*, infirmetur et D, (sicut post sanitatem si aliquis) informatur et X.

5 hominis *post* corpus DEGNX. 7 eidem] idem DEGNX, *om* Z. 22 restituetur] restituitur N, restituatur P. 23 impossibile] esse impossibile DEGNX*b*. 29 agendum] ut communiter omnes homines resurgant *addunt* P*d*.

Commentaria Ferrariensis

CONTRA fidem Resurrectionis aliquae adducuntur obiectiones, quas, ut refellat, adducit Sanctus Thomas*. *Cf. cap. praec. Comm. init.

*Prima* est, quia in nulla naturalium rerum invenitur id quod corruptum est, idem numero redire in esse. Homines autem per mortem corrumpuntur: ipsumque corpus hominis usque ad prima elementa resolvitur.

*Secunda* est, quia plura principiorum essentialium hominis videntur per eius mortem in nihilum redire: scilicet corporeitas, et forma mixtionis, pars animae sensitiva et nutritiva, et ipsa humanitas, quae dicitur esse forma totius. Impossibile est autem idem esse numero cuius aliquod essentialium principiorum idem numero esse non potest.

*Tertia* est, quia per mortem esse hominis aufertur. Quod autem non est continuum, tam in qualitatibus et formis quam in magnitudinibus et motibus, idem numero non videtur esse.

*Quarta* est, quia oportebit ut quicquid in homine fuit, scilicet de pilis, unguibus, capillis, et partibus corporis quae occulte per actionem caloris naturalis resolvuntur, hominibus restituatur. Et sic homini resurgenti indecens magnitudo consurget.

*Quinta* est, quia potest esse ut caro eadem in pluribus hominibus inveniatur: puta si homo humanis carnibus vescatur, et hoc solo nutrimento nutriatur, et sic filios generet. Non est autem possibile ut illa in pluribus resurgat: quia non videtur universalis et integra resurrectio nisi unicuique restituatur quod hic habuit.

*Sexta,* quia si omnes resurgent, videtur quod resurrectio sit naturalis: cum illud quod est commune omnibus existentibus in aliqua specie, naturale esse videatur illi speciei.

*Septima* est, quia illi soli videntur per Christum liberandi a morte, quae est peccati effectus, qui fuerunt participes mysteriorum Christi, quibus liberarentur a culpa. Hoc autem non est omnium hominum.

# CAPITULUM OCTOGESIMUM PRIMUM

## SOLUTIO PRAEMISSARUM OBIECTIONUM.

AD horum igitur solutionem, considerandum est quod Deus, sicut supra* dictum est, in institutione humanae naturae, aliquid corpori humano attribuit supra id quod ei ex naturalibus principiis debebatur: scilicet incorruptibilitatem quandam, per quam convenienter suae formae coaptaretur, ut sicut animae vita perpetua est, ita corpus per animam posset perpetuo vivere. *Cap. LII, *Sic igitur.*

Et talis quidem incorruptibilitas, etsi non esset naturalis quantum ad activum principium, erat tamen quodammodo naturalis ex ordine ad finem, ut scilicet materia proportionaretur suae naturali formae, quae est finis materiae.

Anima igitur, praeter ordinem suae naturae, a Deo aversa, subtracta est dispositio quae eius corpori divinitus indita erat, ut sibi proportionaliter responderet, et secuta est mors. Est igitur mors quasi per accidens superveniens homini per peccatum, considerata institutione humanae naturae.

Hoc autem accidens sublatum est per Christum, qui merito suae passionis *mortem moriendo destruxit**. Ex hoc igitur consequitur quod divina virtute, quae corpori incorruptionem dedit, iterato corpus de morte ad vitam reparetur. *Cf. 1 *Tim.* 1, 10.

Secundum hoc igitur *ad primum* dicendum quod virtus naturae deficiens est a virtute divina, sicut virtus instrumenti a virtute principalis agentis. Quamvis igitur operatione naturae hoc fieri non possit, ut corpus corruptum reparetur ad vitam, tamen virtute divina id fieri potest. Nam quod natura hoc facere non possit, ideo est quia natura semper per formam aliquam operatur. Quod autem habet formam, iam est. Cum vero corruptum est, formam amisit, quae poterat esse actionis principium. Unde operatione naturae, quod corruptum est idem numero reparari non potest. Sed divina virtus, quae res produxit in esse, sic per naturam operatur quod absque ea effectum naturae producere potest, ut superius* est ostensum. Unde, cum virtus divina maneat eadem etiam rebus corruptis, potest corrupta in integrum reparare. *Lib. III, cap. XCIX.

Quod vero *secundo* obiicitur, impedire non potest quin homo idem numero resurgere possit. Nullum enim principiorum essentialium hominis per mortem omnino cedit in nihilum: nam anima rationalis, quae est hominis forma, manet post mortem, ut superius* est ostensum; materia etiam manet, quae tali formae fuit subiecta, sub dimensionibus eisdem ex quibus habebat ut esset individualis materia. Ex coniunctione igitur eiusdem animae numero ad eandem materiam numero, homo reparabitur. *Lib. II, cap. LXXIX.

Corporeitas autem dupliciter accipi potest. Uno modo, secundum quod est forma substantialis corporis, prout in genere substantiae collocatur. Et sic corporeitas cuiuscumque corporis nihil est aliud quam forma substantialis eius, secundum quam in genere et specie collocatur, ex qua debetur rei corporali quod habeat tres dimensiones. Non enim sunt diversae formae substantiales

---

9 posset] possit DEGNX. 10 etsi] etiamsi P*d*. 11 activum] alterum EG*Zb*, alteratum X. 13 naturali *post* formae DEGNX*b*. 15 Anima ... 16 aversa] sibi ... averso X, Animae .. aversae P*c*; *post* subtracta est Y *addit* ei. 26 reparetur] repararetur EGN. 31 possit] posset EGN. ut corpus ... b 2 non possit *hom om* X. reparetur] repararetur EGN.

2 facere non possit] fieri non posset DEG. quia natura ... 3 operatur] quia quidquid natura facit per (facit per *inter scribendum correctum est ex* super) formam aliquam operatur E, quod quidquid natura super formam agit et per formam aliquam operatur G, quia quidquid natura agit et per formam et super formam aliquam operatur DX, *b legit*: quia quidquid natura operatur semper *cet. ut textus.* 4 iam est *Ita* DEXpG] Unde nihil seipsum operari potest sed generat aliquid (*om b*) aliud (*om* N) sibi secundum speciem simile *addunt ceteri.* corruptum est] corrupta est αWZ, materia (natura sY) corrupta est Y, corruptum est donec corruptum est X. 11 rebus] in rebus P*c*. 13 obiicitur] obiiciebatur P*c*. 16 omnino *post* cedit DNX, *post* in nihilum E. 23 homo] unus numero *addunt* αWYZP*c*.

in uno et eodem, per quarum unam collocetur in genere supremo, puta substantiae; et per aliam in genere proximo, puta in genere corporis vel animalis; et per aliam in specie, puta hominis aut equi. Quia si prima forma faceret esse substantiam, sequentes formae iam advenirent ei quod est hoc aliquid in actu et subsistens in natura: et sic posteriores formae non facerent hoc aliquid, sed essent in subiecto quod est hoc aliquid sicut formae accidentales. Oportet igitur, quod corporeitas, prout est forma substantialis in homine, non sit aliud quam anima rationalis, quae in sua materia hoc requirit, quod habeat tres dimensiones: est enim actus corporis alicuius. – Alio modo accipitur corporeitas prout est forma accidentalis, secundum quam dicitur corpus quod est in genere quantitatis. Et sic corporeitas nihil aliud est quam tres dimensiones, quae corporis rationem constituunt. Etsi igitur haec corporeitas in nihilum cedit, corpore humano corrupto, tamen impedire non potest quin idem numero resurgat: eo quod corporeitas primo modo dicta non in nihilum cedit, sed eadem manet.

Similiter etiam forma mixti dupliciter accipi potest. Uno modo ut per formam mixti intelligatur forma substantialis corporis mixti. Et sic, cum in homine non sit alia forma substantialis quam anima rationalis, ut ostensum est*: non poterit dici quod forma mixti, prout est forma substantialis, homine moriente cedat in nihilum. – Alio modo dicitur forma mixti qualitas quaedam composita et contemperata ex mixtione simplicium qualitatum, quae ita se habet ad formam substantialem corporis mixti sicut se habet qualitas simplex ad formam substantialem corporis simplicis. Unde etsi forma mixtionis sic dicta in nihilum cedat, non praeiudicat unitati corporis resurgentis.

* Hic supra; cf. Lib. II, cap. LVII seqq.

Sic etiam dicendum est et de parte nutritiva, et sensitiva. Si enim per partem sensitivam et nutritivam intelligantur ipsae potentiae, quae sunt proprietates naturales animae, vel magis compositi, corrupto corpore corrumpuntur: nec tamen per hoc impeditur unitas resurgentis. Si vero per partes praedictas intelligatur ipsa substantia animae sensitivae et nutritivae, utraque earum est eadem cum anima rationali. Non enim sunt in homine tres animae, sed una tantum, ut in Secundo Libro* ostensum est.

* Cap. LVIII.

De humanitate vero, non est intelligendum quod sit quaedam forma consurgens ex coniunctione formae ad materiam, quasi realiter sit alia ab utroque: quia, cum per formam materia fiat hoc aliquid actu, ut dicitur II *de Anima**, illa tertia forma consequens non esset substantialis, sed accidentalis. – Dicunt autem quidam* quod forma partis eadem est et forma totius: sed dicitur forma partis secundum quod facit materiam esse in actu; forma vero totius dicitur secundum quod complet speciei rationem. Et secundum hoc, humanitas non est aliud realiter quam anima rationalis. Unde patet quod, corrupto corpore, non cedit in nihilum. – Sed quia humanitas est essentia hominis; essentia autem rei est quam significat definitio; definitio autem rei naturalis non significat tantum formam, sed formam et materiam: necessarium est quod humanitas aliquid significet compositum ex materia et forma, sicut et *homo*. Differenter tamen. Nam *humanitas* significat principia essentialia speciei, tam formalia quam materialia, cum praecisione principiorum individualium: dicitur enim humanitas secundum quam aliquis est homo; homo autem non est aliquis ex hoc quod habet principia individualia, sed ex hoc solum quod habet principia essentialia speciei. Humanitas igitur significat sola principia essentialia speciei. Unde significatur per modum partis. *Homo* autem significat quidem principia essentialia speciei, sed non excludit principia individuantia a sui significatione: nam homo dicitur qui habet humanitatem, ex quo non excluditur quin alia habere possit. Et propter hoc homo significatur per modum totius: significat enim principia speciei essentialia in actu, individuantia vero in potentia. *Socrates* vero significat utraque in actu, sicut et differentiam genus habet potestate, species vero actu. Unde patet quod et homo redit idem numero in resurrectione, et humanitas eadem numero, propter animae rationalis permanentiam et materiae unitatem.

* E. g. Averroes, *In VII Met.*, n. 34 (in Ed. Ven. 1562, f. 184). Cf. s. Th. lect. IX.

Quod vero *tertio* obiicitur, quod esse non est unum, quia non est continuum: falso innititur fundamento. Manifestum est enim quod materiae et formae unum est esse: non enim materia habet esse in actu nisi per formam. Differt tamen quantum ad hoc anima rationalis ab aliis formis. Nam esse aliarum formarum non est nisi in concretione ad materiam: non enim excedunt materiam neque in esse, neque in operari. Anima vero rationalis, manifestum est quod excedit materiam in operari: habet enim aliquam operationem absque participatione organi corporalis, scilicet intelligere. Unde et esse suum non est solum in concretione ad materiam. Esse igitur eius, quod erat compositi, manet in ipsa corpore dissoluto: et reparato corpore in resurrectione, in idem esse reducitur quod remansit in anima.

* Cap. I, 4; s. Th. lect. I.

1 unam] unionem DEGX. collocetur] collocatur αWYZP*c*. 3 corporis vel animalis] corporis substantialis DEGX, corporalis vel animalis P. 6 iam advenirent ei] iam advenientes ei BFH, essent iam (iam essent Z) advenientes ei CZ, iam advenientes essent ei W. 8 non] cum non DEGX; sed *om* sE. 9 hoc aliquid] hoc vel aliquid αW, hoc vel illud Y. 20 cedit] cedat DEGNX*b*. 22 primo modo] eodem modo primo αY*cd*, eodem primo modo Z, modo primo P. 24 etiam] autem DEGNX. 25 potest] dicitur *ante* dupliciter DEX. 28 non] nec BCFWYZP*c*, *om* H. 32 contemperata] comparata αWYZ, temperata N. 33 habet] habent DEGNX*b*, habeat P. 36 etsi] si αWYZ*b*P*c*.

1 tertia] cuius EGN, eius D, est cuius X. 5 dicitur *om* DEGNX. 18 individualium] materialium EGX, individuantium D. 20 individualia] individuantia DEGNX. 23 significatur] significat *cd*. 24 quidem *Ita* DNXZ; *lac.* G, *om* E, quaedam *ceteri*. 29 significatur *om* G, significat ZP*c*. 31 Socrates *Ita* P; sortes *b*, sōr N, forma *ceteri*, Z *legit* forma vero partis vel individuata puta hic homo. utraque] utrumque DEGNX. 34 idem numero] idem DEG*b*, in idem X. 42 hoc] hoc quod GX. 43 in concretione] in comparatione EGX*b*, in comparationem D, in coniunctione WY, in concretione formarum P*c*, unum in communicatione Z. 46 excedit materiam *om* X, *post* operari *b*; quod *om* D; 44 non enim .. 47 operari *om* EG. 51 ipsa] ipso HP*c*. 53 reducitur] reducetur *b*.

Quod etiam *quarto* obiicitur, resurgentis unitatem non tollit. Quod enim non impedit unitatem secundum numerum in homine dum continue vivit, manifestum est quod non potest impedire unitatem resurgentis. In corpore autem hominis, quandiu vivit, non semper sunt eaedem partes secundum materiam, sed solum secundum speciem; secundum vero materiam partes fluunt et refluunt: nec propter hoc impeditur quin homo sit unus numero a principio vitae usque in finem. Cuius exemplum accipi potest ex igne, qui, dum continue ardet, unus numero dicitur, propter hoc quod species eius manet, licet ligna consumantur et de novo apponantur. Sic etiam est in humano corpore. Nam forma et species singularium partium eius continue manet per totam vitam: sed materia partium et resolvitur per actionem caloris naturalis, et de novo adgeneratur per alimentum. Non est igitur alius numero homo secundum diversas aetates, quamvis non quicquid materialiter est in homine secundum unum statum sit in eo secundum alium. Sic igitur non requiritur ad hoc quod resurgat homo numero idem, quod quicquid fuit materialiter in eo secundum totum tempus vitae suae resumatur: sed tantum ex eo quantum sufficit ad complementum debitae quantitatis; et praecipue illud resumendum videtur quod perfectius fuit sub forma et specie humanitatis consistens. – Si quid vero defuit ad complementum debitae quantitatis, vel quia aliquis praeventus est morte antequam natura ipsum ad perfectam quantitatem deduceret, vel quia forte aliquis mutilatus est membro; aliunde hoc divina supplebit potentia. Nec tamen hoc impediet resurgentis corporis unitatem: quia etiam opere naturae super id quod puer habet, aliquid additur aliunde, ut ad perfectam perveniat quantitatem, nec talis additio facit alium numero; idem enim numero est homo et puer et adultus.

Ex quo etiam patet quod nec resurrectionis fidem impedire potest etiam si aliqui carnibus humanis vescantur, ut *quinto* obiiciebatur. Non enim est necessarium, ut ostensum est*, quod quidquid fuit in homine materialiter, resurgat in eo: et iterum, si aliquid deest, suppleri potest per potentiam Dei. Caro igitur comesta resurget in eo in quo primo fuit anima rationali perfecta. In secundo vero, si non solis carnibus humanis est pastus sed et aliis cibis, resurgere poterit in eo tantum de alio quod ei materialiter advenit, quod erit necessarium ad debitam quantitatem corporis restaurandam. – Si vero solis humanis carnibus sit pastus, resurget in eo quod a generantibus traxit: et quod defuerit, supplebitur omnipotentia Creatoris. – Quod et si parentes ex solis humanis carnibus pasti fuerint, ut sic et eorum semen, quod est superfluum alimenti, ex carnibus alienis generatum sit: resurget quidem semen in eo qui est natus ex semine, loco cuius ei cuius carnes comestae sunt, supplebitur aliunde. – Hoc enim in resurrectione servabitur: quod si aliquid materialiter fuit in pluribus hominibus, resurget in eo ad cuius perfectionem magis pertinebat. Unde si fuit in uno ut radicale semen ex quo est generatus, in alio vero sicut superveniens nutrimentum, resurget in eo qui est generatus ex hoc sicut ex semine. Si vero in uno fuit ut pertinens ad perfectionem individui, in alio ut deputatum ad perfectionem speciei: resurget in eo ad quem pertinebat secundum perfectionem individui. Unde semen resurget in genito, et non in generante: et costa Adae resurget in Eva, non in Adam, in quo fuit sicut in naturae principio. Si autem secundum eundem perfectionis modum fuit in utroque, resurget in eo in quo primitus fuit.

Ad id vero quod *sexto* obiectum est, ex his quae dicta sunt iam patet solutio. Resurrectio enim quantum ad finem naturalis est, inquantum naturale est animae esse corpori unitam: sed principium eius activum non est naturale, sed sola virtute divina causatur.

Nec etiam negandum est omnium resurrectionem esse futuram, quamvis non omnes per fidem Christo adhaereant, nec eius mysteriis sint imbuti. Filius enim Dei propter hoc naturam humanam assumpsit ut eam repararet. Id igitur quod est defectus naturae, in omnibus reparabitur, unde omnes a morte redibunt ad vitam. Sed defectus personae non reparabitur nisi in illis qui Christo adhaeserunt: vel per proprium actum, credendo in ipsum; vel saltem per fidei sacramentum.

*Supra in resp. ad obi. 4.

1 unitatem] indignitatem E, dignitatem X. 9 refluunt] defluunt BY, effluunt E; *lac.* X. 12 dum] cum Pc. 13 licet] si G, sed X; *pro* consumantur, consumuntur GX; *pro* apponantur, apponuntur EGX. 18 adgeneratur] aliquid generatur DEGNXZ*b*. 19 igitur *Ita nos soli*; autem *omnes*. 20 aetates] partes et aetates P*d*. 24 numero *post* idem DEXYPc. fuit *post* materialiter (materiale N) DEGNX*b*. 33 aliquis] aliquo DEGNX*b*. 45 resurgat] surgat N, requiratur DEGX*b*.

1 rationali] rationalis αWYZPc. 2 solis] solum DEGNXYZ*b*. 4 in eo *om* αWYZPc. 9 Quod et si] quod si *b*sG, et quod si Z. 12 generatum sit] quantum sit E, sit sit G, sit X, sit. re quantum, D, tantum sit sE, generatum sit quantum sit sG. resurget] resurgat BCF; *pro* quidem, quoddam BY, *om* X. 14 cuius ei cuius] cuius HW, cuius fit (sit D) ei cuius DEGN. supplebitur] supplebatur αZ, supplebuntur W. 23 ut] nisi BFHY, *om* CW, autem ut P. 24 speciei *om* DEG, naturae *post* perfectionem X. in eo *om* DEGX. 35 non *om* GN. 40 sint] sunt αW. 44 personae *Ita* CDWX, perfecte *ceteri*. 45 vel *om* DEGNX*b*.

## Commentaria Ferrariensis

PRO responsione ad has obiectiones*, praemittit Sanctus Thomas quod Deus in institutione humanae naturae, corpori humano, supra id quod ei ex naturalibus principiis debebatur, incorruptibilitatem quandam tribuit, per quam convenienter suae formae cuius est vita perpetua coaptatur.

Praemittit secundo, quod talis incorruptibilitas, etsi quantum ad activum principium non esset naturalis, erat tamen quodammodo naturalis ex ordine ad finem: ut scilicet materia proportionaretur naturali formae, quae est finis materiae.

Praemittit tertio quod animae* praeter ordinem suae naturae aversae a Deo subtracta est talis dispositio, quae

* Cf. cap. praec.

* Cf. text. et var.

corpori eius divinitus indita erat, et secuta est mors. Ex quo sequitur quod mors est quasi per accidens superveniens homini per peccatum, considerata institutione humanae naturae.

Praemittit quarto, quod hoc accidens sublatum est per Christum, qui merito suae passionis *mortem moriendo destruxit.* Et ex hoc sequitur quod divina virtute, quae corpori incorruptionem dedit, iterato corpus de morte ad vitam reparetur.

II. Circa primum quod praemittitur, dubium occurrit. Nam oppositum eius dici videtur *Prima,* q. XCVII, a. 1. Ibi enim vult Sanctus Thomas quod primus homo non erat immortalis formaliter *per aliquem vigorem in eius corpore existentem,* sed effective tantum, *inquantum inerat animae vis quaedam supernaturaliter divinitus data, per quam poterat corpus ab omni corruptione praeservare, quandiu ipsa Deo subiecta mansisset.* Hic autem dicitur quod ipsi corpori inerat incorruptibilitas, tanquam dispositio per quam animae coaptabatur.

Responderi potest quod aliud est dicere corpus esse immortale et incorruptibile per aliquam qualitatem in eo existentem, habentem vigorem ipsum a corruptione praeservantem: et aliud dicere corpus habere in se aliquam dispositionem per quam aptum sit ab anima incorruptionem consequi. Primum enim pertinet ad formalem causam: secundum vero ad causam materialem, nam dispositio materiae ad formam ad genus causae materialis reducitur. Vult ergo Sanctus Thomas hoc loco Deum dedisse Adae dispositionem quandam ad hoc ut posset ab anima incorruptibilis servari, quam dispositionem incorruptibilitatem vocat: unde dicit ipsam datam corpori ut convenienter suae formae coaptaretur, et ut per animam posset perpetuo vivere. In *Prima Parte* autem negat corpus fuisse incorruptibile per formam sibi inhaerentem, dantem sibi formaliter incorruptibilitatem.

Advertendum tamen quod nec etiam animae inerat vis ut omnino posset corpus ab omni extrinseco nocivo praeservare: sed ut posset ab intrinseca corruptione prohibere, per cibi tamen sumptionem. A corruptione autem ab extrinseco proveniente fuisset praeservatum, partim quidem ex ratione praecavente nociva; partim vero ex divina providentia, ipsum sic tuente, *ut nihil ei ex improviso occurreret a quo laederetur,* ut dicitur *Prima Parte**; et *Verit.,* q. XXIV, a. 9.

* L. c. a. 2, ad 4.

2. Circa secundum quod praemittitur, attendendum quod *naturale ex principio activo* dicitur quod ab agente naturali producitur: *naturale vero ex ordine ad finem* dicitur quod convenit rei ut ad finem naturalem ordinatur. Quia ergo ista corporis incorruptibilitas sibi non conveniebat ex agente naturali; erat autem data ut esset proportionatum animae, ad quam sicut ad suum finem ordinatur: ideo bene dicitur quod non erat naturalis quantum ad principium activum, sed ex ordine ad finem. Additur autem *quodammodo:* quia simpliciter dispositio materiae non dicitur naturalis nisi quae ab agente naturali introducitur in materiam.

3. Circa tertium quod praemittitur, considerandum quod mors dupliciter comparari potest ad humanam naturam. Uno modo, ut secundum sua principia essentialia tantum consideratur: et sic mors non convenit homini per accidens, sed per se, saltem quantum ad possibilitatem moriendi; quia, cum corpus humanum sit ex contrariis compositum, de necessitate est corruptibile. Alio modo, secundum quod consideratur quantum ad omnia quae sibi in institutione collata fuerunt. Et sic accidentaliter advenit homini, inquantum contigit hominem per peccatum privari ea virtute quae ipsum incorruptibilem poterat conservare. Nam, stante natura in ea integritate et perfectione in qua fuerat instituta, non erat homo corruptibilis et mortalis, sed magis incorruptibilis et immortalis. Ideo bene hic dicitur quod mors quasi accidentaliter advenit homini per peccatum, *considerata naturae humanae institutione:* idest, non simpliciter advenit accidentaliter, sed secundum quod taliter natura est instituta.

4. Circa quartum quod praemittitur, attendendum quod, cum non subtrahatur mortalitas ab homine nisi per restitutionem immortalitatis, si per Christum virtute divina mortalitas est ablata, sequitur quod per ipsum sit immortalitas restituta: danda scilicet secundum divinae voluntatis dispositionem. Et sic sequitur quod divina virtus, quae corpori in institutione humanae naturae incorruptionem dedit, eadem iterato corpus ad vitam repararet et immortalitatem. Et hoc est quod Sanctus Thomas intendit.

III. Istis praemissis, *ad primam obiectionem** dicitur primo quod, quamvis operatione naturae fieri non possit ut corpus corruptum reparetur ad vitam, id tamen virtute divina fieri potest.

* Ex cap. praec. Cf. infra num. VI.

Dicitur secundo, quod natura hoc facere non potest ut corruptum idem numero reparetur, quia natura semper per aliquam formam operatur: quod autem corruptum est, formam amisit, quae poterat esse actionis principium. Sed virtus divina, quae res produxit in esse, sic per naturam operatur quod absque ea effectum naturae producere potest. Unde, cum virtus divina eadem maneat etiam rebus corruptis, potest corrupta in integrum reparare.

2. Circa rationem qua probatur virtute naturae non posse corruptum idem numero reparari, advertendum quod probat non posse per naturam ipsius corrupti rem corruptam reparari: non autem quod per naturam alterius naturaliter agentis reparari non possit. Sufficiebat enim hoc obiectioni, quae ex hoc procedere videtur, quod in nullo naturalium rerum videtur id quod corruptum est, idem numero redire in esse: tanquam videlicet sit in virtute ipsius redire ad esse, sicut is qui cecidit de scamno, propria virtute surgit.

Utrum autem aliquod agens naturale possit sua virtute idem numero quod corruptum est ad esse revocare, tenet Sanctus Thomas, *Quolib.* IV, q. III*, quod non: *quia agens naturale non potest huiusmodi corruptibilia sine motu producere in esse;* motus autem et actio interrupta non est una, sed plures. Ideo, si agens naturale reassumat actionem productivam alicuius, non reassumit eandem numero actionem: et consequenter non est idem numero productum; licet idem secundum speciem producere possit, si eadem materia adsit; quo modo intelligitur dictum Philosophi, VIII *Metaph.**, cum inquit quod, si agens fuerit idem et materia eadem, effectus erit idem.

* Art. 5.

* S. Th. l. IV. Potius dicitur: *Si et movens diversum et materia, tunc et factum.* - Didot l. VII, cap. IV, 4.

3. Non obstat autem rationi inductae quod inquit Scotus *Quarto,* d. XLIII, q. I*, quod scilicet plures motus locales ad eundem terminum possunt terminari; et in proposito quod resurrectio et naturalis propagatio ad idem numero terminantur, et tamen sunt actiones etiam specie differentes.

* Art. 1. L. c. p. 118 v a.

Dicitur enim primo quod, cum dicimur plures actiones ad idem numero terminari non posse, intelligimus de actionibus quarum termini per ipsas producuntur in esse: non autem per quas alicui terminus praeexistens acquiritur, sicut accidit in motu locali. – Quamvis etiam possit dici quod non acquiritur idem numero terminus intrinsecus per diversos motus locales, quia non acquiritur idem *ubi,* licet idem terminus extrinsecus, scilicet locus, acquiratur.

Dicitur secundo, quod illud etiam intelligitur de actionibus creaturarum: non autem de actionibus quarum una est actio creaturae, alia vero est actio divina, sicut sunt generatio rei et resurrectio. Quia enim divina actio omni actioni creaturae aequivalet, immo omnem excedit, non inconvenit ut per divinam actionem, absque actione creaturae, quae est cum motu, producatur idem numero quod per actionem creaturae fuerat productum, postquam per corruptionem esse desierit.

IV. Sed circa praedicta occurrit dubium, tactum a Scoto, loco praeallegato, qu. III*. Cum enim potentia ad formam semel productam remanserit in materia, destructa illa forma – cuius signum, quod faceret per se unum cum ea, si a Deo in ipsam induceretur – maneat etiam in materia eadem negatio quae praeerat rei generationi: non videtur quare non possit ab agente naturali idem numero reparari.

* Art. 1. Ed. c. p. 122 v a.

2. Ad huius evidentiam, considerandum est primo quod, cum potentialitas materiae ad formam nihil aliud sit quam ipsa materia cum habitudine ad formam in ipsam inducibilem per aliquod agens; secundum quod reducibilis est

ad actum formae ab agentibus diversarum rationum, ita et ipsa eius potentialitas diversificatur. Nam si ab agente naturali nata sit reduci ad actum formae, dicitur potentia naturalis: si autem ab agente tantum supernaturali, dicitur potentia obedientialis. Quia ergo materia, antequam reciperet formam de ipsa educibilem, poterat per agens naturale reduci in actum; postquam autem amisit formam, non potest amplius per agens naturale in actum reduci, eo quod eandem numero actionem tale agens resumere non possit, sed tantum per agens supernaturale, cuius operatio una numero semper manet: ideo potentia materiae antequam reciperet formam, erat potentia naturalis; amissa autem forma, est potentia tantum obedientialis. Et sic, licet sit eadem potentia materialiter ante et post, quia utraque est ipsa entitas materiae cum habitudine ad formam materialiter sumptam; non est tamen eadem formaliter, propter respectus diversarum rationum nomine potentiae importatos, respicientes formam ut inducibilem in materiam ab aliquo agente. – Videtur autem hoc esse de mente Sancti Thomae *Quarto*, d. XLIII*, a. 4, qu[a] 3, ubi tenet quod *in cineribus a quibus fiet resurrectio, nulla est naturalis inclinatio ad resurrectionem, sed solum ex ordine divinae providentiae statuentis illos cineres iterum animae coniungi debere.*

* Qu. unica.

Eodem modo dicitur de negatione formae: quod est alterius et alterius rationis ante receptionem formae in materia, et post amissionem formae. Nam prima est negatio formae educibilis de potentia materiae per agens naturale: secunda vero est negatio formae inducibilis in materiam per agens tantum supernaturale. Unde sicut tunc diversificatur formae ratio inquantum est inducibilis in materiam, licet sit eadem forma materialiter, ita et ratio negationis formaliter diversificatur.

3. Considerandum secundo, quod materia non respicit primo et per se formam individualem, sed formam specificam. Ideo, licet post amissionem formae individualis, non remaneat eadem potentiae ratio in ordine ad formam individualem, remanet tamen eadem in ordine ad formam specificam: quia licet non possit iterum accipere ab agente naturali eandem numero formam quam amisit, potest tamen similem secundum speciem recipere. Et sic potest dici quod simpliciter remanet eadem potentia materiae.

4. Dicitur ergo ad Scotum, primo, quod non manet eadem potentia formaliter in materia in ordine ad hanc formam numeralem, quod requiritur ad hoc ut iterum possit in materiam ab agente naturali induci: sed bene remanet eadem potentia materialiter, idest, ipsa materiae substantia. – Cum probatur, quia ex materia et forma fieret unum per se sicut prius: – dicitur quod hoc est propter unitatem materialem potentiae in ordine ad hanc formam materialiter sumptam; et propter unitatem formalem ipsius in ordine ad rationem specificam formae.

Dicitur secundo quod, si intelligat Scotus remanere eandem materiae potentiam ut respicit formam specificam: – illo admisso, negatur illa consequentia, *Ergo eadem numero forma quam materia amisit, potest per agens naturale recuperari.* Sed bene sequitur de eadem secundum speciem.

Dicitur tertio, quod non est eadem negatio formaliter ante et post: sed tantum materialiter, propter materialem unitatem subiecti, et propter materialem unitatem formae. – Nisi forte diceretur, sicut de unitate potentiae, quod est eadem etiam formaliter ut respicit formam specificam absolute. Sed tunc non sequitur quod materia cui inest talis negatio, eandem numero formam recipere possit: sed tantum quod eandem secundum speciem.

V. Circa id quod dicitur, *divinam virtutem posse corrupta in integrum revocare,* attendendum est ex doctrina Sancti Thomae in eodem *Quolibet.**, quod hoc intelligitur de rebus permanentibus, non autem de rebus successivis. Cum enim unitas rei successivae, puta temporis et motus, in sui ratione habeat durationis continuitatem, remota tali continuitate, non potest esse eadem, sive una numero. Ideo impossibile est ut idem numero tempus aut motus qui cessavit, reparetur. Sequeretur enim quod esset unus, et quod non esset unus: diceretur enim unus, ex eo quod ponitur idem numero reparari: non esset vero unus, quia non esset continuitas durationis, quae est de ratione unitatis numeralis motus et temporis.

* Scil. IV, a. 5.

2. Sed tunc occurrit dubium. Videtur enim Sanctus Thomas *Quarto,* d. XLIV, q. 1, a. 1, qu[a] 2, ad 3, dicere oppositum eius quod hic dicit. Nam ibi videtur velle quod idem permanens, puta anima sensitiva, si fuerit corruptum, reparari non potest.

Dist. etiam XII*, a. 2**; et *Tertia,* q. LXXVII, a. 5, tenet *id quod in nihilum redigitur, non posse redire idem numero.* – Hic autem dicit per divinam virtutem posse corrupta in integrum reparari.

* Qu. 1. ** Qu[a] 4.

3. Ad id quod primo loco adducitur, respondetur quod consideravit ibi Sanctus Thomas id quod philosophi dicerent ponentes eandem numero formam quae omnino desiit esse, iterum in esse redire non posse. Secundum enim hanc positionem, si ponamus animam sensitivam in homine esse aliam ab intellectiva, et consequenter per hominis corruptionem desinere esse, non poterit salvari identitas resurgentis: quia non redibit eadem anima sensitiva secundum numerum, sed tantum secundum speciem. Unde non ponit Sanctus Thomas illud de mente sua, sed tanquam de mente philosophorum supponit. Hic autem loquitur secundum veritatem, et secundum suam positionem.

4. Ad id vero quod secundo loco adducitur, potest dupliciter responderi. Primo, quod intendit rem annihilatam eandem numero redire non posse per actionem agentis naturalis: non autem non posse ipsam per divinam redire actionem. Patet haec expositio, quia adducit hanc propositionem contra illos qui dicebant in corruptione specierum Sacramenti, per actionem naturalis agentis facta, substantiam panis, aut secundum totum aut secundum partem, redire.

Secundo potest responderi quod non intendit rem annihilatam non posse eandem numero redire per divinam potentiam absolute: sed quod non potest redire secundum potentiam divinam sua sapientia regulatam. Et tunc *non posse* exponendum est pro *non decere.* Non enim decet Deum ut rem omnino annihilatam iterum ad esse reducat: nam, cum annihilatio ad hoc tendat ut res omnino non sit, superflue videretur Deus aliquid annihilare, si iterum illud vellet in esse restituere. Unde, quia determinavit hominem corruptum ad vitam revocare, non omnino ipsum annihilat, licet ipsum permittat corrumpi, sic eius natura exigente: sed partes essentiales, scilicet materiam et formam, etiam cum ab invicem sunt separatae, in esse conservat. Unde non dicit Sanctus Thomas in locis praeallegatis quod annihilatum non possit idem numero per divinam potentiam reparari: sed in *Quarto* ait quod redactum in nihilum *non potest iterum idem numero sumi;* in *Tertia* vero *Parte* quod redactum in nihilum *non redit idem numero;* quod sane intelligi convenienter potest ordine divinae sapientiae considerato.

Cetera quae ad hanc materiam pertinent, vide apud Capreolum, *Quarto,* d. XLIII, q. 1*.

* Per totum.

VI. *Ad secundam obiectionem** dicit primo** Sanctus Thomas quod nullum principiorum essentialium hominis per mortem omnino cedit in nihilum: sed manet anima rationalis et materia, sub eisdem dimensionibus ex quibus habebat ut esset individualis materia; ex quorum coniunctione unus numero homo reparabitur.

* Cf. nn. III et XII. ** Cf. num. VII.

2. Dicit secundo*, quod *corporeitas* dupliciter accipi potest. Uno modo, pro forma substantiali corporis, secundum quam in genere et specie substantiae collocatur, ex qua debetur rei corporali quod habeat tres dimensiones. Et haec in homine non est aliud quam anima rationalis, quae in sua materia requirit quod habeat tres dimensiones. Quia non sunt diversae formae substantiales in uno et eodem, per quarum unam collocetur in genere substantiae, per aliam in genere corporis vel animalis, et per aliam in specie hominis aut equi: quia si prima faceret substantiam, sequentes formae iam advenirent ei quod est hoc aliquid in actu, et consequenter essent formae accidentales. – Alio modo, pro forma accidentali: pro ipsis scilicet tribus di-

* Cf. num. VIII.

mensionibus, quae corporis rationem constituunt. Quamvis igitur haec corporeitas in nihilum cedat, corpore humano corrupto, non potest tamen impedire quin idem numero resurgat: eo quod corporeitas primo modo dicta non cedat in nihilum, sed eadem maneat.

* Cf. num. IX.

3. Dicit tertio *, quod forma mixti dupliciter accipi potest. Uno modo, pro forma substantiali corporis mixti. Et sic, cum non sit aliud in homine quam anima rationalis, non potest dici quod, homine moriente, cedat in nihilum. – Alio modo, pro qualitate quadam composita et contemperata ex mixtione simplicium qualitatum. Et sic, si cedat in nihilum, non praeiudicat unitati corporis resurgentis.

* Cf. num. X.

4. Dicit quarto*, quod similiter, si per partem sensitivam et nutritivam intelligantur ipsae potentiae, quae sunt proprietates naturales animae, vel magis compositi: – corrupto quidem corpore, corrumpuntur, sed per hoc non impeditur unitas resurgentis. – Si vero intelligatur ipsa substantia animae sensitivae et nutritivae: – utraque est eadem cum anima rationali.

* Cf. num. XI.

5. Dicit quinto*, quod *humanitas* non est intelligenda tanquam forma quaedam consurgens ex coniunctione formae ad materiam, quasi realiter sit alia ab utroque: quia tunc esset forma accidentalis. – Sed dicunt quidam formam partis eandem esse et formam totius: quae forma partis dicitur, inquantum materiam facit esse in actu; forma vero totius, inquantum complet speciei rationem. Et secundum haec patet quod non cedit in nihilum: quia non est aliud quam anima rationalis. – Hoc autem esse non potest. Quia, cum *humanitas* hominis sit quam significat definitio; rei autem materialis definitio significat formam et materiam: necesse est ut *humanitas* significet compositum ex materia et forma, sicut et *homo*. Differenter tamen. Quia *humanitas* significat principia omnia essentialia speciei cum praecisione principiorum individuantium, eo quod sit qua aliquis est homo: et ideo per modum partis significatur. *Homo* autem significat quidem principia essentialia speciei, sed non excludit principia individuantia, immo illa potentialiter includit: dicitur enim *homo* qui habet humanitatem, ex quo non excluditur quin alia habere possit. Ideo significatur per modum totius. *Sortes* vero significat utraque in actu, scilicet et essentialia principia, et individualia: sicut et genus habet differentiam potestate, species vero actu. Ex hoc patet quod homo redit idem numero in resurrectione, et humanitas eadem numero, propter animae rationalis permanentiam, et materiae unitatem.

Attendendum quod in ista responsione vult negare Sanctus Thomas quod aliquod principiorum essentialium hominis per eius mortem in nihilum redeat. Manet enim forma substantialis; manet materia; manet et ipsa humanitas quantum ad suas partes, licet in se non maneat, sed corrumpatur.

* Cf. num. VI.

VII. Circa primum* dictum responsionis, advertendum primo, quod Sanctus Thomas hoc loco sequitur opinionem Commentatoris* de dimensionibus interminatis: quod scilicet sint coeternae materiae; et ab ipsa inseparabiles; praecedantque formam in materia; et stent cum diversis formis. Cuius tamen oppositum tenet *Prima*, q. LXXVI, a. 6; et *de Anima**. Ratio autem tenendi hic Commentatoris opinionem est quia, cum adversus Gentes disputet, melius ea quae fidei sunt defenduntur, si ex concessis ab ipsis procedatur.

* *De subst. Orbis*, cap. 1. (Ed. Ven. 1573, f. 4, r a.)

* Scil. Quaest. Disp. Art. 9, in corp. et ad 17.

Advertendum secundo, quod per illud dictum non intendit Sanctus Thomas excludere quin, si etiam aliquod principiorum essentialium rei esset annihilatum, posset eadem res numero per divinam potentiam reparari: sed respondet tantum ad id quod obiectio pro fundamento assumit, scilicet quod multa principiorum essentialium hominis per mortem annihilantur; ostenditque assumptum illud falsum esse etiam secundum ipsorum philosophorum opinionem, supposita animae immortalitate.

* Cf. num. VI, 2

VIII. Circa secundum* dictum, considerandum quod, cum accidentia individuantia quae ad unitatem materialem rei materialis pertinent secundum ordinem causae formalis, formam substantialem sequantur ut eius effectus, licet secundum ordinem causae materialis intelligantur praecedere: si eadem forma remaneat, licet accidentia substantiae varientur, remanet tamen ipsa accidentium causa, et sic ipsa accidentia in sua causa remanere dicuntur; non obstatque quin eadem numero substantia possit reparari ab agente potente formam quae remansit iterum materiae reunire. Propterea bene hic dicitur quod, quamvis corporeitas quae est accidens in nihilum cedat; quia tamen remanet corporeitas quae est forma substantialis, non impeditur quin idem numero homo resurgat.

2. Sed occurrit dubium. Videtur enim quod in hoc secundo dicto dicitur contradicere ei quod dictum est in primo. Nam ibi dicitur quod materia remanet sub eisdem dimensionibus: hic vero dicitur quod corporeitas accidentalis, idest ipsae tres dimensiones, in nihilum per mortem hominis cedit.

Responderi ad hoc dupliciter potest. Primo, quod non loquitur Sanctus Thomas in hoc secundo dicto absolute, sed sub conditione: scilicet quod, si ponatur corporeitas haec in nihilum cedere, non impeditur propter hoc quin idem homo resurgat.

Secundo potest responderi quod, cum quantitas quae est in materia dupliciter considerari possit, scilicet ut est indifferens secundum naturam suam ad diversas terminationes, et ut est terminata termino convenienti huic homini ex sua forma substantiali: in primo dicto intelligit quod manent in materia dimensiones huius hominis ut considerantur interminatae huius formae termino; in secundo autem dicto intendit quod cedunt in nihilum quantum ad terminationem quam ex hac determinata forma habebant.

IX. Circa tertium* dictum, considerandum est quod formam mixtionis quae est qualitas, dupliciter possumus intelligere. Uno modo, quod sit quaedam qualitas simplex media inter qualitates elementorum, in qua virtualiter qualitates elementorum continentur; quae quidem qualitas differat a qualitatibus elementorum non sicut remissum ab intenso, sed specifice, sicut rubedo differt ab albedine et nigredine. Et sic tenet Hervaeus, in Tractatu *de Pluralitate Formarum**, elementa in mixto per huiusmodi qualitatem contineri.

* Cf. num. VI, 3.

* Apud Capreolum, l. c. infra. – Cf. etiam finem § 2, l. c. p. 83.

Alio modo, quod haec qualitas media virtualiter continens elementa sit composita ex partibus diversarum rationum, habeatque in se formaliter aliquid de calore, et aliquid de frigiditate, et sic de aliis qualitatibus, ita quod quandoque intendatur una eius pars et alia remittatur, et secundum hoc mixtum magis ad hoc elementum appropinquet vel ad illud. Et hanc viam sequitur Capreolus, in *Secundo*, d. XV*: videturque esse de mente Sancti Thomae in Tractatu *de Natura Materiae**. – Posset etiam idem haberi ex eo quod dicitur *Prima*, q. LXXVI, a. 4, ad 4, ubi dicitur quod *manent in mixto qualitates elementorum propriae, licet remisse, in quibus est virtus formarum elementarium;* et quod *huiusmodi qualitas est dispositio propria ad formam substantialem mixti.* Ex eo enim quod prius dicit in plurali manere *qualitates elementorum*, postmodum vero subiungit in singulari quod *huiusmodi qualitas* etc., dat intelligere formam mixtionis unam esse qualitatem, non unitate simplicitatis, sed unitate compositionis ex pluribus qualitatibus. – Potest etiam hoc haberi ex eo quod hic dicitur formam mixtionis esse *qualitatem compositam, et contemperatam ex mixtione simplicium qualitatum:* nam compositio non est nisi ex partibus.

* Qu. 1, a. 3, § 2. (Tom. IV, p. 78 sqq.).

* Cap. VIII. (Opusc. XXXII).

Ideo opinio Capreoli magis videtur ad mentem Sancti Thomae accedere: quamvis et opinio Hervaei sustentari possit. – De hoc etiam dictum est in secundo libro, cap. LVI*.

* Comm. n. II, 2.

X. Circa quartum* dictum, advertendum quod, licet potentiae sensitivae et vegetativae corrupto corpore corrumpantur secundum se, remanent tamen radicaliter in anima rationali separata, ut inquit Sanctus Thomas *Prima*, q. LXXVII, a. ult., quia anima rationalis virtualiter continet et animam sensitivam et animam vegetativam. Ideo, redeunte anima rationali ad corpus per resurrectionem, redeunt et ipsae.

* Cf. num. VI, 4.

XI. Circa quintum* dictum, advertendum quod forma totius et a qualibet parte per se sumpta distinguitur, et

* Cf. num. VI, 5.

ab omnibus partibus simul sumptis: sed aliter et aliter. Nam a qualibet parte per se sumpta distinguitur quia includit in sua ratione aliam partem: et sic addit aliquid reale supra ipsam, quod est pars totius. Ab omnibus vero partibus simul sumptis distinguitur, non quidem tanquam entitas a partibus ipsis praecisa, et ab ipsis omnino distincta, quemadmodum lapis distinguitur a ligno: sed tanquam ipsas partes includens; partes enim totius essentialis sunt de integritate essentiae, quae est forma totius. Unde inquit Sanctus Thomas quod *humanitas aliquod significat compositum ex materia et forma.* Et sic intelligitur cum dicitur hic, *non esse intelligendum quod humanitas sit quaedam forma consurgens ex coniunctione formae ad materiam quasi realiter alia ab utroque.* Non enim vult negare humanitatem realiter distingui a suis partibus absolute, cum in *Tertia Parte**; et III** et IV *Sent.****, expresse teneat ipsam a suis partibus realiter distingui: sed negat quod ab illis distinguantur per omnimodam praecisionem, veluti quaedam forma cuius sit actuare materiam, quemadmodum anima rationalis distinguitur a materia.

* Qu. VI, a. 5. Cf. Comm. Caiet.
** Dist. II, q. II, a. 1, qua 3.
*** Dist. XLIV, q. I, a. 1, qua 2, ad 2. Hic expressius de hac re s. Th. agit.

2. Sed tunc remanet dubium, quomodo humanitas a materia et forma coniunctis realiter distinguatur, et tamen illa essentialiter includat. Non videtur enim posse realiter ab illis distingui nisi aliquid reale addat. Quaeritur autem de illo reali addito quid sit. Si enim est aliqua entitas partialis a materia et forma distincta, tunc non sola materia et forma erunt partes essentiales eius, sed etiam illa entitas: et sic ex illis tribus componetur humanitas. – Si autem est ipsa entitas humanitatis secundum se sumpta, hoc non videtur posse esse. Quia aut humanitas quae seipsa distinguitur a materia et forma, materiam et formam includit, aut non. Si primum, hoc non potest esse. Tum quia quod includit materiam et formam, non potest esse illud quo, tanquam addito ad materiam et formam, aliquid ab illis realiter distinguitur; sicut, quia dicimus Sortem distingui realiter ab humanitate per aliquod realiter additum humanitati, scilicet per principia individuantia, ideo ipsa principia individuantia non includunt in sua substantia humanitatem, sed ab illa sunt secundum entitatem praecisa. – Si secundum, sic oportebit dicere humanitatem ipsam secundum praecisionem a materia et forma distingui. Cuius oppositum dictum est.

3. Ad huius rei evidentiam, considerandum est, quod difficultatem in hac re facit quia imaginamur totum a partibus unitis realiter distingui, tanquam dicens ipsas partes et aliquid aliud superaddens quod sit pars ipsius totius significati; ita quod totum in sua substantia illas partes includat et illud aliud superadditum, tanquam videlicet plura partialia ipsum totum integrantia, eo modo quo dicimus humanitatem a materia realiter distingui, quia includit illam et addit animam rationalem, ita quod utrumque ad essentiam humanitatis velut eius pars pertinet. Sed haec imaginatio longe abest a proposito. Non enim sic distinguitur humanitas a materia et forma tanquam aliquid addens supra materiam et formam quod sit eius pars, simul cum illis humanitatis entitatem constituens: sed tanquam includens materiam et formam veluti partes ipsam constituentes, et seipsam totam, idest perfectam, supra materiam et formam addens. Unde humanitas dicit et ipsam naturam tanquam totum, et materiam et formam tanquam partes naturam constituentes.

4. Ad dubium ergo dicitur quod humanitas addit aliquid reale supra partes. – Cum ulterius quaeritur: Quod est illud reale additum? Dicitur quod est *ipsa natura humanitatis quae dicitur totum,* non autem aliqua eius pars. – Cum vero quaeritur, utrum illas partes includat humanitas: – dicitur quod utique, cum sint eius partes essentiales, eas includit. – Ad improbationem, negatur assumptum. Stat enim quod aliquid includat materiam et formam tanquam partes: et tamen sit id quo ab illis realiter differt, non quidem tanquam parte, sed tanquam ipsa tota natura.

5. Circa id quod inquit Sanctus Thomas, *humanitatem significare sola principia essentialia,* advertendum quod intelligitur fieri exclusio ab aliis principiis quae dicuntur individualia principia: non autem ab omni alia entitate, quasi *humanitatis* nomen nihil aliud significet quam principia essentialia hominis. Dictum est enim quod humanitas non est ipsa principia essentialia, sed quod est aliquid ex illis compositum, et ab eis realiter distinctum.

Circa id quod dicitur, *genus habere differentiam potestate,* advertendum quod intelligitur de differentia constitutiva speciei. Illam enim genus in sua ratione non includit, sed potest per ipsam limitari et determinari ad speciem.

XII. *Ad tertiam obiectionem** dicitur quod falso innititur fundamento, scilicet quod esse hominis per mortem auferatur. Hoc enim falsum est. Quia esse hominis, cum sit esse animae rationalis, sicut et in aliis idem est esse materiae et formae; et illud non sit solum in concretione ad materiam, sicut esse aliarum formarum, cum absque participatione organi corporalis intelligat: manet ipso* corpore dissoluto, et, reparato corpore in resurrectione, ipsum idem esse reducitur quod remansit in anima.

* Cf. nn. VI et XIII.
* Cf. text. et var.

Advertendum quod illa propositio assumpta in obiectione, *Quod non est continuum, idem numero non est,* non habet veritatem de continuitate durationis in rebus permanentibus, ut ex superius* dictis patet. Sed ipsam non negat Sanctus Thomas, neque etiam affirmat, quia alia propositio quam negat, manifestius falsa est. Cum enim adversus Gentes disputet, illa dumtaxat negat quorum falsitas etiam ex concessis ab ipsis manifestius ostendi potest.

* Num. v.

XIII. *Ad quartam obiectionem** dicitur primo, quod non requiritur ad hoc ut resurgat idem homo numero, quod quicquid fuit materialiter in eo secundum tempus vitae suae resumatur: sed tantum ex eo quantum sufficit ad complementum debitae quantitatis. Quia etiam in corpore hominis quandiu vivit, non semper sunt eaedem partes secundum materiam, sed solum secundum speciem. Nec propter hoc impeditur quin sit unus numero a principio vitae usque ad finem. – Declaratur exemplo ignis: qui, cum* continue ardet, unus numero dicitur, licet ligna consumantur et continue apponantur. Quod autem non impedit unitatem secundum numerum in homine dum vivit continue, non potest unitatem resurgentis impedire.

* Cf. nn. XI et XIV.
* Cf. text. et var.

Dicitur secundo, quod praecipue illud resumendum videtur quod perfectius fuit sub forma et specie humanitatis consistens.

Dicitur tertio quod, si quid defuit ad complementum debitae quantitatis, aliunde hoc divina supplebit potentia. Nec hoc impediet resurgentis corporis unitatem: quia etiam opere naturae puero additur aliunde, absque praeiudicio unitatis eius, unde ad perfectam perveniat quantitatem.

2. Ad evidentiam huius responsionis, considerandum primo, ex Philosopho, I *de Gen.**, quod dupliciter accipi potest hominis pars, puta caro, os et huiusmodi: scilicet *secundum speciem;* et *secundum materiam.* Quae quidem distinctio non est accipienda sic ut quidam accipiunt*, quod per partem secundum speciem intelligatur *id quod primo humanam accipit speciem, sumiturque a generante;* per partem vero secundum materiam intelligatur *id quod ex alimento generatur:* sed est accipienda, ut exponit Sanctus Thomas, et ibidem, et *Prima,* q. CXIX, a. 1*, ad hunc sensum, quod eadem pars principalis, puta caro, dupliciter considerari potest: uno modo, *secundum id quod est formale in ipsa,* scilicet quantum ad naturam et dispositionem carnis absolute; et *secundum id quod est materiale,* scilicet secundum particulares carnis partes ex quibus integratur, quarum tamen quaelibet est caro. Pars ergo huiusmodi secundum speciem semper manet: nam semper manet natura et dispositio carnis, et nunquam, manente homine, per quamcumque actionem caloris naturalis efficitur quod in homine non sit caro. Pars vero secundum materiam non semper manet, quia per actionem caloris naturalis *continue consumitur et restauratur:* nam continue aliqua pars carnis deperditur, et loco eius ex alimento alia restauratur. Quod dicitur de carne, dicitur etiam de aliis partibus materialibus hominis. Propterea bene inquit Sanctus Thomas quod in corpore humano forma et species singularium partium manet, sed materia

* Cap. V, s. Th. lect. XV.
* Sc. Alexander, cf. s. Th. l. c. *de Gen.*
* Ad 2.

partium et resolvitur per actionem caloris naturalis et de novo adgeneratur per alimentum.

Considerandum secundo, ex Sancto Thoma loco praeallegato*; et II *Sent.*, d. xxx**, quod aliter dicendum esset si tota caro simul deperderetur, et ex alimento alia loco illius substitueretur; et aliter si non tota deperdatur simul, sed paulatim una pars illius post aliam deperdatur, et loco partis deperditae alia per nutritionem adiungatur. Quia in primo casu nullo modo remaneret eadem caro numero: in secundo vero remanet eadem, quia pars addita efficitur unum cum eo cui additur, et transit in praeexistens; et sic, non obstante tali innovatione partium materialium, remanet idem numero individuum, quia remanet eadem numero materia et eadem numero forma.

* Ad 5.
** Qu. II, a. 1, ad 4.

Considerandum tertio quod, licet dicatur manere idem numero individuum a principio vitae usque ad finem, non est tamen intelligendum hoc secundum omnimodam identitatem, quasi nulla sit variatio: implicat enim contradictionem quod aliquid sit omnibus modis idem, et tamen aliquid eius sit variatum. Sed potest dici quod manet unus et idem homo simpliciter a principio usque ad finem vitae, propter unitatem numeralem formae, et propter aliquam identitatem materiae: quia semper aliquid de priori materia manet. Est autem alius et alius secundum quid, propter continuam variationem partium materialium. – Eodem modo dicendum est de homine resurgente. Quia si per divinam potentiam corpori resurgentis suppleatur de aliquo quod sibi ad complementum perfectae quantitatis deficiebat, est idem numero homo simpliciter et absolute: sed secundum quid est alius, quia aliquam partem materiae habet quam prius non habebat.

3. Circa id quod dicitur, *ignem qui continue ardet, unum numero dici, licet ligna consumantur, et de novo apponantur,* attendendum, ex doctrina Sancti Thomae in II *de Anima**, quod hoc intelligendum est secundum exteriorem apparentiam, non autem secundum rei veritatem. Nam proprie loquendo ignis non nutritur: cum non sit animatus. Et ideo dum igni additur nova materia, illa non actuatur forma ignis praeexistentis, sed in ea alia nova forma generatur. Et sic non fit unus numero ignis, sed unus tantum per coacervationem plurium ignium. Sed tamen, quantum ad exteriorem sensum, videtur esse unus numero simpliciter, qui ex appositione lignorum nutriatur, sicut animata ex alimento addito nutriuntur.

* Lect. IX.

XIV. *Ad quintam obiectionem** dicitur primo, quod fidei resurrectionem non impedit etiam si aliqui carnibus humanis vescantur. Quia, ut dictum est, non est necessarium ut quicquid in homine materialiter fuit resurgatur in eo: et si aliquid deest, suppleri potest per divinam potentiam.

* Cf. num. XIII.

Dicitur secundo, quod caro comesta resurget in eo in quo primo fuit anima rationali perfecta. In secundo vero, si non solis humanis carnibus est pastus, resurgere poterit tantum de alio, quod ei materialiter advenit, quantum necessarium ei erit ad debitam corporis quantitatem restaurandam. – Si vero solis humanis carnibus sit pastus, resurget in eo id quod a parentibus traxit, et quod defuerit, supplebitur omnipotentia Creatoris. – Quod si etiam parentes solis carnibus humanis pasti fuerint, et sic semen eorum sit ex alienis carnibus generatum, resurget semen in eo qui natus est ex semine, et loco eius supplebitur aliunde ei cuius carnes comestae sunt.

Dicitur tertio quod, si aliquid materialiter in pluribus hominibus fuit, resurget in eo ad cuius perfectionem magis pertinebat. Unde si in uno fuit sicut radicale semen, idest, sicut semen ex quo genitus est; in alio vero sicut superveniens nutrimentum, resurget in eo, qui ex eo sicut ex semine est generatus. – Si vero in uno fuit ut pertinens ad perfectionem individui, in alio vero ut ad perfectionem speciei deputatum, resurget in eo ad quem pertinebat secundum perfectionem individui. Unde semen resurget in genito, et costa Adae in Eva. – Si autem secundum eundem perfectionis modum fuit in utroque, resurget in eo in quo primitus fuit.

De hac materia vide etiam apud Sanctum Thomam in *Quarto,* d. XLIV*.

* Qu. I, a. II, qua 4, ad 3, 4 et 5.

XV. *Ad sextam obiectionem** dicitur quod resurrectio naturalis est quantum ad finem, inquantum naturale est animae esse corpori unitam: non autem quantum ad principium activum.

* Cf. num. XIV.

Adverte quod naturalis dicitur esse resurrectio quantum ad finem, quia terminatur ad unionem animae et corporis, quae quidem unio est secundum naturalem animae inclinationem, et, absolute loquendo, nata est etiam ab agente naturali uniri corpori, ut superius* dicebatur: licet, facta hac suppositione quod sit per mortem separata a corpore, non possit iterum materiae virtute naturalis agentis uniri. Propter quod dicitur resurrectio supernaturalis esse ex parte agentis.

* Num. IV, 2.

XVI. *Ad ultimam obiectionem** dicitur quod, quia Filius propter hoc naturam humanam assumpsit ut eam repararet, ideo quod est defectus naturae in omnibus reparabitur: et sic omnes a morte redibunt ad vitam. Sed defectus personae non reparabitur nisi in his qui Christo adhaeserunt, vel credendo in ipsum, vel per fidei sacramentum.

* Cf. num. XV.

Ex iis vult negare Sanctus Thomas illam consequentiam: *Per Christum liberamur a culpa, et a morte, qui est effectus peccati: Ergo illi soli sunt a morte liberandi per resurrectionem qui fuerunt participes mysteriorum Dei quibus liberentur a culpa.*

2. Sed circa hanc responsionem duplex occurrit dubium. Unum est, quia consequentia quae negatur, non videtur bene negari. Nam si mors est effectus peccati, non videtur esse liberandus a morte nisi qui a culpa liberatur: cum effectus non videatur removendus nisi removeatur causa ad quam necessario consequitur. Si ergo per Christum homo liberatur a morte, ille solus videtur liberandus qui etiam liberatur a culpa.

Alterum est, quia non videtur verum quod defectus naturae in omnibus reparabitur. Quia multi cum originali peccato decedunt, a quo nunquam liberabuntur. Cuius signum est quod in perpetuum divina visione privabuntur.

3. Ad primum dicitur, ex doctrina Sancti Thomae *Quarto,* d. XLIII, q. I, a. 1, qua 2, ad 4, quod poena peccati originalis est mori aliquando, non autem morte in perpetuum detineri. Ideo qui moriuntur in peccato originali, moriendo exsolverunt poenam illi peccato debitam. Possunt tamen resurgere non obstante culpa originali, propter conformitatem ad Christum in naturalibus. Unde argumentum supponit falsum: scilicet quod perpetua detentio a morte sit effectus culpae originalis eam necessario concomitans.

Ad secundum dicitur quod, ut patet capite sequenti, propositio Sancti Thomae intelligitur de defectu naturae habente rationem poenae concomitantis peccatum, non autem de defectu habente rationem culpae, cuiusmodi est originale peccatum, quod est peccatum et naturae et personae, inquantum est pars naturae. Sic enim aliquo modo est volitum a persona et homine singulari, ut superius* dicebatur. Unde ratio nulla est.

* Cap. LII, Comm. num. II-V.

# CAPITULUM OCTOGESIMUM SECUNDUM

## QUOD HOMINES RESURGENT IMMORTALES.

Ex quo etiam patet quod in futura resurrectione homines non sic resurgent ut sint iterum morituri.

Necessitas enim moriendi est defectus in naturam humanam ex peccato proveniens. Christus autem, merito suae passionis, naturae defectus reparavit qui in ipsam ex peccato provenerunt. Ut enim dicit Apostolus *Rom.* v[15]: *Non sicut delictum, ita et donum. Si enim unius delicto multi mortui sunt, multo magis gratia Dei, in gratia unius hominis Iesu Christi in plures abundavit.* Ex quo habetur quod efficacius est meritum Christi ad tollendum mortem, quam peccatum Adae ad inducendum. Illi igitur qui per meritum Christi resurgent a morte liberati, mortem ulterius non patientur.

Praeterea. Illud quod in perpetuum duraturum est, non est destructum. Si igitur homines resurgentes adhuc iterum morientur, ut sic mors in perpetuum duret, nullo modo mors per mortem Christi destructa est. Est autem destructa: nunc quidem in causa, quod Dominus per Osee praedixerat dicens: *Ero mors tua, o mors, Oseae* XIII[14]; ultimo autem destruetur in actu, secundum illud: *Novissime inimica destruetur mors,* I *Cor.* XV[26]. Est igitur secundum fidem Ecclesiae hoc tenendum, quod resurgentes non iterum morientur.

Adhuc. Effectus similatur suae causae. Resurrectio autem Christi causa est futurae resurrectionis, ut dictum est*. Sic autem resurrexit Christus ut non ulterius moreretur, secundum illud *Rom.* VI[9]: *Christus resurgens ex mortuis iam non moritur.* Homines igitur sic resurgent ut ulterius non moriantur.

* Cap. LXXIX, *Effectum autem.*

Amplius. Si homines resurgentes iterum moriantur, aut iterum ab illa morte iterato resurgent, aut non. Si non resurgent, remanebunt perpetuo animae separatae, quod est inconveniens, ut supra dictum est*, ad quod evitandum ponuntur primo resurgere: vel, si post secundam mortem non resurgant, nulla erit ratio quare post primam resurgant. – Si autem post secundam mortem iterato resurgent, aut resurgent iterum morituri, aut non. Si non iterum morituri, eadem ratione hoc erit ponendum in prima resurrectione. Si vero iterum morituri, procedet in infinitum alternatio mortis et vitae in eodem subiecto. Quod videtur inconveniens. Oportet enim quod intentio Dei ad aliquid determinatum feratur: ipsa autem mortis et vitae alternatio successiva est quasi quaedam transmutatio, quae finis esse non potest; est enim contra rationem motus quod sit finis, cum omnis motus in aliud tendat.

* L. c. *Ad ostendendum.*

Praeterea. Intentio inferioris naturae in agendo ad perpetuitatem fertur. Omnis enim naturae inferioris actio ad generationem ordinatur, cuius quidem finis est ut conservetur esse perpetuum speciei: unde natura non intendit hoc individuum sicut ultimum finem, sed speciei conservationem in ipso. Et hoc habet natura inquantum agit in virtute Dei, quae est prima radix perpetuitatis. Unde etiam finis generationis esse ponitur a Philosopho*, ut generata participent esse divinum secundum perpetuitatem. Multo igitur magis actio ipsius Dei ad aliquid perpetuum tendit. Resurrectio autem non ordinatur ad perpetuitatem speciei: haec enim per generationem poterat conservari. Oportet igitur quod ordinetur ad perpetuitatem individui. Non autem secundum animam tantum: hoc enim iam anima habebat ante resurrectionem. Ergo secundum compositum. Homo igitur resurgens perpetuo vivet.

* II *De Gen. et Corr.*, cap. x, 7. – Cf. Comm. lect. x, 7. Ed. Leon. p. LV.

Adhuc. Anima et corpus diverso ordine comparari videntur secundum primam hominis generationem, et secundum resurrectionem eiusdem. Nam secundum generationem primam, creatio animae sequitur generationem corporis: praeparata enim materia corporali per virtutem decisi seminis, Deus animam creando infundit. In resurrectione autem corpus animae praeexistenti coaptatur. Prima autem vita, quam homo per generationem adipiscitur, sequitur conditionem corruptibilis corporis in hoc quod per mortem privatur. Vita igitur quam homo resurgendo adipiscitur, erit perpetua, secundum conditionem incorruptibilis animae.

Item. Si in infinitum succedant sibi in eodem vita et mors, ipsa alternatio vitae et mortis habebit speciem circulationis cuiusdam. Omnis autem circulatio in rebus generabilibus et corruptibilibus a prima circulatione incorruptibilium corporum causatur: nam prima circulatio in motu

---

1 patet] apparet DEGNX*b*. 7 ipsam] ipsum CEFGXP*c*. 9 Non] Nam EGNXY. 12 abundavit *om* DEGNX*b*. 13 tollendum] tollendam EGX. 14 inducendum] inducendam GN*b*, introducendam DEX. 18 est *pr. loco ante* in perpetuum HWP*c*. 19 morientur] morerentur DZ, morirentur YsG, moriretur N, moreretur sN, morituri *b*, *rasa* pG. 21 est autem destructa: nunc quidem *Ita* P *et mutato* quidem nunc *cd;* est destructa (destructa est C) quidem nunc αWZ *et praefixo* sed Y, est quidem destructa ut DE*b*, est autem destructa ut G, est autem nunc destructa ut X, et quidem destructa nunc N. 30 autem *om* αW, sed *ante* resurrectio Y. 37 iterato *om* E, iterata W. 38 si non] si iterato EGN, si non iterato DX. 41 ponuntur primo *Ita* XsEG; ponantur primo DEGN, ponuntur post *ceteri.* 42 resurgant] resurgent DEGNX*b*. 43 resurgant] resurgent DEGNX*b*. 46 in] et in BCNYZsG*b*P*c*, ut G. 47 procedet] hoc *addunt* αWYZ 2 Oportet] Oportuit αWYZ*cd*. 3 Dei] suscitantis *addunt* P*d*. 7 aliud] alium D. 16 quae] qui DEGN*b*. 25 anima *om* BCHWYZ, *ante* iam D. 30 secundum resurrectionem] resurrectionem P*c*, secundum resurrectionis BE. 35 coaptatur] coaptetur FH*b*, coaptaretur B, coaptabitur GP*c*, comparatur Z. 38 privatur] vita *addunt* P*c*; Y *legit*: privatur vita quam ... et erit *etc.* 39 adipiscitur] adipiscetur DEGNX*b*. 40 incorruptibilis] incorporalis EGX. 42 succedant] succedatur BFHZ. in eodem vita et mors] in eadem vita et mors Z, in eodem vita tangitur E*b*, in eodem vita et mors tangitur NsG, in eadem vita DGX; (*b interpungit:* in eodem vita, tangitur ipsa alteratio vitae, et mortis habebit *etc.*).

locali invenitur, et secundum eius similitudinem ad motus alios derivatur. Causabitur igitur alternatio mortis et vitae a corpore caelesti. Quod esse non potest: quia reparatio corporis mortui ad vitam facultatem actionis naturae excedit. Non igitur est ponenda huiusmodi alternatio vitae et mortis: nec per consequens, quod resurgentia corpora moriantur.

Amplius. Quaecumque succedunt sibi in eodem subiecto, habent determinatam mensuram suae durationis secundum tempus. Omnia autem huiusmodi subiecta sunt motui caeli, quem tempus consequitur. Anima autem separata non est subiecta motui caeli: quia excedit totam naturam corporalem. Alternatio igitur separationis eius et unionis ad corpus non subiacet motui caeli. Non igitur est talis circulatio in alternatione mortis et vitae, qualis sequitur si resurgentes iterum moriantur. Resurgent igitur de cetero non morituri.

Hinc est quod dicitur *Isaiae* XXV[8]: *Praecipitabit Dominus mortem in sempiternum;* et *Apoc.* XXI[4]: *Mors ultra non erit.*

Per hoc autem excluditur error quorundam antiquorum Gentilium, qui credebant *eadem temporum temporaliumque rerum volumina repeti, verbi gratia: sicut in isto saeculo Plato Philosophus in urbe Atheniensi, et in eadem schola, quae Academica dicta est, discipulos docuit, ita per innumerabilia retro saecula, multis quidem prolixis intervallis, sed tamen certis, et idem Plato, et eadem civitas, et eadem schola, iidemque discipuli repetiti, et per innumerabilia demum saecula repetendi sunt,* ut Augustinus introducit in XII *de Civ. Dei**. Ad quod, ut ipse ibidem dicit, quidam referre volunt illud quod dicitur Eccle. I[9,10]: *Quid est quod fuit? Ipsum quod futurum est. Quid est quod factum est? Ipsum quod faciendum est. Nihil sub sole novum, nec valet quisquam dicere, Ecce hoc recens est: iam enim praecessit in saeculis quae fuerunt ante nos.* Quod quidem non sic intelligendum est quod eadem numero per generationes varias repetantur, sed similia specie: ut Augustinus ibidem solvit. Et Aristoteles, in fine *de Generatione**, hoc ipsum docuit, contra praedictam sectam loquens.

* Cap. XIII. (P. L. Tom. XLI, 361).

* Lib. II, cap. XI fin.

2 alios] aliquos EGX. 6 est ponenda] imponenda est EX, ponenda est D. 13 autem *om* αWYZ. 2 temporum temporaliumque] tempora temporaliumque CEZ, tempora temporalium (rerum volumine XY) DXY, tempora quasi W, reparari temporalium (rerum *et* repeti *om*) G. 4 verbi] ut verbi CN*b*. 6 Academica] Academia X, achademista D, archadenista EN, archademista GsE. 7 prolixis] et prolixis *b*. 9 iidemque *Ita* XsGP; idemque CDEGN*cd*, et idemque BF, et idem HWZ, et iidem Y. 10 repetiti] repeti DEX. 16 Nihil] est *addunt* DEX. 17 Ecce *om* DEX; *pro* hoc recens est, hic re est BH, hic deest F; hic *etiam* GpZ*b*, h N. 20 repetantur] reputantur EG.

## Commentaria Ferrariensis

* Cf. cap. LXXIX, Comm. init.

Postquam ostendit Sanctus Thomas corporum resurrectionem esse futuram, consequenter de qualitate resurgentium determinat*. Circa hoc autem duo facit: primo, ostendit qualitatem hominum resurgentium; secundo, qualitatem partium ipsorum, cap. LXXXIV.

Circa primum duo facit: primo, ostendit propositum; secundo, infert quoddam corollarium, capite sequenti.

* Erronee; dicendum potius: *unam conclusionem. Quae est.*

I. Quantum ad primum, ponit tres conclusiones. Prima* est in hoc capite, et est quod *Homines in futura resurrectione non resurgent iterum morituri, sed immortales.* Ex qua unum corollarium in sequenti capite infert.

*Arguitur autem primo sic ad conclusionem.* Necessitas moriendi est defectus in humanam naturam ex peccato proveniens. Sed huiusmodi defectus Christus merito suae passionis reparavit. Ergo qui per meritum Christi resurgent a morte liberati, mortem ulterius non patientur. – Probatur minor auctoritate Apostoli, *Rom.* V, volentis quod efficacius est meritum Christi ad tollendum mortem, quam peccatum Adae ad inducendum.

*Secundo.* Si homines resurgentes iterum moriuntur, ut sic mors in perpetuum duret, non est mors per mortem Christi destructa: quia quod est in perpetuum duraturum, non est destructum. Sed hoc est falsum: quia nunc est destructa in causa, id quod Dominus, *Oseae* XIII, praedixerat; ultimo autem destruetur in actu, secundum illud I *ad Cor.* XV, *Novissime* etc. Ergo etc.

*Tertio.* Christus resurrexit non iterum moriturus: ut dicitur *ad Rom.* VI. Ergo etc. – Probatur consequentia. Quia resurrectio Christi est causa nostrae resurrectionis. Effectus autem suae causae assimilatur.

Advertendum quod ista ratio procedere videtur ex causalitate causae exemplaris, non autem causae efficientis.

* Cap. LXXIX, Comm. n. 1, 3.

Nam, ut dictum est superius*, resurrectio Christi est causa instrumentalis resurrectionis nostrae in genere causae efficientis. Effectum autem non oportet assimilari instrumento. Ideo non videtur sequi ex hac causalitate quod nostra resurrectio assimiletur resurrectioni Christi. Sed quia non solum est causa efficiens, sed etiam exemplaris; et effectum oportet suo exemplari assimilari: ideo bene sequitur quod nostra resurrectio, ex ista causalitate, resurrectioni Christi assimiletur.

*Quarto.* Si resurgentes iterum moriantur, aut iterum ab illa morte resurgent, aut non. Si secundum, remanebunt animae perpetuo separatae, quod est inconveniens, ut supra* dictum est. – Si primum, aut resurgent iterum morituri: aut non. Si secundum, eadem ratione hoc ponendum erit et* in prima resurrectione. Si secundum, procedet in infinitum alternatio mortis et vitae in eodem subiecto. Hoc autem est inconveniens: quia oportet intentionem Dei resuscitantis* ad aliquid determinatum ferri; haec autem successiva alternatio mortis et vitae finis esse non potest, cum sit quaedam transmutatio, quae in aliud tendit. Ergo etc.

* L. c. num. II, 2.

* Cf. text. et var.

* Cf. text. et var.

Advertendum quod non est intentio Sancti Thomae Deum non posse intendere alternationem perpetuam successivam: sic enim oporteret dicere motum caeli non posse esse perpetuum etiam divina virtute; quod non est secundum mentem Sancti Thomae. Sed vult quod non potest intendi huiusmodi perpetua alternatio tanquam finis ultimo intentus, quia, cum motus tendat ad inducendum terminum motus, non habet rationem finis, sed magis eius quod ordinatur ad finem. Et ideo oportet dicere quod intentio Dei resuscitantis homines aliquid aliud intendat tanquam finem operis sui, non autem ipsam alternationem perpetuam mortis et vitae. Quod cum non appareat quod sit per huiusmodi alternationem acquirendum, et sic videatur inutiliter futura, relinquitur non esse dicendum futuram esse huiusmodi alternationem perpetuam, sed magis hominem resurrecturum ita ut non sit amplius moriturus.

*Quinto.* Intentio inferioris naturae in agendo ad perpetuitatem fertur. Ergo multo magis actio ipsius Dei. Sed resurrectio non ordinatur ad perpetuitatem speciei: cum hanc oporteat per generationem conservari. Ergo ordinatur ad perpetuitatem individui. Non autem secundum animam

tantum: quia iam anima hanc habebat. Ergo secundum compositum. Ergo etc. – Probatur antecedens. Quia omnis naturae inferioris actio ordinatur ad generationem, cuius finis est, ut conservetur esse perpetuum speciei. – Prima vero consequentia probatur. Quia natura hoc agit in virtute Dei, quae est prima radix perpetuitatis. Propter quod a Philosopho finis generationis esse ponitur* ut generata participent esse divinum secundum perpetuitatem.

* L. c. in text.

Advertendum quod haec ratio procedit ex comparatione actionis divinae qua aliquod de genere generabilium immediate a Deo producitur in esse, ad actionem naturae, qua individuum eiusdem naturae per generationem producitur.

II. Sed occurrit dubium. Videtur enim quod Adam in sui prima productione debuit immortalis produci etiam secundum sui naturam, et non solum per donum gratuitum; et similiter quod omnia animalia a Deo immediate producta debuerint esse perpetua secundum individuum; si ratio hic assignata tenet. Nam ista sunt a Deo immediate producta, sicut homines a Deo immediate resuscitantur. Si ergo, quia actione divina quae tendit ad aliquod perpetuum homines resurgent, oportet individuum hominis resurgentis esse perpetuum; eadem ratione, et ea quae dicta sunt oportuit perpetua esse. Cuius oppositum constat esse verum.

Respondetur quod alia ratio est de suscitatione hominis post mortem, et alia de creatione Adam et aliorum animalium. Nam suscitatio hominis non ordinatur ad hoc ut fiat hominum multiplicatio per generationem, qua esse perpetuum speciei intenditur: sed ad hoc ut ipse homo qui mortuus fuerat, habeat iterum esse. Ideo non intenditur esse perpetuum speciei tantum per huiusmodi actionem, sed etiam esse perpetuum individui. Creatio autem hominis et ceterorum animalium fuit ad hoc ut per generationem multiplicarentur in esse. Ideo talis actio ordinabatur ad esse perpetuum, non individui, sed speciei: non quidem simpliciter, sed quousque status generationis permaneret.

III. *Sexto.* Prima vita quam homo per generationem adipiscitur sequitur ordinationem corruptibilis corporis in hoc quod per mortem privatur vita. Ergo et secunda vita erit perpetua, secundum conditionem incorruptibilis animae. – Consequentia declaratur. Quia sicut secundum primam generationem creatio animae sequitur corporis generationem, ita e contrario in resurrectione corpus animae praeexistenti coaptabitur.

*Septimo.* Si in infinitum succedant sibi in eodem vita et mors, ipsa alternatio mortis et vitae habebit speciem circulationis cuiusdam. Ergo causabitur a corpore caelesti. Hoc autem esse non potest: quia reparatio corporis mortui ad vitam facultatem actionis naturae excedit. Ergo non est ponenda huiusmodi alternatio. Ergo etc. – Probatur prima consequentia. Quia omnis circulatio in rebus generabilibus et corruptibilibus a prima circulatione corporum incorruptibilium causatur.

Adverte quod ista ratio procedit secundum considerationem ordinis in rebus creatis inventi, qui habet ut omnis mutatio a motu locali orbium caelestium dependeat: non autem secundum considerationem divinae potentiae. Nam posset divina potentia dictam alternationem mortis et vitae causare, nulla interveniente causalitate corporum caelestium.

IV. *Octavo.* Anima separata non est subiecta motui caeli: cum excedat totam naturam corporalem. Ergo alternatio separationis eius et unionis ad corpus non subiacet motui caeli. Ergo non est talis circulatio qualis sequitur si resurgentes iterum moriantur. Ergo etc. – Probatur prima consequentia. Quia quaecumque succedunt sibi in eodem subiecto, habent determinatam mensuram suae durationis secundum tempus. Omnia autem huiusmodi subiecta sunt motui caeli, quem tempus consequitur.

Advertendum primo, quod aliter comparatur anima ad motum caeli et ad tempus dum est coniuncta corpori, et aliter dum est separata. Nam dum est coniuncta, subditur per accidens motui huiusmodi et quantum ad esse, et quantum ad operari. Quantum ad esse quidem, ut est de mente Sancti Thomae *Pot.*, q. III, a. 10, ad 8, non simpliciter, sed ut ipsum corpori communicat, quod est subiectum variationi et tempori; et ideo potest a corpore per huiusmodi motum separari. Quantum vero ad operari: quia indiget in sua operatione viribus sensitivis, quae organis corporeis sunt affixae, et idcirco variationi et tempori sunt subiectae. Separata autem a corpore, nullo modo subditur motui coeli: quia nec esse suum tunc alicui rei variabili communicatur, nec in sua operatione utitur sensuum ministerio. Ideo non dicit absolute Sanctus Thomas quod anima non subdatur motui coeli: sed quod anima separata huic motui non subditur, ut virtute illius iterum possit corpori reuniri.

Advertendum secundo, quod ea quae sibi in eodem subiecto succedunt, sunt de numero variabilium. Variabilia autem habent determinatum periodum suae durationis. Ideo bene hic dicitur quod quaecumque succedunt sibi in eodem subiecto, habent determinatam mensuram suae durationis secundum tempus.

Confirmatur conclusio auctoritate *Isaiae* XXV, et *Apocalypsis* XXI.

V. Per hoc excluditur error quorundam Gentilium, adductus ab Augustino, XII *de Civ. Dei*, credentium eadem temporum temporaliumque rerum volumina repeti etc. Ad quod, teste ipso Augustino, quidam referri volunt illud Eccle. I, *Quid est quod fuit* etc. – Sed dicitur quod illud non est sic intelligendum quasi eadem numero per generationes varias repetantur, sed eadem secundum speciem: ut Augustinus ibidem solvit; et docet Aristoteles in fine libri *de Generatione*.

# CAPITULUM OCTOGESIMUM TERTIUM

## QUOD IN RESURGENTIBUS NON ERIT USUS CIBORUM NEQUE VENEREORUM.

Ex praemissis autem ostenditur quod apud homines resurgentes non erit venereorum et ciborum usus.

Remota enim vita corruptibili, necesse est removeri ea quae corruptibili vitae deserviunt. Manifestum est autem quod ciborum usus corruptibili vitae deservit: ad hoc enim cibos assumimus ut corruptio quae posset accidere ex consumptione naturalis humidi, evitetur. Est etiam in praesenti ciborum usus necessarius ad augmentum: quod post resurrectionem in hominibus non erit, quia omnes in debita quantitate resurgent, ut ex dictis* patet. – Similiter commixtio maris et feminae corruptibili vitae deservit.

* Cap. LXXXI, *Quod etiam quarto.*

4 corruptibili] corporali DEG*b*. 5 corruptibili] concupiscibili DEG, concupiscibilibus X. 6 Manifestum . . . 7 deservit *om* DEXY, *pro* deservit, deserviunt GN.
5 omnes] homines P*d*.

ordinatur enim ad generationem per quam quod perpetuo conservari non potest secundum individuum, in specie conservatur. Ostensum est* autem quod resurgentium vita incorruptibilis erit. Non igitur in resurgentibus erit ciborum neque venereorum usus.

* Cap. praec.

Adhuc. Vita resurgentium non minus ordinata erit quam praesens vita, sed magis: quia ad illam homo perveniet solo Deo agente; hanc autem consequitur cooperante natura. Sed in hac vita ciborum usus ordinatur ad aliquem finem: ad hoc enim cibus assumitur ut per digestionem convertatur in corpus. Si igitur tunc erit ciborum usus, oportebit quod ad hoc sit quod convertatur in corpus. Cum ergo a corpore nihil resolvatur, eo quod corpus erit incorruptibile; oportebit dicere quod totum quod convertitur ex alimento, transeat in augmentum. Resurget autem homo in debita quantitate, ut supra* dictum est. Ergo perveniet ad immoderatam quantitatem: immoderata est enim quantitas quae debitam quantitatem excedit.

* Cap. LXXXI, l. c.

Amplius. Homo resurgens in perpetuum vivet. Aut igitur semper cibo utetur: aut non semper, sed per aliquod determinatum tempus. Si autem semper cibo utetur, cum cibus in corpus conversus a quo nihil resolvitur necesse sit quod augmentum faciat secundum aliquam dimensionem, oportebit dicere quod corpus hominis resurgentis in infinitum augeatur. Quod non potest esse: quia augmentum est motus naturalis; intentio autem virtutis naturalis moventis nunquam est ad infinitum, sed semper est ad aliquid certum; quia, ut dicitur in II *de Anima**, *omnium natura constantium terminus est et magnitudinis et augmenti.* – Si autem non semper cibo utetur homo resurgens, semper autem vivet, erit aliquod tempus dare in quo cibo non utetur. Quare hoc a principio faciendum est. Non igitur homo resurgens cibo utetur.

* Cap. IV, 8; s. Th. lect. VIII.

Si autem non utetur cibo, sequitur quod neque venereorum usum habebit, ad quem requiritur decisio seminis. A corpore autem resurgentis semen decidi non poterit. Neque ex substantia eius. Tum quia hoc est contra rationem seminis: esset enim semen ut corruptum et a natura recedens; et sic non posset esse naturalis actionis principium, ut patet per Philosophum in libro *de Generatione Animalium**. Tum etiam quia a substantia illorum corporum incorruptibilium existentium nihil resolvi poterit. – Neque etiam semen esse poterit superfluum alimenti, si resurgentes cibis non utantur, ut ostensum est*. Non igitur in resurgentibus erit venereorum usus.

* Liber I, cap. XVIII (725 a 2).

* Paulo ante.

Item. Venereorum usus ad generationem ordinatur. Si igitur post resurrectionem erit venereorum usus, nisi sit frustra, sequitur quod tunc etiam erit hominum generatio, sicut et nunc. Multi igitur homines erunt post resurrectionem qui ante resurrectionem non fuerunt. Frustra igitur tantum differtur resurrectio mortuorum, ut omnes simul vitam accipiant qui eandem habent naturam.

Amplius. Si post resurrectionem erit hominum generatio, aut igitur illi qui generabuntur iterum corrumpentur: aut incorruptibiles erunt et immortales. Si autem erunt incorruptibiles et immortales multa inconvenientia sequuntur. Primo quidem, oportebit ponere quod illi homines sine peccato nascantur originali, cum necessitas moriendi sit poena consequens peccatum originale: quod est contra Apostolum dicentem *Rom.* v[12], quod *per unum hominem peccatum in omnes homines pervenit et mors.* Deinde sequitur quod non omnes indigeant redemptione quae est a Christo, si aliqui sine peccato originali et necessitate moriendi nascantur: et sic Christus non erit omnium hominum caput, quod est contra sententiam Apostoli dicentis I *Cor.* xv[22], quod *sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur.* Sequitur etiam et aliud inconveniens, ut quorum est similis generatio, non sit similis generationis terminus: homines enim per generationem quae est ex semine nunc quidem consequuntur corruptibilem vitam; tunc autem immortalem. – Si autem homines qui tunc nascentur, corruptibiles erunt et morientur: si iterato non resurgunt, sequetur quod eorum animae perpetuo remanebunt a corporibus separatae; quod est inconveniens, cum sint eiusdem speciei cum animabus hominum resurgentium. Si autem et ipsi resurgent, debuit et eorum resurrectio ab aliis expectari, ut simul omnibus qui unam naturam participant, beneficium conferatur resurrectionis, quod ad naturae reparationem pertinet, ut ex dictis* patet. Et praeterea non videtur esse aliqua ratio quare aliqui expectentur ad simul resurgendum, si non omnes expectantur.

* Cap. LXXXI, in fine, *Nec etiam.*

Adhuc. Si homines resurgentes venereis utentur et generabunt, aut hoc erit semper: aut non semper. Si semper, sequetur quod multiplicatio hominum erit in infinitum. Intentio autem naturae generantis post resurrectionem non poterit esse ad alium finem quam ad multiplicationem hominum: non enim erit ad conservationem speciei per generationem, cum homines incorruptibiliter sint victuri. Sequetur igitur quod intentio naturae generantis sit ad infinitum: quod est impossibile*. – Si vero non semper generabunt, sed ad aliquod determinatum tempus, post

* Cf. supra a 34.

---

1 quod *Ita* GNWsFP*c*; quia sE, quidem *ceteri.* 2 secundum] sed DEXY, secundum quod H*b*, *om* sE; *post* in specie H *addit* autem; *cf. var. praeced.* 6 neque] aut DEGNX. 15 convertatur] convertitur BFH. 26 conversus] sit *addunt* ZP; *post* 29 oportebit G*b*P *addunt* ergo. 27 sit *Ita nos soli;* est *omnes.* 35 et *pr. loco om* CDXP*c*. 36 non semper ... 41 Si autem *hom om* X; 39 Quare ... 41 utetur *om* DEG*b*. 41 non utetur *post* cibo DEGNX. 46 ut corruptum *Ita* EGNX; ut corruptum in natura D, non corruptum αWYZ*cd*, in corrumpi P. 51 etiam] secundum etiam αY, secundum hoc etiam *b*, ibi D; etiam semen *om* Z. 55 Item. Venereorum usus *hom om* DEGNX; *pro* ordinatur, ordinatus DEGX,

9 si post ... 264 a 36 Amplius *hom om* H. 13 sequuntur] sequentur CDEGNZ*b*, sequantur BF. 15 nascantur *post* originali DEGNX*b*. 19 pervenit et mors] pervenit (pertransiit P) et per peccatum mors X*b*P. 24 quod *om* EX. 28 generationis *post* terminus DEX. 33 resurgunt] resurgent DEGNX. 52 sequetur igitur] sequetur ergo DEGNX*b*, sequitur igitur P*c*, sequitur Z; *lac* Y.

illud igitur tempus non generabunt. Quare et a principio hoc eis attribuendum est, ut venereis non utantur nec generent.

Si quis autem dicat quod in resurgentibus erit usus ciborum et venereorum, non propter conservationem vel augmentum corporis, neque propter conservationem speciei vel multiplicationem hominum, sed propter solam delectationem quae in his actibus existit, ne aliqua delectatio hominibus in ultima remuneratione desit: – patet quidem multipliciter hoc inconvenienter dici.

Primo quidem, quia vita resurgentium ordinatior erit quam vita nostra, ut supra* dictum est. In hac autem vita inordinatum et vitiosum est si quis cibis et venereis utatur propter solam delectationem, et non propter necessitatem sustentandi corporis, vel prolis procreandae. Et hoc rationabiliter: nam delectationes quae sunt in praemissis actionibus, non sunt fines actionum, sed magis e converso; natura enim ad hoc ordinavit delectationes in istis actibus, ne animalia, propter laborem, ab istis actibus necessariis naturae desisterent; quod contingeret nisi delectatione provocarentur. Est ergo ordo praeposterus et indecens si operationes propter solas delectationes exerceantur. Nullo igitur modo hoc in resurgentibus erit, quorum vita ordinatissima ponitur.

* Supra, *Adhuc. Vita.*

Adhuc. Vita resurgentium ad conservandam perfectam beatitudinem ordinatur. Beatitudo autem et felicitas hominis non consistit in delectationibus corporalibus, quae sunt delectationes ciborum et venereorum, ut in Tertio Libro* ostensum est. Non igitur oportet ponere in vita resurgentium huiusmodi delectationes esse.

* Cap. xxvii.

Amplius. Actus virtutum ordinantur ad beatitudinem sicut ad finem. Si igitur in statu futurae beatitudinis essent delectationes ciborum et venereorum, quasi ad beatitudinem pertinentes, sequeretur quod in intentione eorum qui virtuosa agunt, essent aliqualiter delectationes praedictae. Quod rationem temperantiae excludit: est enim contra temperantiae rationem ut aliquis a delectationibus nunc abstineat ut postmodum eis magis frui possit. Redderetur igitur omnis castitas impudica, et omnis abstinentia gulosa. – Si vero praedictae delectationes erunt, non tamen quasi ad beatitudinem pertinentes, ut oporteat eas esse intentas ab his qui virtuosa agunt: – hoc esse non potest. Quia omne quod est, vel est propter alterum, vel propter seipsum. Praedictae autem delectationes non erunt propter alterum: non enim erunt propter actiones ordinatas ad finem naturae, ut iam ostensum est*. Relinquitur igitur, quod erunt propter seipsas. Omne autem quod est huiusmodi, vel est beatitudo vel pars beatitudinis. Oportet igitur, si delectationes praedictae in vita resurgentium erunt, quod ad beatitudinem eorum pertineant. Quod esse non potest, ut ostensum est*. Nullo igitur modo huiusmodi delectationes erunt in futura vita.

* In princ. cap.

* Paulo ante.

Praeterea. Ridiculum videtur delectationes quaerere corporales, in quibus nobiscum animalia bruta communicant, ubi expectantur delectationes altissimae, in quibus cum angelis communicamus, quae erunt in Dei visione, quae nobis et angelis erit communis, ut in Tertio Libro* ostensum est. Nisi forte quis dicere velit beatitudinem angelorum esse imperfectam, quia desunt eis delectationes brutorum: quod est omnino absurdum. Hinc est quod Dominus dicit, *Matth.* XXII[30], quod *in resurrectione neque nubent neque nubentur, sed erunt sicut angeli Dei.*

* Cap. XLVIII fin. et seqq.

Per hoc autem excluditur error Iudaeorum et Saracenorum, qui ponunt quod in resurrectione homines cibis et venereis utentur, sicut et nunc. – Quos etiam quidam Christiani haeretici sunt secuti, ponentes regnum Christi futurum in terris terrenum per mille annos, in quo spatio temporis *dicunt eos qui tunc resurrexerint, immoderatissime carnalibus epulis vacaturos, in quibus sit cibus tantus ac potus ut non solum nullam modestiam teneant, sed modum quoque ipsius incredulitatis excedant. Nullo autem modo ista possunt nisi a carnalibus credi. Hi autem qui spirituales sunt, istos ista credentes « Chiliastas » appellant, graeco vocabulo, quod, verbum e verbo exprimentes, nos possumus « millenarios » nuncupare,* ut Augustinus dicit, XX *de Civitate Dei**.

* Cap. VII, (P. L. Tom. XLI, 667).

Sunt autem quaedam quae huic opinioni suffragari videntur. Et primo quidem, quia Adam ante peccatum vitam habuit immortalem: et tamen et cibis et venereis uti potuit in illo statu, cum ante peccatum illi sit dictum: *Crescite et multiplicamini,* et iterum: *De omni ligno quod est in paradiso comede**.

* *Gen.* I, 28 et II, 16.

Deinde ipse Christus post resurrectionem legitur comedisse et bibisse. Dicitur enim *Luc.* ult.*, quod *cum manducasset coram discipulis, sumens reliquias dedit eis.* Et *Actuum* X[40, 41], dicit Petrus: *Hunc,* scilicet Iesum *Deus suscitavit tertia die, et dedit eum manifestum fieri, non omni populo, sed testibus praeordinatis a Deo, nobis, qui manducavimus et bibimus cum illo postquam resurrexit a mortuis.*

* Cap. XXIV, 43.

Sunt etiam quaedam auctoritates quae ciborum

---

1 generabunt] generabuntur αWY. 6 neque propter] neque P*c*. 11 multipliciter hoc] hoc multipliciter DEGX, multipliciter haec BFP. 17 procreandae] educandae P*c*. 30 Beatitudo autem] beatitudo autem perfecta X, perfecta autem beatitudo P*d*. 32 corporalibus] carnalibus DEGNX*b*, 33 ut in III libro] III N, quasi ad beatitudinem pertinentes ut in III libro D, ut in... 39 venereorum *hom om* EGX, *omiserat et* D, *ut ex eius variante patet*. 36 Actus *Reincipit* H. Cf. 263 b 9. 40 virtuosa] virtuose DEGHX. 44 nunc] non DEGNX, *om* sE. 45 possit] posset DEGNX.

4 si] quod DEGX; *pro* erunt, non erunt DE. 8 erunt in futura vita] in vita resurgentium erunt DG; in vita ... 9 quaerere *om* EX. 15 forte *post* quis DEXYZ. 23 utentur] utuntur αEG*cd*, *om* X, (22 quod *om*) usuros *b*. 25 ponentes] qui ponentes αWY2P*c*; 26 *pro* in quo, in ipso P. in terris *post* terrenum DEGX*b*. 26 spatio *post* temporis DEGNX*b*. 29 ac potus *Ita auctor citatus;* et coitus W, aut potus *ceteri*. nullam] illam DEGNX. 30 incredulitatis *Ita auctor citatus;* crudelitatis B, credulitatis *ceteri*. 32 nisi a] nisi EGX*b*, his D. 33 Chiliastas *Ita* P; priscilianistas X, ciliastas *ceteri*. 34 quod] et EGX; *pro* nos, non EGN*b*. 40 et cibis] cibis EGZ*b*P*c*. 41 illi] ei DEGNX*b*. 43 comede] comedes αWP*c*, come. DZ. 44 ipse *om* DEGNX*b*.

usum in huiusmodi statu hominibus repromittere videntur. Dicitur enim *Isaiae* XXV⁶: *Faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc convivium pinguium medullatorum, vindemiae defaecatae.* Et quod intelligatur quantum ad statum resurgentium, patet ex hoc quod postea subditur*: *Praecipitabit mortem in sempiternum, et auferet Dominus Deus omnem lacrymam ab omni facie.* – Dicitur etiam *Isaiae* LXV¹³: *Ecce, servi mei comedent, et vos esurietis Ecce, servi mei bibent, et vos sitietis.* Et quod hoc referendum sit ad statum futurae vitae, patet ex eo quod postea subditur*: *Ecce, ego creabo caelum novum, et terram novam* etc. – Dominus etiam dicit, *Matth.* XXVI²⁹: *Non bibam amodo de hoc genimine vitis usque in diem illum cum illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei.* – Et *Luc.* XXII²⁹: dicit: *Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus, regnum: ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo.* – *Apocalypsis* etiam XXII², dicitur quod *ex utraque parte fluminis*, quod erit in civitate Beatorum, *erit lignum vitae, afferens fructus duodecim.* Et XX⁴⁵, dicitur: *Vidi animas decollatorum propter testimonium Iesu, et vixerunt et regnaverunt cum Christo mille annis. Ceteri mortuorum non vixerunt donec consummarentur mille anni.* – Ex quibus omnibus praedictorum haereticorum opinio confirmari videtur.

* Vers. 8.

* Vers. 17.

Haec autem non difficile est solvere. Quod enim primo obiicitur, de Adam, efficaciam non habet. Adam enim perfectionem quandam habuit personalem, nondum tamen erat natura humana totaliter perfecta, nondum multiplicato humano genere. Institutus ergo fuit Adam in tali perfectione quae competebat principio totius humani generis. Et ideo oportuit quod generaret ad multiplicationem humani generis; et per consequens quod cibis uteretur. Sed perfectio resurgentium erit natura humana totaliter ad suam perfectionem perveniente, numero electorum iam completo. Et ideo generatio locum non habebit, nec alimenti usus. – Propter quod et alia erit immortalitas et incorruptio resurgentium, et alia quae fuit in Adam. Resurgentes enim sic immortales erunt et incorruptibiles ut mori non possint, nec ex eorum corporibus aliquid resolvi. Adam autem sic fuit immortalis ut posset non mori si non peccaret, et posset mori si peccaret: et eius immortalitas sic conservari poterat, non quod nihil resolvetur ab eius corpore, sed ut contra resolutionem humidi naturalis ei subveniri posset per ciborum assumptionem, ne ad corruptionem corpus eius perveniret.

De Christo autem dicendum est quod post resurrectionem comedit, non propter necessitatem, sed ad demostrandum suae resurrectionis veritatem. Unde cibus ille non fuit conversus in carnem, sed resolutus in praeiacentem materiam. Haec autem causa comedendi non erit in resurrectione communi.

Auctoritates vero quae ciborum usum post resurrectionem repromittere videntur, spiritualiter intelligendae sunt. Proponit enim nobis divina Scriptura intelligibilia sub similitudine sensibilium, *ut animus noster ex his quae novit, discat incognita amare**. Et secundum hunc modum delectatio quae est in contemplatione sapientiae, et assumptio veritatis intelligibilis in intellectum nostrum, per usum ciborum in Sacra Scriptura consuevit designari: secundum illud *Proverb.* IX²·⁴·⁵, quod de sapientia dicitur: *Miscuit vinum, et proposuit mensam suam. Et insipientibus locuta est, Venite, comedite panem meum, et bibite vinum quod miscui vobis.* Et *Eccli.* XV³ dicitur: *Cibabit illum pane vitae et intellectus, et aqua sapientiae salutaris potabit illum.* De ipsa etiam sapientia dicitur *Proverb.* III¹⁸: *Lignum vitae est his qui apprehenderint eam: et qui tenuerit eam, beatus.* Non igitur praedictae auctoritates cogunt dicere quod resurgentes cibis utantur.

* Cf. S. Greg. Magn. *Hom.* xl in Ev. (P. L. LXXVI, 1115).

Hoc tamen quod positum est de verbis Domini quae habentur *Matth.* XXVI, potest et aliter intelligi: ut referatur ad hoc quod ipse cum discipulis post resurrectionem comedit, et bibit novum quidem vinum, idest, *novo modo,* scilicet non propter necessitatem, sed propter resurrectionis demonstrationem. Et dicit, *in regno Patris mei,* quia in resurrectione Christi regnum immortalitatis demonstrari incoepit.

Quod vero in *Apocalypsi* dicitur de *mille annis* et *prima resurrectione martyrum,* intelligendum est quod prima resurrectio est animarum, prout a peccatis resurgunt: secundum illud Apostoli, *Ephes.* V¹⁴: *Exsurge a mortuis, et illuminabit te Christus.* Per mille autem annos intelligitur totum tempus Ecclesiae, in quo Martyres regnant cum Christo, et alii sancti, tam in praesenti Ecclesia, quae regnum Dei dicitur, quam etiam in caelesti patria quantum ad animas: *millenarius* enim perfectionem significat, quia est numerus cubicus et radix eius est denarius qui solet etiam perfectionem significare.

Sic ergo manifestum fit quod resurgentes non vacabunt cibis et potibus, neque venereis actibus. Ex quo ultimo haberi potest quod omnes occupationes activae vitae cessabunt, quae ordinari videntur ad usum ciborum et venereorum et ad alia quae sunt necessaria corruptibili vitae. Sola ergo occupatio contemplativae vitae in resurgentibus remanebit. Propter quod *Luc.* X⁴², dicitur

1 huiusmodi] ultimo DEGNX*b*. 4 pinguium] convivium vindemiae pinguium *addit b*. 5 resurgentium] resurrectionis DEGNX*b*. 6 Praecipitabit] Dominus *addunt* DEGX. 9 etiam] enim DEX. 21 XXII *lta* P; XXI *ceteri*. 24 testimonium] testamentum PN. 32 erat *om* BFW. 33 multiplicato] universaliter multiplicato DGX, erat multiplicatio in E. 35 quae] quod EGX*b*, et quod D. 36 ideo... 37 generis et *hom om* DEGWX*b*. 38 perfectio] in perfectione DGXsE; *pro* proveniente, proveniens DEGX; Y *legit:* Sed in statu... totaliter perfecta numero *etc.* 54 autem] aliter EGN.

8 Proponit] Ponit DEGNX. 13 et] vel DGX, non EN. 20 illum] Dominus *addunt* P*c*. 21 etiam] Dei DEGNX; dicitur *post* III. DEGNX. 24 beatus] erit *addunt* DEGNX*b*. 26 tamen] autem DEGNX. positum] propositum P*c*, expositum Y, compositum G. 36 et prima resurrectione] et post resurrectionem DEXY, de prima resurrectione (... quia prima) W. martyrum] mortuorum DENX*b*. 40 te] tibi BFGNW*b*, t. Y. 45 enim] numerus *addunt* P*d*. 46 cubicus] cubitus N, cubus *b*, idest figura solida *addunt* P*d*. 48 fit] sit HG*d*, sint B.

de Maria contemplante quod *optimam partem elegit, quae non auferetur ab ea.* Inde est etiam quod dicitur *Iob.* VII[9,10]. *Qui descendit ad inferos, non ascendet, nec revertetur ultra in domum suam, neque cognoscet eum amplius locus eius:* in quibus verbis talem resurrectionem Iob negat qualem quidam posuerunt, dicentes quod post resurrectionem homo redibit ad similes occupationes quas nunc habet, ut scilicet aedificet domos, et alia huiusmodi exerceat officia.

1 quod *om* DEX. 2 est etiam] etiam est DNXYZ, est *b*. 3 descendit] descendet EGX, descenderit P. 4 nec revertetur *om* DEGX.

## Commentaria Ferrariensis

Ex praedicta conclusione infert Sanctus Thomas corollarie quod *apud homines resurgentes non erit venereorum et ciborum usus.* Circa hoc autem tria facit: primo, ostendit propositum; secundo, errorem excludit*; tertio, infert quoddam corollarium*.

* Num. VI.
* Num. VIII.

Quantum ad primum, *arguitur primo sic.* Ciborum usus corruptibili vitae deservit, et similiter commixtio maris et feminae: ille quidem ut corruptio quae posset accidere ex consumptione naturalis humidi, evitetur, et ut sit debitum augmentum; ista autem inquantum ordinatur ad generationem, per quam quod perpetuo conservari non potest secundum individuum, in specie conservatur. Ergo non erit in resurgentibus. – Probatur consequentia. Quia, remota vita corruptibili, necesse est removeri ea quae corruptibili vitae deserviunt. Resurgentium autem vita incorruptibilis erit.

*Secundo.* Si tunc erit ciborum usus, oportebit quod ad hoc sit ut convertatur in corpus. Ergo perveniet homo ad immoderatam quantitatem. Hoc est falsum: quia homo resurget in debita quantitate. Ergo etc. – Probatur antecedens. Quia vita resurgentium non erit minus ordinata quam praesens vita, sed magis. In hac autem vita ciborum usus ordinatur ad hoc ut cibus per digestionem convertatur in corpus. – Consequentia vero probatur: quia tunc a corpore nihil resolvetur, eo quod erit incorruptibile: et ideo totum quod convertitur ex alimento, transiret in augmentum.

*Tertio.* Aut homo resurgens semper utetur cibo: aut non semper. Si primum, cum cibus in corpus conversus a quo nihil resolvitur, augmentum secundum aliquam dimensionem faciat, corpus hominis in infinitum augebitur. Hoc autem non potest esse: quia augmentum est motus naturalis: naturae autem intentio nunquam est ad infinitum, sed semper est ad aliquid certum, ut dicitur II *de Anima.* – Si secundum, ergo erit aliquod tempus in quo homo, semper vivens, non utetur cibo. Ergo et hoc a principio faciendum est.

*Ex hoc ulterius sequitur* quod neque etiam venereorum usus erit. Probatur. Quia a corpore resurgentis semen decidi non poterit. Neque, inquam, ex substantia eius. Tum quia hoc est contra naturam seminis: quia esset corruptum et a natura recedens, et sic non posset esse naturalis actionis principium, ut patet per Philosophum in libro *de Generatione Animalium.* Tum quia a substantia corporum incorruptibilium nihil resolvi poterit. – Neque etiam ex superfluo alimenti: si resurgentes cibis non utantur. Ergo etc.

* Qu. VII. (Ed. Ven. 1593, p. 24).

II. Advertendum ut in I *Physicorum* declaravimus*, quod ista propositio quam assumit Sanctus Thomas, scilicet, *Intentio virtutis naturalis moventis semper est ad aliquid certum,* habet veritatem tam de intentione naturae specificae, quam de intentione naturae individuae. Est enim aliquis terminus magnitudinis in specie humana, ultra quem species humana salvari non posset; nam posset dari maximus homo, ita quod ipso non potest in natura humana maior esse. Similiter est aliquis terminus magnitudinis cuiuslibet individui, ultra quem, virtute propriae formae, non potest extendi. Sed licet propositio tam in specie quam in individuo habeat veritatem, hic tamen sumitur secundum quod de individua virtute verificatur: quia hoc ad propositum ad quod inducitur, sufficit.

2. Advertendum ulterius, ex doctrina Sancti Thomae *Prima Parte,* art. ult.*, quod *nomine seminis non potest accipi id quod iam conversum est in substantiam membrorum per quandam resolutionem: quia, si non retineret naturam eius a quo resolvitur, tunc recederet a natura generantis, quasi in via corruptionis existens; et tunc non haberet virtutem convertendi aliud in similem naturam. Si vero naturam eius a quo resolvitur retineret, tunc esset contractum ad determinatam partem, et non haberet virtutem movendi ad naturam totius.* Unde, cum arguit Sanctus Thomas semen non posse decidi ex substantia corporis, quia esset corruptum et a natura recedens, et sic non posset esse principium actionis naturalis, sic intelligendum est: quod scilicet semen decisum aut esset in via corruptionis, utpote si non plene et complete recessisset a natura eius a quo deciditur, sed esset in ipso recessu; aut esset corruptum, videlicet si plene ab illa natura recessisset, et utroque modo non posset esse naturalis actionis principium, illius scilicet actionis qua aliud convertitur in naturam similem illi a qua semen deciditur; quod enim ab aliqua natura per corruptionem recedit, non habet virtutem similem naturam inducendi, cum amittat formam, quae est principium similem naturam inducendi.

* Sc. q. CXIX, a. 2.

III. *Quarto.* Si erit venereorum usus, erit etiam hominum generatio, sicut et nunc: quia talis usus ad generationem ordinatur. Ergo et erunt multi homines post resurrectionem qui ante non fuerunt. Ergo frustra tantum differtur resurrectio mortuorum ut omnes simul vitam accipiant qui eandem habent naturam.

Circa ultimam consequentiam, advertendum quod supponit Sanctus Thomas rationem doctorum quare tantum differtur resurrectio, hanc scilicet, ut omnes homines simul vitam accipiant per resurrectionem. Tunc enim patet ob hanc rationem frustra differri resurrectionem, si post resurrectionem erit generatio: nam manifestum est, si homines alii post resurrectionem futuri sunt qui antea non fuerunt, quod non simul omnes naturam humanam habentes vitam simul per resurrectionem habebunt.

*Quinto.* Si post resurrectionem erit hominum generatio, aut illi qui generabuntur iterum corrumpentur: aut non. Si secundum, tunc oportebit ponere illos homines sine peccato originali nasci, cum necessitas moriendi sit poena peccatum originale consequens, scilicet in prima hominis nativitate: hoc autem est contra Apostolum, *Rom.* v. Sequetur ulterius quod non omnes indigent redemptione quae est a Christo: et sic Christus non erit omnium caput, contra sententiam Apostoli, I *Cor.* XV. Sequitur etiam quod quorum est similis generatio, non sit similis generationis terminus: quia nunc homines per generationem corruptibilem vitam consequuntur, tunc autem immortalem. Hoc autem est inconveniens. – Si vero primum, si iterato non resurgent, tunc eorum animae remanebunt perpetuo a corpore separatae, quod est inconveniens. Si autem et ipsi resurgent, debuit et eorum resurrectio ab aliis expectari: tum ut simul omnibus unam naturam participantibus resurrectionis beneficium conferatur; tum quia non videtur esse aliqua ratio quare aliqui expectentur ad simul resurgendum, si non omnes expectantur.

*Sexto.* Si homines resurgentes venereis utentur et generabunt, aut hoc erit semper: aut non semper, sed ad aliquod determinatum tempus. Si primum, ergo generatio hominum erit in infinitum. Ergo intentio naturae generantis erit ad infinitum, quod est impossibile. Probatur secunda consequentia: quia tunc intentio naturae generantis non poterit esse ad alium finem quam ad hominum

multiplicationem; non enim erit ad conservationem speciei per generationem, cum homines incorruptibiliter sint victuri. – Si autem secundum, igitur post illud tempus non generabunt. Ergo et hoc a principio eis tribuendum est, ut venereis non utantur nec generent.

Advertendum quod ista ratio procedit ex suppositione hac, quod post resurrectionem non erit amplius corruptionis status, sed incorruptionis. Quod constat ex eo quod tunc non erit motus corporum caelestium, a quo omnes alii motus dependent. Ideo assumit quod post resurrectionem homines incorruptibiliter sunt victuri. Illam autem suppositionem videntur etiam illi contra quos arguit, concedere. Ideo ex illa contra ipsos procedit.

IV. Si ad omnes adductas rationes dicatur quod in resurgentibus erit usus ciborum et venereorum propter solam delectationem quae in iis actibus consistit, ne aliqua delectatio hominibus in ultima remuneratione desit: – quod hoc inconvenienter dicatur, ostenditur multipliciter.

*Primo sic.* In hac vita inordinatum et vitiosum est si quis cibis et venereis utatur propter solam delectationem. Ergo hoc in resurgentibus non erit. – Probatur consequentia. Quia vita resurgentium ordinatior erit quam nostra. – Antecedens vero probatur: quia cum delectationes quae in praemissis actionibus sunt, non sint fines actionum, sed magis e converso, utpote ordinatae a natura ne animalia propter laborem ab istis actibus naturae necessariis desisterent; ordo praeposterus et indecens est si operationes propter solas delectationes exerceantur.

*Secundo.* Perfecta beatitudo et felicitas hominis non consistit in huiusmodi delectationibus corporalibus. Ergo etc. Probatur consequentia. Quia vita resurgentium ad conservandam perfectam beatitudinem ordinatur.

*Tertio.* Aut huiusmodi delectationes in statu futurae beatitudinis sunt tanquam ad beatitudinem pertinentes: aut non. Non primum. Quia tunc essent aliqualiter in intentione eorum qui virtuosa agunt: cum actus virtutum ad beatitudinem ordinentur sicut ad finem. Hoc autem rationem temperantiae excludit: contra quam est quod quis a delectationibus nunc abstineat ut postmodum iis frui magis possit. Sic enim redderetur omnis castitas impudica, et omnis abstinentia gulosa. – Non etiam secundum. Quia omne quod est, vel est propter alterum, vel propter seipsum. Delectationes autem huiusmodi non erunt propter alterum: quia non propter actiones ordinatas ad finem naturae. Ergo erunt propter se. Omne autem huiusmodi vel est beatitudo, vel pars beatitudinis. Ergo etc.

*Quarto.* Ridiculum videtur quaerere delectationes corporales, in quibus nobiscum bruta communicant, ubi expectantur delectationes altissimae, nobis et angelis communes: – nisi forte quis dicat beatitudinem angelorum esse imperfectam quia delectationibus brutorum carent; quod est omnino absurdum. Ergo etc.

*Confirmatur* auctoritate Domini dicentis, *Matth.* XXII, quod *in resurrectione neque nubent neque nubentur.*

V. Advertendum cum dicitur delectationes ciborum et venereorum non esse propter se, sed propter operationes, quod aliud est dicere delectationes *esse propter operationes:* et aliud ipsas *quaeri propter operationes.* Nam ipsas esse propter operationes, dicit ordinem ipsarum secundum utrorumque institutionem ab Auctore naturae, et secundum naturae intentionem. Deus enim, qui naturam instituit, ordinavit praedictas operationes ad conservationem individui et speciei; istis autem operationibus addidit delectationes, ut ex harum appetitu huiusmodi operationibus animalia intenderent; et sic voluit delectationes propter operationes esse. Delectationes autem quaeri propter operationes, dicit ordinem ipsarum secundum quod terminant actum appetitus. Et tunc, si comparentur ad appetitum intellectivum sequentem rationem, sic etiam quaeruntur delectationes propter dictas operationes, quibus coniunguntur: idest, non quaeruntur nisi inquantum istis operationibus coniunguntur, quibus homo vacat propter proprii corporis sustentationem, et propter prolem procreandam. Si autem ad appetitum sensitivum comparentur, sic non quaeruntur delectationes propter operationes, sed e contrario *operationes propter delectationes,* ut inquit Sanctus Thomas I II$^{ae}$, q. IV, a. 2, ad 2. Huius autem ratio est, *quia non attingit apprehensio sensitiva ad communem rationem boni, sed ad aliquod bonum particulare, quod est delectabile:* illud enim iudicat bonum quod est secundum sensum delectabile. Quod ergo hic dicitur de delectationibus et operationibus ciborum et venereorum, intelligendum est secundum comparationem ipsorum ad naturae Institutorem, ad ipsamque naturam, et secundum comparationem ad appetitum intellectivum: non autem secundum comparationem ad appetitum sensitivum.

VI. Quantum ad secundum*, excludit Sanctus Thomas errorem Iudaeorum et Saracenorum. Et primo, ipsum errorem exponit, cum suis motivis; secundo, ad eorum motiva respondet*. Dicit ergo primo, quod ex praedictis excluditur praedictorum error, ponentium quod in resurrectione homines cibis et venereis utentur, sicut et nunc. Quos etiam quidam Christiani haeretici sunt secuti, ponentes regnum Christi futurum in terris terrenum per mille annos, quo spatio dicunt eos qui tunc resurrexerint, immoderatissime carnalibus epulis vacaturos: hos autem viri spirituales *Chiliastas* appellant, idest *millenarios,* ut inquit Augustinus, XX *de Civitate Dei.*

* Cf. init. Comm.

* Num. VII.

2. Huic errori videtur primo suffragari, quod Adam ante peccatum habuit vitam immortalem: et tamen cibis et venereis tunc uti potuit, ut patet ex Scriptura.

Secundo, quia ipse Christus legitur comedisse et bibisse post resurrectionem: ut patet *Lucae* ult., et *Act.* X.

Tertio, quia videtur hoc resurgentibus promitti, cum dicitur *Isaiae* XXV, *Faciet Dominus exercituum* etc.; et LXV, *Ecce servi mei* etc.

Quarto, quia Dominus hoc videtur dicere, *Matth.* XXVI, et *Lucae* XXII.

Quinto, quia videtur dici *Apoc.* XXII.

Ultimo, quia de mille annis videtur dici *Apoc.* XX.

VII. Ad primum autem horum* dicit Sanctus Thomas quod non est eadem ratio de Adam, et de hominibus resurgentibus. Quia cum tunc natura humana nondum esset totaliter perfecta, nondum multiplicato genere humano, institutus fuit Adam in tali perfectione quae competebat principio totius humani generis: et ideo oportuit ut ad multiplicationem eius generaret, et per consequens uteretur cibis. In perfectione autem resurgentium natura humana totaliter ad suam perfectionem perveniet, numero electorum iam completo. Ideo generatio locum non habebit, nec alimentorum usus.

* Cf. num. VI, 2.

Dicit secundo, quod alia erit immortalitas resurgentium, et alia quae fuit Adam. Quia illi nec mori poterunt, nec ex eorum corporibus poterit aliquid resolvi. Adam autem potuit non mori, si non peccaret: et potuit mori, si peccaret. Poteratque immortalis conservari, non quod nihil resolveretur ex eius corpore, sed ut contra resolutionem humidi naturalis ei per ciborum sumptionem subveniri posset, ne ad corruptionem perveniret.

2. Ad secundum dicit quod Christus non propter necessitatem comedit, sed ad demostrandum suae resurrectionis veritatem. Unde cibus ille non fuit conversus in carnem, sed in praeiacentem materiam resolutus. Haec autem causa non erit in resurrectione communi.

Advertendum primo, ex doctrina Sancti Thomae *Quarto,* d. XLIV, q. I, a. 3, qu$^{a}$ 4, ad 1, quod *Christus dispensatione dicitur post resurrectionem manducasse, inquantum propter praedictam causam intermisit id quod est communiter resurgentium, scilicet non uti cibis. Non erit autem necessaria in communi resurrectione demonstratio veritatis resurrectionis: quia omnibus nota erit.* Ideo nulla erit causa manducationis.

Considerandum secundo, ex doctrina eiusdem *Tertia,* q. LV, a. 6, ad 2, quod a Christo, postquam resurrexit, *inducebantur quaedam argumenta ad probandam veritatem humanae naturae; quaedam vero ad probandam gloriam resurrectionis.* Manducatio ergo inducebatur, non ad gloriam resurrectionis comprobandam, sed ad ostendendum quod secundum veram humanam naturam resurrexerat. Ideo bene hic dicitur quod Christus comedit ad suae resurrectionis veritatem demonstrandam.

3. Ad auctoritates posterius inductas, quae ciborum usum post resurrectionem repromittere videntur, dicitur primo, communiter, quod spiritualiter sunt intelligendae: ut scilicet delectatio quae est in contemplatione sapientiae, et assumptio veritatis intelligibilis in intellectum nostrum, per usum ciborum designetur; iuxta illud *Proverb.* IX, de Sapientia, *Miscuit vinum* etc.; et *Eccli.* XV, *Cibabit illum* etc.; et *Proverb.* III, *Lignum vitae* etc. Proponit enim nobis divina Scriptura intelligibilia sub similitudinibus corporalium, ut animus noster *ex iis quae novit, discat incognita amare.*

Dicitur secundo, quod verba Domini quae adducuntur *Matth.* XXVI, possunt etiam referri ad hoc quod ipse post resurrectionem cum discipulis comedit et bibit *novum vinum,* idest, *novo modo,* scilicet non propter necessitatem, sed propter resurrectionis demonstrationem. Dicit autem *in regno meo,* quia in eius resurrectione immortalitatis regnum demonstrari incoepit.

4. Ad ultimum dicitur primo, quod prima resurrectio est animarum, prout a peccatis resurgunt: iuxta illud *ad Ephes.* V, *Exsurge* etc.

Dicitur secundo, quod per *mille annos* intelligitur totum tempus Ecclesiae, in quo martyres et alii sancti regnant cum Christo quantum ad animas, et in praesenti Ecclesia, quam *regnum Dei* dicitur, et in caelesti patria. Nam millenarius numerus perfectionem significat: quia est numerus cubicus, idest, figura solida*, et radix eius est denarius, qui solet etiam perfectionem designare.

* Cf. text. et var. Vide Boet. l. c. infra, cap. XX.

Advertendum primo, ex Boetio in sua *Arithmetica**, quod numerus cubicus dicitur qui resultat ex numero ducto in seipsum bis; et radix eius est ille numerus qui ducitur in seipsum. Constat autem quod millenarius resultat ex numero denario in seipsum bis replicato: nam decies decem decies faciunt mille. Ideo bene dicitur quod est numerus cubicus, et quod radix eius est decem.

* Lib. II, cap. XXV (P. L. LXIII, p. 1133).

Advertendum secundo, ut inquit Sanctus Thomas I *Metaph.*, lect. 7, quod *numerus denarius est perfectus, quia est quasi primus terminus numerorum, et comprehendit in se omnium numerorum naturam, eo quod omnes alii numeri non sint nisi quaedam repetitio denarii.* Ideo bene hic dicitur quod solet perfectionem designare.

VIII. Quantum ad tertium*, ponit Sanctus Thomas hoc corollarium, quod *omnes occupationes activae vitae in resurrectione cessabunt, et sola occupatio contemplativae vitae remanebit.*

* Cf. num. VI et init. cap.

Probatur. Tum quia illae ordinari videntur ad usum ciborum et venereorum, et ad alia quae sunt necessaria corruptibili vitae.

Tum quia *Lucae* X, de Maria contemplante dicitur, *Optimam partem* etc.

Tum quia *Iob* VII, dicitur, *Qui descendit ad inferos* etc.

# CAPITULUM OCTOGESIMUM QUARTUM

## QUOD CORPORA RESURGENTIUM ERUNT EIUSDEM NATURAE.

Occasione autem praemissorum quidam circa conditiones resurgentium erraverunt. Quia enim corpus ex contrariis compositum videtur ex necessitate corrumpi, fuerunt aliqui qui dixerunt homines resurgentes huiusmodi corpora ex contrariis composita non habere.

* Origenes, Περὶ ἀρχῶν, III, 6 (P. Gr. XI, 339).

Quorum aliqui* posuerunt corpora nostra non in natura corporali resurgere, sed transmutari in spiritum: moti ex eo quod Apostolus dicit, I *Cor.* XV[44]: *Seminatur corpus animale, surget spirituale.* – Alii vero* ex eodem verbo sunt moti ut dicerent quod corpora nostra in resurrectione erunt subtilia, et aeri et ventis similia. Nam et *spiritus* aer dicitur: ut sic *spiritualia* aerea intelligantur. – Alii vero* dixerunt quod in resurrectione animae resument corpora, non quidem terrena, sed caelestia: occasionem accipientes ex eo quod Apostolus dicit, I *Cor.* XV[40], de resurrectione loquens: *Sunt corpora caelestia, et corpora terrestria.* – Quibus omnibus suffragari videtur quod Apostolus ibidem dicit*, quod *caro et sanguis regnum Dei non possidebunt.* Et sic videtur quod corpora resurgentium non habebunt carnem et sanguinem, et per consequens nec aliquos humores.

* Eutyches. Cf. Greg. Magn. *Moral.* XIV cap. LVI. (P. L. LXXV, 1077)

* Quidam philosophi, cf. Orig. l. c.

* Vers. 50.

Sed harum opinionum error manifeste apparet. Nostra enim resurrectio conformis erit resurrectioni Christi, secundum illud Apostoli, *Philipp.* III[21]: *Reformabit corpus humilitatis nostrae configuratum corpori claritatis suae.* Christus autem post resurrectionem habuit corpus palpabile, ex carnibus et ossibus consistens: quia, ut dicitur *Lucae* ult.* post resurrectionem discipulis dixit: *Palpate et videte: quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere.* Ergo et alii homines resurgentes corpora palpabilia habebunt, ex carnibus et ossibus composita.

* Cap. XXIV, 39.

Adhuc. Anima unitur corpori sicut forma materiae. Omnis autem forma habet determinatam materiam: oportet enim esse proportionem actus et potentiae. Cum igitur anima sit eadem secundum speciem, videtur quod habeat eandem materiam secundum speciem. Erit ergo idem corpus secundum speciem post resurrectionem et ante. Et sic oportet quod sit consistens ex carnibus et ossibus, et aliis huiusmodi partibus.

Amplius. Cum in definitione rerum naturalium, quae significat essentiam speciei, ponatur materia, necessarium est quod, variata materia secundum speciem, varietur species rei naturalis. Homo autem res naturalis est. Si igitur post resurrectionem non habebit corpus consistens ex carnibus et ossibus et huiusmodi partibus, sicut nunc habet, non erit qui resurget eiusdem speciei, sed dicetur homo tantum aequivoce.

Item. Magis distat ab anima unius hominis corpus alterius speciei, quam corpus humanum alterius hominis. Sed anima non potest iterato uniri corpori alterius hominis, ut in Secundo

14 et aeri] aeri EGNX*b*. 17 resument] sument N, resurgent DGX. 29 Phil.] Eph. DEGNX.
19 ponatur] ponitur ϰYP*c*, cadat Z. 21 rei naturalis] rerum naturalium DEGX. 26 homo *post* tantum DEGNXY. 27 Magis ... 269 a 23 Item *hom om* H.

* Cap. LXXXIII, prope finem. *Quod autem sit impossibile.*

ostensum est*. Multo igitur minus poterit in resurrectione uniri corpori alterius speciei.

Praeterea. Ad hoc quod homo idem numero resurgat, necessarium est quod partes eius essentiales sint eaedem numero. Si igitur corpus hominis resurgentis non erit ex his carnibus et his ossibus ex quibus nunc componitur, non erit homo resurgens idem numero.

* Cap. XIX, 26, 27.

Has autem omnes falsas opiniones manifestissime Iob excludit, dicens*: *Rursum circumdabor pelle mea, et in carne mea videbo Deum, quem visurus sum ego ipse, et non alius.*

Habent autem et singulae praedictarum opinionum propria inconvenientia.

Ponere enim corpus transire in spiritum est omnino impossibile. Non enim transeunt in invicem nisi quae in materia communicant. Spiritualium autem et corporalium non potest esse communicatio in materia: cum substantiae spirituales sint omnino immateriales, ut in Secundo

* Cap. L.

ostensum est*. Impossibile est igitur quod corpus humanum transeat in substantiam spiritualem.

Item. Si transeat in substantiam spiritualem corpus humanum, aut transibit in ipsam substantiam spiritualem quae est anima: aut in aliquam aliam. Si in ipsam, tunc post resurrectionem non esset in homine nisi anima, sicut et ante resurrectionem. Non igitur immutaretur conditio hominis per resurrectionem. – Si autem transibit in aliam substantiam spiritualem, sequetur quod ex duabus substantiis spiritualibus efficietur aliquid unum in natura: quod est omnino impossibile, quia quaelibet substantia spiritualis est per se subsistens.

Similiter etiam impossibile est quod corpus hominis resurgentis sit quasi aereum et ventis simile.

Oportet enim corpus hominis, et cuiuslibet animalis, habere determinatam figuram et in toto et in partibus. Corpus autem habens determinatam figuram oportet quod sit in se terminabile: quia figura est quae termino vel terminis comprehenditur; aer autem non est in se terminabilis, sed solum termino alieno terminatur. Non est ergo possibile quod corpus hominis resurgentis sit aereum et ventis simile.

Praeterea. Corpus hominis resurgentis oportet esse tactivum: quia sine tactu nullum est animal. Oportet autem ut resurgens sit animal, si sit homo. Corpus autem aereum non potest esse tactivum, sicut nec aliquod aliud corpus simplex: cum oporteat corpus per quod fit tactus, esse medium inter qualitates tangibiles, ut sit quodammodo in potentia ad eas, ut Philosophus probat in libro *de Anima**. Impossibile est igitur quod corpus hominis resurgentis sit aereum et simile ventis.

* Lib. II, cap. XI, 4; s. Th. lect. XXII.

Ex quo etiam apparet quod non poterit esse corpus caeleste.

Oportet enim corpus hominis, et cuiuslibet animalis, esse susceptivum tangibilium qualitatum, ut iam dictum est*. Hoc autem corpori caelesti non potest convenire quod non est neque calidum neque frigidum, neque humidum neque siccum, neque aliquid huiusmodi, vel actu vel potentia, ut probatur in I *de Caelo**. Corpus igitur hominis resurgentis non erit corpus caeleste.

* Paragr. praec.

* Cap. III, 5; s. Th. lect. VII.

Adhuc. Corpora caelestia sunt incorruptibilia, et transmutari non possunt a sua naturali dispositione. Naturaliter autem eis debetur figura sphaerica, ut probatur in II *de Caelo et Mundo**. Non est igitur possibile quod accipiant figuram quae naturaliter humano corpori debetur. Impossibile est igitur quod corpora resurgentium sint de natura caelestium corporum.

* Cap. IV; s. Th. lect. V et VI.

---

6 et his] his GNX. 8 homo *om* GNX*b*, *post* idem E, *post* numero D. 16 in invicem] invicem EGZPc. 23 Si transeat *Reincipit* H. *Cf.* 268 b 27. 26 Si] quae si *b*.
1 et in] in Pc. 8 et] vel XPc; et ventis simile *om* W. 13 aliud *om* DEYPc, *post* corpus X. 25 quod] quia WZPc. 26 siccum neque *om* DEGX*b*. 31 et] et ita P*d*. 34 igitur *om* E, *post* impossibile X.

## Commentaria Ferrariensis

* Cf. cap. LXXXII, Comm. init.

POSTQUAM ostendit Sanctus Thomas quales futuri sint homines resurgentes, consequenter vult ostendere quales sint resurgentium partes*. Circa hoc autem duo facit: primo, ostendit qualia sint resurgentium corpora; secundo, quales sint ipsorum animae ante resurrectionem, cap. XC. – Circa primum duo facit: primo, ostendit qualia sint futura quantum ad naturam; secundo, qualia sint futura quantum ad conditiones superadditas naturae, capite sequenti.

I. Quantum ad primum, ponit hanc conclusionem: *Homines resurgentes corpora habebunt palpabilia, ex carnibus et ossibus composita.*

* Num. II.

Circa hanc autem conclusionem duo facit: primo, quosdam errores adducit; secundo, illos reprobat*.

Quantum ad primum, inquit quod occasione praemissorum quidam circa conditiones resurgentium erraverunt, dicentes ipsos corpora ex contrariis composita non habere, quia corpus ex contrariis compositum videtur ex necessitate corrumpi.

Unde quidam dixerunt illa in spiritum transmutari: moti auctoritate Apostoli, I *Cor.* XV, dicentis, *Seminatur* etc.

Alii vero quod erunt subtilia, et aeri et ventis similia.

Alii autem quod in resurrectione animae resument corpora, non terrena, sed caelestia: moti ex eo quod dicitur loco allegato, *Sunt corpora caelestia* etc. Et rursus, *Caro et sanguis* etc.

II. Quantum ad secundum, arguit Sanctus Thomas contra istos errores: et primo, generaliter contra omnes; secundo, singillatim contra eorum unumquemque*.

* Num. III.

*Arguit igitur primo sic.* Christus post resurrectionem habuit corpus palpabile ex carnibus et ossibus consistens, ut ostenditur *Luc.* ult. Ergo et alii homines resurgentes. – Probatur consequentia. Quia nostra resurrectio conformis erit resurrectioni Christi, iuxta illud *Philipp.* III, *Reformabit* etc.

*Secundo.* Anima est eadem secundum speciem. Ergo habebit eandem materiam secundum speciem. Ergo erit idem corpus secundum speciem post resurrectionem et ante. Ergo etc. – Probatur prima consequentia. Quia anima unitur corpori sicut forma materiae. Omnis autem forma habet determinatam materiam: cum oporteat esse proportionem actus et potentiae.

*Tertio.* Si homo post resurrectionem non habebit corpus huiusmodi sicut nunc habet, non erit qui resurget eiusdem speciei, sed dicetur homo tantum aequivoce. Quia homo res naturalis est. Variata autem materia secundum speciem, variatur species rei naturalis: cum in definitione rerum naturalium ponatur materia.

*Quarto.* Anima non potest iterato uniri corpori alterius hominis, ut in Secundo ostensum est. Ergo multo minus poterit uniri corpori alterius speciei. – Probatur consequentia. Quia magis distat ab anima unius hominis corpus alterius speciei quam corpus humanum alterius hominis.

*Quinto.* Si corpus resurgentis non erit ex iis carnibus et iis ossibus ex quibus nunc componitur, non erit idem numero homo resurgens: quia ad hoc necesse est quod partes eius essentiales sint eaedem numero.

*Confirmatur conclusio* auctoritate *Iob* dicentis, *Rursum circumdabor* etc.

* Cf. num. II.

III. Secundo*, specialiter arguit contra unumquemque illorum errorum.

Contra primum quidem, primo sic. Spiritualium et corporalium non potest esse communicatio in materia. Ergo impossibile est ut corpus humanum transeat in substantiam spiritualem. – Probatur consequentia. Quia non transeunt in invicem nisi quae in materia communicant.

Secundo. Aut transibit in ipsam animam: aut in aliam substantiam spiritualem. Si in animam, tunc post resurrectionem non erit in homine nisi anima, sicut et ante. Ergo non mutabitur conditio hominis post resurrectionem. – Si in aliam, tunc ex duabus substantiis spiritualibus efficietur aliquid unum in natura. Quod est impossibile: cum quaelibet substantia spiritualis sit per se subsistens.

Adverte quod, sicut in resurrectione ponitur quod anima reunitur corpori, ita ponitur quod ex illis unum efficitur sicut et ante resurrectionem. Si igitur ponamus corpus in resurrectione in substantiam spiritualem converti, oportebit dicere quod anima illi substantiae spirituali in quam humanum corpus convertitur, unitur, et quod ex illis fit unum in natura, sicut ex anima et corpore. Ideo bene infert Sanctus Thomas quod sequetur ex duabus substantiis spiritualibus effici unum in natura.

* Potius VIII fin.: s. Th. lect. VIII (Didot Lib. VII, cap. VI, 8).

Advertendum etiam, ex Aristotele, IX *Metaph.**, quod ad hoc ut ex duobus fiat unum per se, necesse est ut unum se habeat sicut actus, aliud vero sicut potentia. Ideo ex duobus quorum quilibet est actus, non potest fieri unum per se. Propterea bene arguit Sanctus Thomas non posse ex duabus substantiis spiritualibus fieri unum in natura, idest, unum ens naturale, quia quaelibet est per se subsistens, idest, actus ex se habens esse, non autem ex alio formaliter; et a nullo subiecto secundum suum esse dependet.

2. Contra secundum errorem arguitur primo sic. Aer non est in se terminabilis, sed solum termino alieno. Ergo non est possibile quod corpus hominis resurgentis sit aereum vel ventis simile. – Probatur consequentia. Quia oportet corpus hominis, et cuiuslibet animalis, habere determinatam figuram in toto et in partibus. Tale autem oportet ut sit in se terminabile: cum figura sit quae termino vel terminis comprehenditur.

Secundo. Corpus aereum non potest esse tactivum, idest, non potest habere potentiam tactus, sicut nec etiam aliud corpus simplex: cum tale corpus oporteat esse medium inter qualitates tangibiles, ut sit quodammodo in potentia ad eas, ut dicitur II *de Anima.* Ergo etc. – Probatur consequentia. Quia corpus hominis resurgentis oportet esse tactivum: cum homo sit animal.

3. Contra tertium errorem arguitur primo sic. Corpus caeleste non est susceptivum qualitatum tangibilium: cum non sit calidum neque frigidum, neque aliquid huiusmodi, vel actu vel potentia, ut probatur I *de Caelo.* Ergo corpus hominis resurgentis non erit caeleste. – Patet consequentia ex dictis.

Secundo. Corporibus caelestibus naturaliter debetur figura sphaerica, ut probatur II *Caeli.* Ergo non possunt accipere figuram quae naturaliter humano corpori debetur. Ergo etc. – Probatur consequentia. Quia illa corpora sunt incorruptibilia: et sic transmutari non possunt a sua naturali dispositione.

# CAPITULUM OCTOGESIMUM QUINTUM

## QUOD CORPORA RESURGENTIUM ERUNT ALTERIUS CONDITIONIS.

QUAMVIS autem corpora resurgentium sint futura eiusdem speciei cuius nunc sunt corpora nostra, tamen aliam dispositionem habebunt.

Et primo quidem quantum ad hoc, quod omnia resurgentium corpora, tam bonorum quam malorum, incorruptibilia erunt.

Cuius quidem ratio triplex est.

Una quidem sumitur ex fine resurrectionis. Ad hoc enim resurgent tam boni quam mali, ut etiam in propriis corporibus praemium consequantur vel poenam pro his quae gesserunt dum vixerunt in corpore. Praemium autem bonorum, quod est felicitas, erit perpetuum; similiter etiam peccato mortali debetur poena perpetua: quorum utrumque patet ex his quae in Tertio* determinata sunt. Oportet igitur quod utrumque corpus incorruptibile recipiatur.

* Capp. LXII et CXLIV.

Alia ratio potest sumi a causa formali resurgentium, quae est anima. Dictum est enim supra* quod, ne anima in perpetuum remaneat a corpore separata, iterato per resurrectionem corpus resumet. Quia igitur in hoc perfectioni animae providetur quod corpus recipiat, conveniens erit ut corpus secundum quod competit animae disponatur. Est autem anima incorruptibilis. Unde et corpus ei incorruptibile reddetur.

* Cap. LXXIX, *Ad ostendendum.*

Tertia vero ratio sumi potest ex causa activa resurrectionis. Deus enim, qui corpora iam corrupta reparabit ad vitam, multo fortius hoc corporibus praestare poterit, ut recuperata vita in eis perpetuo conservetur. In cuius rei exemplum, etiam corpora corruptibilia, cum voluit, a corruptione servavit illaesa, sicut corpora Trium Puerorum in fornace*.

* *Dan.* cap. III.

Sic igitur intelligenda est incorruptibilitas futuri status, quia hoc corpus, quod nunc corruptibile est, incorruptibile divina virtute reddetur: ita quod anima in ipsum perfecte dominabitur, quantum ad hoc quod ipsum vivificet; nec talis communicatio vitae a quocumque alio poterit impediri. Unde et Apostolus dicit, I *Cor.* XV[53]:

4 habebunt] habent DENX. 13 autem] quidem DEGN*b*, quod est X. 15 etiam] autem DEGNX*b*. 17 utrumque *post* corpus G*b*, utrique DNX, utrinque P*c*, nostrum *post* corpus E, utrorumque (... recipiatur) scilicet bonorum et malorum Y.

2 perfectioni animae providetur quod] est perfectio animae ut DEX, perfectio animae est quod G. 5 Est autem anima] Est autem EX, Anima autem est D. 20 communicatio] coniunctio DEGNXZ.

*Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, et mortale hoc induere immortalitatem.*

Non igitur per hoc homo resurgens immortalis erit quod aliud corpus incorruptibile resumat, ut praedictae opiniones posuerunt*: sed quia hoc ipsum corpus quod nunc est corruptibile, incorruptibile fiet.

* Cap. praec.

Sic igitur intelligendum est quod Apostolus dicit: *Caro et sanguis regnum Dei non possidebunt**, quod in statu resurgentium corruptio tolletur carnis et sanguinis, substantia tamen carnis et sanguinis remanente. Unde subiungit: *neque corruptio incorruptelam possidebit.*

* L. c. vers. 50.

3 homo *ante et post* resurgens EG. 6 corpus *om* Pc; *pro* nunc, non NP.

## Commentaria Ferrariensis

POSTQUAM ostendit Sanctus Thomas corpora resurgentium futura esse eiusdem speciei cuius nunc sunt corpora nostra, consequenter ostendit quod futura sunt alterius conditionis superadditae naturae*. Circa hoc autem duo facit: primo, ostendit conditionem corporum tam bonorum quam malorum; secundo, particulariter conditionem corporum beatorum, capite sequenti.

* Cf. cap. praec. Comm. init.

Circa primum, duo facit: primo, ostendit omnia humana corpora futura incorruptibilia; secundo, ostendit quomodo sit huiusmodi incorruptibilitas intelligenda*.

* Num. II.

I. Quantum ad primum, ponitur haec conclusio: *Omnia resurgentium corpora, tam bonorum quam malorum, incorruptibilia erunt.*

Probatur *primo* ex fine resurrectionis. Praemium bonorum et poena malorum erunt perpetua, ut patet ex iis quae in Tertio determinata sunt. Ergo oportet ut utrumque in corpus incorruptibile recipiatur. – Probatur consequentia. Quia ad hoc resurgent tam boni quam mali, ut etiam in propriis corporibus praemium consequantur vel poenam pro iis quae gesserunt dum vixerunt in corpore.

2. *Secundo* probatur ex causa formali resurgentium. Anima iterato per resurrectionem corpus resumet, ne in perpetuum remaneat a corpore separata. Ergo conveniens est ut corpus secundum quod convenit animae disponatur. Ergo quod sit incorruptibile. – Probatur prima consequentia. Quia in illo perfectioni animae providetur. Secunda vero: quia anima est incorruptibilis.

2. Sed videtur quod ista ratio non concludat. Eadem enim ratione concluderetur quod a principio debebat anima corpori incorruptibili uniri: cum ita tunc esset incorruptibilis, et ita perfectionem suam ex unione ad corpus requireret, sicut postea cum est separata.

Respondetnr quod aliter loquendum est de institutione naturae a Deo: et aliter de reparatione ad vitam per resurrectionem. In prima enim institutione naturae conveniens fuit ut Deus unicuique daret quod sibi secundum naturam conveniebat. Et quia naturae animae intellectivae, quam oportet cognitionem ex sensibilibus accipere, conveniebat ut haberet corpus ex contrariis compositum, ad quod ex necessitate materiae sequitur ut sit corruptibile, conveniens fuit ut sibi daretur corpus per naturam corruptibile, quod etiam, etsi per gratiam factum esset aliquo modo incorruptibile, omnino tamen incorruptibile non esset, sed posset ad corruptibilitatem ex peccato hominis devenire. In resurrectione autem, per quam providetur ne anima sua specifica perfectione perpetuo privetur, convenit ut sibi incorruptibile corpus aptetur, ne iterum ad illam imperfectionem deveniat, propter quam tollendam corpori reunitur.

3. *Tertio* probatur ex causa activa resurrectionis. Deus corpora corrupta reparabit ad vitam. Ergo, multo fortius, hoc illis praestare poterit ut recuperata vita in eis perpetuo conservetur.

Confirmatur hoc exemplo. Quia etiam corpora corruptibilia, cum voluit, a corruptione servavit illaesa: sicut corpora trium puerorum in fornace.

II. Quantum ad secundum, ostendit Sanctus Thomas qualis sit ista incorruptibilitas. Et ait quod intelligenda est sic quod hoc corpus quod nunc corruptibile est, incorruptibile divina virtute reddetur, ita quod anima in ipsum perfecte dominabitur quantum ad hoc quod ipsum vivificet; nec talis communicatio vitae a quocumque alio poterit impediri. Hoc autem significat Apostolus I *Cor.* XV, dicens, *Oportet corruptibile* etc.

Ex hoc sequitur quod non resurget homo immortalis quia aliud corpus incorruptibile reassumat, ut praedicti posuerunt: sed quia hoc ipsum corpus quod nunc est corruptibile, incorruptibile fiet. – Unde et quod dicit Apostolus, quod *caro et sanguis regnum Dei non possidebunt,* intelligitur quod tunc tolletur corruptio carnis et sanguinis, eorum tamen natura remanente. Unde subiungit, *neque corruptio incorruptelam possidebit.*

III. Circa hoc ultimum dictum, scilicet quod *natura sanguinis remanebit,* dubium occurrit. Nam, ut ex superioribus* constare potest, corpora resurgentium alimento non indigebunt. Sed sanguis non datur animalibus a natura nisi alimenti gratia: ut enim dicitur II *de Partibus Animal.,* c. III et sqq. *sanguis est ultimum alimentum in animalibus**. Ergo videtur quod in corporibus resurgentium non debeat esse sanguis.

* Cap. LXXXIII.

* Prope finem cap. III.

Respondeo, et dico primo, quod utique oportet dicere, secundum Catholicam fidem, in corporibus resurgentium sanguinem contineri. Nam cum in Christo ponamus esse sanguinem, alioquin non posset nunc vinum per consecrationem in eius sanguinem transmutari; necesse est ut et in aliis resurgentibus esse sanguinem ponamus; nostra enim resurrectio Christi resurrectioni assimilabitur.

Dico secundo, et secundum opinionem eorum qui tenent sanguinem esse intellectiva anima informatum, et esse actu partem corporis: sanguis non solum ponitur in animalibus gratia alimenti, sed etiam inquantum ad integritatem corporis pertinet ut eius pars in actu. Et ideo, licet in resurrectione officio alimenti non utatur, manet tamen in resurgentibus ad hoc ut naturae habeant integritatem; sicut et alia quaedam membra in ipsis erunt quae tamen propriis officiis non fungentur. – Secundum vero ponentes sanguinem non esse proprie actu partem hominis, sed improprie, inquantum videlicet est *potentia proxima totum corpus**, et ab anima intellectiva effective perficitur, licet non formaliter, – id quod mihi conformius videtur doctrinae Sancti Thomae; et tenetur a Capreolo *Quarto,* d. X, q. II*, ex iis quae habentur *Tertia,* q. XXXI, a. 5, ad 1, dicendum est quod, licet sanguis sit ultimum alimentum, est tamen de veritate humanae naturae, non quidem tanquam pars proprie in actu, sed tanquam proximus parti et partibus affinis. Est etiam sedes animae: inquantum *per sanguinem in corde generatum vitalis operatio in omnia membra diffunditur,* ut inquit, Sanctus Thomas in *Quarto,* d. XI, in expos. litt.

* Cf. Arist. l. c. Lib. III, cap. V, med. Etiam *De Animalium Gen.* I, XIX.

* Art. III, § 1. ad 4 Scoti. (Ed. Tur. VI, p. 189).

Licet ergo in resurgentibus non remaneat sanguis sub ratione alimenti, remanet tamen *ut ad humanae naturae integritatem pertinens, et ad virtutis naturalis ostensionem,* quae mediante sanguine exercebatur, sicut de membris generationi deservientibus erit. Habetur haec responsio *Quarto,* d. XLIV, q. I, a. 2, qu$^{a}$ 2, ad 2.

IV. Circa incorruptibilitatem corporum resurgentium, advertendum quod Sanctus Thomas tangit hic unam causam intrinsecam omnibus communem, scilicet perfectum dominium animae super corpus sibi virtute divina conveniens. In IV autem *Sent.,* d. XLIV, q. III, a. 1*, aliam causam assignat in corporibus damnatorum, scilicet cessationem motus caeli, sine quo nulla naturalis mutatio esse

* Qu$^{a}$ 2.

potest quae est causa extrinseca. Videturque ibidem negare quod in damnatorum corporibus sit incorruptibilitas ex aliquo intrinseco corruptionem impediente.

Sed dupliciter potest ad hoc dici. Primo, quod non negat Sanctus Thomas in *Quarto* omnino causam intrinsecam incorruptibilitatis in damnatis: sed illam causam quae est divina gratia, qualis causa erat in Adam et est in Beatis; vel illam quae est qualitas ab anima effluens in corpus ipsum, a corrumpentibus praeservans.

Secundo, quod negat causam intrinsecam prohibentem corruptionem quae est omnimoda subiectio corporis ad animam: haec enim in solis Beatis erit. Non autem negat omnem causam intrinsecam.

2. Advertendum secundo, ut ex capite sequenti haberi potest, quod dominium perfectum animae in corpus est duplex. Cum enim dominium hoc intelligatur inquantum corpus animae absque resistentia obedit et a nullo haec obedientia impediri potest aut hoc intelligitur quantum ad esse et quantum ad omnem actionem et passionem corporis; aut quantum ad esse tantum. Primum dominium erit in Beatis tantum: secundum autem erit etiam in damnatis. Unde, ut ostenderet Sanctus Thomas dominium animae in corpus quod et damnatis et Beatis est commune, non esse perfectum dominium primo modo, sed tantum secundo modo, cum dixisset quod anima in corpus perfecte dominatur, addidit*, *quantum ad hoc quod ipsum vivificet.* * In hoc cap.

# CAPITULUM OCTOGESIMUM SEXTUM

## DE QUALITATE CORPORUM GLORIFICATORUM.

Quamvis autem merito Christi defectus naturae in resurrectione tollatur ab omnibus communiter tam bonis quam malis, remanebit tamen differentia inter bonos et malos quantum ad ea quae personaliter utrisque conveniunt. Est autem de ratione naturae quod anima humana sit corporis forma, ipsum vivificans et in esse conservans: sed ex personalibus actibus meretur anima in gloriam divinae visionis elevari, vel ab ordine huius gloriae propter culpam excludi. Disponetur igitur corpus communiter omnium secundum condecentiam animae: ut scilicet forma incorruptibilis esse incorruptibile corpori tribuat, contrariorum compositione non obstante: eo quod materia corporis humani divina virtute animae humanae quantum ad hoc subiicietur omnino. Sed ex claritate et virtute animae ad divinam visionem elevatae, corpus sibi unitum aliquid amplius consequetur. Erit enim totaliter subiectum animae, divina virtute hoc faciente, non solum quantum ad esse, sed etiam quantum ad actiones et passiones, et motus, et corporeas qualitates.

Sicut igitur anima divina visione fruens quadam spirituali claritate replebitur, ita per quandam redundantiam ex anima in corpus, ipsum corpus suo modo *claritatis* gloria induetur. Unde dicit Apostolus, I *Cor.* xv[43]: *Seminatur corpus in ignobilitate, surget in gloria:* quia corpus nostrum nunc est opacum, tunc autem erit clarum; secundum illud *Matth.* xiii[43]: *Fulgebunt iusti sicut sol in regno Patris eorum.*

Anima etiam quae divina visione fruetur, ultimo fini coniuncta, in omnibus experietur suum desiderium adimpletum. Et quia ex desiderio animae movetur corpus, consequens erit ut corpus omnino spiritui ad nutum obediat. Unde corpora resurgentium beatorum futura erunt *agilia.* Et hoc est quod Apostolus dicit ibidem: *Seminatur in infirmitate, surget in virtute.* Infirmitatem enim experimur in corpore quia invalidum invenitur ad satisfaciendum desiderio animae in motibus et actionibus quas anima imperat: quae infirmitas totaliter tunc tolletur, virtute redundante in corpus ex anima Deo coniuncta. Propter quod etiam *Sap.* iii[7], dicitur de iustis, quod *tanquam scintillae in arundineto discurrent:* non quod motus sit in eis propter necessitatem, cum nullo indigeant qui Deum habent, sed ad virtutis demonstrationem.

Sicut autem anima Deo fruens habebit desiderium adimpletum quantum ad omnis boni adeptionem, ita etiam eius desiderium impletum erit quantum ad remotionem omnis mali: quia cum summo bono locum non habet aliquod malum. Et corpus igitur perfectum per animam, proportionaliter animae, immune erit ab omni malo, et quantum ad actum et quantum ad potentiam. Quantum ad actum quidem, quia nulla in eis erit corruptio, nulla deformitas, nullus defectus. Quantum ad potentiam vero, quia non poterunt pati aliquid quod eis sit molestum. Et propter hoc *impassibilia* erunt. Quae tamen impassibilitas non excludit ab eis passionem quae est de ratione sensus: utentur enim sensibus ad delectationem secundum illa quae statui incorruptionis non repugnant. Ad hanc igitur eorum impassibilitatem ostendendam Apostolus dicit: *Seminatur in corruptione, surget in incorruptione**. * Vers. 42.

Rursus, anima Deo fruens ipsi perfectissime adhaerebit, et eius bonitatem participabit in summo, secundum suum modum: sic igitur et corpus perfecte subdetur animae, et eius proprietates participabit quantum possibile est, in perspicuitate sensuum, in ordinatione corporei appetitus, et *in omnimoda perfectione naturae:* tanto enim aliquid perfectius est in natura, quanto eius materia perfectius subditur formae. Et propter hoc dicit Apo-

7 anima *post* humana DEG. 10 huius *om* DEGX*b*, huiusmodi P. 19 consequetur] consequatur DEGNX*b*. 21 non] et ideo BFH, et non WY. 32 eorum *om* D, mei P*c*. 33 etiam] autem DEGNX. 36 ut] aut EG, quod P; *cf. var. seq.* 37 ad nutum *lta* CEX*b*; adiunctum G, adunitum N, *om* D, ad motum *ceteri; pro* obediat, obediet BEFGHNWP*c*. 38 resurgentium] resurgentia EGN*b*.

1 enim] vero DEGNX. 5 tolletur] tollitur EGNX. 7 de iustis *om* DEGX*b*. 13 quantum ... 14 impletum *hom om* ENW; *istud et seq.* erit *om* DGX. 17 Et *om* GNXYZ. 22 vero *om* DEGX. 23 eis] in eis BFEWY. 34 perfecte *om* DEX; *lac.* G. 37 aliquid *post* perfectius est DEGNX. 38 materia] natura αWYZP*c*.

stolus: *Seminatur corpus animale, surget corpus spirituale**. Spirituale quidem corpus resurgentis erit: non quia sit spiritus, ut quidam male intellexerunt, sive per spiritum intelligatur spiritualis substantia, sive aer aut ventus*: sed quia erit omnino subiectum spiritui; sicut et nunc dicitur corpus animale, non quia sit anima, sed quia animalibus passionibus subiacet, et alimonia indiget.

* Vers. 44.

* Cf. cap. LXXXIV, *Quorum aliqui.*

Patet igitur ex praedictis quod, sicut anima hominis elevabitur ad gloriam spirituum caelestium ut Deum per essentiam videat, sicut in Tertio est ostensum*; ita eius corpus sublimabitur ad proprietates caelestium corporum, inquantum erit clarum, impassibile, absque difficultate et labore mobile, et perfectissime sua forma perfectum. Et propter hoc Apostolus dicit resurgentium corpora esse *caelestia*, non quantum ad naturam, sed quantum ad gloriam. Unde cum dixisset* quod *sunt corpora caelestia, et sunt terrestria*, subiungit quod *alia est caelestium gloria, alia terrestrium*. Sicut autem gloria in quam humana anima sublevatur, excedit naturalem virtutem caelestium spirituum, ut in Tertio est ostensum*; ita gloria resurgentium corporum excedit naturalem perfectionem caelestium corporum, ut sit maior claritas, impassibilitas firmior, agilitas facilior et dignitas naturae perfectior.

* Cap. LVII, *Hinc est quod.*

* Vers. 40.

* Cap. LIII.

1 corpus *alt. loco om* DEGX. 7 anima] animal GP*c*. (Cf. III[a], Suppl. qu. LXXXIII, a. 1, et S. Aug. *De Civ. Dei* XIII, cap. XXIII).
2 mobile et] intelligere EsG, spiritui subditum DGX. 3 Et *Ita* NWY*b*; *om* DEGX, sicut BFH, et sic CZP*c*.

## Commentaria Ferrariensis

Postquam ostendit Sanctus Thomas omnium corporum resurgentium communem conditionem, consequenter ostendit singillatim utrorumque corporum conditionem*. Et primo, corporum glorificatorum; secundo, corporum damnatorum, cap. LXXXIX.

* Cf. cap. praec. comment. init.

Circa primum tria facit: primo, ostendit corporum glorificatorum conditionem quantum ad corporeas qualitates, quae dicuntur eius *dotes;* secundo, quantum ad locum, cap. seq.; tertio, quantum ad sexum et aetatem, cap. LXXXVIII.

I. Quantum ad primum, ponit quatuor conclusiones. Quarum prima est: *Corpora beatorum habebunt claritatem.*

Sed antequam probetur haec conclusio, praemittitur primo quod, quamvis merito Christi defectus naturae in resurrectione communiter ab omnibus removebitur, remanebit tamen differentia inter bonos et malos quantum ad ea quae personaliter utrisque conveniunt.

Praemittitur secundo, quod de ratione naturae est ut anima humana sit corporis forma ipsum vivificans et in esse conservans. Ex actibus autem humanis meretur anima vel in gloria divinae visionis elevari, vel ab ordine huiusmodi* gloriae propter culpam excludi. Ideo omnium corpus communiter disponetur secundum condecentiam animae, ut scilicet esse incorruptibile corpori tribuat, materia virtute divina animae omnino subiecta: sed ex claritate et virtute animae ad divinam visionem elevatae hoc amplius corpus sibi unitum consequetur, ut, divina virtute faciente, non solum quantum ad esse, sed etiam quantum ad actiones et passiones et motus et corporeas qualitates sit illi subiectum.

* Cf. text. et var.

Istis praemissis, probatur conclusio sic. Anima divina visione fruens quadam spirituali qualitate replebitur. Ergo et corpus suo modo claritatis gloria induetur. – Probatur consequentia. Quia ab anima per quandam redundantiam in corpus deveniet.

Confirmatur auctoritate Apostoli, I *Cor.* XV, *Seminatur* etc. Item, *Matth.* XIII, *Fulgebunt* etc.

2. Advertendum quod non sic intelligendum est claritatem animae videntis Deum in corpus redundare quasi claritas animae et claritas corporis gloriosi sit una et eadem, aut sit eiusdem rationis: sed quia ex ipsa animae claritate resultat et effluit in corpus quaedam claritas quae est qualitas corporalis. Unde hic dicitur quod ipsum corpus *suo modo,* idest corporaliter, non autem spiritualiter, claritatis gloria induetur. Hoc autem videtur sentire Sanctus Thomas *Quarto,* d. XLIV, q. II, a. 4, qu[a] 2, ad 1, ubi dicit quod *claritas gloriae erit alterius generis quam claritas naturae quantum ad causam, sed non quantum ad speciem.* Si enim ista claritas corporis gloriosi est eiusdem speciei cum claritate naturae, manifestum est quod non est eiusdem rationis cum animae claritate: quia alterius rationis et alterius generis est claritas naturae corporalis, et claritas animae spiritualis, praesertim claritas gratiae.

II. Secunda conclusio est: *Corpora huiusmodi erunt agilia.* Probatur. Anima ultimo fini coniuncta in omnibus experietur suum desiderium adimpletum. Ergo corpus omnino spiritui ad motum* obediet. Ergo etc. – Probatur prima consequentia. Quia ex desiderio animae movetur corpus.

* Cf. text. et var.

Circa hanc probationem consequentiae, advertendum quod vult Sanctus Thomas ostendere ex opposito consequentis inferri oppositum antecedentis. Si enim corpus non obediet omnino spiritui ad motum, sequitur quod non erit in omnibus impletum desiderium animae, ex quo corpus movetur.

Confirmatur auctoritate Apostoli dicentis quod *surget in virtute.* Et *Sap.* III, dicitur quod *tanquam scintillae in arundineto discurrent:* non quidem quasi sit motus in eis propter necessitatem, sed ad virtutis demonstrationem.

2. Circa ipsam agilitatem corporum glorificatorum, duo attendenda sunt, ex doctrina Sancti Thomae, IV *Sent.,* qu. allegata, a. 3*.

* Qu[a] 1.

Primum est quod ista agilitas tria includit. Primum est perfectio ipsius animae, secundum quam perfecte dominabitur corpori; negatio resistentiae voluntati et desiderio animae; et perfectio quaedam effluens ab anima glorificata in corpus, per quam habile reddetur et expeditum ad obediendum animae inquantum est corporis motor.

Secundum est quod per huiusmodi agilitatem corpus gloriosum reddetur habile et expeditum ad obediendum animae, non solum ad motum localem, sed etiam ad omnes animae operationes quae per corpus exercentur, ut sunt sensus operationes.

3. Circa id quod dicitur, *motum non esse in Beatis propter necessitatem,* advertendum est, ex doctrina Sancti Thomae loco praeallegato*, quod hoc intelligendum est quantum ad indigentiam *simpliciter:* quae est *quando quis indiget aliquo sine quo non potest conservari in esse, vel in sua perfectione.* Sed bene motus erit propter aliquam necessitatem et indigentiam *secundum quid:* quae est *quando quis indiget eo sine quo non potest finem intentum habere, vel non ita bene, vel non tali modo. Non poterunt enim manifestare virtutem motivam in eis existentem per experimentum, nisi moveantur.* Et hoc significavit Sanctus Thomas cum dixit quod erit in eis motus *ad virtutis demonstrationem.*

* Qu[a] 2, ad 2.

III. Tertia conclusio est: *Corpora Beatorum impassibilia erunt.* Probatur. Huiusmodi corpus immune erit ab omni malo: et quantum ad actum, quia in eis nulla erit corruptio, nulla deformitas, nullus defectus; et quantum ad potentiam, quia non poterunt aliquid pati quod eis sit molestum. Ergo etc. – Probatur antecedens. Anima Deo fruens habebit desiderium adimpletum quantum ad remotionem omnis mali: quia cum summo bono malum locum

non habet. Ergo corpus perfectum per animam, proportionabiliter animae, immune erit ab omni malo: et quantum ad actum, quia in ipso nullus erit defectus; et quantum ad potentiam, quia nihil molestum pati poterit. Ergo etc.

Declarat autem Sanctus Thomas conclusionem, inquiens quod haec impassibilitas non excludit ab iis corporibus passionem quae est de ratione sensus: quia sensibus ad delectationem utentur secundum illa quae statui incorruptionis non repugnant.

Confirmatur ex eo quod dicitur ab Apostolo, *Seminatur in corruptione, surget in incorruptione.*

Circa primum consequens, advertendum quod ly *proportionabiliter animae* dupliciter exponi potest. Uno modo, ut determinet ly *perfectum* et erit sensus quod corpus quod est in resurrectione perfectum secundum convenientiam ad animam, inquantum scilicet habet esse incorruptibile, quemadmodum anima est incorruptilis, immune erit ab omni malo. – Alio modo, ut determinet ly *immune erit* et erit sensus quod corpus perfectum per animam fruentem Deo, immune erit ab omni malo secundum proportionem ad ipsam animam inquantum videlicet, sicut in huiusmodi anima nullum est malum culpae, neque in actu, quia per gratiam consummatam omne peccatum excluditur, neque in potentia, quia peccare non potest, eo quod sit confirmata in bono; ita et in corpore per illam animam perfecto nullum erit malum, neque actu neque potentia. – Utraque expositio adaptari convenienter potest litterae: secunda tamen mihi magis placet.

Circa declarationem conclusionis, attendendum est quod ideo, postquam dixit Sanctus Thomas quod Beati utentur sensibus ad delectationem, addidit, *secundum illa quae statui incorruptionis non repugnant,* ut excluderet usum sensuum circa sumptionem cibi corporalis et circa venerea, de quibus ostensum est * quod statui incorruptionis repugnant: utpote ad statum corruptionis duntaxat pertinentia.

* Cap. LXXXIII.

Attendendum ulterius quod dupliciter differt passio quae est de ratione sensuum, a passionibus aliis corporalibus: quae dicuntur *passiones naturae.* Primo, quia passio sensuum est per receptionem formae sensibilis secundum modum spiritualem et immaterialem: passio autem naturae est per receptionem formae secundum suum esse materiale. – Secundo, quia passio sensus est perfectiva: sensus enim ex receptione formae sensibilis fit in actu ad hoc ut propriam operationem possit elicere. Passio autem naturae, si proprie accipiatur, est corruptiva, vel afflictiva, vel abiectiva: quia est motus praeter naturam. Quia ergo a Beatis removetur passio abiectiva et afflictiva, non autem passio perfectiva, ideo non est mirum si in Beatis inveniatur passio sensus, non autem passio naturae.

IV. Sed occurrit dubium circa illud quod ait Sanctus Thomas, *Beatos usuros sensibus propter delectationem.* Hoc enim videtur repugnare superius ab eo dictis*, ubi impugnavit opinionem illorum qui dicebant in resurrectione futurum esse usum ciborum et venereorum propter delectationem tantum, hac ratione, quia delectationes illae non sunt fines actionum, sed e converso.

* Cap. LXXXIII, *Si quis autem dicat:* Comm. num. IV.

2. Ad huius evidentiam, considerandum est primo, ex doctrina Sancti Thomae *Quarto,* d. XLIX, q. III a. 5*, quod aliter loquendum est de delectationibus tactus, quae in usu ciborum et venereorum consistunt: et aliter de delectationibus aliorum sensuum. Delectationes enim tactus maxime materiales sunt, et maxime vehementes, eo quod tangibile delectationem tactus causans nobis realiter coniungatur. Et sunt etiam maxime bestiales: nam bruta non delectantur aliis sensibus nisi in ordine ad tactum, ut dicitur III *Ethic.**, et ipsas tactus delectationes maxime prosequuntur. Delectationes autem aliorum sensuum spiritualiores sunt, quia ipsi sensus spiritualius sua obiecta recipiunt: non enim coniunguntur nobis eorum obiecta secundum esse materiale, sed tantum secundum suas intentiones. Unde licet huiusmodi delectationes corporales sint, inquantum sunt motus appetitus sensitivi consequentis apprehensionem sensus, quae per corpus exercetur; appropinquant tamen ad spirituales delectationes, et quodammodo in earum genus cadunt, inquantum consequuntur unionem spiritualem obiecti sensibilis cum sentiente, non autem unionem realem et naturalem. Ideo non est inconveniens si delectationes tactus praedictae in Beatis non inveniantur qui spiritualem vitam vivent; inveniantur autem in eis aliorum sensuum delectationes; et etiam delectationes tactus quae solam coniunctionem spiritualem tangibilis consequuntur, ut est delectatio consequens spiritualem immutationem tantum a calido aut frigido proportionato.

* Qu$^a$ 2.

* Cap. X, 7; S. Th. lect. XIX.

Considerandum secundo ex doctrina Sancti Thomae loco praeallegato; et I$^a$ II$^{ae}$, q. XXXI, a. 5 et 6, quod duplex potest esse delectatio sensus: una de ipso sensibili spiritualiter coniuncto; alia de ipsa cognitione sensibilis. Prima est secundum quam quis de re cognita et apprehensa per sensum delectatur: puta de colore, aut de concentu et harmonia vocum. Alia est qua quis delectatur de ipsa cognitione coloris, harmoniae, et huiusmodi. Prima est in brutis, non autem secunda: sed utraque in hominibus invenitur, et etiam in Beatis. Prima quidem consequitur coniunctionem sensibilis cum sensu: secunda vero apprehensionem ipsius cognitionis tanquam perfectionis propriae, quae quidem apprehensio est per vires interiores, aut etiam per intellectum.

Considerandum tertio, quod sensus diliguntur propter duo: scilicet propter cognitionem, et propter utilitatem, ut dicitur I *Metaph.**: et utroque modo est delectatio secundum sensum. Sed prima hominibus tantum convenit: quia ipsius solius est apprehendere ipsam cognitionem tanquam proprium bonum: secunda autem communis est hominibus et brutis. Ideo prima in Beatis invenitur: quia cognitio ipsa sensus non repugnat statui incorruptionis, secunda autem ipsis non convenit: quia utilitas sensibilium, quae attenditur in ordine ad conservationem naturae animalis, convenit tantum statui corruptionis, in quo natura indiget aliquo extrinseco tam ad conservationem individui quam ad conservationem speciei.

* Cap. I, 1. S. Th. lect. 1.

3. Ad obiectionem igitur dicendum quod non intendit Sanctus Thomas in Beatis esse usum sensuum propter delectationem quasi Beati operationem sensus ad delectationem ordinent tanquam ad finem, ut illi quos improbat Sanctus Thomas dicebant de delectationibus tactus: sed quod utuntur sensibus propter ipsam cognitionem sensus ipsis secundum se delectabilem, non autem propter aliquam utilitatem ad naturae conservationem ordinatam; cum eorum natura incorruptibilis sit non indigeatque extrinseco conservante.

V. Circa ipsam impassibilitatem corporum Beatorum, advertendum ut haberi potest ex doctrina Sancti Thomae in *Quarto,* d. XLIV*, quod haec impassibilitas provenit ex pleno dominio animae immobiliter Deo fruentis supra corpus. Nam quia *corpus humanum, et quicquid est in eo, erit perfecte subiectum animae, sicut ipsa perfecte subiecta erit Deo, ideo nulla in corpore glorioso poterit mutatio esse contra illam dispositionem qua perficitur ab anima.*

* Qu. II, a. 1, qu$^a$ 1, in fine.

Utrum autem, praeter virtutem et dominium animae, oporteat ponere aliquam qualitatem positivam in ipso corpore glorioso, quae omnem passionem prohibeat: videtur dicere Sanctus Thomas, in loco praeallegato, quod non; sed quod impassibilitas solam privationem et negationem secundum se importat. Habet tamen causam positivam: scilicet ipsum animae dominium super corpus: nam ipsa anima, quae plene corpori dominatur, ligat omnino eius potentiam passivam, ut nullam possit recipere dispositionem contrariam formae.

Sed licet expresse non habeatur a Sancto Thoma ibidem impassibilitatem dicere formam positivam in corpore existentem; hoc tamen dat intelligere ex eo quod ipsam computat inter dotes corporis. *Quarto,* d. XLIX, q. IV*, ubi dicit dispositiones quae sunt in corpore glorioso ex quibus corpus efficitur animae perfecte subiectum, corporis *dotes* dici: sicut et dispositiones quae sunt in anima ad perfectam operationem qua Deo coniungitur, dicuntur animae dotes. Idem etiam habetur dist. XLIV, q. II, a. 3 qu$^a$ 1.

* Art. V, qu$^a$ 2 et 3.

Et secundum hoc dicendum est quod, sicut agilitas dicit

quandam qualitatem effluentem ab anima glorificata in corpus, per quam habile redditur ad motum et omnes operationes animae; ita impassibilitas dicit qualitatem ab anima in corpus effluentem, per quam corpus redditur habile ab subiectionem animae, ut est eius forma ipsum in esse conservans, et per quam omni dispositioni quae est contraria formae resistit; ita quod formaliter impassibilitas dicit negationem, materialiter autem dicit aliquid positivum.

* Cf. Capreol. IV *Sent.* d. XLIV, qu. II, a. 2. (Ed. cit. p. 63).

VI. Sed contra praedicta dubia quaedam occurrunt*. Arguit enim Scotus, in *Quarto**, quod huiusmodi impassibilitas ex dominio animae supra corpus non proveniat ratione qualitatis effluentis in corpus. Primo, quia aut esset qualitas caelestis; aut qualitas elementaris vel mixtionis. Non primum: *quia corpus humanum non est susceptivum qualitatis caelestis.* Non etiam secundum: quia tunc esset eiusdem generis cum aliis, et *per consequens non prohiberet omnem actionem illarum.*

* D. XLIX, qu. XIII (Ven. 1497, p. 154 r).

Secundo. *Si repugnaret aliis qualitatibus, non prohiberet omnem actionem: quia esset eiusdem rationis cum eis. Si autem non repugnaret, non prohiberet actionem alicuius illarum, cum istae aliae sint inter se repugnantes.*

* Cf. Capr. l. c. p. 64.

2. Aureolus* autem arguit huiusmodi impassibilitatem non provenire ex aliqua forma corpori inhaerente, tum quia *impassibilitatem secundum translationem de loco ad locum non videtur habere corpus per aliquam qualitatem: alioquin per ipsam fieret fortius et universalius in resistendo quam sit quaecumque potentia creata in agendo.* Tum quia *composito ex elementis convenit per se secundo modo pati et corrumpi: nulla autem virtus creata potest auferre illud quod convenit alicui in secundo modo dicendi per se.*

* IV *Sent.* d. XLIV, qu. IV, n. 14. (Ven. 1586, p. 398 r a); Capr. l. c. p. 64.

3. Durandus etiam* idem probat hac ratione. Quia *impassibilitas et incorruptibilitas sibi correspondent. Incorruptibilitas autem corporum Beatorum non erit per aliquam virtutem eis inhaerentem: quia illa erit communis et bonis et malis; in malis autem non erit per aliquam formam inhaerentem, ut videtur ab aliis concedi.*

VII. Pro horum solutione, praemittendum quod huius impassibilitatis corporum Beatorum, secundum quod negationem importat, duplicem causam iuxta praedicta oportet assignare: unam scilicet remotam: alteram propinquam. Remota est quaedam virtus supernaturaliter indita animae, per quam plene corpori dominatur quantum ad eius conservationem. Et dictum est* hanc impassibilitatem ex pleno dominio animae provenire. Proxima autem est qualitas quaedam ab ipsa anima glorificata in corpus effluens, per quam corpus fit aptum ut perfecte animae subiiciatur quantum ad sui conservationem, omnem dispositionem contrariam animae prohibendo. Et quia haec qualitas effluit ab anima ut beata est et supernaturali qualitate dotata, ideo et ipsa supernaturalis est qualitas, non autem elementaris aut caelestis, aut ex corporis mixtione proveniens. Et propterea non oportet ipsam eiusdem generis esse cum qualitatibus ex quibus ipsum corpus componitur, quae sunt naturales, et de potentia subiecti eductae: licet in eodem susceptivo recipiantur. – Et per hoc patet responsio ad primum Scoti.

* Supra num. v, et cap. praec. num. IV, 2.

2. Ad secundum eiusdem dicitur quod qualitatem unam alteri qualitati aut eius actioni repugnare, dupliciter potest intelligi. Uno modo, formali repugnantia, quae est per oppositionem formae ad formam, quarum una alteram ab eodem subiecto expellit: quo modo caliditas frigiditati repugnat. Alio modo, repugnantia materiali, quae scilicet est repugnantia materiae seu dispositionis materialis ad formam: quando, inquam, aliqua qualitas reddit subiectum omnino indispositum et inhabile ad suscipiendam aliquam formam aut eius actionem; sicut dicimus qualitates ignis repugnare animae intellectivae, et qualitates corporis caelestis repugnare qualitatibus et formis corruptibilibus, quia per eas redditur materia ad has formas indisposita.

Cum enim forma requirat determinatam materiam, et similiter agens creatum; si sit aliqua qualitas quae reddat materiam alicui formae aut agenti improportionatam et indispositam, illa dicitur tali formae et agenti materialiter repugnare. Cum ergo quaerit Scotus an haec qualitas repugnet qualitatibus corporis necne: dicitur quod repugnat materialiter, non autem formaliter; quia videlicet facit corpus inhabile ad inordinatas actiones illarum suscipiendas, non autem quia illarum actiones sua actione prohibeat.

Cum instatur primo quod, si repugnat, tunc non prohibet omnem actionem, quia est eiusdem rationis: – dicitur quod consequentia non tenet, et eius probatio nulla est. Non enim, si materialiter repugnat, est eiusdem generis cum illis, sed bene esset eiusdem generis si formaliter repugnaret: formae enim contrariae ad idem genus pertinent, non autem formae disparatae.

Cum instatur secundo quod, si non repugnat, non prohibet actionem alicuius illarum, – dicitur quod hoc utique verum esset si neque formaliter neque materialiter illis repugnaret: modo dicimus quod materialiter repugnat, et ideo omnes immoderatas illarum actiones prohibet.

VIII. Ad primum Aureoli* potest primo responderi, quod impassibilitas quam dicimus corpori ex aliqua qualitate inhaerente provenire, intelligitur praeservativa a passione corruptiva aut abiectiva alicuius intrinsecae dispositionis: non autem a translatione de loco ad locum: quia fortassis ista est, non ex qualitate inhaerente, sed ex divina protectione.

* Cf. n. VI, 2.

Potest secundo responderi, conformiter ad praedicta, quod, sicut ad hoc ut aliquid sit ab aliquo agente alicuius formae susceptivum requiritur ut sit dispositum dispositione determinata ad illam formam et ad actionem illius agentis suscipiendam, ita ad hoc ut sit mutabile de loco ad locum ab aliquo movente, requiritur ut sit dispositum ad susceptionem motus a tali agente. Et ideo, sicut per aliquam qualitatem potest indisponi materia et reddi inhabilis ad suscipiendam actionem alicuius agentis, ita potest fieri inhabilis et indisposita ad suscipiendum motum a movente. Unde negatur quod impassibilitatem secundum translationem de loco ad locum non habeat corpus gloriosum per qualitatem positivam.

Cum probatur quia tunc per ipsam fieret fortius et universalius in resistendo quam quaelibet potentia creata in agendo: – dicitur quod, si loquamur de resistentia formali, quae est secundum contrarietatem formae ad formam, illud non sequitur. Si autem loquamur de resistentia materiali, quae est in reddendo subiectum inhabile et indispositum ad susceptionem motus ab agente creato, illud inconveniens non est. Potest enim forma supernaturalis, utpote superioris ordinis quam sit forma naturalis, indisponere materiam et inhabilem reddere ad susceptionem actionis et motus a quacumque virtute creata.

2. Ad secundum, negatur quod pati et corrumpi conveniat per se secundo modo composito ex elementis: sed bene sibi per se convenit habere potentiam ad passionem et corruptionem. Et haec semper erit in corporibus gloriosis quantum ad suam entitatem sed, ut dicitur in *Quarto,* d. XLIV*, *talis potentia erit ligata ne possit in actum exire, propter victoriam animae supra corpus.*

* Qu. II, a. 1, qua 1. ad 2.

IX. Ad Durandum* dicitur quod utique est aliqua communis causa incorruptibilitatis in Beatis et damnatis, scilicet cessatio motus caeli, et dominium animae supra corpus quantum ad eius vivificationem et conservationem in esse*. Sed praeter has communes causas est aliqua particularis causa in beatis quae non est in damnatis: scilicet gloria animae; et qualitas ab anima glorificata in corpus effluens. Ideo et maior est impassibilitas in Beatis quam in damnatis: quia isti patientur aliqua passione afflictiva, non autem Beati. Unde illa consequentia non tenet: *Incorruptibilitas damnatorum non erit per aliquam qualitatem corpori inhaerentem. Ergo neque incorruptibilitas Beatorum.* Non enim assignantur dotes corporibus damnatorum, sed bene Beatorum corporibus.

* Cf. num. VI, 3.

* Cf. cap. praec. num. IV, 2.

X. Quarta conclusio est*: *Corpus resurgentis erit subiectum animae in omnimoda perfectione naturae.* Probatur. Anima Deo fruens ipsi perfectissime adhaerebit, et eius bonitatem participabit in summo, secundum modum suum. Ergo et corpus perfecte subdetur animae. Ergo et eius proprietates participabit, quantum possibile est, in perspi-

* Cf. num. III.

cuitate sensuum, in ordinatione corporei appetitus, et in omnimoda perfectione naturae. – Probatur secunda consequentia. Quia tanto aliquid perfectius est in natura, quanto materia eius perfectius subditur formae. – Non probat Sanctus Thomas primam consequentiam, sed relinquit eam manifestam ex hoc quod ita se habebit corpus ad animam suo modo, sicut anima suo modo se habebit ad Deum.

Confirmatur conclusio auctoritate Apostoli dicentis quod *surget corpus spirituale:* non quidem sic intelligendo: quia sit spiritus, idest substantia spiritualis, sive aer aut ventus; sed quia erit omnino subiectum spiritui; sicut et nunc dicitur *corpus animale,* non quia sit animal*, sed quia animalis passionibus subiacet, et indiget alimonia.

* Cf. text. et var.

2. Circa hanc conclusionem, advertendum quod Sanctus Thomas per ipsam vult dare intelligere corporibus Beatorum aliam dotem inesse, quae *subtilitatis* dos dicitur. Per hanc enim nihil aliud intelligitur, ut declarat in *Quarto**, quam omnimoda et perfecta subiectio corporis ad animam *ad participandum esse specificum.* Quia enim, ut dicitur ibidem, *nomen subtilitatis a penetrandi virtute sumptum est; et aliquid est penetrativum et ratione parvitatis quantitatis, praecipue secundum latitudinem et profunditatem et ratione paucitatis materiae; in corporibus autem raris forma magis dominatur materiae: ideo translatum est nomen subtilitatis ad illa corpora quae optime substant formae, et perficiuntur ab ea perfectissimo modo.*

* Dist. XLIV, qu. II, a. 2, qu$^{a}$ 1.

3. Advertendum quoque circa alia quae enumeravit Sanctus Thomas, scilicet corpus participare animae proprietates *quantum ad perspicuitatem sensuum, et quantum ad ordinationem corporei appetitus,* quod ista neque omnibus modis ad dotem subtilitatis pertinent, ut videtur voluisse Durandus*, neque omnino a dote subtilitatis excluduntur, ut videtur voluisse Capreolus* ista doti agilitatis attribuens, sed aliquo modo ad dotem agilitatis et aliquo modo ad subtilitatis dotem pertinent. Sensus enim et appetitus duplicitur comparari possunt ad suas operationes. Uno modo, quantum ad facilitatem et expeditionem operandi: et sic ad dotem agilitatis pertinent. Dictum est enim superius*, de mente Sancti Thomae, quod agilitate corpus redditur expeditum ad obediendum animae quantum ad motum, et ad operationes animae quae per corpus exercentur. – Alio modo, quantum ad perspicuitatem sentiendi; et quantum ad debitam ordinationem appetendi, ut scilicet inferior appetitus feratur in suum obiectum secundum superioris appetitus inclinationem. Et sic ad dotem subtilitatis pertinent, per quam corpus perfecte subditur animae quantum ad perfectionem naturae. Quanto enim natura perfectior fuerit, tanto et sensus est perspicacior, et appetitus inferior est magis regulatus.

* L. c. qu. V, II, o. (p. 398 v bl.
* L. c. qu. III, a. 1, concl. 1. (p. 74), et a. 3, contra Dur. (p. 83 b).
* Num. II.

Quod autem hoc sit de mente Sancti Thomae, patet. Tum quia hic ista connumerat inter ea quae ad dotem subtilitatis pertinent. – Tum quia inferius cap. LXXXIX*, declarat corpora damnatorum non esse subtilia futura, quia eorum anima per affectum erit carnalis. Ex hoc enim dat intelligere ad subtilitatem corporum pertinere quod affectus et appetitus animae corporeus spiritui subdatur, sive inclinationi superioris appetitus.

* *Quia vero.*

4. Advertendum ulterius quod, sicut ex gloria animae et ex pleno eius dominio supra corpus effluit in ipsum corpus qualitas per quam aptum est ad obediendum animae quantum ad motus et operationes, quae dicitur *agilitas;* et alia per quam natum est obedire illi quantum ad prohibitionem omnis abiectivae passionis quae dicitur *impassibilitas:* ita et *subtilitas* nominat aliquam qualitatem ab anima effluentem in corpus, per quam aptum est ad subiectionem animae quantum ad omnimodam perfectionem specificam. Hoc enim ponit Sanctus Thomas in *Quarto,* d. XLIV, q. II, a. 3, qu$^{a}$ 1.

XI. Ex praedictis infert primo Sanctus Thomas capitulariter dotes corporis colligendo, quod sicut anima hominis elevabitur ad gloriam caelestium spirituum, ut scilicet Deum per essentiam videat; ita eius corpus sublimabitur ad caelestium corporum proprietates, quia erit clarum, impassibile, absque labore et difficultate mobile, et perfectissime sua forma perfectum. Propter quod Apostolus resurgentium corpora *caelestia* vocat: non scilicet quantum ad naturam; sed quantum ad gloriam. Unde postea subiungit quod *alia est caelestium gloria, alia terrestrium.*

Infert secundo, quod sicut gloria animae naturalem virtutem caelestium spirituum excedit, ita et gloria resurgentium corporum excedit naturalem perfectionem caelestium corporum: ut sit maior claritas, impassibilitas firmior, agilitas facilior, et dignitas naturae perfectior.

Adverte quod dicitur impassibilitas resurgentium firmior quam impassibilitas corporum caelestium, non quia corpora caelestia a sua impassibilitate mutari possint: sed propter maiorem et perfectiorem impassibilitatis causam, ut dicit Sanctus Thomas de Beatis. Licet enim impassibilitas sit in illis aequaliter, si secundum se consideretur, quantum scilicet ad negationem quam dicit; est tamen maior in uno quam in alio quantum ad impassibilitatis causam.

# CAPITULUM OCTOGESIMUM SEPTIMUM

## DE LOCO CORPORUM GLORIFICATORUM.

QUIA vero locus debet proportionari locato, consequens est quod, cum corpora resurgentium proprietatem caelestium corporum consequentur, etiam in caelis locum habeant; vel magis *super omnes caelos,* ut simul cum Christo sint, cuius virtute ad hanc gloriam perducentur, de quo dicit Apostolus, *ad Ephes.* IV[10]: *Qui ascendit super omnes caelos, ut adimpleret omnia.*

Frivolum autem videtur contra hanc divinam promissionem ex naturali elementorum positione argumentari, quasi impossibile sit corpus hominis, cum sit terrenum et secundum suam naturam infimum locum habens, supra elementa levia elevari. Manifestum est enim quod ex virtute animae est quod corpus ab ipsa perfectum elementorum inclinationes non sequatur. Ipsa enim anima sua virtute etiam nunc continet corpus, quandiu vivimus, ne ex contrarietate elementorum dissolvatur; et virtute etiam animae motivae corpus in altum elevatur; et tanto amplius quanto virtus motiva fortior fuerit. Manifestum est autem quod tunc anima perfectae virtutis erit, quando Deo per visionem coniun-

1 *Hoc capitulum a praecedenti non dividit* X. 4 consequentur] consequantur CDEGY*b*. 5 caelos] orbes DEGNX*b*. 6 hanc *om* DEX. 11 positione] pondere DEGNX*b*.

4 ipsa] anima BFWP*c*. 6 nunc] non *d, om* P. 11 autem *om* DEGX; sG*b legunt*: Unde manifestum est.

getur. Non igitur debet grave videri si tunc virtute animae corpus et ab omni corruptione servetur immune, et supra quaecumque corpora elevetur.

Neque etiam huic promissioni divinae impossibilitatem affert quod corpora caelestia frangi non possunt, ut super ea gloriosa corpora subleventur. Quia a virtute divina hoc fiet, ut gloriosa corpora simul cum aliis corporibus esse possint: cuius rei indicium in corpore Christi praecessit, dum ad discipulos *ianuis clausis intravit* *. * *Ioann.* XX, 26.

2 corpus et] et corporis et BFHY, etiam corpus C, et corpus W.
2 a virtute] virtute CDEGNX*b*. 3 corpora *om* DEGNX*b*. 5 praecessit *om* EG, est DX.

## Commentaria Ferrariensis

* Cap. praec. POSTQUAM determinavit Sanctus Thomas de dotibus corporum Beatorum *, consequenter de eorum loco determinat.

I. Et ponit hanc conclusionem: *Corpora Beatorum in caelis, vel magis super caelos, locum habebunt.* Circa hoc autem duo facit: primo, probat conclusionem; secundo, * Num. II. removet quasdam obiectiones *.

Quantum ad primum, probatur prima pars disiunctivae sic: Corpora huiusmodi proprietatem caelestium corporum consequentur. Ergo etc. – Probatur consequentia. Quia locus debet proportionari locato.

Secunda vero pars probatur. Conveniens est ut corpora beatorum simul sint cum Christo: quia eius virtute ad hanc gloriam perducentur. Sed ipse est *super omnes caelos*, ut dicitur *Ephes.* IV. Ergo etc.

Advertendum quod, licet sub disiunctione loquatur Sanctus Thomas, inquiens corpora Beatorum habere locum in caelo *vel* super omnes caelos, videtur tamen magis declinare ad hoc quod sint super omnes caelos, III *Parte*, q. LVII, * Ad 1. a. 4*; *Quolib.* VI, a. 3; et etiam hic, cum ait quod *magis* supra omnes caelos locum habent.

II. Quantum ad secundum, removet duas obiectiones. Prima est quia, cum corpus hominis sit terrenum, et secundum suam naturam infimum locum habens, non videtur quod supra elementa levia possit elevari.

Secunda est, quia corpora caelestia frangi non possunt, ut super ea corpora gloriosa eleventur.

Sed ad primam respondet quod frivola est. Quia sicut nunc virtute animae continetur corpus, quandiu vivimus, ne ex contrarietate elementorum dissolvatur; et virtute motiva ipsius in altum elevatur, tantoque amplius quanto virtus motiva fuerit fortior: ita quia tunc anima perfectae virtutis erit, quando Deo per visionem coniungetur, virtute ipsius poterit corpus ab omni corruptione immune servari, et supra quaecumque elevari corpora.

Ad secundam autem dicit quod virtute divina fiet ut corpora gloriosa simul cum aliis corporibus esse possint. Cuius signum est quod Christus ad discipulos *ianuis clausis intravit.*

Attendendum, quod idcirco dixit Sanctus Thomas corpora gloriosa posse *divina virtute* cum aliis corporibus simul esse, non autem absolute illa cum aliis esse simul posse, ne aliquis existimaret illa ex aliqua proprietate inhaerente, scilicet ex dote subtilitatis, habere ut simul cum aliis * D. XLIV. q. II, a. 2, qu$^{a}$ 2, 3. corporibus esse possint. Probat enim in IV *Sent.* * hoc esse non posse per dotem subtilitatis, sed tantum divina virtute.

III. Sed duo sunt quae in hac secunda responsione difficultatem faciunt.

Primum est, quia dicitur divina virtute fieri posse ut * IV *Sent.* d. XLIV, q. VI, nn. 8, 9. (Ven. 1586, p. 399 v). Cf. Capr. d. XLIV, q. III, a. 2, § 3. duo corpora sint simul. Contra hoc enim arguit Durandus * sic. *Partes eiusdem corporis sic necessario distinguuntur situ quod impossibile est eas simul esse, simultate opposita huic distinctioni.* Tum *quia hoc videtur esse de intrinseca ratione quantitatis, quod habeat partem extra partem.* Tum quia alioquin *tunc partes eiusdem quantitatis tantum possent replicari quod tota replicatio fieret supra unam minimam partem: et tunc maximum corpus posset a minimo loco contineri.* – Ergo, multo magis, duo corpora oportet distingui situ et positione.

2. E contrario autem arguit Scotus in *Quarto*, d. XLIX, * Ven. 1497, p. 157 v b. Capr. l.c. q. XVI *, quod non per solam Dei potentiam duo corpora simul esse possint. Tum quia, *si manent principia istorum corporum ut sunt in eodem loco distincta, non solus Deus ea conservat, quia concurrentibus causis secundis hoc facit: si autem talia principia non manent, iam illa non conservat simul in esse.* – Tum quia, *si situs est formale et essentiale distinctivum quantitatis, sine ipso Deus non poterit conservare quantitatem distinctam. Si autem est accidentalis aut casualis distinctio, secundum suas causas priores conservari poterunt distincta, sine illo quod est accidentalis ratio distinctionis.* Tum quia *non est impossibile duos respectus extrinsecos esse in diversis respectu eiusdem termini. Respectus autem* ubi *est respectus extrinsecus adveniens.*

3. Secundum quod facit difficultatem est, quia signum quod adducitur de Christo ingrediente ianuis clausis, non videtur sufficiens ad ostendendum duo corpora fuisse simul. Nam non dicitur in Evangelio quod Christus intraverit *per ianuas clausas,* sed quod *ianuis clausis* intraverit. Hoc autem esse potuit ipso per fenestras, aut visibiliter aut invisibiliter, ingrediente *. * Ita Durandus, l. c. n. 13. Capr. l. c. I, *Quinto*, 3.

IV. Ad evidentiam horum, considerandum est primo, quod *situs* dupliciter accipi potest. Uno modo, ut est praedicamentum per se, quod etiam dicitur *positio*, et dicit *ordinem partium in loco*, ordinem scilicet diversarum partium locati ad diversas partes loci. Alio modo, ut est differentia quantitatis, et significat *ordinem partium in toto*: non quidem quod una sit extra aliam secundum locum, sed quod una sit post aliam, et una sit ab alia secundum quantitatem realiter distincta. *Situs* primo modo sumptus non est de ratione rei quantae ut sic, sed est extra eius rationem: sed bene *situs* secundo modo sumptus est de ratione quanti ut est quantum. Item primo modo sumptus est secundarius effectus dimensionis in corpore quanto causatus: secundo autem modo sumptus est dimensionis primarius effectus. Ex eo enim quod materia est sub determinatis dimensionibus, corpus habet primo ordinem partium in seipso: secundo etiam habet determinatum ordinem partium in loco. Et ideo ex diversitate materiae sub diversis dimensionibus non solum sequitur diversitas ordinis partium in toto, sed etiam sequitur diversitas corporum secundum locum: cum et ipsae materiae dimensionatae non sint naturaliter distinctae nisi sint in diversis sitibus.

Considerandum secundo quod, licet nullus istorum effectuum possit per naturalem causam impediri ne ex dimensionibus distinctis proveniat, quia utriusque situs distinctio naturaliter ex distinctione dimensionum consequitur, et una dimensio naturaliter expellit aliam a loco quem ingreditur: virtute tamen divina dimensionum secundarius effectus formalis suspendi potest; et potest suspendi actio qua una dimensio aliam ab eodem loco expellit. Ideo virtute quidem naturae fieri non potest ut duo corpora sint in eodem loco: sed bene divina virtute, quae omnem effectum causae agentis et effectum secundarium et extrinsecum causae formalis potest suspendere, fieri potest.

V. Ad primum itaque Durandi, negatur assumptum. Nam sicut duo corpora omnino distincta possunt in eodem loco esse, divina virtute operante, ita et duae partes eiusdem corporis.

Ad primam eius probationem, dicitur quod de ratione quantitatis non est quod habeat partem extra partem se-

cundum locum, quarum unaquaeque habeat locum a loco alterius partis distinctum. Nam, si esset corpus extra universum, constat quod partes situ huiusmodi distinctas non haberet, sed quod habeat partes secundum realem distinctionem distinctas: idest, quod habeat plures partes quarum una non sit alia, et una sit post aliam in toto.

Ad secundam probationem, dicitur quod nullum inconveniens est virtute divina fieri replicationem partium super minimam partem; et maximum corpus reductum per subintrationem partium ad minimam extensionem a minimo loco contineri; puta quod camelus per foramen acus transeat*.

* Cf. *Matth.* XIX, 24.

VI. Ad primum vero Scoti, dicitur quod utique manent principia essentialia distinctionis realis corporum simul in eodem loco virtute divina existentium, quibus, remota distinctione locali, realiter distinguuntur: remanent enim propriae formae, propriae materiae, et propriae dimensiones. – Ad huius improbationem, dicitur quod non sic dicimus duo corpora sola virtute divina distincta manere posse in eodem loco, quasi nulla alia ad horum distinctionem concurrant: sed quia illa sola principia essentialia quae horum distinctionem causabant in diversis sitibus et locis, non possunt illam distinctionem in eodem situ causare, nisi concurrente particulari causalitate divina praeter communem influxum; et nulla causa naturalis potest impedire distinctionem localem natam consequi ex distinctione quantitativa diversorum corporum, sed sola divina virtus.

2. Ad secundum dicitur quod situs diversitas secundum se non est causa distinctionis corporum, sed *signum talis distinctionis:* ut inquit Sanctus Thomas *super Boetium Trin.**: et est effectus ab eadem causa proveniens a qua ipsa corporum distinctio provenit, a qua quidem causa separari naturaliter non potest. Sicut enim a diversitate dimensionum, sive materiae sub diversis dimensionibus, provenit diversitas numeralis corporum, ita et diversitas situum. Ideo ista consequentia non valet: *Situs non est formale et essentiale principium distinctivum quantitatis. Ergo, sine diversitate situs, potest per causas alias priores per se conservari distinctio quantitatum, absque diversitate situum.* Licet enim non sit formale principium distinctionis quantitatis, est tamen naturalis eius effectus, ad diversitatem quantitatum consequens, sine quo naturaliter esse quantitatum distinctio non potest. Sicut non valet: *Caliditas et frigiditas non sunt principia essentialia distinctionis ignis et terrae. Ergo possunt naturaliter esse distincta ignis et terra, absque diversitate caliditatis et frigiditatis.*

* Lect. 1, qu. II (*alias* IV), a. 4. (*Piana* p. 126 v b).

3. Ad tertium, negatur assumptum. Nam duo respectus non possunt naturaliter eundem terminum adaequatum respicere. Respectus autem *ubi* respicit locum tanquam terminum adaequatum: cum oporteat locum adaequari locato, si sit proprius eius locus.

VII. Ad secundum dubium, de signo adducto a Sancto Thoma*, dicitur quod, licet ex Evangelii textu non habeatur expresse quod Christus per clausas ianuas sit ad discipulos ingressus, et potuerit aliunde clausis ianuis ingredi: habetur tamen illud ex sacrorum Doctorum interpretatione, maxime Augustini*. Unde etiam tenent sacri Doctores in Christi ascensione corpus eius simul cum corpore caelesti, absque ulla caelestis corporis fractione, fuisse: quamvis Deus sua virtute potuisset caelum scindere, ut Christo cederet ascendenti. Sed hoc non minus est, apud philosophos, impossibile Deo, quam duo corpora esse simul.

* Num. III, 3.

* Serm. 247. In diebus Pasch. 18. (P.L. XXXVIII, 1157).

# CAPITULUM OCTOGESIMUM OCTAVUM

## DE SEXU ET AETATE RESURGENTIUM.

Non est tamen aestimandum quod in corporibus resurgentium desit sexus femineus, ut aliqui putaverunt. Quia, cum per resurrectionem sint reparandi defectus naturae, nihil eorum quae ad perfectionem naturae pertinent, a corporibus resurgentium auferetur. Sicut autem alia corporis membra ad integritatem humani corporis pertinent, ita et ea quae generationi deserviunt, tam in maribus quam in feminis. Resurgent ergo membra huiusmodi in utrisque.

Neque tamen huic obviat quod usus horum membrorum non erit, ut supra* ostensum est. Quia si propter hoc haec membra in resurgentibus non erunt, pari ratione nec omnia membra quae nutrimento deserviunt, in resurgentibus essent: quia nec ciborum usus post resurrectionem erit. Sic igitur magna pars membrorum corpori resurgentis deesset. Erunt igitur omnia membra huiusmodi, quamvis eorum usus non sit, ad integritatem naturalis corporis restituendam. Unde frustra non erunt.

* Cap. LXXXIII.

Similiter etiam nec infirmitas feminei sexus perfectioni resurgentium obviat. Non enim est infirmitas per recessum a natura, sed a natura intenta. Et ipsa etiam naturae distinctio in hominibus perfectionem naturae demonstrabit et divinam sapientiam, omnia cum quodam ordine disponentem.

Nec etiam cogit ad hoc verbum Apostoli quod dicit *Ephes.* IV [13]: *Donec occurramus omnes in unitatem fidei et agnitionis Filii Dei, in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi.* Non enim hoc ideo dictum est quia quilibet in illo occursu quo resurgentes exibunt *obviam Christo in aera**, sit sexum virilem habiturus: sed ad designandam perfectionem Ecclesiae et virtutem. Tota enim Ecclesia erit quasi vir perfectus Christo occurrens: ut ex praecedentibus et sequentibus patet*.

* I *Thess.* IV, 17.

* Sc. loci cit. ex *Eph.*

In aetate autem Christi, quae est aetas iuvenilis, oportet omnes resurgere, propter perfectionem naturae quae in hac sola aetate consistit. Puerilis enim aetas nondum perfectionem naturae consecuta est per augmentum: senilis vero aetas iam ab eo recessit, per decrementum.

14 haec *om* EFGHNYZPc, huiusmodi D. 17 essent] non erunt DEX, erunt N. 23 feminei *post* sexus EGN*b*.
1 Non enim est infirmitas *om* DE; perfectioni . . . 3 hominibus *om* G. 3 in hominibus] ab hominibus E*b*, hominibus D, *om* X, in omnibus P*c*. 5 omnia] omnino P*d*. 6 disponentem] commendabit *addunt* P*d*. 11 quia *lta* BCDY; quod *ceteri*. 20 consistit] perfecta consistit Y. 23 per decrementum] propter decrementum P*c*, per detrimentum CDEGNZ, *om* Y.

### Commentaria Ferrariensis

* Cap. praec.

POSTQUAM determinavit Sanctus Thomas de loco corporum glorificatorum*, consequenter de sexu et aetate resurgentium determinat. Et ponit duas conclusiones.

I. Prima est: *In corporibus resurgentium non deerit sexus femineus, ut quidam putaverunt.* Probatur. Nihil eorum quae ad perfectionem naturae pertinent, a corporibus resurgentium auferetur: quia per resurrectionem reparandi sunt defectus naturae: sed ea quae generationi deserviunt tam in maribus quam in feminis, ad integritatem humani corporis pertinent. Ergo etc.

Non obstat autem, primo, quia huic usus horum membrorum non erit: nam neque usus erit membrorum deservientium nutritivae, et tamen illa membra non deerunt. Dicitur enim quod erunt huiusmodi membra ad integritatem naturalis corporis restituendam.

Non obstat, secundo, quia talis sexus est infirmus. Tum quia haec infirmitas non est per recessum a natura, sed a natura, scilicet universali, intenta. – Tum quia ipsa naturae

* Cf. text. et var.

distinctio in omnibus* perfectionem naturae demonstrabit. – Tum quia divinam sapientiam omnia cum quodam ordine disponentem ostendet.

Non obstat, tertio, dictum Apostoli, *Ephes.* IV, quod *omnes occurremus in virum perfectum:* quia illud non intelligitur quantum ad sexum virilem, sed quantum ad perfectionem et virtutem Ecclesiae, quae tota erit quasi vir perfectus occurrens Christo, – intellige, quantum ad animi perfectionem et virtutem.

II. Secunda conclusio est: *Omnes resurgent in aetate Christi, quae est aetas iuvenilis.* Probatur. In hac sola aetate est perfectio naturae: puerilis enim aetas hanc nondum est consecuta per augmentum; senilis autem iam ab ea recessit per decrementum. Ergo etc.

Attendendum, quod omnes esse resurrecturos in aetate iuvenili, non est intelligendum quantum ad numerum annorum, sed quantum ad statum perfectionis, ut inquit Sanctus Thomas in *Quarto**. Idem enim status perfectionis erit in omnibus, qui solet hominibus, secundum communem cursum, in iuvenili aetate convenire.

* D. XLIV, q. I, a. 3, qua 1, ad 2.

# CAPITULUM OCTOGESIMUM NONUM

## DE QUALITATE CORPORUM RESURGENTIUM IN DAMNATIS.

Ex his autem rationabiliter considerare possumus qualis futura sit conditio corporum resurgentium in damnandis. Oportet enim et illa corpora animabus damnandorum proportionata esse. Animae autem malorum naturam quidem bonam habent, utpote a Deo creatam: sed voluntatem habebunt inordinatam, et a fine proprio deficientem. Corpora igitur eorum, quantum ad id quod naturae est, integra reparabuntur: quia videlicet in aetate perfecta resurgent, absque omni diminutione membrorum, et absque omni defectu et corruptione quam error naturae aut infirmitas introduxit. Unde Apostolus dicit I *Cor.* XV[52]: *Mortui resurgent incorrupti:* quod manifestum est de omnibus debere intelligi, tam bonis quam malis, ex his quae praecedunt et sequuntur in littera.

Quia vero eorum anima erit secundum voluntatem a Deo aversa, et fine proprio destituta, eorum corpora non erunt spiritualia, quasi spiritui omnino subiecta, sed magis eorum anima per affectum erit *carnalis.*

Nec ipsa corpora erunt agilia, quasi sine difficultate animae obedientia: sed magis erunt *ponderosa et gravia,* et quodammodo animae importabilia, sicut et ipsae animae a Deo per inobedientiam sunt aversae.

Remanebunt etiam *passibilia* sicut nunc, vel etiam magis: ita tamen quod patientur quidem a rebus sensibilibus afflictionem, non tamen corruptionem; sicut et ipsorum animae torquebuntur, a naturali desiderio beatitudinis totaliter frustratae.

Erunt etiam eorum corpora *opaca et tenebrosa:* sicut et eorum animae a lumine divinae cognitionis erunt alienae. Et hoc est quod Apostolus dicit I *Cor.* XV[51], quod *omnes resurgemus, sed non omnes immutabimur:* soli enim boni immutabuntur ad gloriam, malorum vero corpora absque gloria resurgent.

Forte autem alicui potest impossibile videri quod malorum corpora sint passibilia, non tamen corruptibitia: cum *omnis passio, magis facta abiiciat a substantia**: videmus enim quod, si corpus diu in igne permaneat, finaliter consumetur; dolor etiam si sit nimis intensus, animam a corpore separat. – Sed hoc totum accidit supposita transmutabilitate materiae de forma in formam. Corpus autem humanum post resurrectionem non erit transmutabile de forma in formam, neque in bonis neque in malis: quia in utrisque totaliter perficietur ab anima quantum ad esse naturae, ita ut iam non sit possibile hanc formam a tali corpore removeri, neque aliam introduci, divina virtute corpus animae totaliter subiiciente. Unde et potentia quae est in prima materia ad omnem formam, in corpore humano remanebit quodammodo ligata per virtutem animae, ne possit in actum alterius formae reduci. Sed quia damnatorum corpora quantum

* Arist. VI *Topic.* cap. VI, n. 21. (Didot, p. 244).

3 corporum *om* DEGX. damnandis] damnatis DEGNWX. 4 et illa] illa NP. 5 damnandorum] damnatorum E, damnatis W. 8 proprio] primo EGX. 13 quam] quem BFHWZPc. infirmitas] naturae *addunt* DEGNX. 15 manifestum est] et (etiam G) manifestum est DEGNX*b*, manifestum (... debet) FWZ, manifestum (... debetur) BHY. 17 in littera] in bona E; et sequuntur in littera *om* DGX. 18 anima erit... aversa... destituta] animae erunt... aversae... destitutae DEGNX. 22 erit] esset EG. 25 animae importabilia] animae imponderabilia G*b et sine* animae E.

3 frustratae] frustrante BFHY. 14 abiiciat] abiicit DEGNX. 16 etiam] autem DEGNXZ. 19 corpus... 20 in formam *hom om* BE, quae non erit DX.

ad aliquas conditiones non erunt animae totaliter subiecta, affligentur secundum sensum a contrarietate sensibilium. Affligentur enim ab igne corporeo, inquantum qualitas ignis propter sui excellentiam contrariatur aequalitati complexionis et harmoniae quae est sensui connaturalis, licet eam solvere non possit. Non tamen talis afflictio animam a corpore poterit separare: cum corpus semper sub eadem forma necesse sit remanere.

Sicut autem corpora Beatorum propter innovationem gloriae supra caelestia corpora elevabuntur; ita et locus infimus, et tenebrosus, et poenalis, proportionaliter deputabitur corporibus damnatorum. Unde et in Psalm.* dicitur: *Veniat mors super eos, et descendant in infernum viventes.* Et *Apoc.* xx[9,10] dicitur quod *diabolus, qui seducebat eos, missus est in stagnum ignis et sulphuris, ubi et bestia et pseudopropheta cruciabuntur die ac nocte in saecula saeculorum.*

* Ps. LIV, 16.

6 sensui *om* DEGX, *post* connaturalis N. 8 a corpore *post* poterit DEGNX.
9 et bestia *Ita* CZ*b*P*c*; bestia DEGNX, et mali BFWY, mali H. et pseudopropheta] et (aut X) pseudoprophetae EHX*b*P*c*, pseudoprophetae DZ. cruciabuntur] et cruciabuntur BCF.

## Commentaria Ferrariensis

* Cf. Cap. LXXXVI, Init. Comm.

POSTQUAM ostendit Sanctus Thomas qualis futura sit in resurrectione conditio corporum Beatorum *, consequenter qualis futura sit conditio corporum damnatorum, declarat. Et ponit sex conclusiones.

I. Prima est: *Corpora damnatorum, quantum ad id quod naturae est, integre reparabuntur:* in perfecta scilicet aetate absque omni membrorum diminutione, et absque omni defectu et corruptione quem error naturae aut infirmitas introduxit. Probatur sic. Animae malorum naturam bonam habent, utpote a Deo creatam. Ergo etc. Probatur consequentia. Quia oportet illa corpora animabus damnatorum esse proportionata.

Advertendum quod dixit Sanctus Thomas reparanda corpora damnatorum absque defectu *quem error naturae vel infirmitas introduxit,* ut daret intelligere quicquid defectus ex corruptione vel debilitate naturae aut naturalium principiorum fuerit, totum in resurrectione removendum esse, ut sunt febris, lippitudo, et similia: non autem eos defectus qui ex naturalibus principiis in humano corpore naturaliter consequuntur, ut ponderositas et huiusmodi.

Confirmatur per Apostolum dicentem, I *Cor.* xv, quod *mortui resurgent incorrupti.*

Secunda est: *Talia corpora non erunt spiritualia, quasi spiritui omnino subiecta, sed magis eorum anima per affectum erit carnalis:* idest, magis spiritus ad obedientiam carnis trahetur per affectum, quam corpus spiritui sit subiectum. Probatur. Quia et eorum anima erit secundum voluntatem a Deo aversa, et fine proprio destituta.

Tertia est: *Huiusmodi corpora non erunt agilia, quasi sine difficultate animae obedientia: sed magis erunt ponderosa et gravia, et quodammodo animae importabilia.* Probatur quia et eorum animae per inobedientiam a Deo sunt aversae.

Quarta est: *Remanebunt haec corpora passibilia sicut et nunc, vel etiam magis: ita tamen quod patientur quidem a rebus sensibilibus afflictionem, sed non corruptionem.* Probatur. Quia et eorum animae torquebuntur a naturali desiderio beatitudinis totaliter frustratae. Intellige de desiderio beatitudinis secundum communem rationem beatitudinis et summi boni, quia istud est naturale: non autem secundum particularem rationem beatitudinis, quae est divinae essentiae visio. Hanc enim anima non absolute naturaliter desiderat sub ratione summi boni et finalis beatitudinis, sed tantum supposita hac cognitione per revelationem habita, quod ipsa divinae essentiae visio sit summum bonum et totalis beatitudo intellectualis naturae.

Quinta est: *Ista corpora erunt opaca et tenebrosa.* Probatur. Quia eorum animae a lumine divinae cognitionis erunt alienae.

Confirmantur praedictae conclusiones per illud Apostoli I *Cor.* xv, *Omnes resurgemus, sed non omnes immutabimur.*

II. Si obiiciatur contra quartam conclusionem, quod malorum corpora non poterunt esse impassibilia et incorruptibilia: quia *omnis passio, magis facta, abiicit a substantia,* ut per experientiam patet: – dicitur primo, quod illud est verum, supposita transmutabilitate materiae de forma in formam. Hoc autem non erit post resurrectionem in corporibus neque bonorum neque malorum: quia in utrisque totaliter perficientur ab anima quantum ad esse naturae, virtute divina corpus animae totaliter subiiciente.

Dicitur secundo, quod potentia quae est in prima materia ad omnem formam, in corpore humano remanebit quodammodo ligata, ne possit in actum alterius formae reduci. – Adverte quod dicitur *quodammodo:* quia est metaphorica locutio dicere quod materiae potentia sit ligata.

Dicitur tertio quod, quia damnatorum corpora quantum ad aliquas conditiones non erunt animae totaliter subiecta, scilicet quantum ad actiones et passiones, affligentur secundum sensum a contrarietate sensibilium: puta ab igne corporeo, inquantum caliditas propter sui excellentiam contrariatur aequalitati complexionis et harmoniae, quae est sensui connaturalis, licet eam solvere non possit.

Dicitur quarto, quod talis afflictio animam a corpore separare non poterit: cum corpus semper necesse sit sub eadem forma remanere.

III. Ad huius evidentiam, considerandum est quod, cum dolor et afflictio sensum laesionis importent, ad videndum quomodo damnati a sensibilibus rebus afflictionem et dolorem patiantur, videndum est quomodo ab eis laedi possint. Cum itaque duplex actio a sensibilibus rebus provenire possit: una scilicet naturalis, qua ab illis in passum imprimitur forma secundum suum esse materiale, sicut cum ignis sua caliditate lignum facit calidum; alia vero spiritualis, qua suam intentionem et similitudinem in sensum imprimit, sicut cum calor suam similitudinem imprimit in sensum tactus: non possunt corpora damnatorum a sensibilibus laedi agentibus naturali actione in ipsa; quia, ut dicitur *Quolib.* VIII, q. VIII *, *ignis et aqua,* et eadem ratione alia sensibilia, *non agent in corpora damnatorum actione naturae.* Ideo relinquitur quod ab ipsis laedantur inquantum actione spirituali agunt per sensus immutationem.

* Art. unic. (*alias* 18), ad 1.

Considerandum secundo, quod ista laesio quae fit per immutationem spiritualem, dupliciter potest intelligi. Uno modo, quia per talem immutationem abiiciatur a corpore aliqua forma sibi secundum naturam conveniens. Et sic non potest accipi laesio in damnatis: quia anima, ut hic dicitur, perfecte dominatur materiae quantum ad esse naturale; unde etiam dicitur hic quod, licet qualitas ignis contrarietur qualitati complexionis et harmoniae, quae est sensui connaturalis, ea tamen solvere non potest. – Alio modo, quia per ipsam immutationem causatur in organo sensus forma intentionalis illi improportionata et inconveniens. Unde ait Sanctus Thomas in *Quarto* d. XLIV, q. III, a. 1 *, quod *sensibile non solum natum est delectare vel affligere sensum secundum quod agit actione naturae confortando* [*vel corrumpendo*] *organum: sed etiam secundum quod agit in sensum actione spirituali, secundum quod est in debita proportione ad sentientem, vel in superabundantia et defectu.* Et sic accipienda est laesio in damnatis a rebus sensibilibus.

* Qua 3, ad 3.

IV. Sed tunc duplex oritur dubium. Primum est, quomodo afflictio et dolor possint ex intentionali forma causari: cum illi sint effectus reales.

Secundum est, quare Beati ex huiusmodi sensibilibus non poterunt affligi, sicut damnati: cum ita excellens sensibile sit improportionatum sensui Beatorum, sicut damnatorum sensui.

2. Ad primum respondetur quod non dicitur similitudo sensibilis habere esse intentionale in sensu ut esse intentionale distinguitur contra esse reale, quo modo entia rationis dicuntur habere esse intentionale, habet enim esse reale, et realiter sensum informat: sed ut distinguitur contra esse naturale et materiale eiusdem formae. Sensibile enim est in sensu sine materia, et modo quodam immateriali: unde non denominat ipsum calidum aut frigidum, ut patet II *de Anima**. Tale autem habens esse intentionale et spirituale, non est inconveniens quod dolorem aut aliquem alium realem effectum causet, virtute formae extrinsecae a qua causatur.

* Cap. XII, n. 1. s. Th. lect. XXIV.

Sed contra istam responsionem adhuc occurrit dubium. Nam tenet Sanctus Thomas, *Prima*, q. LXVII, a. 3; et II *Sent.*, d. XIII, a. 3, quod intentio coloris in aere, et similiter aliae sensibilium intentiones, transmutationem naturalem non causant, et tamen habent ibi aliquod esse reale. Ergo, eadem ratione, intentiones quae sunt in sensu realem effectum inducere non possunt.

Respondetur negando consequentiam. Nam licet non possent aliquam transmutationem causare, de quo in superioribus* est dictum, non sequitur quod dolorem causare in damnatis non possint. Illa enim doloris causatio non est per aliquam transmutationem naturalem, cum corpora damnatorum non sint naturali mutatione transmutabilia, sicut nec corpora Beatorum: sed solum per improportionem obiecti ad organum sensus.

* Num. III.

3. Ad secundum dupliciter posset responderi. Primo quod, licet aliqua sensibilia sint improportionata sensibus Beatorum, si secundum se solum considerentur, non tamen sunt illis improportionata ut subduntur animae glorificatae, et dotem impassibilitatis habent: ex hoc enim redduntur sensus, et eorum organa, toti latitudini sensibilis proprii proportionata, proportione passivi ad agens connaturale. In damnatis autem corpus non substat perfecte animae quantum ad omnes actiones et passiones: nec in ipsis est dos impassibilitatis, per quam eleventur et perficiantur organa sensuum.

Posset, secundo, responderi quod utique etiam aliquae excellentiae sensibilium erunt improportionatae sensibus Beatorum, sed tamen non poterunt agere in ipsum sensum per modum laesivi. Quia aut non agent in ipsum, dote impassibilitatis prohibente, aut, si agent, suam similitudinem imprimendo, illa tamen actio non habebit rationem laesivi: inquantum nullum sensibilem dolorem aut tristitiam interiorem causabit, anima hoc prohibente ex pleno sui dominio supra corpus et supra omnes actiones et passiones eius, et dote impassibilitatis impediente.

4. Si autem quaeratur de corporibus parvulorum cum originali tantum decedentium, in quibus, secundum Sanctum Thomam*, nulla erit poena sensus, quomodo erunt impassibilia, cum non sint habitura impassibilitatis dotem: – dicitur, ex doctrina Sancti Thomae II *Sent.*, d. XXXIII, q. II, a. 1, ad 5, quod non patientur passione corruptiva, quia, cessante motu caeli, nullum agens corruptivum aut alterativum erit. Non patientur etiam passione afflictiva per spiritualem immutationem a sensibilibus, divina iustitia hanc passionem, utpote illis nullo modo debitam, prohibente.

* *De Malo* qu. V, a. 2; II *Sent.* l. c. infra.

Cetera quae ad hanc materiam pertinent, vide apud Capreolum *Quarto*, d. XLIV, q. IV.

V. Sexta conclusio est: *Locus infimus, et tenebrosus, ac poenalis, deputabitur corporibus damnatorum.* Probatur. Quia, per oppositum, corpora Beatorum propter innovationem gloriae, supra caelestia corpora elevabuntur. – Confirmatur auctoritate Psalm., *Veniat mors* etc. Et *Apoc.* XX dicitur quod *diabolus qui seducebat* etc.

# CAPITULUM NONAGESIMUM

## QUOMODO SUBSTANTIAE INCORPOREAE PATIANTUR AB IGNE CORPOREO.

Sed potest venire in dubium quomodo diabolus, qui incorporeus est, et animae damnatorum ante resurrectionem, ab igne corporali possint pati, a quo patientur in inferno corpora damnatorum: sicut et Dominus dicit, *Matth.* XXV[41]: *Ite, maledicti, in ignem aeternum qui paratus est diabolo et angelis eius.*

Non igitur sic aestimandum est quod substantiae incorporeae ab igne corporeo pati possint quod earum natura corrumpatur per ignem, vel alteretur, aut qualitercumque aliter transmutetur, sicut nunc nostra corpora corruptibilia patiuntur ab igne: substantiae enim incorporeae non habent materiam corporalem, ut possint a rebus corporeis immutari: neque etiam formarum sensibilium susceptivae sunt, nisi intelligibiliter; talis autem susceptio non est poenalis, sed magis perfectiva et delectabilis.

Neque etiam potest dici quod patiantur ab igne corporeo afflictionem ratione alicuius contrarietatis, sicut corpora post resurrectionem patientur, quia substantiae incorporeae organa sensuum non habent, neque potentiis sensitivis utuntur.

Patiuntur igitur ab igne incorporeo substantiae incorporeae per modum alligationis cuiusdam. Possunt enim alligari spiritus corporibus vel per modum formae sicut anima corpori humano alligatur, ut det ei vitam: vel etiam absque hoc quod sit eius forma, sicut necromantici, virtute daemonum, spiritus alligant imaginibus aut huiusmodi rebus. Multo igitur magis virtute divina spiritus damnandi igni corporeo alligari possunt. Et hoc ipsum est eis in afflictionem, quod sciunt se rebus infimis alligatos in poenam.

Est etiam conveniens quod damnati spiritus poenis corporalibus puniuntur. Omne enim peccatum rationalis creaturae ex hoc est quod Deo

4 possint] possunt EGN*b*. 11 corrumpatur *post* per ignem DENX*b*. 13 nostra *post* corpora DEGHNX*b*. 15 materiam] naturam GP*c*.
4 quia ... sensuum] cum sensum DEGX*b*; *pro* habent ... utuntur, habeant ... utantur DEGX. 5 neque] sed BFWY.

obediendo non subditur. Poena autem proportionaliter debet culpae respondere: ut voluntas per poenam in contrario eius affligatur quod diligendo peccavit. Est igitur conveniens poena naturae rationali peccanti ut rebus se inferioribus, scilicet corporalibus, quodammodo alligata subdatur.

Item. Peccato quod in Deum committitur non solum poena damni, sed etiam poena sensus debetur, ut in Tertio* ostensum est: poena enim sensus respondet culpae quantum ad conversionem inordinatam ad commutabile bonum, sicut poena damni respondet culpae quantum ad aversionem ab incommutabili bono. Creatura autem rationalis, et praecipue humana anima, peccat inordinate se ad corporalia convertendo. Ergo conveniens poena est ut per corporalia affligatur.

* Cap. CXLV.

Praeterea. Si poena afflictiva peccato debetur, quam dicimus *poenam sensus,* oportet quod ex illo haec poena proveniat quod potest afflictionem inferre. Nihil autem afflictionem infert nisi inquantum est contrarium voluntati. Non est autem contrarium naturali voluntati rationalis naturae quod spirituali substantiae coniungatur: quinimmo hoc est delectabile ei, et ad eius perfectionem pertinens; est enim coniunctio similis ad simile, et intelligibilis ad intellectum; nam omnis substantia spiritualis secundum se intelligibilis est. Est autem contrarium naturali voluntati spiritualis substantiae ut corpori subdatur, a quo, secundum ordinem suae naturae, libera esse debet. Conveniens est igitur ut substantia spiritualis per corporalia puniatur.

Hinc etiam apparet quod, licet corporalia quae de praemiis Beatorum in Scripturis leguntur, spiritualiter intelliguntur, sicut dictum est* de promissione ciborum et potuum; quaedam tamen corporalia quae Scriptura peccantibus comminatur in poenam, corporaliter sunt intelligenda, et quasi proprie dicta. Non enim est conveniens quod natura superior per usum inferioris praemietur, sed magis per hoc quod superiori coniungitur: punitur autem convenienter natura superior per hoc quod cum inferioribus deputatur.

* Cap. LXXXIII, *Auctoritates vero.*

Nihil tamen prohibet quaedam etiam quae de damnatorum poenis in Scripturis dicta corporaliter leguntur, spiritualiter accipi, et velut per similitudinem dicta: sicut quod dicitur *Isaiae* ult.*: *Vermis eorum non morietur:* potest enim per vermem intelligi conscientiae remorsus, quo etiam impii torquebuntur; non enim est possibile quod corporeus vermis spiritualem corrodat substantiam, neque etiam corpora damnatorum quae incorruptibilia erunt. – *Fletus* etiam et *stridor dentium** in spiritualibus substantiis non nisi metaphorice intelligi possunt: quamvis in corporibus damnatorum, post resurrectionem, nihil prohibeat corporaliter ea intelligi; ita tamen quod per fletum non intelligatur lacrimarum deductio, quia ab illis corporibus resolutio nulla fieri potest, sed solum dolor cordis et conturbatio oculorum et capitis, prout in fletibus esse solet.

* Cap. LXVI, 24.

* Cf. *Matth.* VIII, 12.

1 obediendo] per obedientiam DEGNX*b*. proportionaliter] *addunt* proposita EG, opposita DX, per oppositum N*b*. 5 rebus *om* DEGNX*b*. 8 Peccato] Peccatum αWYZ. 20 sensus] ut in III ostensum est *addunt* αNWYZ*b*Pc. 22 afflictionem] poenam DGX; nihil ... infert *om* E. 28 et *om* DFHW. 29 secundum se *om* DEX. 31 spiritualis *post* substantiae DEGNX.
3 quod *om* G; licet *om* E*b*. 11 coniungitur] coniungatur DF. 17 leguntur *Ita* DENX*b*; loquuntur *ceteri*. 18 quod *om* Pc. 28 corporaliter *post* ea DEGNX*b*. 30 nulla *post* fieri αW, *ante* resolutio Pc. 31 et *om* αWYZPc. 32 fletibus] flentibus WY, fetibus N.

## Commentaria Ferrariensis

* Cf. cap. LXXXIV, Init. Comm.

POSTQUAM manifestavit Sanctus Thomas qualia sint resurgentium corpora, consequenter quales sint eorum animae ante resurrectionem, declarat*. Et primo, quantum ad poenam et praemium; secundo quantum ad voluntatem, cap. XCII.

Circa primum duo facit: primo, ostendit capacitatem animae ad poenam et praemium; secundo, ostendit statim post separationem haec sibi dari, capite sequenti.

* Non hic, sed in init. seq. cap. fit dicta suppositio.

Quantum ad primum, supposito* ex tertio libro quod animae sint capaces praemii, scilicet divinae visionis: quia posset aliquis, ex eo quod dictum est corpora damnatorum ab igne corporeo pati, occasionem sumere dubitandi quo modo diabolus qui incorporeus est et animae damnatorum ante resurrectionem ab igne corporali pati possint, a quo patientur corpora damnatorum, sicut et Dominus dicit, *Matth.* XXV, *Ite maledicti* etc.; vult Sanctus Thomas hanc difficultatem declarare. Et primo, removet quosdam falsos modos; secundo, veritatem declarat*.

* Num. II.

I. Quantum ad primum, dicit primo, quod hoc non est intelligendum quasi eorum natura corrumpatur per ignem, vel alteretur, aut qualitercumque aliter transmutetur, sicut nunc corpora nostra corruptibilia patiuntur ab igne: quia nec habent substantiae incorporeae naturam corporalem*, ut possint a rebus corporeis immutari; neque formarum sensibilium nisi intelligibiliter sunt susceptivae, quae susceptio non est poenalis (scilicet secundum se), sed magis perfectiva et delectabilis.

* Cf. text. et var.

Dicit secundo, quod hoc etiam non est intelligendum quasi ab igne patiantur afflictionem ratione alicuius contrarietatis, sicut corpora post resurrectionem patientur: quia organa sensuum non habent, neque potentiis sensitivis utuntur.

Adverte, quod Sanctus Thomas duos modos passionis substantiae separatae ab igne excludit, secundum quos ab ipso nostra corpora patiuntur. Unus est secundum quod in statu corruptionis existentia per realem immutationem et alterationem patiuntur ab igne et aliis rebus sensibilibus. Alius est secundum quod in statu incorruptionis existentia patiuntur per spiritualem immutationem sensus tactus ab igne, causante afflictionem ratione contrarietatis ad aequalitatem complexionis et harmoniae sensus.

II. Quantum ad secundum, ponuntur duae conclusiones. Prima est: *Patiuntur substantiae huiusmodi ab igne corporeo per modum alligationis cuiusdam.* Huius autem possibilitas alligationis a Deo declaratur sic. Possunt alligari spiritus corporibus vel per modum formae, sicut anima corpori humano, ut det ei vitam: vel etiam, absque hoc quod sit eius forma, sicut nigromantici, virtute daemonum, spiritus alligant imaginibus aut huiusmodi rebus. Ergo multo magis divina virtute possunt spiritus damnandi alligari igni corporeo. – Quod autem ex hac alligatione patiantur afflictionem, probatur, quia sciunt se rebus infimis alligatos in poenam.

2. Ad horum evidentiam, considerandum est primo, ex doctrina Sancti Thomae *Quarto,* d. XLIV, a. ult.*, qu$^{a}$ 3; *de Anima,* a. 1; et *Quolib.* II, a. 13, quod multipliciter potest

* Sc. qu. III, a. 3.

substantia spiritualis uniri corpori: scilicet sicut forma materiae, quo modo anima humana corpori unitur; sicut motor mobili secundum locum, quo modo angelus unitur orbi quem movet; et sicut locatum loco, secundum modum quo spiritualia sunt in loco, quo modo dicitur substantia spiritualis loco definiri. Cum ergo hic dicitur spiritus damnatos divina virtute alligari igni corporeo, intelligitur non secundum unionem formae ad materiam, cum ignem non vivificent; nec secundum unionem motoris ad mobile, quia non apparet quo locali motu habeant ignem movere; sed secundum unionem locati ad locum: uniuntur enim igni tanquam loco illis per divinam iustitiam deputato.

Considerandum secundo, quod ista alligatio non dicit solam unionem spiritus ad ignem: sed dicit violentam unionem et detentionem eius ab igne, quae scilicet est contra spiritus voluntatem et inclinationem; sicut et carceri dicuntur alligati qui in eo contra eorum voluntatem detinentur.

Considerandum tertio, quod afflictio et dolor per huiusmodi alligationem existens in spiritibus damnatis, duplicem habet causam ex parte ignis: unam scilicet remotam, aliam propinquam. Remota est violenta ipsa alligatio spiritus ad ignem, ita quod sic detinetur ab ipso quod in alio loco esse non potest. Propinqua vero est cognitio huiusmodi alligationis. Nisi enim spiritus se cognosceret alligatum igni, non affligeretur ex tali alligatione: sicut non affligitur lapis ex eo quod sursum per violentiam detinetur. Sed quia cognoscit se infimo corpori, scilicet elementari, alligatum esse, et ab ipso detineri ne alibi esse possit, cum tamen secundum suam naturam omnibus, etiam supremis corporibus, nobilior et praestantior sit, ex hoc quam maxime affligitur et dolet, non quidem dolore sensibili, cum ille in substantiis separatis esse non possit, sed dolore et cruciatu voluntatis. Primam causam doloris tangit Sanctus Thomas cum ait spiritus huiusmodi *divina virtute igni corporeo alligari:* secundam vero cum ait *illos scire se infimis rebus alligatos in poenam.*

III. Secunda conclusio est: *Conveniens est quod spiritus damnati poenis corporalibus puniantur:* – intellige, non corporalibus ex parte patientis poenam, quasi ipsi spiritus habeant corpus in quo patiantur; sed ex parte poenam inferentis; sensus enim est, conveniens esse ut aliquod corpus illis poenam infligat.

*Probatur primo.* Rationalis creatura peccat ex eo quod Deo obediendo non subditur. Ergo eius conveniens poena est ut rebus inferioribus, idest corporalibus, quodammodo alligata subdatur. – Probatur consequentia. Quia poena debet proportionaliter peccato respondere, ut voluntas per poenam in contrario eius affligatur quod diligendo peccavit.

Advertendum primo, quod alligari proprie convenit corporibus non autem spirituali substantiae. Sed tamen hoc etiam dicitur de ipsa metaphorice, in quantum contra voluntatem eius a corporeo igne detinetur. Propterea dixit Sanctus Thomas ipsam esse *quodammodo alligatam,* non autem alligatam absolute.

Advertendum secundo, quod istam proportionem poenae ad culpam possumus interpretari, ut dicamus quod, sicut spiritualis substantia peccando subtraxit se a subiectione sui superioris, scilicet Dei, ita conveniens est ut puniatur per subiectionem ad inferiora: sic enim punitur voluntas in contrario eius quod diligendo peccavit, nam ex hoc peccavit quod voluit et amavit non subiici superiori, punitur vero ex eo quod contra suam inclinationem subditur inferiori.

2. *Secundo.* Poena sensus correspondet culpae quantum ad conversionem inordinatam ad commutabile bonum, sicut poena damni sibi correspondet quantum ad aversionem ab incommutabili bono. Ergo conveniens est ut per corporalia affligatur. – Probatur consequentia. Quia creatura rationalis, praecipue anima humana, peccat inordinate se ad corporalia convertendo.

Advertendum quod ista ratio proprie procedit de poena animae rationalis quia, ut innuit Sanctus Thomas, substantiae separatae non peccaverunt per conversionem affectus ad corporalia, sed ad spiritualia; scilicet aut appetendo proprium bonum naturale tanquam ultimum finem; aut appetendo veram beatitudinem, sed indebito modo, ut superius* est ostensum.

* Lib. III, cap. CIX.

3. *Tertio.* Poena afflictiva, quam dicimus poenam sensus, ex illo debet provenire quod potest afflictionem inferre. Ergo conveniens est ut spiritualis substantia per corporalia puniatur. – Probatur consequentia. Quia nihil afflictionem infert nisi inquantum contrariatur voluntati. Est autem contrarium naturali voluntati spiritualis substantiae ut corpori subdatur, a quo secundum ordinem naturae suae libera esse debet, non autem, quod spirituali substantiae coniungatur: immo hoc est ei delectabile, et ad eius perfectionem pertinens, cum sit coniunctio similis ad simile, et intelligibilis ad intelligibile.

Advertendum, cum dicitur *spiritualem naturam secundum naturae ordinem a corpore debere esse liberam,* quod hoc quantum ad substantias spirituales quae sunt completae in specie, universaliter est intelligendum: sed quantum ad animam intellectivam, quae complementum suae perfectionis accipit in corpore, est intelligendum cum hac exceptione, *nisi illi uniatur ut forma.*

IV. Sed quia posset aliquis dicere quod ea quae de poena corporali damnatorum dicuntur, sunt spiritualiter intelligenda, sicut et ea quae de praemiis Beatorum leguntur, hoc removet Sanctus Thomas, dicens quod, licet illa spiritualiter intelligantur, quaedam tamen corporalia quae Scriptura peccantibus comminatur in poenam, sunt corporaliter intelligenda, et quasi proprie dicta. Quia non est conveniens quod natura superior per usum inferioris praemietur, sed magis per hoc quod superiori coniungitur: punitur tamen convenienter per hoc quod cum inferioribus deputatur.

2. Posset etiam aliquis obiicere quod, si quaedam dictorum sunt corporaliter intelligenda, eadem ratione et omnia. – Sed respondet Sanctus Thomas hoc non oportere: quia quaedam huiusmodi sunt spiritualiter intelligenda, et veluti per similitudinem dicta, sicut *Isaiae ult.* dicitur quod *vermis eorum non morietur:* constat enim quod hoc intelligi non potest quasi corporeus vermis spiritualem corrodat substantiam, aut corpora damnatorum, quae incorruptibilia erunt; sed per *vermem* conscientiae remorsus intelligi potest, quo etiam impii torquebuntur. – Constat etiam quod *fletus* et *stridor dentium* in spiritualibus substantiis non nisi metaphorice intelligi possunt: quamvis nihil prohibeat in corporibus damnatorum haec corporaliter intelligi; ita tamen quod per *fletum* intelligatur, non lacrimarum deductio, sed solum dolor cordis et conturbatio oculorum et capitis, prout in flentibus* esse solet.

* Cf. text. et var.

3. Circa vermem, qui dicitur in damnatis esse conscientiae remorsus, advertendum quod non est sic intelligendum vermem in damnatis esse, quasi damnati poeniteant de peccatis quae commiserunt secundum se, et inquantum mala sunt: sed quia de ipsis continue dolent ratione poenae quam pro ipsis continue patiuntur, ut inquit Sanctus Thomas *Quarto,* d. L, q. II, a. 1*.

* Qu[a] 2.

4. Circa fletum autem damnatorum, qui dicitur esse *quantum ad dolorem cordis et quantum ad conturbationem capitis et oculorum,* dubium occurrit. Ista conturbatio capitis et oculorum non videtur posse esse nisi per hoc quod corpus transmutatur a sua naturali dispositione. Post resurrectionem autem hoc in corporibus esse non poterit: ut superius* est ostensum. Ergo. – Et si forte diceretur, ut videtur haberi a Sancto Thoma, IV *Sent.,* dist. alleg.*, quod licet non possint transmutari a sua naturali dispositione ab extrinseco, poterunt tamen transmutari ab intrinseco, *secundum quod corpus ad passionem animae transmutatur:* hoc non videtur esse ad mentem ipsius, quia ipse in *Quarto,* d. XLIV, q. III, a. 1, qu[a] 3, ad 4, tenet quod nec etiam ab interiori poterit esse talis transmutatio in corpore. – Si etiam diceretur quod nulla erit transmutatio propter hoc, quia illa conturbatio erit in capite et in oculis ab initio unionis animae ad corpus, et perseverabit in aeternum: hoc non videtur etiam esse ad mentem Sancti Thomae, quia in praecedenti capite dixit quod in

* Cap. praec. Comm. num. II.
* Qu. II, a. 3, qu[a] 3.

corporibus damnatorum *nullus erit defectus, nullaque corruptio, quem error naturae vel infirmitas introduxit.*

Dicitur primo, quod utique ista conturbatio non erit per aliquam alterationem corporis a sua naturali et convenienti qualitate. Hoc enim expresse tenet Sanctus Thomas in locis praeallegatis.

Dicitur secundo, quod talis conturbatio erit *quaedam dispositio corporis, qua corpus, anima dolente, disponetur,* ut dicitur *Quolib.* VII, a. 13. Sicut enim dicitur in *Quarto,* d. L*, *corpora damnatorum non solum ex exteriori affligentur, sed etiam ex interiori, secundum quod corpus immutatur ad passionem animae in bonum vel malum.*

* Eodem loc. cit.

Dicitur tertio, quod talis immutatio capitis et oculorum ex dolore proveniens, potest intelligi aut secundum motum localem tantum spirituum aut aliquorum humorum, ex quorum motu remanet quaedam confusio in capite et in oculis: aut, cum hoc, etiam secundum immutationem spiritualem ab huiusmodi spiritibus et humoribus, absque convenienti ordine motis, provenientem. Et hoc videtur mihi magis esse ad mentem Sancti Thomae, qui, assignans* rationem quomodo ista commotio et perturbatio possit esse in damnatis, hoc esse inquit inquantum ab interiori corpora damnatorum affligentur, sicut et ab exteriori. Constat autem ex superioribus* quod affligentur corpora damnatorum ab exteriori per spiritualem immutationem.

* L. c. in d. L.

* Cap. praec. Comm. num. III.

Addit autem Sanctus Thomas in *Quolibet* quod si quis vellet tenere huismodi fletum esse per lacrimarum resolutionem, *posset dicere quod virtute divina illa lacrimarum deperditio restauraretur*.*

* L. c. ad 2.

V. Circa animae passionem ab igne, inquantum alligatur illi virtute divina, et eadem virtute detinetur ab illo ne in alio loco esse possit, dubitatur a Durando, apud Capreolum, *Quarto,* d. XLIV, q. IV*, primo quia, si non est alia poena animae et daemonis ab igne proveniens quam quod ab ipso detinentur ne ad alium locum moveantur ad quem vellent, tunc aequalis poena illis esset si eodem modo in pulcra camera detinerentur. *Hoc autem non reputatur adeo poenale et grave, sicut praedicamus gravem esse poenam hominum damnatorum et daemonum.* Ergo etc.

* Art. 2, § 2. (Ed. cit. p. 102) Apud ipsum Dur. d. XLIV, qu. XI, n. 26. (Ed. cit. p. 404 v b).

Secundo, *quia tunc animae decedentium cum solo originali ita affligerentur sicut et animae damnatorum: cum et ipsae detineantur in limbo.*

VI. Ad huiusmodi evidentiam, considerandum est primo, ut ex superioribus* constat, quod licet substantia spiritualis esse possit secundum essentiam suam in loco corporeo, non quidem circumscriptive, quasi ab ipso contineatur et circumdetur, sed definitive, inquantum ita est in uno loco quod non in alio, secundum contactum suae virtutis, ut in superioribus* est ostensum; ipsa tamen, secundum suam naturam, libera est et absoluta ab omni obligatione ad locum: quia locus proprie corporibus debetur, ipsa autem totum ordinem corporalium rerum transcendit.

* Num. II, 2.

* L. c.

Considerandum secundo, ex doctrina Sancti Thomae in Qu. *de Anima,* loco allegato*, quod nocumentum alicui non infertur secundum quod recipit id quo perficitur, sed secundum quod a suo contrario impeditur. Cum autem impediatur aliquid a suo contrario et quantum ad esse, per alterationem et corruptionem, sicut lignum comburitur ab igne; et quantum ad suam inclinationem, sicut lapis per violentiam sursum detinetur: constat animam non posse pati nocumentum ab igne quod ab ipso primo modo impediatur, sed tantum quia secundo modo impeditur; dum scilicet contra eius naturalem inclinationem et contra eius naturam, qua omnem corporum ordinem transcendit et libera est ab omni determinatione ad locum et corpus cuius non est forma, ad ignem virtute divina alligatur, et per necessitatem ab ipso detinetur.

* Sc. num. II, 2; sed non habetur loc. ibi c. ex *de Anima,* sed l. c. ibi ex *Quol.*

Considerandum tertio, quod nocumentum hoc, licet in carentibus cognitione afflictionem non causet, quia non potest esse afflictio ubi non potest esse dolor et tristitia, haec autem cognitionem nocumenti consequuntur, in habentibus tamen cognitionem afflictionem causat, secundum quod apprehenditur ut contrarium voluntati et naturali inclinationi; et quandoque magis affligit quam nocumentum sensibile, vellet enim aliquis magis verberari, et secundum sensum affligi, quam vituperari, aut aliquid huiusmodi quod sit contra eius voluntatem sustinere, praesertim si magni animi fuerit et superbus. Quia ergo substantia spiritualis, quae de sua nobilitate superbit et extollitur, alligatur igni, et ab ipso contra eius naturalem inclinationem detinetur ne ad alia loca moveri possit; hocque perfectissime cognoscit sibi divina virtute et iustitia contra suam voluntatem infligi; maxime dolet et tristatur, considerans se infimis rebus alligatam, quae nata fuit ad divinam fruitionem elevari. Ut enim dicitur *Quarto,* d. XXI*, a. 1, qu[a] 3**, *licet anima sit minus passiva quam corpus, est tamen magis cognoscitiva passionis. Ubi autem est maior passionis cognitio, ibi est maior dolor, etiam si sit minor passio:* unde in locis maxime sensibilibus laesiones maximum dolorem causant.

* Qu. 1. ** Ad 1.

2. Ad primum itaque Durandi* dicitur quod etiam affligeretur spiritualis substantia si in pulcra camera detineretur, suaque libertate privaretur. Tanto autem magis affligitur ex detentione in igne quam ex detentione in pulcra camera, quanto cognoscit hoc sibi ad maiorem ignominiam inferri quod faeculento igni alligatur, non autem alicui ornato loco: sicut imperator affligeretur quidem si a principe aliquo in pulcro et ornato loco detineretur per violentiam, magis autem contristaretur si a rustico in loco detineretur immundo et fetido.

* Cf. num. V.

Ad secundum dicitur quod non est eadem ratio de pueris qui detinentur in limbo, et de damnatis: quia ipsi voluntarie illum sustinent carcerem, considerantes illum sibi ex iustitia deberi; nam eorum voluntas iusta est, ut patet ex doctrina Sancti Thomae II *Sent.,* d. XXXIII, q. II*. Damnatorum autem voluntas semper divinae iustitiae contrariatur, et contra voluntatem ab igne detinentur corporeo.

* Art. 2.

De hac passibilitate animae ab igne, vide Sanctum Thomam in locis praeallegatis, ubi diffuse hanc materiam pertractat.

# CAPITULUM NONAGESIMUM PRIMUM

## QUOD ANIMAE STATIM POST SEPARATIONEM A CORPORE POENAM VEL PRAEMIUM CONSEQUUNTUR.

Ex his autem accipere possumus quod statim post mortem animae hominum recipiunt pro meritis vel poenam vel praemium.

Sunt enim animae separatae susceptibiles poenarum non solum spiritualium, sed etiam corporalium, ut ostensum est*. Quod autem sint susceptibiles gloriae, manifestum est ex his quae in Tertio sunt tractata*. Ex hoc enim quod anima separatur a corpore, fit capax visionis divinae, ad quam, dum esset coniuncta corruptibili corpori, pervenire non poterat. In visione autem Dei

* Cap. praec. *Hinc etiam.*

* Cap. LI.

b 3 enim] autem DEGNX.

ultima hominis beatitudo consistit, quae est *virtutis praemium**. Nulla autem ratio esset quare differretur poena et praemium, ex quo utriusque anima particeps esse potest. Statim igitur cum anima separatur a corpore, praemium vel poenam recipit *pro his quae in corpore gessit**.

* Arist. I *Ethic.* cap. IX, 3; s. Th. lect. XIV.

* Cf. II *Cor.* V, 10.

Adhuc. In vita ista est status merendi vel demerendi: unde comparatur *militiae*, et *diebus mercenarii*, ut patet *Iob* VII[1]: *Militia est vita hominis super terram: et sicut mercenarii dies eius.* Sed post statum militiae et laborem mercenarii statim debetur praemium vel poena bene vel male certantibus: unde et *Levit.* XIX[13], dicitur: *Non morabitur opus mercenarii tui apud te usque mane.* Dominus etiam dicit *Ioel* ult.*: *Cito velociter reddam vicissitudinem vobis super caput vestrum.* Statim igitur post mortem animae vel praemium consequuntur vel poenam.

* Cap. III, 4.

Amplius. Secundum ordinem culpae et meriti convenienter est ordo in poena et praemio. Meritum autem et culpa non competit corpori nisi per animam: nihil enim habet rationem meriti vel demeriti nisi inquantum est voluntarium. Igitur tam praemium quam poena convenienter ab anima derivatur ad corpus: non autem animae convenit propter corpus. Nulla igitur ratio est quare in punitione vel praemiatione animarum expectetur resumptio corporum: quin magis conveniens videtur ut animae, in quibus per prius fuit culpa et meritum, prius etiam puniantur vel praemientur.

Item. Eadem Dei providentia creaturis rationalibus praemia debentur et poena, qua rebus naturalibus perfectiones eis debitae adhibentur. Sic est autem in rebus naturalibus quod unumquodque statim recipit perfectionem cuius est capax, nisi sit impedimentum vel ex parte recipientis, vel ex parte agentis. Cum igitur animae statim cum fuerint separatae a corpore sint capaces et gloriae et poenae, statim utrumque recipient, nec differtur vel bonorum praemium vel malorum poena quousque animae corpora reassumant.

Considerandum tamen est quod ex parte bonorum aliquod impedimentum esse potest, ne animae statim a corpore absolutae ultimam mercedem recipiant, quae in Dei visione consistit. Ad illam enim visionem creatura rationalis elevari non potest nisi totaliter fuerit depurata: cum illa visio totam facultatem naturalem creaturae excedat. Unde *Sap.* VII[25], dicitur de sapientia quod *nihil inquinatum incurrit in illam;* et *Isaiae* XXXV[8], dicitur: *Non transibit per eam pollutus.* Polluitur autem anima per peccatum, inquantum rebus inferioribus inordinate coniungitur. A qua quidem pollutione purificatur in hac vita per poenitentiam et alia sacramenta, ut supra* dictum est. Quandoque vero contingit quod purificatio talis non totaliter perficitur in hac vita, sed remanet adhuc debitor poenae: vel propter negligentiam aliquam aut occupationem; aut etiam quia homo morte praevenitur. Nec tamen propter hoc meretur totaliter excludi a praemio: quia haec absque peccato mortali contingere possunt, per quod solum tollitur caritas, cui praemium vitae aeternae debetur, ut apparet ex his quae in Tertio dicta sunt*. Oportet igitur quod post hanc vitam purgentur, antequam finale praemium consequantur. Purgatio autem haec fit per poenas, sicut et in hac vita per poenas satisfactorias purgatio completa fuisset: alioquin melioris conditionis essent negligentes quam solliciti, si poenam quam hic pro peccatis non implent, non sustineant in futuro. Retardantur igitur animae bonorum qui habent aliquid purgabile in hoc mundo, a praemii consecutione, quousque poenas purgatorias sustineant. Et haec est ratio quare purgatorium ponimus.

* Capp. LVI init., LIX, LX, LXI, LXX init., LXXII, LXXIII, *Quia vero*; LXXIV, init. et *Ad divinam.*

* Cap. CXLIII.

Huic autem positioni suffragatur dictum Apostoli I *Cor.* III[15]: *Si cuius opus arserit, detrimentum patietur, ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem.* Ad hoc etiam est consuetudo Ecclesiae universalis, quae pro defunctis orat: quae quidem oratio inutilis esset si purgatorium post mortem non ponatur. Non enim orat Ecclesia pro his qui iam sunt in termino boni vel mali, sed pro his qui nondum ad terminum pervenerunt.

Quod autem statim post mortem animae consequantur poenam vel praemium si impedimentum non sit, auctoritatibus Scripturae confirmatur. Dicitur enim *Iob* XXI[13], de malis: *Ducunt in bonis dies suos: et in puncto ad inferna descendunt;* et *Lucae* XVI[22]: *Mortuus est dives, et sepultus est in inferno;* infernus autem est locus ubi animae puniuntur. Similiter etiam et de bonis patet. Ut enim habetur *Lucae* XXIII[43], Dominus in cruce pendens latroni dixit: *Hodie mecum eris in paradiso;* per paradisum autem intelligitur praemium quod repromittitur bonis, secundum illud *Apoc.* II[7]: *Vincenti dabo edere de ligno vitae quod est in paradiso Dei mei.*

Dicunt autem quidam quod per *paradisum* non intelligitur ultima remuneratio, quae erit in caelis, secundum illud *Matth.* V[12]: *Gaudete et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in caelis;* sed aliqualis remuneratio quae erit in terra. Nam *paradisus* locus quidam terrenus esse videtur, ex

11 mercenarii] mercenariis EGNXY*b* 15 Dominus etiam dicit] (et X) de Deo etiam dicitur DEGX. 23 inquantum est voluntarium] involuntarium EG, voluntarium DX. 30 prius etiam] primum etiam DEsG, *om* X. puniantur vel praemientur] puniantur DGN, punientur E, praemientur vel puniantur X. 32 Eadem] Hoc (*vel* Haec) eadem DEGX. 35 unumquodque] unuquamque (!) E, unaquaeque X, nunquam D. 38 igitur] enim EX. 48 enim *om* EGX. 52 incurrit in illam] in illam EG, in illam intrabit DX*b*, (nihil intus inquinatum) in illam N, in illam incurrit P*c*.

4 Quandoque vero] Sed quandoque vero EG *et sine* vero DX. 5 remanet] homo *addendum videtur; cf. var. seq.* 8 homo] debitor poenae homo αWY*cd et sine* homo ZP*c*. 16 et in *Ita* DEG; etiam BFH, in NXWZ, etiam in CP*c*; Y *legit:* Si etiam ... completa non esset. 21 purgabile] impugnabile EG, impurgabile N. a praemii consecutione] ad ultimi praemii consecutionem EG*b et sine* ultimi X, ab ultimi praemii consecutione D, praemii consecutione N. 26 si cuius opus] sicut opus αEGY, si corpus *b*. 29 universalis] ut bis GN, urbis sG. 33 nondum] non DEG; *pro* pervenerunt, devenerunt DEGNX. 41 inferno] infernum DFGH*cd*, infe. EW. 42 etiam et] etiam DEWXYZ, autem et GN. 43 enim *om* CDEGNXZ*b*.

hoc quod dicitur *Gen.* II[8], quod *plantaverat Dominus Deus paradisum voluptatis, in quo posuit hominem quem formaverat.* – Sed si quis recte verba Sacrae Scripturae consideret, inveniet quod ipsa finalis retributio, quae in caelis promittitur sanctis, statim post hanc vitam datur. Apostolus enim II *Cor.* IV[17-18], cum de finali gloria locutus fuisset, dicens quod *id quod in praesenti est tribulationis nostrae momentaneum et leve, supra modum in sublimitate aeternum gloriae pondus operatur in nobis, non contemplantibus nobis ea quae videntur, sed ea quae non videntur; quae enim videntur temporalia sunt, quae autem non videntur aeterna,* quae manifestum est de finali gloria dici, quae est in caelis; ut ostenderet quando et qualiter haec gloria habeatur, subiungit*: *Scimus enim quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissolvatur, quod aedificationem ex Deo habemus domum non manufactam, sed aeternam in caelis:* per quod manifeste dat intelligere quod, dissoluto corpore, anima ad aeternam et caelestem mansionem perducitur, quae nihil aliud est quam fruitio divinitatis, sicut angeli fruuntur in caelis.

* Cap. V, 1.

Si quis autem contradicere velit, dicens Apostolum non dixisse, quod statim, dissoluto corpore, domum aeternam habeamus in caelis in re, sed solum in spe, tandem habituri in re: – manifeste hoc est contra intentionem Apostoli: quia etiam dum hic vivimus habituri sumus caelestem mansionem secundum praedestinationem divinam; et iam eam habemus in spe, secundum illud *Rom.* VIII[24]: *Spe enim salvi facti sumus.* Frustra igitur addidit: *si terrena domus nostra huius habitationis dissolvatur;* suffecisset enim dicere: *scimus quod aedificationem habemus ex Deo* etc. – Rursus expressius hoc apparet ex eo quod subditur*: *Scientes quoniam, dum sumus in corpore, peregrinamur a Domino: per fidem enim ambulamus, et non per speciem. Audemus autem, et bonam voluntatem habemus magis peregrinari a corpore, et praesentes esse ad Dominum.* Frustra autem vellemus *peregrinari a corpore,* idest *separari,* nisi statim essemus praesentes ad Dominum. Non autem sumus praesentes nisi quando videmus per speciem: quandiu enim ambulamus per fidem et non per speciem, *peregrinamur a Domino,* ut ibidem dicitur. Statim igitur cum anima sancta a corpore separatur, Deum per speciem videt: quod est ultima beatitudo, ut in Tertio est ostensum*. – Hoc autem idem ostendunt et verba eiusdem Apostoli *Philipp.* I[23], dicentis: *Desiderium habens dissolvi et esse cum Christo.* Christus autem in caelis est. Sperabat igitur Apostolus statim post corporis dissolutionem se perventurum ad caelum.

* II *Cor.* l. c. 6-8.

* Cap. LI.

Per hoc autem excluditur error quorundam Graecorum, qui purgatorium negant, et dicunt animas ante corporum resurrectionem neque ad caelum ascendere, neque in infernum demergi.

---

7 IV. *Ita* YPc; *om* DEGNXWZ, *spat.* BF, 2. CH; II Cor. 4 *om b.* 8 tribulationis nostrae *post* leve DEX. 13 temporalia *post* sunt DFHWYZ; *pro* autem, enim αWY, *om* Z. 15 ut ostenderet *Ita* CDNWPc; ut ostendetur BFH, ut ostendatur Y, ut ostenderetur EGXZ, et ut ostenderet *b.* 16 subiungit] subiungitur αWYZ*cd*, subiunxit capitulo sequenti P. 20 dat intelligere] datur intelligi DEGNX*b*.

4 addidit] addit DEGNZ*b*, additur X. 9 peregrinamur ... 12 ad Dominum] peregrinamur a corpore etc. E, peregrinamur a Domino et (et volumus DX, et volumus autem G) praesentes esse ad Dominum DGX*b*. 14 idest *om* D, scilicet Pc. statim ... ad Dominum] statim praesentes essemus ad Deum (Dominum N) DGNX, etc. E. 15 autem] enim DEX. 16 videmus] Deum *addunt* DE, *lac* N. 17 non per speciem] non per spem αDEX, per spem *b*. 20 speciem] spem *ab*. 24 esse *post* Christo αNWYZPc. 30 demergi] dimergi EX.

## Commentaria Ferrariensis

* Cf. cap. XC, init. Comm.

POSTQUAM ostendit Sanctus Thomas quod animae damnatorum patiuntur ab igne corporeo *, consequenter ostendit omnes animas statim post mortem poenam vel praemium pro meritis recipere. Circa hoc autem tria facit: primo, ratione propositum probat; secundo, quandam tacitam removet obiectionem*; tertio, auctoritatibus Sacrae Scripturae principale propositum confirmat*.

* Num. II.

* Num. III.

I. *Arguit ergo primo sic.* Animae separatae sunt susceptibiles poenarum et corporalium, idest quae inferuntur a corporibus, et spiritualium, ut est ostensum*. Sunt etiam susceptibiles gloriae, ut ex tertio libro patet*: quia anima, ex hoc quod separatur a corpore, est capax visionis divinae, in qua hominis beatitudo consistit, quae est virtutis praemium. Ergo anima, cum separatur a corpore, statim premium vel poenam accipit *pro iis quae in corpore gessit.* – Probatur consequentia. Quia nulla esset ratio dilationis poenae et praemii, ex quo anima utriusque est capax.

* Cap. praec.

* Cap. LI. Comm. n. I-V.

Advertendum quod duplex est capacitas animae respectu beatitudinis. Una scilicet remota, quae est conditio naturae: quia enim est naturae intellectualis, divinae visionis est capax; et haec capacitas convenit sibi etiam dum est corpori coniuncta. Alia vero propinqua, quae est conditio status nihil aliud exigentis ad hoc ut anima possit divinam visionem participare. Et haec non convenit animae dum est in statu coniunctionis ad corpus, sed tantum dum est a corpore separata. Et de hac intelligit Sanctus Thomas cum ait quod ex eo quod anima a corpore separatur, fit capax visionis divinae, cuius antea capax non erat.

*Secundo.* In vita ista est status merendi vel demerendi: unde *militiae* et *diebus mercenarii* comparatur *Iob* VII. Ergo etc. – Probatur consequentia. Quia post statum militiae et laborem mercenarii, statim debetur praemium vel poena: iuxta illud *Levit.* XIX, *Non morabitur* etc.; et Ioelis ult., *Cito velociter* etc.

*Tertio.* Meritum et culpa non competit corpori nisi per animam, cum nihil habeat rationem meriti vel demeriti nisi inquantum est voluntarium. Ergo convenienter tam praemium quam poena derivatur ab anima ad corpus, non autem e converso. Ergo nulla est ratio quare in praemiatione vel punitione animarum expectetur resumptio corporum. Ergo etc. – Probatur prima consequentia. Quia secundum ordinem culpae et meriti, est ordo in poena et praemio.

*Quarto.* In rebus naturalibus unumquodque statim recipit perfectionem cuius est capax, nisi sit impedimentum vel ex parte recipientis, vel ex parte agentis. Ergo etc. – Probatur consequentia. Quia eadem Dei providentia debentur creaturis rationalibus praemia et poenae, qua rebus naturalibus perfectiones eis debitae adhibentur.

II. Secundo loco removet Sanctus Thomas quandam tacitam obiectionem. Posset enim aliquis dicere: Si animae post mortem statim consequuntur poenam vel praemium, cum infernus sit locus poenae damnatorum, paradisus vero locus praemii bonorum; sequitur quod anima statim aut in caelo recipitur, aut ad infernum descendit. Ergo non datur purgatorium.

2. Ad hanc ergo obiectionem removendam, dicit primo, quod ex parte bonorum potest esse aliquod impedimentum ne animae statim a corpore absolutae ultimam mercedem recipiant. Quia ad visionem divinam rationalis creatura elevari non potest nisi fuerit totaliter depurata: iuxta illud *Sap.* VII, *Nihil inquinatum* etc.; et *Isaiae* XXXV, *Non transibit per eam pollutus,* scilicet peccato, quo anima rebus inferioribus inordinate coniungitur.

Dicit secundo, quod ab hac pollutione purificatur quidem anima in hac vita per poenitentiam et alia fidei sacramenta: contingit tamen quandoque talem purgationem non totaliter in hac vita perfici, sed remanet adhuc debitum poenae, vel propter negligentiam, vel ob aliam causam. Et ideo, cum non mereantur ob hoc animae a praemio totaliter excludi, quia haec absque peccato mortali contingere possunt, oportet ut post hanc vitam purgentur, antequam finale praemium consequantur.

Dicit tertio, quod haec purgatio post hanc vitam fit per poenas, sicut et in hac vita per poenas satisfactorias purgatio completa fuisset: alioquin melioris conditionis essent negligentes quam solliciti. Ideo retardantur animae bonorum habentium aliquid purgabile a praemii consecutione, quousque poenas purgatorias sustineant. Et haec est ratio quare purgatorium ponimus.

Confirmantur haec, primo, per Apostolum dicentem I *Cor.* III, *Si cuius opus* etc. – Secundo, ex consuetudine universalis Ecclesiae, quae pro defunctis orat. Hoc enim esset inutile si non poneretur purgatorium post mortem: cum non oret Ecclesia pro iis qui sunt in termino boni vel mali, sed pro his qui nondum ad terminum pervenerunt.

Ex his vult habere Sanctus Thomas quod, cum dicitur animas post mortem statim consequi poenam vel praemium, intelligendum est, *nisi sit aliquod impedimentum ex parte bonorum.*

2. Circa id quod dicitur, *animas retardatari a praemii consecutione quousque poenas purgatorias sustineant,* advertendum quod idcirco addidit Sanctus Thomas *purgatorias,* ut illas animarum poenas a poenis damnatorum distingueret. Ut enim dicitur Qu. *de Anima,* a. 21, ad 20, poenae eorum qui assecuturi sunt beatitudinem, purgatoriae dicuntur, quia *ad emendationem et purgationem* infliguntur: damnatorum autem poenae non sunt purgatoriae, sed *ad ultimam damnationem* inflictae.

3. Attendendum etiam quod purgatorium esse Sanctus Thomas probat ex illa auctoritate Apostoli, I *Cor.* III, *Si cuius opus arserit* etc., tanquam ex auctoritate manifesta in Novo Testamento. Quam etiam Augustinus, XXI, cap. XXVI, *de Civitate Dei,* approbat. Scotus quoque, in *Quarto,* dist. XXI, q. 1*, dicit *totam sententiam de purgatorio fundari in hoc verbo Apostoli.* Unde et auctoritatem Augustini, in loco allegato, ad confirmationem assumit; et auctoritatem etiam eius *De vera et falsa Poenitentia**, quae ponitur *de Poenitentia,* dist. VII*. Magister autem Sententiarum, in *Quarto,* dist. XXI*, arguit post hanc vitam aliqua peccata in purgatorio dimitti, ex auctoritate Domini dicentis, *Matthaei* XII*, quod *qui peccaverit in Spiritum Sanctum, non remittetur ei neque in hoc saeculo neque in futuro.* Ex quo elicit Magister, et est de mente Augustini, XXI *de Civitate Dei,* cap. XXIV, quod sunt aliqua peccata quae in futuro saeculo dimittuntur quandoque in purgatorio. – Confirmat Sanctus Thomas etiam propositum, scilicet quod sit purgatorium, in *Quarto,* dist. XXI*, a. 1*, per auctoritatem II *Machabaeorum,* XII**, *Sancta ergo et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur.* Qua etiam utitur Petrus de Palude, eadem distinctione, conclusione prima.

III. Quantum ad tertium*, confirmat Sanctus Thomas principale propositum Sacrae Scripturae auctoritatibus. Quod enim mali statim post mortem consequantur poenam, habetur *Iob* XXI, ubi dicitur, *Ducunt in bonis* etc.; et *Lucae* XVI, ubi dicitur, *Mortuus est dives* etc. – Quod autem boni statim consequantur praemium, habetur ex eo quod Dominus in cruce latroni dixit: *Hodie mecum eris in paradiso, Lucae* XXIII. Per paradisum enim intelligitur bonorum praemium, iuxta illud *Apoc.* II, *Vincenti* etc.

2. Si dicatur per *paradisum* non intelligi ultimam remunerationem, quae erit in caelis, de qua dicitur *Matth.* V, *Gaudete* etc., sed aliqualem remunerationem in terra, quia paradisus locus terrenus esse videtur, de quo fit mentio *Gen.* II: hoc nihil est. Quia si quis recte verba Sacrae Scripturae consideret, inveniet ipsam finalem retributionem, quae in caelis promittitur sanctis, post hanc vitam statim dari. Nam cum Apostolus, II *Cor.*, de finali gloria quae datur in caelis, dixisset quod *id quod in praesenti est* etc.; ut ostenderet quando et qualiter haec gloria habeatur, subiungit, *Scimus enim* etc., dans intelligere quod, soluto corpore, anima ad aeternam et caelestem mansionem, idest ad fruitionem divinitatis perducitur.

3. Si dicatur Apostolum non dixisse quod statim dissoluto corpore domum aeternam habeamus in caelis in re, sed tantum in spe, postmodum eam habituri in re: – patet hoc contra eius intentionem esse. Tum quia, cum et hic eam habituri simus secundum divinam praedestinationem, et iam habeamus in spe, iuxta illud *Rom.* VIII, *Spe* etc.: non dixisset, *si terrena domus nostra huius habitationis dissolvatur,* sed suffecisset dicere, *scimus quod aedificationem habemus ex Deo* etc. – Tum quia subdit, *Scientes quoniam dum sumus* etc. Frustra enim vellemus *peregrinari,* scilicet separari a corpore, nisi statim essemus *praesentes ad dominum,* quod fit quando ipsum per speciem videmus. – Tum quia *Philipp.* I, inquit *Desiderium habeo dissolvi et esse cum Christo.* Nam, cum Christus in caelis sit, sperabat Apostolus statim se post corporis dissolutionem perventurum ad caelum.

4. Ex hoc excluditur, inquit Sanctus Thomas, quorundam Graecorum error, negantium purgatorium, et dicentium animas ante corporum resurrectionem neque ad caelum ascendere neque in infernum demergi.

De loco purgatorii vide Sanctum Thomam *Quarto,* d. XXI, a. 1*.

* Ven. 1497, f. 91 v.

* Inter Opera S. Aug. cap. 18 (P. L. XL, 1128).

* Can. 6, § 2 (1).

* In princ.

* Vers. 32.

* Qu. 1.

* Qua 1, *Sed Contra.*

** Vers. 46.

* Cf. init. Comm.

* Qua 2.

(1) En verba § 2 huius Can.: « Sed si etiam sic conversus fuerit, vita vivat et non moriatur, non promittimus quod evadat omnem poenam. Nam prius purgandus est igne purgationis qui in aliud saeculum distulit fructum conversionis. Hic autem ignis, etsi aeternus non sit, miro modo est gravis. Excellit enim omnem poenam quam unquam passus est aliquis in hac vita. Nunquam in carne tanta inventa est poena, licet mirabilia martyres passi sint tormenta, et multi nequiter quanta saepe sustinuerunt supplicia. Studeat ergo quisque sic delicta corrigere, ut post mortem non oporteat poenam tollerare ».

# CAPITULUM NONAGESIMUM SECUNDUM

## QUOD ANIMAE SANCTORUM POST MORTEM HABENT VOLUNTATEM IMMUTABILEM IN BONO.

Ex his autem apparet quod animae, statim cum a corpore fuerint separatae, immobiles secundum voluntatem redduntur: ut scilicet ulterius voluntas hominis mutari non possit, neque de bono in malum, neque de malo in bonum.

Quandiu enim anima de bono in malum vel de malo in bonum mutari potest, est in statu pugnae et militiae*: oportet enim ut sollicite resistat malo, ne ab ipso vincatur; vel conetur ut ab eo liberetur. Sed statim cum anima a corpore separatur, non erit in statu militiae vel pugnae, sed recipiendi praemium vel poenam pro eo quod *legitime vel illegitime certavit**: ostensum est enim* quod statim vel praemium vel poenam consequitur. Non igitur ulterius anima secundum voluntatem vel de bono in malum, vel de malo in bonum mutari potest.

Item. Ostensum est in Tertio* quod beatitudo, quae in Dei visione consistit, perpetua est: et similiter in eodem ostensum est* quod peccato mortali debetur poena aeterna. Sed anima beata esse non potest si voluntas eius recta non fuerit: desinit enim esse recta per hoc quod a fine avertitur; non potest autem simul esse quod a fine avertatur, et fine fruatur. Oportet igitur rectitudinem voluntatis in anima beata esse perpetuam, ut non possit transmutari de bono in malum.

Amplius. Naturaliter creatura rationalis appetit esse beata: unde non potest velle non esse beata. Potest tamen per voluntatem deflecti ab eo in quo vera beatitudo consistit, quod est voluntatem esse perversam. Et hoc quidem contingit quia id in quo vera beatitudo est, non apprehenditur sub ratione beatitudinis, sed aliquid aliud, in quo voluntas inordinata deflectitur sicut in finem: puta, qui ponit finem suum in voluptatibus corporalibus, aestimat eas ut optimum, quod est ratio beatitudinis. Sed illi qui iam beati sunt, apprehendunt id in quo vere beatitudo est sub ratione beatitudinis et ultimi finis: alias in hoc non quiesceret appetitus, et per consequens non essent beati. Quicumque igitur beati sunt, voluntatem deflectere non possunt ab eo in quo est vera beatitudo. Non igitur possunt perversam voluntatem habere.

Item. Cuicumque sufficit id quod habet, non quaerit aliquid extra ipsum. Sed quicumque est beatus, sufficit ei id in quo est vera beatitudo, alias non impleretur eius desiderium. Ergo quicunque est beatus, nihil aliud quaerit quod non pertineat ad id in quo vera beatitudo consistit. Nullus autem habet perversam voluntatem nisi per hoc quod vult aliquid quod repugnat ei in quo vera beatitudo consistit. Nullius igitur Beati voluntas potest mutari in malum.

Praeterea. Peccatum in voluntate non accidit sine aliquali ignorantia intellectus: nihil enim volumus nisi bonum verum vel apparens; propter quod dicitur *Proverb.* XIV[22]: *Errant qui operantur malum;* et Philosophus III *Ethic.**, dicit quod *omnis malus ignorans.* Sed anima quae est vere beata, nullo modo potest esse ignorans: cum in Deo omnia videat quae pertinent ad suam perfectionem. Nullo igitur modo potest malam voluntatem habere: praecipue cum illa Dei visio semper sit in actu, ut in Tertio est ostensum*.

Adhuc. Intellectus noster circa conclusiones aliquas errare potest antequam in prima principia resolutio fiat, in quae resolutione iam facta, scientia de conclusionibus habetur, quae falsa esse non potest. *Sicut autem se habet principium demonstrationis in speculativis, ita se habet finis in appetitivis**. Quandiu igitur finem ultimum non consequimur, voluntas nostra potest perverti: non autem postquam ad fruitionem ultimi finis pervenerit, quod est propter se ipsum desiderabile, sicut prima principia demonstrationum sunt per se nota.

Amplius. Bonum, inquantum huiusmodi, diligibile est. Quod igitur apprehenditur ut optimum, est maxime diligibile. Sed substantia rationalis beata videns Deum, apprehendit ipsum ut optimum. Ergo maxime ipsum diligit. Hoc autem habet ratio amoris, quod voluntates se amantium sint conformes*. Voluntates igitur Beatorum sunt maxime conformes Deo: quod facit rectitudinem voluntatis, cum divina voluntas sit prima regula omnium voluntatum. Voluntates igitur Deum videntium non possunt fieri perversae.

Item. Quandiu aliquid est natum moveri ad alterum, nondum habet ultimum finem. Si igitur anima beata posset adhuc transmutari de bono in malum, nondum esset in ultimo fine. Quod est contra beatitudinis rationem. Manifestum est igitur quod animae quae statim post mortem fiunt beatae, redduntur immutabiles secundum voluntatem.

* Cf. cap. praec. *Adhuc. In vita.*
* Cf. II *Tim.* II, 5.
* Cap. praec.
* Cap. LXI.
* Cap. CXLIV.
* Cap. I, 14; s. Th. lect. III.
* Cap. LXII.
* Arist. VII *Ethic.* cap. VIII, 4; s. Th. l. VIII. Etiam II *Phys.* cap. IX, 3; s. Th. l. XV.
* Arist. IX *Ethic.* cap. IV, 1, 5; s. Th. l. IV. - Dion. *de Div. Nom.* c. IV; s. Th. l. IX prope finem.

1 *Hoc capitulum a praecedenti non dividit* Z. 14 pro eo quod] quod GN, quod est quia EX, secundum quod D, eo quod *b*. illegitime] non legitime EGNX*b*. 15 vel *pr. loco om* DENX*b*. 21 ostensum *post* est DEGNX*b*. peccato] pro peccato P*d*. 24 avertitur] et recta est per hoc quod fine fruitur *addunt* P*d*; avertitur ... 25 a fine *hom om* BFHWY. 27 perpetuam *om* DEGX. 32 vera *post* beatitudo DEGNX*b*. 48 aliquid] aliud DEGX*b*P*c*. 49 id *om* EGNX.

1 impleretur] impleret DEG. 6 igitur] enim DEG*b*. 9 ignorantia intellectus] intellectu DEGNX. 10 vel *om* EG, vel bonum *b*. 12 dicit *Ita* WP*c* *et post* Philosophus Y; *om ceteri*. 13 ignorans] est ignorans P*c*. 21 in quae *Ita* WsE*b*; in qua *ceteri*. 23 principium *post* demonstrationis DEGNX*b*. 25 consequimur] consequitur P*c*. 38 quod] qui GP*c*. 48 fiunt] sunt DEGNZ.

## Commentaria Ferrariensis

POSTQUAM Sanctus Thomas de statu animarum post mortem quantum ad earum poenam vel praemium determinavit, consequenter de statu earum quantum ad immutabilitatem voluntatis determinat*. Circa hoc autem duo facit: primo determinat de earum immutabilitate secundum voluntatem; secundo, de causa huius immutabilitatis, cap. XCV. Circa primum tria facit: primo, agit de immutabilitate sanctorum; secundo, de immutabilitate damnatorum, cap. seq.; tertio, de immutabilitate eorum qui sunt in purgatorio, capite XCIV.

* Cf. cap. XC, init. Comm.

I. Quantum ad primum, ponitur haec conclusio: *Nullius Beati voluntas potest mutari in malum.*

*Probatur primo* ratione communi bonis et malis, sic. Cum anima a corpore separatur, statim est extra statum militiae vel pugnae, et in statu recipiendi poenam vel praemium pro eo quod *legitime vel illegitime certavit*, ut patet ex superius dictis. Ergo non ulterius secundum voluntatem vel de bono in malum, vel de malo in bonum mutari potest. – Probatur consequentia. Quia quandiu anima mutari potest, est in statu pugnae et militiae: cum oporteat eam sollicite malo resistere ne ab eo vincatur, vel conari ut ab eo liberetur.

*Secundo.* Beatitudo, quae in visione Dei consistit, perpetua est, ut in tertio libro est ostensum. Ergo et rectitudo in anima beata perpetua est. Ergo etc. – Probatur prima consequentia. Quia anima beata esse non potest si voluntas eius recta non fuerit, cum desinat anima esse recta per aversionem a fine, recta vero per fruitionem finis*. Non potest autem esse simul quod a fine avertatur, et fine fruatur.

* Cf. text. et var.

*Tertio.* Beati apprehendunt id in quo vera beatitudo consistit, sub ratione beatitudinis et ultimi finis: alias non quiesceret eorum appetitus, et consequenter non essent beati. Ergo non possunt voluntatem deflectere ab eo in quo est vera beatitudo. Ergo etc. – Probatur prima consequentia. Quia naturaliter creatura rationalis appetit esse beata, non potestque velle non esse beata: licet per voluntatem possit deflecti ab eo in quo vera beatitudo consistit, quia hoc non apprehenditur sub ratione beatitudinis, sed aliquid aliud, in quo voluntas sicut in finem deflectitur.

Advertendum fundamentum huius rationis esse quod, cum voluntas naturaliter et necessario feratur in beatitudinem sub ratione universali beatitudinis et summi boni, quantum ad specificationem actus, inquantum videlicet non potest velle miseriam aut beatitudinis oppositum; si aliquid sub ratione summi boni et verae beatitudinis apprehendatur, ita se habet voluntas ad illud sicut ad rationem summi boni; et ideo, sicut voluntas non potest averti a summo bono, ut eius oppositum velit, quemadmodum in tertio libro* est ostensum, ita non potest ab eo averti quod esse summum bonum apprehendit et veram beatitudinem. Cum igitur Beati apprehendant Deum tanquam id in quo vera est ratio beatitudinis et summi boni, ab eo per voluntatem averti non possunt; et per consequens perversam voluntatem non possunt habere.

* Cap. LXII, Comm. num. III. Cf. etiam nn. VIII-XII.

II. *Quarto.* Omni Beato sufficit id in quo est vera beatitudo: alias eius desiderium non impleretur. Ergo nihil aliud quaerit quod non pertineat ad id in quo vera beatitudo consistit. Ergo etc. – Probatur prima consequentia. Quia cuicumque sufficit id quod habet, non quaerit aliud extra ipsum. – Secunda vero, quia nullus habet perversam voluntatem nisi quia vult aliquid repugnans ei in quo vera beatitudo consistit.

Circa istam propositionem, *Cuicumque sufficit id quod habet, non quaerit aliud* extra ipsum,* advertendum quod intelligitur de plena et omnimoda sufficientia: non autem tantum quantum ad aliquid. Nam nullus quaerit quod non habet nisi propter aliquam indigentiam. Ideo, si nullo modo aliquo indigeat, nullo modo illud quaerit: et si habet aliquid quod omni suae indigentiae et appetitui satisfacit, nihil extra illud quaerit. Item intelligitur, non quod nihil aliud praeter illud velit, sed quod quicquid vult, vult in ordine ad illud sufficiens bonum.

* Cf. text. et var.

*Quinto.* Anima quae est vere beata, nullo modo potest esse ignorans: cum in Deo omnia quae ad suam perfectionem pertinent, videat. Ergo nullo modo potest malam voluntatem habere: praecipue cum illa Dei visio semper sit in actu. – Probatur consequentia. Quia peccatum in voluntate non accidit sine aliqua ignorantia: unde dicitur *Proverb.* XIV, *Errant* etc.; et III *Ethic., omnis malus ignorans.*

Advertendum quod error in intellectu non accidit nisi inquantum est in potentia: sicut et in naturalibus non accidit defectus nisi ratione potentialitatis. Propterea, si aliquis intellectus semper ponatur in actu, in illo non potest error accidere. Addidit ergo Sanctus Thomas in consequente, *praecipue cum illa Dei visio semper sit in actu*, ut excluderet responsionem quam aliquis posset dare, dicendo quod, licet anima beata omnia in Deo videat, et pro tunc non sit ignorans; quandoque tamen ab illa visione cessat, et tunc ignorans potest esse. Haec enim responsio excluditur per hoc quod dicitur visionem Beatorum semper esse in actu.

*Sexto.* Intellectus noster circa conclusiones aliquas errare potest antequam in prima principia resolutio fiat; sed, facta resolutione in ipsa, iam habetur scientia de conclusionibus, quae falsa esse non potest. Ergo et, quandiu finem ultimum voluntas nostra non consequitur, potest perverti: non autem postquam ad fruitionem ultimi finis, per se desiderabilis, pervenerit. – Probatur consequentia. Quia *sicut se habet principium demonstrationis in speculativis, ita se habet finis in appetitivis.*

Advertendum primo, quod ex ista comparatione primi principii et ultimi finis, habetur non solum quod ipsum ultimum finem necessario voluntas appetit, sicut intellectus primis principiis necessario adhaeret; sed etiam quod circa ea quae sunt ad finem, habentia necessariam et manifestam dependentiam ad finem, non potest esse perversitas in appetitu, stante rectitudine eius circa ultimum finem; sicut neque potest error esse circa conclusiones si appareat illas a primis principiis necessario dependere. Unde inquit Sanctus Thomas *Prima Parte*, q. LXXXII, a. 2, quod *sunt quaedam bona necessaria ad beatitudinem, ea scilicet quibus voluntas Deo adhaeret, sed antequam per certitudinem divinae visionis necessitas huius connexionis demonstretur, neque Deo, neque iis quae Dei sunt, voluntas necessario inhaeret; voluntas autem videntis Deum iis inhaeret de necessitate.*

Advertendum secundo, quod illa comparatio inter finem et principium, quae est Philosophi* II *Phys.*; et VI ac VII *Ethic.*, licet multipliciter accipi possit, in proposito tamen accipitur quantum ad hoc quod est necessario movere. Sed de hoc satis dictum est in praecedentibus*.

* Vide II. cc. in textu.

* Cf. l. c. supra ad n. 1 in fine.

III. *Septimo.* Substantia rationalis beata, videns Deum, apprehendit ipsum ut optimum. Ergo maxime ipsum diligit. Ergo voluntates Beatorum sunt maxime conformes Deo. Ergo non possunt fieri perversae. – Probatur prima consequentia. Quia, cum bonum inquantum huiusmodi sit diligibile, quod apprehenditur ut optimum est maxime diligibile. – Secunda vero, quia hoc habet ratio amoris, quod voluntates se amantium sunt conformes. – Tertia autem, quia, cum voluntas divina sit prima regula voluntatum, Deus est qui* facit rectitudinem voluntatis.

* Cf. text. et var.

Advertendum quod Deus dicitur *facere rectitudinem voluntatis* non solum effective, sed etiam formaliter et obiective: quia videlicet voluntas in tantum est recta, in quantum adhaeret Deo ut obiecto; et inquantum divinae voluntati conformatur ut suae regulae.

*Octavo.* Si anima beata posset transmutari de bono in malum, nondum esset in ultimo fine. Sed hoc est contra rationem beatitudinis. Ergo etc. – Probatur consequentia. Quia quandiu aliquid natum est moveri ad alterum, nondum habet ultimum finem.

IV. Advertendum circa hanc conclusionem, ex doctrina Sancti Thomae [*de Verit.*] q. XXIV, a. 7 et 8, quod licet liberum arbitrium creaturae non possit naturaliter esse confirmatum in bono, ut scilicet nunquam possit flecti in malum; potest tamen per divinam gratiam in bono confirmari. Ideo, cum dicimus animam beatam non posse de bono mutari in malum, non est intelligendum quasi hoc sibi naturaliter conveniat, sed quia hoc habet ex divina gratia, per quam ad Dei visionem elevatur: quamquam habeant angeli etiam ex propria natura, ut post primam electionem bonam, mutari non possint in malum, ut inferius cap. XCV declarabitur.

Considerandum tamen quod, licet illud non sit naturale animae absolute inquantum anima rationalis est, est tamen aliquo modo sibi naturale inquantum est beata, et aliquo modo inquantum est anima rationalis. Nam inquantum beata est, sibi convenit ex natura beatitudinis ut Deum summe diligat, et ut eius desiderium sit omni ex parte repletum, est enim beatus *qui habet quicquid vult et nihil mali vult,* ut Augustinus ait*: ex quo sequitur necessario ut nullo modo possit eius voluntas deflecti in malum. Inquantum vero anima rationalis est, sibi convenit ut naturaliter feratur in beatitudinem sub universali ratione beatitudinis, et consequenter ut feratur naturaliter in illud quod sub ratione summi boni et verae beatitudinis apprehendit: ex quo sequitur ut ab eo deflecti non possit per voluntatem. Ista ergo immutabilitas Beatorum a bono in malum originaliter et primordialiter aliquo modo ex natura animae dependet: sed formaliter et completive ex ipsa Dei visione provenit, et ex divina gratia.

* XIII *de Trin.* cap. V (P. L. XLII, 1020).

Cetera quae circa hanc conclusionem difficultatem inducere possunt, superius in tertio libro sunt ostensa*.

* Cap. LXII, Comm.

# CAPITULUM NONAGESIMUM TERTIUM

## QUOD ANIMAE MALORUM POST MORTEM HABENT VOLUNTATEM IMMUTABILEM IN MALO.

SIMILITER etiam et animae quae statim post mortem efficiuntur in poenis miserae, redduntur immutabiles secundum voluntatem.

* Cap. CXLIV.

Ostensum est enim in Tertio* quod peccato mortali debetur poena perpetua. Non autem esset poena perpetua animarum quae damnantur, si possent voluntatem mutare in melius: quia iniquum esset quod ex quo bonam voluntatem haberent, perpetuo punirentur. Voluntas igitur animae damnatae non potest mutari in bonum.

Praeterea. Ipsa inordinatio voluntatis quaedam poena est, et maxime afflictiva: quia, in quantum habet inordinatam voluntatem aliquis, displicent ei quae recte fiunt, et damnatis displicebit quod voluntas Dei impletur in omnibus, cui peccando restiterunt. Igitur inordinata voluntas nunquam ab eis tolletur.

Adhuc. Voluntatem a peccato mutari in bonum non contingit nisi per gratiam Dei, ut patet ex his quae in Tertio* dicta sunt. Sicut autem bonorum animae admittuntur ad perfectam participationem divinae bonitatis, ita damnatorum animae a gratia totaliter excluduntur. Non igitur poterunt mutare in melius voluntatem.

* Cap. CLVII.

Praeterea. Sicut boni in carne viventes omnium suorum operum et desideriorum finem constituunt in Deo, ita mali in aliquo indebito fine avertente eos a Deo. Sed animae separatae bonorum immobiliter inhaerebunt fini quem in hac vita sibi praestituerunt, scilicet Deo. Ergo et animae malorum immobiliter inhaerebunt fini quem sibi elegerunt. Sicut igitur bonorum voluntas non poterit fieri mala, ita nec malorum poterit fieri bona.

2 miserae] missae DEGX, *om* N. 6 perpetua] animarum *addunt* P*c*. autem *om* EX, enim *b*. 14 habet] homo habet DE; aliquis *om* DEGX. displicent ei quae recte fiunt] displiceret ei quod recte fuerit (fit DX) DEGX; fuerit *etiam b*.
7 poterunt] poterant α, poterunt animae damnatae P*d*. 10 indebito *Ita* DNWZsG*b*P*c*; debito CFH, *om* B, a debito EGX; indebito fine *om* Y. 11 bonorum *om* DEX, a Deo G. 12 in hac vita *post* sibi DEGX.

### Commentaria Ferrariensis

POSTQUAM ostendit Sanctus Thomas animas bonorum post mortem habere voluntatem immutabilem in bono, consequenter ostendit malorum animas habere in malo immutabilem voluntatem*.

* Cf. cap. praec. init. Comm.

*Et arguit primo sic.* Peccato mortali debetur poena perpetua animarum*. Ergo voluntas animae damnatae non potest mutari in bonum. – Probatur consequentia. Quia tunc non esset perpetua poena: iniquum enim esset, ex quo bonam haberent voluntatem, quod perpetuo punirentur.

* Cf. text. et var.

*Secundo.* Inordinatio ipsa voluntatis quaedam poena est, et maxime afflictiva. Ergo nunquam tolletur a damnatis. – Probatur antecedens. Quia inquantum quis habet inordinatam voluntatem, displicent ei illa quae recte fiunt, contraria videlicet inordinationi suae. Et ipsis damnatis displicebit quod voluntas Dei in omnibus impleatur, cui peccando restiterunt.

Adverte quod consequentiam relinquit Sanctus Thomas manifestam ex eo quod dictum est in praecedenti ratione, poenam damnatorum esse perpetuam.

*Tertio.* Damnatorum animae a gratia totaliter excluduntur. Ergo etc. – Probatur antecedens ex comparatione ad animas Beatorum, quae ad perfectam participationem divinae bonitatis admittuntur. – Consequentia vero probatur, quia voluntas a peccato in bonum mutari non potest nisi per gratiam Dei.

*Quarto.* Animae separatae bonorum immobiliter adhaerebunt fini quem in hac vita sibi praestituerunt, scilicet Deo. Ergo et animae malorum immobiliter adhaerebunt fini indebito quem sibi elegerunt. Ergo, sicut bonorum voluntas non poterit fieri mala, ita nec malorum voluntas poterit fieri bona. – Probatur prima consequentia. Quia sicut boni in carne viventes finem constituunt in Deo, ita et mali in aliquo fine indebito eos avertente a Deo.

Advertendum, ex doctrina Sancti Thomae *Quarto*, d. L, q. II, a. 1, qu$^{a}$ 1, quod, cum duplex voluntas in damnatis considerari possit, scilicet naturalis et deliberativa; voluntas naturalis in eis bona esse potest aliquo modo, scilicet secundum speciem ipsius actus; sed voluntas deliberativa

in eis bona esse non potest. Unde cum dicimus voluntatem damnatorum esse immutabilem in malo, intelligimus de voluntate deliberativa, non autem de voluntate naturali, quae semper bona est.

* Qu. 1. Ed. Ven. 1497, p. 41 v. - Cf. etiam cap. XCV, Comm. nn. VI et IX seqq.

Propter quod rationes Scoti in II *Sent.*, d. VII*, quibus probat in daemonibus, et etiam damnatis, posse esse bonum actum volendi, ex eo quod ex puris naturalibus possunt bonum velle, propositum non infringunt, – quamvis etiam addi possit quod, licet aliquam bonum actum volendi a voluntate naturali elicitum habere possint, ille tamen actus non est perfecte bonus bonitate circumstantiarum, saltem circumstantia finis: quia illum ad malum finem ordinant, vel actu vel virtute; volunt enim damnati esse et vivere sub peccato. Unde loco praeallegato, ad primum, inquit Sanctus Thomas quod *naturalis inclinatio per eorum malitiam corrumpitur, inquantum bonum quod naturaliter desiderant, sub quibusdam malis circumstantiis appetunt.* Et *Prima*, q. LXIV, 2, ad 5, quod *bono actu abutuntur ad malum.* Ex quo patet quod nihil etiam voluntate naturali volunt quod sit perfecte bonum.

# CAPITULUM NONAGESIMUM QUARTUM

## DE IMMUTABILITATE VOLUNTATIS IN ANIMABUS IN PURGATORIO DETENTIS.

SED quia quaedam animae sunt quae statim post separationem ad beatitudinem non perveniunt, nec tamen sunt damnatae, sicut illae quae secum aliquid purgabile deferunt, ut dictum est*; ostendendum est quod nec etiam huiusmodi animae, postquam fuerint a corpore separatae, possunt secundum voluntatem mutari. Beatorum enim et damnatorum animae habent immobilem voluntatem ex fine cui adhaeserunt, ut ex dictis* patet: sed animae quae secum aliquid purgabile deferunt, in fine non discrepant ab animabus beatis: decedunt enim cum caritate, per quam inhaeremus Deo ut fini. Ergo etiam ipsaemet immobilem voluntatem habebunt.

* Cap. XCI, *Considerandum tamen.*

* Capp. XCII, *Amplius, Naturaliter.* et XCIII, *Praeterea. Sicut.* Cf. etiam cap. seq.

1 *Titulus in* G *abrasus.* 3 tamen *om* BY. 4 quae] qui BCF.
1 habent *post* voluntatem DEX. 4 decedunt] recedunt E, non recedunt sE; *pro* cum, a EG, in D. 6 ipsaemet] ipsae DEGNXZ, ipsi *b*.

### Commentaria Ferrariensis

POSTQUAM ostendit Sanctus Thomas voluntatem Beatorum et damnatorum immutabilem esse, consequenter ostendit etiam animarum quae sunt in purgatorio voluntatem esse immutabile*.

* Cf. cap. XCII, init. Comm.

Et arguit sic. Animae quae secum aliquid purgabile deferunt, non discrepant in fine ab animabus beatis. Ergo etiam ipsae immobilem voluntatem habebunt: cum scilicet sint et ipsae extra statum viae.

Probatur antecedens. Quia cum charitate decedunt, per quam inhaeremus Deo ut fini. – Consequentia vero probatur, quia Beatorum animae et damnatorum immobilem habent voluntatem ex fine cui adhaeserunt, ut dictum est superius*.

* LL. cc. in textu.

# CAPITULUM NONAGESIMUM QUINTUM

## DE IMMUTABILITATE COMMUNITER IN OMNIBUS ANIMABUS POST SEPARATIONEM A CORPORE.

QUOD autem ex fine in omnibus animabus separatis sequatur immobilitas voluntatis, sic manifestum esse potest.

* Cap. XCII, *Adhuc.* Cf. ibi l. c. Arist.

*Finis enim,* ut dictum est*, *se habet in appetitivis sicut prima principia demonstrationis in speculativis.* Huiusmodi autem principia naturaliter cognoscuntur; et error qui circa huiusmodi principia accideret, ex corruptione naturae proveniret. Unde non posset homo mutari de vera acceptione principiorum in falsam, aut e converso, nisi per mutationem naturae: non enim qui errat circa principia, revocari potest per aliqua certiora, sicut revocatur homo ab errore qui est circa conclusiones. Et similiter nec posset aliquis a vera acceptione principiorum per aliqua magis apparentia seduci. – Sic igitur et se habet circa finem. Quia unusquisque naturaliter habet desiderium ultimi finis.

Et hoc quidem sequitur in universali naturam rationalem, ut beatitudinem appetat: sed quod hoc vel illud sub ratione beatitudinis et ultimi finis desideret, ex aliqua speciali dispositione naturae contingit; unde Philosophus dicit* quod *qualis unusquisque est talis et finis videtur ei.* Si igitur dispositio illa per quam aliquid desideratur ab aliquo ut ultimus finis, ab eo removeri non

* III *Ethic.* cap. V. 17. s. Thom lect. XIII.

1 *Titulus in* G *abrasus.* 11 enim *Ita* sE; autem *ceteri* 12 errat... potest] errant... potest α, errant... possunt GWsFHP*c*.
1 nec] non DEGNX*b*. 3 et *ante* circa BFHWY, *utroque loco b, om* C. 6 quidem *om* αWYZP*c*; *pro* sequitur, consequitur DEX, quod consequitur N. 8 hoc *om* EG*b*. sub ratione beatitudinis et] sub idem (id F) beatitudine et BFH, sub idem beatitudinis et C, ut beatitudinem W, sub eadem beatitudine Y, sub similitudine Z, sub idem beatitudinem etiam sH. 9 desideret] desiderat DEGX, desiderat quod N. 10 unde] unde et DEGNX*b*. 11 ei *om* DNXpEsG. 12 aliquid *om* DEGX; *pro* ut, et EG, beatitudo et DX

possit, non poterit immutari voluntas eius quantum ad desiderium finis illius.

Huiusmodi autem dispositiones removeri possunt a nobis quandiu est anima corpori coniuncta. Quod enim aliquid appetatur a nobis ut ultimus finis, contingit quandoque ex eo quod sic disponimur aliqua passione, quae cito transit: unde et desiderium finis de facili removetur, ut in continentibus apparet. Quandoque autem disponimur ad desiderium alicuius finis boni vel mali per aliquem habitum: et ista dispositio non de facili tollitur, unde et tale desiderium finis fortius manet, ut in temperatis apparet; et tamen dispositio habitus in hac vita auferri potest.

Sic ergo manifestum est quod, dispositione manente qua aliquid desideratur ut ultimus finis, non potest illius finis desiderium moveri: quia ultimus finis maxime desideratur; unde non potest aliquis a desiderio ultimi finis revocari per aliquid desiderabile magis. Anima autem est in statu mutabili quandiu corpori unitur: non autem postquam fuerit a corpore separata. Dispositio enim animae movetur per accidens secundum aliquem motum corporis: cum enim corpus deserviat animae ad proprias operationes, ad hoc ei naturaliter datum est ut in ipso existens perficiatur, quasi ad perfectionem mota. Quando igitur erit a corpore separata, non erit in statu ut moveatur ad finem, sed ut in fine adepto quiescat. Immobilis igitur erit voluntas eius quantum ad desiderium ultimi finis.

Ex ultimo autem fine dependet tota bonitas vel malitia voluntatis: quia bona quaecumque aliquis vult in ordine ad bonum finem, bene vult: mala autem quaecunque in ordine ad malum finem, male vult. Non est igitur voluntas animae separatae mutabilis de bono in malum: licet sit mutabilis de uno volito in aliud, servato tamen ordine ad eundem ultimum finem.

Ex quo apparet quod talis immobilitas voluntatis libero arbitrio non repugnat, cuius actus est eligere: electio enim est eorum quae sunt ad finem, non autem ultimi finis. Sicut igitur non repugnat nunc libero arbitrio quod immobili voluntate desideramus beatitudinem et miseriam fugimus in communi, ita non erit contrarium libero arbitrio quod voluntas immobiliter fertur in aliquid determinatum sicut in ultimum finem: quia sicut nunc immobiliter nobis inhaeret natura communis, per quam beatitudinem appetimus in communi; ita tunc immobiliter manebit illa specialis dispositio per quam hoc vel illud desideratur ut ultimus finis.

Substantiae autem separatae, scilicet angeli, propinquiores sunt, secundum naturam in qua creantur, ultimae perfectioni quam animae: quia non indigent acquirere scientiam ex sensibus, neque pervenire ratiocinando de principiis ad conclusiones, sicut animae; sed per species inditas statim possunt in contemplationem veritatis pervenire. Et ideo statim quod debito fini, vel indebito adhaeserunt, immobiliter in eo permanserunt.

Non est tamen aestimandum quod animae, postquam resument corpora in resurrectione, immobilitatem voluntatis amittant, sed in ea perseverant: quia, ut supra* dictum est, corpora in resurrectione disponentur secundum exigentiam animae, non autem animae immutabuntur per corpora.

* Cap. LXXXV, *Alia ratio.*

---

7 quae] de E, unde X. 8 unde et] unde DEGNX*b*. 9 continentibus] contingentibus P*c*. 10 alicuius finis] alicuius GZ, finis alicuius *b*P*c*. 11 non *post* de facili DEGNX. 13 in temperatis] (in H) imperantis BFHY, in intemperatis Z*b*, in temperamentis DE, in intemperamentis sE. 20 magis *om* DEGX, *ante* desiderabile *b*, magis (autem anima est) Z. 26 ei *om* DEGX, *post* est *b*. 29 quiescat] semper quiescat P*d*. 35 mala... vult *Ita* DG; *hom om* EN, male autem quaecunque in ordine ad malum finem (fiunt X) *ceteri*.

3 aliud] volitum *addunt* P*d*. 4 eundem *om* DEGX. 6 libero arbitrio *post* non repugnat DEGNX*b*. 9 nunc *om* ZP*c*. 14 nunc *om* CX*b*. 15 communis *om* DEGX. 16 tunc] etiam αWYP*c*, etiam tunc *b*, *om* Z. 19 autem *Ita* GN*b*P*c*; *om* αWZ, vero Y, enim DEX. 22 sensibus] sensibilibus X*b*. 31 perseverant *Ita* HW; perseverent BCFYZP*c*, perseverarent sic N, perseverent sic DEG*b*, perseverent sicut modo X. 35 corpora] sed immobiliter perseverabunt *addunt* P*d*.

## Commentaria Ferrariensis

POSTQUAM ostendit Sanctus Thomas omnium animarum postquam sunt a corpore separatae, immobilem voluntatem esse; quia hoc dictum est ex immobili adhaesione ad finem provenire, consequenter vult ostendere quomodo ex fine immobilitas voluntatis consequatur*. Circa hoc autem tria facit: primo, ostendit propositum; secundo, differentiam in hoc inter homines et angelos manifestat*; tertio, removet quoddam dubium*.

* Cf. cap. XCII, init. Comm.

* Cf. num VIII.

* Cf. num. XII.

I. Quantum ad primum, ponit tres conclusiones. Prima est: *Animae separatae voluntas immobilis est quantum ad desiderium ultimi finis.*

Ad huius autem declarationem, praemittit primo, quod, cum ita se habeat finis in appetitivis sicut prima principia in speculativis, sicut illa naturaliter cognoscuntur, et error qui circa ea accideret, ex corruptione naturae proveniret; non possetque fieri mutatio de vera acceptione eorum in falsam, aut e converso, nisi per mutationem naturae, eo quod non sint ipsis aliqua certiora aut manifestiora per quae aut revocari homo possit ab errore, aut seduci: ita et unusquisque naturaliter habet desiderium ultimi finis. Nam naturam rationalem in universali sequitur ut beatitudinem appetat: quod autem hoc vel illud in particulari sub ratione beatitudinis et ultimi finis desideret, ex aliqua speciali dispositione naturae contingit; unde et Philosophus dicit quod *qualis unusquisque est, talis et finis videtur ei.* Quae dispositio si ab aliquo removeri non possit, non poterit eius voluntas quantum ad desiderium illius finis immutari.

Praemittit secundo, quod huiusmodi dispositiones removeri possunt a nobis quandiu est anima corpori coniuncta. Nam quandoque illa dispositio est aliqua passio: quae quia cito transit, desiderium finis de facile transit, ut in continentibus apparet. Quandoque vero est habitus: qui quia non de facili tollitur, desiderium finis fortius quidem manet, ut in temperatis apparet; sed tamen in hac vita auferri potest, sicut et habitus.

Istis suppositis, arguit sic. Anima non est in statu mutabili a dispositione habita postquam fuerit a corpore separata. Ergo, quando erit a corpore separata, non erit in statu ut moveatur ad finem, sed ut in fine adepto semper* quiescat. Ergo erit immutabilis quantum ad desiderium ultimi finis. – Probatur prima consequentia. Quia, manente dispositione qua aliquid desideratur ut ultimus finis, non potest desiderium illius finis removeri: cum

* Cf. text. et var.

ab eo per aliquid magis desiderabile revocari non possit. – Antecedens vero probatur, quia dispositio animae movetur per accidens secundum aliquem motum corporis sibi naturaliter dati, ut in ipso existens perficiatur quasi ad perfectionem mota.

2. Secunda conclusio est: *Voluntas animae separatae non est mutabilis de bono in malum**. Probatur. Quia ex ultimo fine tota bonitas vel malitia voluntatis dependet. Nam quaecumque bona aliquis vult in ordine ad bonum finem, bene vult: male autem quaecumque vult in ordine ad malum finem*.

* Cf. num. IV.

* Cf. text. et var.

3. Tertia conclusio est: *Talis immobilitas voluntatis libero arbitrio non repugnat**. Probatur primo. Actus liberi arbitrii est eligere. Sed hic manet, stante tali immutabilitate. Ergo etc. – Probatur minor. Electio est eorum quae sunt ad finem. Sed cum illa immutabilitate circa finem stat mutabilitas voluntatis de uno in aliud volitum, in ordine tamen ad eundem finem. Ergo etc.

* Cf. num. V.

Secundo. Non repugnat libero arbitrio, quod mmobili voluntate desideramus beatitudinem et miseriam fugimus in communi. Ergo neque quod voluntas feratur in aliquid determinatum sicut in ultimum finem. – Probatur consequentia. Quia sicut nunc nobis inhaeret natura communis, per quam beatitudinem appetimus in communi; ita etiam tunc immobiliter manebit illa specialis dispositio per quam hoc vel illud desideratur ut ultimus finis.

II. Ad evidentiam primae conclusionis, considerandum est, quod per dispositionem qua aliquid desideratur ut ultimus finis, tria possumus intelligere. Primo, ipsam actualem apprehensionem ipsumque iudicium intellectus quo apprehendit aliquid tanquam summum bonum et ultimum finem: ad quod iudicium sequitur actuale desiderium voluntatis in illud. – Secundo, ipsum actuale desiderium actualemque affectionem ad aliquid tanquam ad ultimum finem, ex quo ligatur voluntas ut in aliud tanquam in finem ultimum inclinari non possit. – Tertio, aliquam dispositionem per modum actus primi, tam in intellectu quam in voluntate causatam ex actu peccati, et ex causa inductiva ad peccandum, per quam et intellectus sit dispositus ad iudicandum aliquid tanquam summum bonum et ultimum finem, et voluntas sit inclinata ad illud tanquam ultimum amandum et desiderandum.

Non videtur autem primo aut secundo modo posse accipi talis dispositio: quia actualis operatio intellectus, et actualis motus voluntatis, non necessario continuatur, ut post mortem maneat; immo videtur necesse esse ut interrumpatur, saltem cum quis morti appropinquat propter alterationem corporis ex qua usus sensuum impeditur, et consequenter actus intellectivae partis. Videtur ergo accipienda tertio modo. Nam ex inducente intellectum ad falsum iudicium de fine, et appetitum ad malam inclinationem, ex actu etiam tam intellectus quam voluntatis, relinquitur in utroque aliqua dispositio ad similes actus inducens; quae quidem etiam fuisset si, dum anima erat coniuncta corpori, non fuisset in habitum conversa. Ipsa tamen a corpore separata, convertitur in habitum et quasi in naturam, eo quod anima tunc ad statum immutabilitatis sit reducta, et ideo remanet et simile iudicium intellectus de fine, et affectio similis erga ipsum, sicut ante separationem fuit.

2. Considerandum secundo, ut dat intelligere Sanctus Thomas in iis quae praemisit*, quod intellectus dupliciter potest revocari et removeri ab opinione quam habet: aut scilicet ex remotione dispositionis qua ad illam opinionem inclinabatur; aut ex aliquo certiori vel manifestiori, ex quo apparet intellectui quod prius existimabat verum, non esse verum, eo quod illi aut certiori aut manifestiori non concordet. Sed revocatio intellectus circa principiorum existimationem, non potest esse per aliqua certiora aut evidentiora: quia nihil est aut certius aut evidentius vel manifestius veritate primorum principiorum. Ideo necesse est ipsam fieri per immutationem illius dispositionis per quam intellectus talem existimationem de principiis habebat. Unde, cum natura sit quae ad veram existimationem principiorum inducit, non potest quis ab ipsa in falsam existimationem, nisi per aliquam naturae corruptionem, cadere: a falsa vero existimatione ad veram reduci non potest nisi per sanationem naturae. Circa conclusiones autem, potest immutari intellectus ex propositionibus aut certioribus aut manifestioribus. Nam, si verum fuerit iudicium, potest mutari in falsum, quia occurrit sibi aliqua propositio quae quidem, licet sit falsa, apud ipsum tamen est manifestius vera: si vero fuerit falsum, mutari potest in verum ex cognitione alicuius principii habentis certam veritatem, cui ipsam conclusionem videt repugnare.

* Cf. num. I. *Ad huius.*

Quod dicimus de intellectu, idem de appetitu suo modo est dicendum. Nam cum in aliquid tanquam in finem ultimum inclinatur, non potest ab illa inclinatione removeri per aliquid magis desiderabile: cum sit de ratione ultimi finis ut summe diligatur. Ideo, si debet talis inclinatio et desiderium removeri, oportet hoc esse per mutationem illius dispositionis qua intellectus iudicat illud esse ultimum finem et summum bonum, et per mutationem illius dispositionis qua ipsa voluntas in illud tanquam in ultimum finem inducebatur. Unde, manente eadem dispositione circa finem, non potest inclinatio et appetitus finis removeri. Sed appetitus eorum quae sunt ad finem, removeri potest, ex eo quod aliquid ipsis est magis desiderabile, scilicet finis; nam cum iudicatur aliquid aut contrarium aut inconveniens fini desiderato, cessat illius desiderium. Propterea bene probavit, Sanctus Thomas quod, manente dispositione qua aliquid desideratur ut ultimus finis, non potest illius finis desiderium removeri, quia ultimo fine nihil est magis desiderabile.

III. Circa illam propositionem, *Dispositio animae movetur per accidens secundum aliquem motum corporis**, considerandum est quod intelligitur ad hunc sensum, quod, si aliqua dispositio animae quae in aliquod tanquam in bonum fertur removeatur, hoc non potest esse nisi per aliquam transmutationem factam in corpore, inquantum videlicet ab aliqua dispositione corporis dependet. Cum enim anima sit in corpore ad suam perfectionem acquirendam; et consequenter in ipso moveatur ad finem: oportet eam diversimode secundum corporis dispositionem disponi et ad finem moveri. Videmus enim quod, stante aliqua concupiscentiae passione, anima aliquid iudicat bonum et illud appetit, qua cessante, non amplius illud iudicat bonum nec illud amplius desiderat. Ideo, cum anima est a corpore separata, non amplius ad aliquam dispositionem, aut ad aliquem finem acquirendum movetur, sed in dispositione habita et in fine adepto quiescit.

* Cf. num. I, *Istis suppositis*, fin.

IV. Circa probationem secundae* conclusionis, advertendum primo, ut est de mente Sancti Thomae I II$^{ae}$, q. XIX, a. 2*, quod, *cum finis ad voluntatem comparetur sicut obiectum, non autem ad alias vires, non differt in ipsa voluntate bonitas quae est ex obiecto, et bonitas quae est ex fine; nisi forte per accidens, sicut finis dependet ex fine, et voluntas ex voluntate.* Et ideo, cum bonitas actus dependeat ex obiecto, constat quod bonitas actus interioris voluntatis ex fine dependet: et similiter est de malitia. Et quia, ut dicitur I II$^{ae}$, q. XVIII, a. 6, *id quod est ex parte voluntatis, se habet ut formale ad id quod est ex parte exterioris actus, ideo actus humani species consideratur formaliter quidem,* idest completive, *secundum finem; materialiter autem secundum obiectum.* Propterea bene hic dicitur quod ex ultimo fine dependet *tota bonitas vel malitia voluntatis,* idest, et actus interioris eliciti, et actus ab ea imperati.

* Cf num. I, 2.

* Ad 1.

Considerandum secundo, quod non dixit Sanctus Thomas absolute *quaecumque* aliquis vult in ordine ad bonum finem bene velle: sed dixit *quaecumque bona.* Quia non sufficit ad bonitatem actus ordo ad bonum finem, nam qui vult furari ut det eleemosynam, non dicitur habere simpliciter bonam voluntatem: sed requiritur etiam bonitas ex obiecto et aliis circumstantiis.

V. Circa tertiam conclusionem, advertendum, ex doctrina Sancti Thomae in Qu. *de Malo,* loco allegato*, quod mutari de bono in malum, aut e converso, non est de ratione liberi arbitrii, sed sibi tantum convenit *inquantum est in natura potenti deficere:* unde hoc in Deo non

* Sc. q. XVI, a. 5. Allegatio non habetur supra, sed infra, nn. VIII, 4, et X, 3.

invenitur, in quo tamen liberum ponimus arbitrium. Sed bene per se convenit libero arbitrio ut diversa possit eligere in ordine ad finem: et sic etiam in Deo ponitur, qui potest eligere diversa in quibus suam bonitatem manifestet. Propterea bene probat Sanctus Thomas cum immutabilitate voluntatis circa ultimum finem, libertatem arbitrii stare, quia cum ipsa stat electio et mutatio de uno volito in aliud volitum.

VI. Sed contra praedicta dubia quaedam occurrunt. Arguit enim Scotus, in *Secundo*, dist. VII*, quod voluntas habituata non necessario habet actum malum. Primo, *quia nullus habitus est potentiae ratio agendi modo opposito modo proprio illius potentiae: cum causa secunda, inquantum causa secunda, non determinet modum agendi causae primae. Voluntas autem non habituata ex sua libertate potest non velle.* Ergo etc.

* Qu. 1. *Restat nunc.* Ven. 1497 f. 44 v b. - Capreol. Tom. III, p 430. *Secundo.*

2. Secundo, quia omne inclinativum voluntatis ad peccatum, vel ad actum peccati, *inclinat ad aliquem actum unum in specie**. Non inconvenit autem quod voluntas, *possit habere alium actum in specie ab illo, et tunc non habere illum: cum non possit simul habere plures actus.* Et consequenter non inconvenit quod habeat actum bonum. Et sic non sequitur quod ex dispositione acquisita in vita et remanente in anima separata, voluntas habeat voluntatem immutabilem in malo.

* l. c.

3. Arguit etiam* quod *ex apprehensione immobili non reddit anima se obstinatam. Quia hoc non est dum est in corpore: cum tunc habeat mobilem apprehensionem. Nec dum est extra corpus: quia in instanti separationis obstinatur et damnatur, et tamen tunc non habet immobilem apprehensionem, cum in illo nihil intelligat.* Ergo etc.

* Ex Capr. l. c. p 432. *Septimo.* Non invenimus hic in Scoto.

4. Potest etiam argui contra secundam conclusionem, et eius probationem, ex dictis Durandi*. *Quia non est necesse quod voluntas damnati adhaerens malo fini, omnia quae agit ex illo fine deducat: cum non omnia videat damnatus in malo fine,* sicut Beati omnia in suo fine vident. *A voluntate autem adhaerente perverso fini potest bonum opus procedere, si non deducatur ex illo fine.* Ergo, etc.

* II *Sent.* d. VII, q. II n. 7. (Ven. 1586, f 145 v a). - Capr. l. c. p. 433.

VII. Ad primum Scoti, dicitur primo quod, licet voluntas respectu eorum quae sunt ad finem, libera sit et necessario in illa non feratur, respectu tamen finis ultimi et summi boni necessitatem habet. Et ideo, si qua dispositio vel habitus inclinet ipsam in aliquid sub ratione finis ultimi et summi boni, in illud necessario fertur. Et tunc habitus ille non est voluntati ratio agendi contra proprium modum ipsius, sed secundum propriam eius inclinationem ad finem.

Dicitur secundo, quod non solus habitus aut dispositio voluntatis vel intellectus constituit voluntatem immobilem, sed et status animae: quia videlicet est extra viam et statum mutationis, in quo ab ipsa poterat habitus omnis moralis et omnis dispositio ad malum inclinans removeri. Concurrit etiam ad hoc divina iustitia, per quam iuste anima destituitur omnino divina gratia, quae necessaria est ad hoc ut homo a malo redeat ad bonum, ut ex superioribus* constat.

* Cap. XCIII. Comm. *Tertio*: cf. Lib. III, cap. CLVII.

2. Ad secundum, dicitur quod, licet habitus aut dispositio manens in anima inclinet ipsam ad unum actum in specie, quia inclinat ipsam ad desiderium perversi alicuius finis; non tamen oportet ut alium actum habeat praetermisso omnino illo ad quem ex habitu inclinatur; sed semper est in appetitu illius perversi finis, et omnem alium actum quem elicit ad illum ordinat. Non est autem inconveniens plures actus simul esse in voluntate quorum unus ad alium ordinem habet et dependentiam. – Et si dicatur quod non est semper in actuali consideratione illius finis perversi: oportet tamen dicere quod saltem virtualiter manet in quocumque alio actu illius perversi finis appetitus. Sicut enim in hac vita unumquodque desideratur inquantum in ipso est aliqua participatio beatitudinis, quam unusquisque naturaliter desiderat; ita in damnatorum statu unumquodque desideratur inquantum est in eo aliquo modo participatio eius quod ut finis ultimus desideratur.

3. Ad tertium, dicitur primo quod utique ex immutabili apprehensione qua apprehenditur ab anima aliquid sub ratione ultimi finis, sequitur obstinatio, qua voluntas illi fini immobiliter adhaeret, et ab illo fine discedere non potest.

Dicitur secundo, quod talis obstinatio causatur inchoative, non ab immobili apprehensione, sed absolute ab apprehensione talis finis in via: quia ex hoc quod in via fuit tale iudicium quo intellectus iudicavit esse summum bonum et ultimum finem quod vere summum bonum non est, et fuit etiam inclinatio voluntatis in illud tanquam in ultimum finem, sequitur in anima separata obstinatio in malum. Completive autem et perfective est ab immobili apprehensione existente in anima dum est separata. Quia enim cum tali apprehensione et dispositione, modo superius* explicato, cum anima separatur a corpore, ad eum statum devenit in quo a dispositione quam secum detulit mutari non potest, illius apprehensio facta est immutabilis; et ex illa facta est obstinatio completa.

* Num. II, 1. *Tertio, aliquam.*

Cum autem contra hoc instatur, quia in instanti quo anima separatur a corpore, non est talis apprehensio, eo quod tunc anima nihil intelligit: – dicitur primo, quod falsum est animam tunc nihil intelligere. Cum enim in eodem instanti separetur, et sit separata, in illo instanti conveniens est ut aliquam habeat apprehensionem circa illud cui existens in corpore afficiebatur, et pro quo tunc primo incipit puniri.

Dicitur secundo quod, cum obstinatio voluntatis nominet ipsius immobilem adhaesionem ad malum; adhaesio autem voluntatis ad aliquid non sit absque illius apprehensione: non potest in aliquo instanti voluntas primo esse obstinata in quo non sit immobilis apprehensio per intellectum. Et ideo in quocumque instanti, sive sit primum instans separationis a corpore sive aliud instans, ponatur voluntas obstinata, oportet in eo immobilem ponere intellectus apprehensionem.

Attendendum tamen quod, licet anima in instanti separationis habeat immobilem apprehensionem, et tunc primo incipiat esse obstinata; non tamen in illo habet demeritum, ut quidam dicunt, quia meritum et demeritum non est animae solius, sed compositi, scilicet hominis; in illo autem instanti homo non est, sed est primum instans sui non esse, et primum instans in quo anima primo punitur et est obstinata. Remanet enim in illo instanti anima, propter quod non repugnat sibi aliquam habere operationem: sed homo non remanet, ut mereri possit.

4. Ex iis etiam patet quod Durandi obiectio non procedit. – Dicitur enim primo, quod oportet damnati voluntatem omnia quae vult velle in ordine ad perversum finem cui adhaeret: quia semper est aut in actuali aut in virtuali desiderio illius finis, utpote sibi facto connaturali. Et ideo nihil potest bene velle: cum actus ad indebitum finem ordinatus non possit esse bonus.

Dicitur secundo quod etsi damnati non omnia simul videant in perverso fine cui adhaerent, unumquodque tamen quod particulariter eligunt, ad perversum finem ordinant.

VIII. Quantum ad secundum*, ostendit Sanctus Thomas differentiam inter homines et angelos quantum ad immobilitatem voluntatis ex fine. Et ponit hanc conclusionem: *Angeli, statim quod debito fini vel indebito adhaeserunt, immobiliter permanserunt in eo.* Probatur. Quia propinquiores sunt, secundum naturam in qua creantur, ultimae perfectioni quam animae: quia videlicet non indigent acquirere scientiam ex sensibus, neque pervenire ratiocinando de principiis ad conclusionem, sicut animae; sed per species inditas statim possunt in contemplationem veritatis devenire.

* Cf. init. Comm. et num. XII.

2. Advertendum primo, circa hanc conclusionem, quod per eam vult Sanctus Thomas ponere differentiam inter immobilitatem hominum et angelorum. Quia immobilitas non convenit homini statim post electionem debiti vel indebiti finis, sed quandiu homo in hac vita permanet, potest mutari voluntas eius, et removeri ab eo cui adhaeret ut fini: immobilitas autem sibi convenit tantum post sepa-

rationem animae a corpore. Sed angelus, post primam electionem, sive adhaesionem ad finem, statim habet immobilem voluntatem, ita quod ab illo fine discedere amplius non potest.

3. Advertendum secundo, quod differentiae causa hic assignata inter homines et angelos, sic est intelligenda quod, cum ultima perfectio intellectualis naturae sit actualis contemplatio veritatis, angelus huic propinquissimus est: quia omnium quae naturaliter natus est intelligere habet a principio sui esse habitualem cognitionem. Habet enim rerum species sibi congenitas; et simplici intuitu natus est conclusiones in principiis contemplari; non autem indiget accipere species intellectuales a sensibus, aut ratiocinando ad cognitionem veritatis pervenire. Ideo statim cum voluerit, contemplari veritatem potest. Anima autem rationalis ab hac perfectione remotior est: quia creatur absque formis intelligibilibus, et eas a sensibus accipiat oportet. Item non statim in principiis conclusiones intuetur, sed necesse est ut ratiocinando in earum cognitionem deveniat. Ideo non potest statim veritatem contemplari, sed opus est ut habitualem prius cognitionem accipiat eorum quae nata est naturaliter cognoscere.

4. Advertendum tertio, ex doctrina Sancti Thomae in Qu. *Malo*, q. XVI, a. 5, quod cum mutatio non conveniat nisi existenti in potentia, non potest intellectus mutari de una cognitione in oppositum, nisi ad utrumque sit in potentia: videmus enim quod intellectus noster non potest mutari a vera cognitione primorum principiorum in falsam, stante perfectione naturae, quia non est in potentia ad eam, sed habet sibi a natura habitualiter inditam. Cum ergo angelus non sit in potentia ad cognitionem eorum quae natus est naturaliter cognoscere, sed omnium habitualem notitiam actu habeat, non indigeatque ex naturaliter notis in aliqua sibi ignota devenire; anima autem rationalis sit in potentia respectu conclusionis, in actu vero respectu primorum principiorum, et propterea indigeat a principiis naturaliter notis ad ignotas conclusiones devenire ratiocinando: angelus apprehensionem circa naturaliter cognita immobilem habet, sicut nos primorum principiorum habemus notitiam; anima autem circa conclusiones mobilem habet apprehensionem. Et quia, ut deducit ibidem* Sanctus Thomas, *quod advenit alicui, advenit ei secundum modum suae naturae,* etiam respectu supernaturalis boni angelus immobilem apprehensionem habet, anima autem mobilem. Ex hoc ulterius sequitur quod, cum voluntas intellectui proportionetur, angelus immobilem etiam electionem habet, anima vero mobilem: quia videlicet ille immobiliter in eo quod semel elegit perseverat, anima vero potest ab illo quod elegit, averti.

* Prope finem.

Advertendum tamen, cum dicimus primam electionem angeli, et primam eius apprehensionem, immobilem esse, quod loquimur de perfecta et completa electione, similiter de perfecta et completa apprehensione, quae videlicet dicit completum iudicium intellectus: non autem de imperfecta electione et imperfecta apprehensione. Quod dico quia videtur daemon aliquando mutasse iudicium et electionem: sicut, cum primo induxit Iudaeos ad occidendum Christum, postea voluit ipsam Christi passionem per uxorem Pilati impedire*. Sed hoc fuit quia non habuit perfectum iudicium circa ea quae Christi erant, sed dubium et incertum: et ideo nunc unum bonum iudicabat, nunc alterum.

* Cf. *Matth.* XXVII, 19.

IX. Sed contra praedicta dubitatur. Arguit enim Scotus*, primo, contra hoc quod dictum est, *obstinationem angeli ex immobilitate apprehensionis eius provenire.* Quia, *cum intellectus angelicus fuerit rectus in apprehendendo ante peccatum, sequitur quod nunquam potuisset peccare.*

* L. c. f. 43 r. - Capr. l. c. p. 431.

Arguit secundo, quod per primam electionem non est factus impeccabilis. Quia, *cum voluntas, ut est prior naturaliter sua volitione, non aliter se habeat per hoc quod est sub actu volendi quam prius, sequitur quod per illum actum volendi non se habet aliter in causando.* Et consequenter, si primum actum volendi libere elicit, etiam secundum eliciet libere.

Arguit tertio, quod carere discursu non sit ratio immutabilitatis in angelo. Quia, *intellectus hominis ita immobiliter adhaeret ei ad quod discurrit, sicut angelus illud sine discursu apprehendens: ita enim conclusionem certitudinaliter et absque dubio tenet, sicut angelus ipsam tenet videndo eam in principiis sine discursu.*

Confirmatur per Aureolum*. *Quia in principio falso potest quis apprehendere conclusionem falsam. Nec tamen immobilitatur in ea.*

* Ex Capreol. l. c. p. 433, *Tertio.*

X. Ad primum horum dicitur quod dupliciter possumus loqui de apprehensione et electione libera: scilicet aut de ea quae est imperfecte et incomplete libera; aut de ea quae est libera complete et perfecte. Cum ergo dicimus apprehensionem et electionem angeli immobilem esse, intelligimus de complete et perfecte libera, quia ista est proprie actus eius: non autem de libera incomplete. Modo, dicimus quod prima electio, primaque apprehensio angeli, licet fuerit libera et meritoria, non fuit tamen complete libera. Unde non sequitur quod fuerit immobilis. Et consequenter non sequitur quod, si prima apprehensio angeli fuerit recta, quod in sequenti instanti non potuerit peccare.

Ubi advertendum est quod, sicut voluntas nostra necessario inclinatur ad felicitatem in communi, ita quod non potest velle miseriam; ita voluntas angeli in primo instanti suae creationis, erat determinata ad bonum, ita quod non poterat male velle. In secundo vero instanti poterat et in bonum et in malum inclinari. Unde, etsi in primo instanti angelus posset habere actum liberum quantum ad exercitium actus, eo quod posset elicere vel non elicere actum, non erat tamen ille actus perfecte liber: quia quantum ad specificationem, erat determinatus ad unum, cum non posset terminari nisi ad bonum. In secundo autem instanti poterat habere actum perfecte liberum: quia videlicet in potestate sua erat elicere vel non elicere actum, et bene et male eligere. Unde post electionem in secundo instanti habitam, voluntas angeli immobilitata est.

2. Ex hoc removetur obiectio quae fit contra Sanctum Thomam, dum, *Prima Parte*, q. LXIII, a. 5* et 6, tenet angelos omnes in primo instanti habuisse actum liberum et meritorium; articulo autem 6, ad 3, inquit quod *angelus habet liberum arbitrium inflexibile post electionem.* Videtur enim ex his sequi quod nullus angelus peccaverit. – Sed dicitur quod hoc non sequitur. Quia cum dicitur angelum habere liberum arbitrium inflexibile post electionem, intelligitur, ut diximus, de electione complete libera, quae scilicet poterat elici et bene et male. Hoc autem modo, in primo istanti, non habuerunt omnes angeli in primo instanti actum liberum: sed liberum tantum quoad exercitium actus, et quoad hoc bonum vel illud eligendum, determinatum autem ad bonum. Unde non sequitur quod, post illud meritum quod habuerunt in primo instanti, non potuerint peccare in secundo instanti, in quo omnimodam libertatem habuerunt, etiam ad bonum et malum: sed quod post electionem habitam in secundo instanti, nec mali possunt bene velle, nec boni male.

* Ad 3.

3. Responsio autem quam dat Capreolus, in *Secundo*, dist. IV*, concl. 5, scilicet quod dictum Sancti Thomae, scilicet quod angelus habet liberum arbitrium inflexibile post electionem, intelligitur *de electione ex puris naturalibus, et secundum inclinationem solius naturae elicita, non autem de electione elicita Deo per gratiam movente angeli voluntatem ad supernaturalia,* qualis fuit electio in primo instanti habita: non videtur mihi esse ad mentem Sancti Thomae. Nam in Qu. *de Malo*, q. XVI, a. 5, ex eo quod *voluntas angelorum naturaliter est immutabilis circa ea quae ad ordinem naturae pertinent;* et *omne quod advenit alicui, advenit ei secundum modum suae naturae;* concludit quod *immobiliter perseverant in aversione vel in conversione respectu supernaturalis boni.* Ex iis enim patet quod non solum electio secundum naturalem inclinationem elicita in ipsis est immobilis, sed etiam ea quae, Deo per gratiam movente eius voluntatem ad supernaturalia, producitur.

* Qu. 1, art. 3, § 5, 1, in resp. ad arg. Scoti. l. c. p. 358, b.

Nec obstat quod inquit *Prima*, q. LXIII, a. 1; et II *Sent.*, d. XXIII, q. 1, a. 1, nullam creaturam posse fieri quae sit impeccabilis per naturam; et *de Verit.* q. XXIV, a. 7, *nul-*

*lam posse esse creaturam cuius liberum arbitrium sit naturaliter confirmatum in bono.* – Illud enim intelligitur quod nulli creaturae potest convenire ut nunquam possit peccare, sed cuilibet convenit ex sua natura ut aliquando peccare possit: non autem quin alicui creaturae possit convenire ex sui natura ut, post liberam electionem bonam, non possit amplius in malum flecti.

* Init. huius n. x. *Ubi advert.*

Ideo melius dicendum puto, iuxta praedicta*, quod illud dictum intelligendum est de electione, tam ex gratia quam ex viribus naturalibus elicita, quae est mere libera, quae scilicet elicitur ab angelo pro illa mensura in qua non est determinatus ad bonum, sed habet libertatem ad bene aut male volendum. Quod sane convenit angelo in secundo instanti sui esse, non autem in primo. – Sicut autem dicimus de electione, ita de apprehensione angeli dicendum est.

* Cf. num. ix, *Arguit secundo.*

XI. Ad secundum*, negatur quod voluntas, ut prior aliqua sua volitione elicienda, non aliter se habeat prout est sub aliquo actu volendi quam prius. Immo aliter se habet: quia antequam esset sub actu volendi perfecte libero, erat ad alios actus indeterminata; et in se ad nullum obiectum determinata erat in secundo instanti sui esse; ipsa autem posita sub primo actu perfecte libero, necessitatur ad obiectum illius actus, et ad modum eius, ita quod non potest in oppositum. Determinatur etiam et necessitatur ad hoc ut omnes alii actus quos eliciet, conformiter isti primae electioni eliciantur. Unde voluntas ipsa, sub illo primo actu existens, et aliter se habet in se, et aliter in causando.

* Cf. l. c. *Arguit tertio.*

2. Ad tertium* dicitur primo, quod carere discursu actuali in aliquo particulari, non est ratio immobilitatis angelorum: sed universaliter carere discursu, tam in actu quam in potentia. Ita quod, quia angelus talis naturae est quod simul et principium et conclusionem apprehendit, nihilque cum discursu potest accipere, non habet viam revocationis ab eo quod semel bonum esse iudicavit et elegit, ut superius* diximus.

* Num. VIII, 2.

Dicitur secundo, quod intellectus humanus, licet aliquam conclusionem practicam certitudinaliter teneat veram ut nunc, non tamen ipsam absolute immobiliter veram tenet: quia potest, aut ex passione, aut ex alia occurrente ratione sibi manifestiore et probabiliore, vel alio modo, in oppositum iudicium deduci. Quod in angelo esse non potest, in quo passio locum non habet, et cui ratio ad oppositum deducens non potest occurrere, cum ad considerationem veritatis per ratiocinationem non deveniat.

* Cf. n. ix, *Confirmatur.*

3. Ad confirmationem* dicitur quod homo in principio falso videns falsam conclusionem, et utrumque existimans esse verum, non immobilitatur in ea: quia potest per rationem et discursum deduci ad oppositum conclusionis visae in principio falso, et etiam in oppositum principii. Angelus autem, ut dictum est, discurrere non potest. Ideo non est similis ratio.

XII. Quantum ad tertium*, removet Sanctus Thomas quandam tacitam obiectionem. Quia enim dictum est animam a corpore separatam immutabilem esse, quia immobiliter adhaeret fini cui existens in corpore adhaeserat; posset aliquis arguere quod, si ista immutabilitas sibi convenit dum est separata, sibi, dum reunietur corpori, non conveniet. – Hoc autem removet Sanctus Thomas, dicens quod animae, etiam in resurrectione, postquam reassument corpora, immobilitatem voluntatis non amittent: quia tunc corpora secundum animae exigentiam disponentur, non autem e converso.

* Cf. init. Comm. et num. VIII.

Advertendum primo, quod hoc intelligendum est de animabus quae, dum separantur a corpore, ponuntur totaliter extra statum viae, et quae in universali resurrectione assument corpora: non autem de iis quae separantur ad modicum tempus, iterum per divinam dispositionem ad corpus rediturae, ut de anima Lazari fuit*. Tales enim animae non ponuntur omnino extra statum viae. Et ideo, dum reuniuntur ad corpus, mutabilem iterum accipiunt voluntatem.

* Cf. *Ioann.* XI.

Advertendum secundo quod, licet materia sit propter formam, et ideo oporteat ipsam secundum exigentiam formae disponi; alia tamen est exigentia animae in principio sui esse, et alia exigentia in resurrectione. In principio enim sui esse, est exigentia tantum secundum naturae conditionem: unde, ut per ipsum possit via sensuum cognitionem accipere, requirit naturaliter corpus ex contrariis compositum, quod secundum suam naturam est corruptibile. In resurrectione autem erit exigentia non tantum secundum naturae conditionem, sed etiam secundum conditionem sibi divinitus datam, qua plene corpori quantum ad esse dominari possit: unde, secundum quod ipsa immortalis et incorruptibilis erit, ita et corpus incorruptibile reassumet. Quod ergo hic dicitur, quod corpora in resurrectione secundum exigentiam animae disponentur, intelligitur de exigentia animae divina virtute et dispositione perfectae: non autem de exigentia secundum naturalem eius dumtaxat conditionem.

Cetera quae ad hanc materiam spectant, vide apud Capreolum, II *Sent.*, dist. VII.

# CAPITULUM NONAGESIMUM SEXTUM

## DE FINALI IUDICIO.

Ex praemissis igitur apparet quod duplex est retributio pro his quae homo in vita gerit: una secundum animam, quam aliquis percipit statim cum anima fuerit a corpore separata; alia vero retributio erit in resumptione corporum, secundum quod quidam impassibilia et gloriosa corpora, quidam vero passibilia resument et ignobilia. Et prima quidem retributio singillatim fit singulis, secundum quod divisim singuli moriuntur. Secunda autem retributio simul omnibus fiet, secundum quod omnes simul resurgent. Omnis autem retributio qua diversa redduntur secundum diversitatem meritorum, iudicium requirit. Necesse est ergo duplex esse iudicium: unum, quo divisim singulis quantum ad animam redditur poena vel praemium; aliud autem commune, secundum quod, quantum ad animam et corpus, reddetur omnibus simul quod meruerunt.

Et quia Christus sua humanitate, secundum quam passus est et resurrexit, nobis et resurrectionem et vitam aeternam promeruit; sibi competit illud commune iudicium, quo resurgentes vel praemiantur vel puniuntur. Propterea de eo dicitur Ioan. V[27]: *Potestatem dedit ei iudicium facere, quia Filius hominis est.*

Oportet autem iudicium proportionale esse his de quibus iudicatur. Et quia finale iudicium erit

1 *Titulus in* G *rasus.* 3 gerit] gessit ZP*d*. 12 autem] enim DEGNX*b*.
3 aliud autem *Ita* GNZ*b*; aliud est αWY, aliud est autem P*c*, secunda est E, secundum est DX. 13 autem] igitur DEGNX.

de praemio vel poena visibilium corporum, conveniens est ut illud iudicium visibiliter agatur. Unde etiam Christus in forma humanitatis iudicabit, quam omnes possint videre, tam boni quam mali. Visio autem divinitatis eius beatos facit, ut in Tertio* est ostensum: unde a solis bonis poterit videri. Iudicium autem animarum, quia de invisibilibus est, invisibiliter agitur.

* Capp. XXV, LI, LXIII.

Licet autem Christus in illo finali iudicio auctoritatem habeat iudicandi, iudicabunt tamen simul cum illo, velut iudicis assessores, qui ei prae ceteris adhaeserunt, scilicet Apostoli, quibus dictum est, *Matth.* XIX[28]: *Vos qui secuti estis me, sedebitis super sedes iudicantes duodecim tribus Israel:* quae promissio etiam ad illos extenditur, qui Apostolorum vestigia imitantur.

1 praemio vel poena] poena vel praemio DEGN, finali praemio X. (iudicari) C. 7 poterit *post* videri DEGNX*b*P*c*.
7 ad illos extenditur] ad illos (illis EGN) ostenditur BEFGHN*b*. 4 possint] possent $N_{1}$|possunt EGX, (secundam quam omnes) possunt

## Commentaria Ferrariensis

POSTQUAM determinavit Sanctus Thomas de universali resurrectione, consequenter de finali iudicio, resurrectionem concomitante, determinat*. Circa hoc autem duo facit: primo, agit de ipso finali iudicio; secundo, de iis quae finale iudicium consequentur*.

* Cf. cap. LXXIX, init. Comm.

* Cap. seq.

Quantum ad primum, ponit quatuor conclusiones. Prima est: *Necesse est esse duplex iudicium: unum scilicet quo divisim singulis quantum ad animam redditur poena vel praemium; aliud vero commune, quo quantum ad animam et corpus reddetur omnibus simul quod meruerunt.* Probatur. Duplex est retributio pro iis quae homo in vita gessit. Una scilicet secundum animam: quam aliquis percipit statim cum anima fuerit a corpore separata: quae singillatim fiet. Alia vero erit in resumptione corporum, secundum quod quidam impassibilia et gloriosa corpora, quidam vero passibilia resument et ignobilia: quae simul omnibus fiet. Ergo etc. Probatur consequentia. Quia omnis retributio qua diversa redduntur secundum diversitatem meritorum, iudicium requirit.

Advertendum primo, quod conclusio haec intelligitur non de necessitate absoluta, sed de necessitate congruentiae.

Advertendum secundo, ex doctrina Sancti Thomae *Quarto*, d. XLVII*, a. 1**, quod sicut particulare iudicium fit singulariter de unoquoque inquantum est singularis persona, ita commune iudicium de unoquoque fiet secundum quod est pars totius humani generis: sicut etiam secundum humanam iustitiam dicitur quis iudicari, quando iudicium datur de communitate cuius ipse est pars. Unde et propria sententia illius generalis iudicii erit *universalis separatio bonorum a malis.* Propterea bene dicitur hic quod per commune iudicium *redditur omnibus simul,* quantum ad corpus et animam, quod meruerunt.

* Qu. 1.
** Qu[a] 1, ad 1.

II. Secunda conclusio est: *Illud commune iudicium quo resurgentes vel praemiantur vel puniuntur, competit Christo:* et intelligitur secundum humanam naturam. Probatur. Quia Christus sua humanitate, secundum quam passus est et resurrexit, nobis et resurrectionem et vitam aeternam promeruit. – Confirmatur per illud *Ioan.* V, *Potestatem dedit ei iudicium facere* etc.

Advertendum primo, ex doctrina Sancti Thomae *Tertia*, q. LIX, a. 2; et in *Quarto*, d. XLVIII*, a. 1, quod dupliciter iudicium alicui convenit: uno modo, tanquam habenti primariam auctoritatem iudicandi; alio modo, tanquam cui committitur iudicare ab habente primariam auctoritatem. Primo ergo modo convenit Christo iudicare inquantum est Deus: iudicare vero secundo modo sibi convenit inquantum est homo qui est totius Ecclesiae caput. – Unde rationes Scoti in *Quarto*, d. XLVIII*, quibus probat non convenire Christo secundum humanam naturam iudicare primaria et suprema auctoritate, contra mentem Sancti Thomae non procedunt.

* Qu. 1.

* Qu. 1.

Advertendum secundo, cum arguitur Christo convenire iudiciariam potestatem *quia nobis et resurrectionem et vitam aeternam promeruit,* quod non intelligitur de merito cum exclusione causae efficientis, sed cum eius inclusione. Quia enim Christus nobis ista meruit et efficienter causavit secundum humanitatem, inquantum erat divinitatis instrumentum, ideo meruit ut sibi potestas iudicandi inter bonos et malos traderetur. Propterea rationes Scoti*, quibus probat male probari Christo convenire iudiciariam potestatem eo quod nobis salutem meruerit, non procedunt contra nos: quia procedunt ac si diceremus Christum fuisse solam causam meritoriam salutis, et nullo modo causam efficientem.

* L. c.

III. Tertia conclusio est: *Conveniens est ut illud iudicium visibiliter agatur:* idest quod fiat visibilis omnium congregatio, et visibilis separatio bonorum a malis. Probatur. Finale iudicium erit de praemio vel poena visibilium corporum. Ergo etc. – Probatur consequentia. Quia oportet iudicium proportionale esse iis de quibus iudicatur.

Confirmatur primo. Quia etiam Christus in forma humanitatis iudicabit, quam omnes possunt* videre, tam boni quam mali: licet eius divinitas, cuius visio beatos facit, a solis bonis possit videri.

* Cf. text. et var.

Confirmatur secundo. Quia iudicium animarum, quia de invisibilibus est, invisibiliter agitur.

Advertendum circa antecedens rationis, quod in hoc finali iudicio non sententiatur de poena vel praemio animae proprie et per se, quia hoc statim cum a corpore separatur, efficitur: sed de poena vel praemio corporis, quod ab anima reassumitur non amplius deponendum, et cui convenit cum anima puniri aut praemiari, sicut et eius instrumentum fuit dum peccaret et bonum ageret. Ideo bene dicitur quod finale iudicium erit *de poena vel praemio visibilium corporum.* – Utrum autem mali sint visuri Christi divinitatem, vide Doctorem, scilicet *Quarto*, d. XLVIII*.

* Qu. 1, a. 3.

IV. Quarta conclusio: *Simul cum Christo iudicabunt, velut iudicis assessores, Apostoli, et qui eorum vestigia imitantur.* Probatur. Quia Christo prae caeteris adhaeserunt. – Confirmatur per illud *Matth.* XIX, *Vos qui secuti estis* etc.

Ad huius conclusionis evidentiam, considerandum primo quod per eos qui Apostolorum vestigia imitantur, intelligendi sunt, non quidem omnes Christiani, etiam boni, sed perfecti viri, qui scilicet alios sanctitate praecellunt: ut dat intelligere Sanctus Thomas in *Quarto*, d. XLVII*, a. 2**.

* Qu. 1.
** Qu[a] 1.

Considerandum secundo, ex doctrina Sancti Thomae ibidem, quod cum dicitur, Apostolos et Sanctos iudicaturos cum Christo, non intelligitur quasi ipsi habeant in alios sententiam ferre propria auctoritate, hoc enim solius Christi est, sed *quia sententiam a Christo auctoritate propria latam, in aliorum notitiam ducent,* quod *est pronuntiare sententiam. Ducent enim alios in divinae iustitiae cognitionem, ut sciant quid eis iuste debeatur.* Unde ad hoc insinuandum dicit Sanctus Thomas hoc loco* quod *Christus habet auctoritatem iudicandi, Apostoli vero simul iudicabunt ut assessores.*

* Sc. hoc cap. XCVI.

Attendendum tamen quod in illo iudicio duplex erit sententia. Una videlicet generalis, qua mali igni aeterno adiudicabuntur, boni vero caelestibus sedibus. Quam quidem probabile est faciendam esse vocaliter. Et quia haec voce Christi fiet omnibus manifesta, non pronuntiabitur per assessores. – Alia vero erit particularis, qua unusquisque tali poenae aut tali praemio iudicabitur: quae quidem mentaliter fiet. Et de hac intelligitur quod per assessores manifestabitur unicuique, scilicet per modum intelligibilis revelationis, eo modo quo unus angelus alteri aliquid intelligibiliter manifestat.

# CAPITULUM NONAGESIMUM SEPTIMUM

## DE STATU MUNDI POST IUDICIUM.

Peracto igitur finali iudicio, natura humana totaliter in suo termino constituetur. Quia vero omnia corporalia sunt quodammodo propter hominem, ut in Tertio est ostensum*, tunc etiam totius creaturae corporeae conveniens est ut status immutetur, ut congruat statui hominum qui tunc erunt. Et quia tunc homines incorruptibiles erunt, a tota creatura corporea tolletur generationis et corruptionis status. Et hoc est quod dicit Apostolus, *Rom.* VIII[21], quod *ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriae filiorum Dei.*

Generatio autem et corruptio in inferioribus corporibus ex motu caeli causatur. Ad hoc igitur quod in inferioribus cesset generatio et corruptio, oportet etiam quod motus caeli cesset. Et propter hoc dicitur *Apoc.* X[6], quod *tempus amplius non erit.*

Non debet autem impossibile videri quod motus caeli cesset. Non enim motus caeli sic est naturalis sicut motus gravium et levium, ut ab aliquo interiori activo principio inclinetur ad motum: sed dicitur naturalis, inquantum habet in sua natura aptitudinem ad talem motum; principium autem illius motus est aliquis intellectus, ut in Tertio* est ostensum. Movetur igitur caelum sicut ea quae a voluntate moventur. Voluntas autem movet propter finem. Finis autem motus caeli non potest esse ipsum moveri: motus enim, cum semper in aliud tendat, non habet rationem ultimi finis. Nec potest dici quod finis caelestis motus sit, ut corpus caeleste reducatur secundum *ubi* de potentia in actum: quia haec potentia nunquam potest tota in actum reduci: quia dum corpus caeleste est actu in uno *ubi*, est in potentia ad aliud; sicut est et de potentia materiae primae respectu formarum. Sicut igitur finis naturae in generatione non est reducere materiam de potentia in actum, sed aliquid quod ad hoc consequitur, scilicet perpetuitas rerum, per quam ad divinam similitudinem accedunt; ita finis motus caelestis non est reduci de potentia in actum, sed aliquid consequens ad hanc reductionem, scilicet assimilari Deo in causando. Omnia autem generabilia et corruptibilia, quae causantur per motum caeli, ad hominem ordinantur quodammodo sicut in finem, ut in Tertio* est ostensum. Motus igitur caeli praecipue est propter generationem hominum: in hoc enim maxime divinam similitudinem consequitur in causando, quia forma hominis, scilicet anima rationalis, immediate creatur a Deo, ut in Secundo* est ostensum. Non autem potest esse finis multiplicatio animarum in infinitum: quia infinitum contrariatur rationi finis*. Nihil igitur inconveniens sequitur si, certo numero hominum completo, ponamus motum caeli desistere.

Cessante tamen motu caeli et generatione et corruptione ab elementis, eorum substantia remanebit, ex immobilitate divinae bonitatis: *creavit enim res ut essent**. Unde esse rerum quae aptitudinem habent ad perpetuitatem, in perpetuum remanebit. - Habent autem naturam ut sint perpetua, secundum totum et partem, corpora caelestia; elementa vero secundum totum, licet non secundum partem, quia secundum partem corruptibilia sunt; homines vero secundum partem, licet non secundum totum, nam anima rationalis incorruptibilis est, compositum autem corruptibile. Haec igitur secundum substantiam remanebunt in illo ultimo statu mundi, quae quoquo modo ad perpetuitatem aptitudinem habent, Deo supplente sua virtute quod eis ex propria infirmitate deest.

Alia vero animalia, et plantae, et corpora mixta, quae totaliter sunt corruptibilia, et secundum totum et partem, nullo modo in illo incorruptionis statu remanebunt. Sic igitur intelligendum est quod Apostolus dicit, I *Cor.* VII[31]: *Praeterit figura huius mundi,* quia haec species mundi quae nunc est, cessabit: substantia vero remanebit. Sic etiam intelligitur quod dicitur *Iob* XIV[12]: *Homo, cum dormierit, non resurget donec atteratur caelum:* idest, donec ista dispositio caeli cesset qua movetur et in aliis motum causat.

Quia vero inter alia elementa maxime activum est ignis, et corruptibilium consumptivum; consumptio eorum quae in futuro statu remanere non debent, convenientissime fiet per ignem. Et ideo secundum fidem ponitur quod finaliter mundus per ignem purgabitur, non solum a corruptibilibus corporibus, sed etiam ab infectione quam locus iste incurrit ex habitatione peccatorum. Et hoc est quod dicitur II *Petri* III[7]: *Caeli qui nunc sunt et terra eodem verbo repositi sunt, igni reservati, in diem iudicii:* ut per *caelos* non ipsum firmamentum intelligamus, in quo sunt sidera, sive fixa sive errantia, sed istos caelos aeros terrae vicinos.

* Cap. LXXXI.
* Cap. XXIII.
* Cap. LXXXI.
* Cap. LXXXVII.
* Cf. I[a], q. VII, a. 4. *Item, multitudo.* - Cf. Lib. II. cap. 80-81; Comm. num. V seqq. - Cf. I *Metaph.* lect. IV.
* *Sap.* I, 14.

1 *Titulo in* G *spatium vacuum.* 4 sunt] facta sunt P*d*. 9 corporea] corpora BFH, corporali P*d*. 14 in] quae est in P*c*. 15 igitur] enim DEGX; *lac.* N. 17 etiam *om* Y, *post* quod P*c*. 33 corpus caeleste *om* αWYZ. 37 et de] etiam de X, de CDYP*c*. 41 perpetuitas *post* rerum DEGNX. 47 quodammodo *om* DE, aliquo modo *b*. 50 maxime] maximam P*d*.
2 scilicet anima rationalis *om* DEGX. creatur *Ita* Pc; causatur *ceteri*. 3 II. *Ita* P; III. *ceteri*. 30 Praeterit] Praeteriit DEGN*b*. 31 mundi *alt. loco om* DGX, huius mundi Y; *pro* mundi .... 32 remanebit *nil nisi* etc. E. *ac si S. Scripturae textum esse crederet.* 34 homo *om* DEGX. atteratur] alteratur GN*b*, *om* E, auferatur Y; *pro* caelum, caelum et terra etc. E *et sine* etc. G. 47 caelos] caelum DEGNX.

Quia igitur creatura corporalis finaliter disponetur per congruentiam ad hominis statum; homines autem non solum a corruptione liberabuntur*, sed etiam gloria induentur, ut ex dictis* patet: oportebit quod etiam creatura corporalis quandam claritatis gloriam suo modo consequatur.

* Cap. LXXXV.
* Cap. LXXXVI.

ET HINC EST QUOD DICITUR *Apoc.* XXI[1]: VIDI CAELUM NOVUM ET TERRAM NOVAM; ET *Isaiae* LXV[17.18]: EGO CREABO CAELOS NOVOS, ET TERRAM NOVAM, ET NON ERUNT IN MEMORIA PRIORA, ET NON ASCENDENT SUPER COR: SED GAUDEBITIS ET EXSULTABITIS USQUE IN SEMPITERNUM. AMEN.

5 quod *post* etiam EG.
6 sempiternum] aeternum Z.

## Commentaria Ferrariensis

POSTQUAM de finali iudicio determinavit Sanctus Thomas, consequenter de statu mundi post iudicium determinat*.

* Cf. cap. praec. init. Comm.

I. Et ponit sex conclusiones. Prima est: *Peracto finali iudicio, a tota creatura corporali tolletur generationis et corruptionis status: idest, nulla deinceps generatio erit, aut corruptio.* Probatur sic. Conveniens erit ut totius creaturae corporeae status immutetur, ut congruat hominum statui. Ergo etc. – Probatur antecedens. Quia omnia corporalia facta sunt* quodammodo propter hominem. Tunc autem natura humana totaliter in suo termino constituetur. Consequentia vero probatur: quia tunc homines incorruptibiles erunt.

* Cf. text. et var.

Advertendum primo quod, cum omnia corporalia aliquo modo ad hominem ordinentur, et ideo oporteat omnia statui hominis adaptari; sicut homo in finali iudicio mutabit statum, quia non remanebit amplius in via, sed in suo ultimo termino constituetur; ita oportet ut omnia corporalia a suo statu mutentur, adaptenturque illi hominum statui. Et hic est sensus probationis antecedentis.

Attendendum secundo, quod non dixit Sanctus Thomas absolute omnia corporalia esse propter hominem, sed addidit *quodammodo:* ut daret intelligere hominem non esse finem principalem earum rerum sed secundarium, modo quo in praecedentibus est ostensum*.

* Lib. III, cap. LXXXI.

Attendendum tertio, quod idem status est generationis et corruptionis rerum: nam natura non operatur ad generationem nisi propter conservationem speciei quorum individua per successivam corruptionem deficiunt; unde videmus in rebus incorruptibilibus, cuiusmodi sunt corpora caelestia, generationem non esse. Propterea, volens Sanctus Thomas, ex similitudine ad statum hominum post iudicium inferre non esse amplius generationis et corruptionis statum, probat quia tunc homines erunt incorruptibiles: per hoc intelligens quod etiam tunc hominum generatio non erit.

Confirmatur per illud quod dicitur *Rom.* VIII, quod scilicet *ipsa creatura liberabitur* etc.

II. Secunda conclusio est: *Cessabit etiam tunc motus caeli.* Probatur. Quia generatio et corruptio quae est in* inferioribus corporibus, ex motu caeli causatur: (supple) et ad ipsam generationem et corruptionem caeli motus ordinatur. Ostensum est autem quod illa cessabunt. – Confirmatur. Quia dicitur *Apoc.* X quod *tempus amplius non erit.*

* Cf. text. et var.

III. Contra hanc conclusionem posset aliquis instare, dicens impossibile esse ut motus caeli cesset: cum sit naturalis. Sed ad hoc respondet Sanctus Thomas:

Et dicit primo, quod motus caeli non est naturalis ex aliquo interiori principio activo, sicut motus gravium et levium: sed quia caelum ad talem motum in sua natura aptitudinem habet. Movetur autem ab intellectu et voluntate.

Dicit secundo quod, cum voluntas moveat propter finem, motus caeli finis neque potest esse ipsum moveri, quia, cum motus semper in aliud tendat, non habet rationem ultimi finis; neque reductio corporis caelestis secundum *ubi* de potentia in actum, quia, cum haec potentia nunquam possit tota in actu reduci, eo quod caelum, dum est actu in uno *ubi*, sit in potentia ad aliud, quemadmodum est de potentia materiae respectu formarum; sicut finis naturae in generatione non est reducere materiam de potentia in actum, sed aliquid ad hoc consequens, scilicet perpetuitas rerum, per quam ad divinam similitudinem accedunt; ita finis caelestis motus non est caelum reduci de potentia in actum, sed aliquid ad hoc consequens, scilicet assimilari Deo in causando.

Dicit tertio quod, cum omnia generabilia et corruptibilia, quae causantur per motum caeli, ad hominem quodammodo ordinentur sicut ad finem, motus caeli praecipue est propter hominum generationem; in quo maxime divinam similitudinem consequitur in causando, cum anima rationalis immediate creetur a Deo.

Dicit quarto quod, cum hic finis non sit multiplicatio animarum in infinitum, eo quod infinitum rationi finis contrarietur; nihil inconveniens sequitur si, certo numero hominum completo, ponamus motum caeli desinere.

IV. Advertendum primo, quod ex primo dicto vult habere Sanctus Thomas rationem permanentiae motus caeli non posse sumi ex aliqua natura caelestis corporis, cum in eo sit principium tantum passivum motus, non autem activum: sed ex principio activo separato. Quod cum agat propter finem, oportet rationem huiusmodi permanentiae ex fine accipere. Si enim congruat eius fini quod aliquando terminetur, caelum quandoque quiescet: si autem non conveniat quies, motus erit sempiternus.

Advertendum secundo, quod finis motus caeli non ponitur a nobis similitudo ad Deum in causando per motum absolute, sicut quidam philosophi posuerunt: sic enim oporteret dicere motum caeli esse perpetuum: quia hunc finem non consequeretur caelum nisi dum actualiter moveretur; nam, cessante motu, caelum non haberet suum finem sed magis cessaret eius finis, quia non assimilaretur Deo, in causando, eo quod tunc nihil causaret. Sed ponitur similitudo ad Deum in causando hominum multiplicationem usque ad determinatum numerum electorum. Ideo ponimus quod, habito hoc fine, scilicet completo numero electorum per generationem virtute motus caeli provenientem, motus caeli cessabit. Ideo, postquam dixit Sanctus Thomas finem motus caeli esse assimilari Deo in causando; ne quis putaret hoc esse absolute intelligendo, addidit praecipue ordinari hunc motum ad hominum generationem et multiplicationem animarum, non quidem in infinitum, sed usque ad determinatum numerum.

Advertendum tertio quod, cum in generatione hominis duo sint, scilicet dispositio corporis pro animae intellectiva suscipienda, et introductio intellectivae in materiam dispositam, ipsa animae productio est a Deo animam creante: ipsa vero corporis dispositio est a generante et motu caeli. Unde homo productus est effectus hominis generantis atque motus caeli; et effectus Dei per se et immediate unam eius partem producentis. Et ideo, dum caelum per suum motum ad hominis generationem operatur, maxime assimilatur Deo in causando, quia ad eundem effectum cum Deo aliquo modo concurrit, scilicet ad animae a Deo immediate creatae unionem cum materia. Propterea bene arguit Sanctus Thomas esse maximam* assimilationem caeli ad Deum cum ad hominis generationem operatur, quia anima rationalis immediate creatur a Deo.

* Cf. text. et var

V. Sed circa id quod dictum est, *gravia et levia ab aliquo interiori principio activo inclinari ad motum,* dubium occurrit. Oppositum enim huius videtur dicere Sanctus

Thomas I *Caeli,* lect. 3*; II *Caeli,* lect. 2**; et III *Caeli,* lect. 6*; item *Tertia,* q. xxxii, a. 4.

Ad huius evidentiam considerandum est quod, cum ad motum gravis concurrat generans grave tanquam movens*, grave tanquam quod movetur, et forma gravitatis tanquam id quo fit motus; dupliciter potest gravitas considerari. Uno modo, ut se tenet ex parte generantis: tanquam scilicet id, quo mediante generans causat motum. Alio modo ut se tenet ex parte ipsius gravis: ut scilicet est id ex quo in gravi naturaliter motus resultat. Si primo modo consideretur, sic habet rationem principii activi quo: est enim id quo generans movet gravia; sicut qualitas impressa ferro a magnete, est id quo magnes ad se trahit ferrum. Si autem secundo modo consideretur, sic habet rationem principii passivi: non enim est principium quo grave moveat, sed quo a generante movetur.

Ad primum ergo sensum loquitur hoc loco Sanctus Thomas. Unde et *Potentia,* q. v, a. 5, dicit quod *formam corporis elementaris sequitur motus, sicut et aliae proprietates ex essentialibus principiis consequuntur: et in eis generans dicitur esse movens, inquantum dat formam quam consequitur motus.* – In aliis vero locis loquitur ad secundum sensum.

VI. Tertia conclusio est: *Cessante motu caeli et generatione et corruptione ab elementis, eorum substantia remanebit.* Probatur. In ultimo illo statu mundi remanebunt secundum substantiam quae quoquo modo ad perpetuitatem aptitudinem habent, Deo supplente quod eis ex propria infirmitate deest. Sed elementa sunt huiusmodi. Ergo etc.

Probatur maior. Quia divina voluntas, quae immobilis est, *creavit res ut essent**. – Minor vero declaratur. Quia corpora caelestia habent naturam ut sint perpetua secundum totum et partem; elementa vero secundum totum, non autem secundum partem, cum secundum partem corruptibilia sint; homo vero secundum partem, scilicet secundum animam intellectivam, non autem secundum totum.

Circa probationem maioris, advertendum sensum eius esse quod, cum divina bonitas creaverit res ut essent, secundum quod voluit illas esse, ita eis ad esse naturam et aptitudinem dedit. Ideo, si aliquibus dedit aptitudinem secundum naturam ad esse perpetuum, signum est quod illas voluit habere esse perpetuum: si autem aliquibus non dedit ad esse perpetuum aptitudinem, signum est quod illa non produxit ut perpetua essent. Cum ergo divina voluntas immobilis sit, oportet dicere quod illa perpetuo secundum substantiam maneant, quae ad perpetuitatem secundum naturam aptitudinem habent.

Advertendum secundo, quod idcirco addit Sanctus Thomas, *Deo supplente* etc., quia, cum ut dictum est superius*, post finale iudicium nulla sit generatio et corruptio, illud quod aliquo modo est incorruptibile et perpetuum et aliquo modo corruptibile, necesse est ut divina virtute omnino incorruptibile fiat: cum hoc sibi ex propria virtute convenire non possit. Unde elementa, quae secundum partem sunt corruptibilia, fient divina virtute etiam secundum partem incorruptibilia; et homo, qui secundum totum, idest secundum compositum, est corruptibilis, fiet [divina] virtute secundum totum incorruptibilis; et sic in omnibus quorum substantia post finale iudicium remanebit, supplebitur divina virtute quod eis ad omnimodam incorruptibilitatem deest.

VII. Quarta conclusio est: *Alia animalia ab homine, plantae, et corpora mixta, nullo modo in illo incorruptionis statu remanebunt.* Probatur. Quia sunt corruptibilia et secundum totum et secundum partem.

Ex praedictis infert Sanctus Thomas intellectum illius quod dicitur I *Cor.* vii, scilicet, *Praeterit figura huius mundi.* Intelligitur enim quod species mundi, idest status huius corruptionis qui nunc est, cessabit, remanebit vero substantia. – Similiter quod *Iob* xiv dicitur, *donec atteratur caelum,* intelligitur: donec ista caeli dispositio cesset qua movetur et in aliis motum causat.

2. Sed occurrit dubium contra praedictam conclusionem. Si enim corpora mixta post finale iudicium non remanebunt, videtur quod eorum naturalis appetitus, qui est ad perpetuitatem secundum speciem, et propter quem est generatio, erit frustra.

Respondet Sanctus Thomas in *Quarto,* d. xlviii, a. ult.*, ad 5, quod iste appetitus naturalis mixtorum non est ad perpetuitatem simpliciter, *sed in ordine ad motum caeli: ut scilicet tantum in esse permaneant quantum motus caeli durabit. Ideo non est frustra, si illa, cessante motu caeli, non permaneant.*

De hac conclusione et praecedenti egregie determinat Sanctus Thomas in *Quarto**, et in Qu. *Pot.,* q. v**.

VIII. Quinta conclusio est: *Consumptio eorum quae in futuro statu remanere non debent, convenientissime fiet per ignem.* Probatur, quia ignis inter omnia elementa est maxime activus, et corruptibilium consumptivus.

Ex hoc autem infertur quod idcirco secundum fidem ponitur convenienter quod finaliter mundus per ignem purgabitur, non solum a corruptibilibus corporibus, sed etiam ab infectione quam locus iste ex inhabitatione peccatorum incurrit: iuxta illud II *Petri* iii, *Caeli qui nunc sunt et terra* etc., nomine *caeli* intelligendo istos caelos aereos terrae vicinos.

Ad evidentiam huius conclusionis, considerandum primo ex doctrina Sancti Thomae in *Quarto,* d. xlvii*, quod iste ignis qui universum purgabit, erit eiusdem speciei cum igne elementari, in hoc tantum differens ab illo, quod *sibi de materia aliena admiscebitur.* Et generabitur, secundum mentem Augustini, xx *de Civitate Dei**, *ex congregatione, virtute divina facta, omnium causarum superiorum et inferiorum habentium igniendi naturam**. Unde et virtus illa purgandi faciem mundi, non erit illi igni naturalis, sed conveniet sibi virtute divina, cuius erit instrumentum.

Considerandum secundo quod, *quamvis res corporalis subiectum infectionis culpae esse non possit, in ipsa tamen ex culpa quaedam incongruitas relinquitur ad hoc ut rebus spiritualibus dedicetur: unde et loca in quibus aliqua crimina sunt commissa, non reputantur idonea ad aliqua sacra in eis exercenda**. Cum ergo hic dicitur ignem esse purgaturum hunc locum ab infectione ex inhabitatione peccatorum contracta per infectionem, non est intelligenda aliqua culpa ipsi inhaerens loco, sed ineptitudo quaedam ad gloriae corporum susceptionem, quae purgatione ignis eliminabitur.

Attendendum vero, ex doctrina Sancti Thomae loco praeallegato*, quod *illa ignis conflagratio quantum ad sui initium iudicium praecedet, sed quantum ad hoc quod corpora involvet impiorum iudicium sequetur.*

IX. Sexta conclusio est: *Creatura corporalis quandam claritatis gloriam suo modo consequetur.* Probatur. Quia creatura corporalis finaliter disponetur per congruentiam ad hominis statum. Homines autem non solum a corruptione liberabuntur, sed etiam gloria induentur, ut ex dictis patet*. – Confirmatur per illud *Apoc.* xxi, *Vidi caelum novum et terram novam;* et per illud *Isaiae* lxv, *Ego creabo,* etc.

Advertendum quod addidit Sanctus Thomas in conclusione, *suo modo,* ut daret intelligere non omnia corpora aequaliter esse luce perficienda, sed unumquodque suo modo, idest, secundum convenientiam suae naturae. *Nam ut dicitur, terra erit in superficie exteriori pervia ut vitrum; aqua sicut crystallus; aer ut caelum; ignis vero ut luminaria caeli**.

Ad quae nos deus sua clementia, et meritis Divi Thomae Aquinatis, dignetur perducere. Amen.

* Num. 4 (Ed. Leon.).
** Num. 6.
* Num. 1.
* Cf. VIII *Phys.* lect. viii; II *Phys.* lect. i.
* *Sap.* i, 14.
* Num. 1.
* Qu. ii, art. 5.
* D. xlviii, qu. ii.
** Art. 7, 8, 9.
* Qu. ii, a. 1, qua 3.
* Cf. cap. xvi.
* Haec dicit l. c. s. Thom., non s. Aug.
* In *Quarto* l. c. qua 1.
* Qu. ii, a. 3, qua 1.
* LL. cc. in texto.
* In *Quarto,* d. xlviii, q. ii, a. 4.

# INDEX

## IN TOMUM DECIMUM QUINTUM

### EDITIONIS LEONINAE

### SANCTI THOMAE AQUINATIS

## LIBER QUARTUS

### SUMMAE CONTRA GENTILES

CUM COMMENTARIIS FERRARIENSIS


Praefatio . . . . . *pag.* V
De Traditione manuscripta.
§ 1. De codicibus nunc demum recensitis . . . . . » VI
§ 2. De codicis Lubeci 46 habitudine ad traditionem pA . . . . . » XIV
§ 3. De codicis Par. Nat. Lat. 3107 habitudine ad traditionem α . . . . . » XV
§ 4. De habitudine traditionis ad primum apographum observationes ultimae . . . . . » XXI
§ 5. Elenchus alphabeticus omnium codicum Summae contra Gentiles . . . . . » XXII
De textus habitudine in Libro IV.
§ 1. De principiis recensionis nostrae . . . . . » XXIII
§ 2. De quibusdam locis speciatim . . . . . » XXIV
§ 3. Variantes Pianae ortae post annum 1480 . . . . . » XXV
Conspectus variantium in capitulorum titulis et divisione totius Summae contra Gentiles . . . . . » XXVI
Elenchus locorum citatorum in Praefationibus . . . . . » XXXVIII
Variae lectiones in Commentariis Ferrariensis . . . . . » XLI
Corrigenda et addenda . . . . . » XLIX
Codicum apparatus critici siglorum interpretatio . . . . . » L


## CAPITULA LIBRI QUARTI


CAPITULUM PRIMUM

Prooemium . . . . . *pag.* 3

CAPITULUM SECUNDUM

Quod sit generatio, paternitas et filiatio in divinis . » 7

CAPITULUM TERTIUM

Quod Filius Dei sit Deus . . . . . » 9

CAPITULUM QUARTUM

Quid opinatus sit Photinus de Filio Dei, et eius improbatio . . . . . » 9

CAPITULUM QUINTUM

Opinio Sabellii de Filio Dei, et eius improbatio . . » 13

CAPITULUM SEXTUM

De opinione Arii circa Filium Dei . . . . . » 15

CAPITULUM SEPTIMUM

Improbatio opinionis Arii de Filio Dei . . . . . » 17

CAPITULUM OCTAVUM

Solutio ad auctoritates quas Arius pro se inducebat » 21

CAPITULUM NONUM

Solutio ad auctoritates Photini et Sabellii . . . . . » 27

CAPITULUM DECIMUM

Rationes contra generationem et processionem divinam . . . . . » 29

CAPITULUM UNDECIMUM

Quomodo accipienda sit generatio in divinis, et quae de Filio Dei dicuntur in Scripturis . . . . . » 32

CAPITULUM DUODECIMUM

Quomodo Filius Dei dicatur Dei Sapientia . . . . . *pag.* 47

CAPITULUM DECIMUM TERTIUM

Quod non est nisi unus Filius in divinis . . . . . » 48

CAPITULUM DECIMUM QUARTUM

Solutio ad rationes supra inductas contra generationem divinam . . . . . » 55

CAPITULUM DECIMUM QUINTUM

De Spiritu Sancto, quod sit in divinis . . . . . » 66

CAPITULUM DECIMUM SEXTUM

Rationes ex quibus aliqui Spiritum Sanctum existimaverunt esse creaturam . . . . . » 67

CAPITULUM DECIMUM SEPTIMUM

Quod Spiritus Sanctus sit verus Deus . . . . . » 68

CAPITULUM DECIMUM OCTAVUM

Quod Spiritus Sanctus sit subsistens persona . . . . » 72

CAPITULUM DECIMUM NONUM

Quomodo intelligenda sunt quae de Spiritu Sancto dicuntur . . . . . » 74

CAPITULUM VIGESIMUM

De effectibus attributis Spiritui Sancto in Scripturis respectu totius creaturae . . . . . » 79

CAPITULUM VIGESIMUM PRIMUM

De effectibus attributis Spiritui Sancto in Sacra Scriptura respectu rationalis creaturae, quantum ad ea quae Deus nobis largitur . . . . . » 80

CAPITULUM VIGESIMUM SECUNDUM

De effectibus attributis Spiritui Sancto secundum quod movet creaturam in Deum . . . . . *pag.* 83

CAPITULUM VIGESIMUM TERTIUM

Solutio rationum supra inductarum contra divinitatem Spiritus Sancti . . . . . » 86

CAPITULUM VIGESIMUM QUARTUM

Quod Spiritus Sanctus procedat a Filio . . . . . » 90

CAPITULUM VIGESIMUM QUINTUM

Rationes ostendere volentium quod Spiritus Sanctus non procedat a Filio, et solutio ipsarum . . . . » 99

CAPITULUM VIGESIMUM SEXTUM

Quod non sunt nisi tres personae in divinis, Pater, Filius et Spiritus Sanctus . . . . . » 101

CAPITULUM VIGESIMUM SEPTIMUM

De incarnatione Verbi secundum traditionem Sacrae Scripturae . . . . . » 108

CAPITULUM VIGESIMUM OCTAVUM

De errore Photini circa Incarnationem . . . . . » 109

CAPITULUM VIGESIMUM NONUM

De errore Manichaeorum circa Incarnationem . . . . » 110

CAPITULUM TRIGESIMUM

De errore Valentini circa Incarnationem . . . . . » 113

CAPITULUM TRIGESIMUM PRIMUM

De errore Apollinaris circa corpus Christi . . . . . » 114

CAPITULUM TRIGESIMUM SECUNDUM

De errore Arii et Apollinaris circa animam Christi . » 115

CAPITULUM TRIGESIMUM TERTIUM

De errore Apollinaris dicentis animam rationalem non fuisse in Christo, et de errore Origenis dicentis animam Christi ante mundum fuisse creatam . » 117

CAPITULUM TRIGESIMUM QUARTUM

De errore Theodori Mopsuesteni et Nestorii circa unionem Verbi ad hominem . . . . . » 118

CAPITULUM TRIGESIMUM QUINTUM

Contra errorem Eutychetis. . . . . » 125

CAPITULUM TRIGESIMUM SEXTUM

De errore Macarii Antiocheni ponentis unam tantum voluntatem in Christo. . . . . » 130

CAPITULUM TRIGESIMUM SEPTIMUM

Contra eos qui dixerunt ex anima et corpore non esse aliquid unum constitutum in Christo . . » 132

CAPITULUM TRIGESIMUM OCTAVUM

Contra eos qui ponunt duo supposita vel duas hypostases in una persona Christi . . . . . » 134

CAPITULUM TRIGESIMUM NONUM

Quid Catholica fides sentiat de incarnatione Christi. » 137

CAPITULUM QUADRAGESIMUM

Obiectiones contra fidem Incarnationis . . . . . » 138

CAPITULUM QUADRAGESIMUM PRIMUM

Quomodo oporteat intelligere incarnationem Filii Dei » 140

CAPITULUM QUADRAGESIMUM SECUNDUM

Quod assumptio humanae naturae maxime competebat Verbo Dei. . . . . » 144

CAPITULUM QUADRAGESIMUM TERTIUM

Quod humana natura assumpta a Verbo non praeexstitit assumptioni, sed in ipsa conceptione fuit assumpta . . . . . » 144

CAPITULUM QUADRAGESIMUM QUARTUM

Quod natura humana assumpta a Verbo in ipsa conceptione fuit perfecta quantum ad animam et corpus . . . . . *pag.* 147

CAPITULUM QUADRAGESIMUM QUINTUM

Quod Christum decuit nasci ex virgine . . . . . » 148

CAPITULUM QUADRAGESIMUM SEXTUM

Quod Christus natus est de Spiritu Sancto . . . . . » 152

CAPITULUM QUADRAGESIMUM SEPTIMUM

Quod Christus non fuit filius Spiritus Sancti secundum carnem . . . . . » 153

CAPITULUM QUADRAGESIMUM OCTAVUM

Quod non sit dicendum Christum esse creaturam . » 154

CAPITULUM QUADRAGESIMUM NONUM

Solutio rationum contra Incarnationem superius positarum . . . . . » 156

CAPITULUM QUINQUAGESIMUM

Quod peccatum originale traducatur a primo parente in posteros. . . . . » 158

CAPITULUM QUINQUAGESIMUM PRIMUM

Obiectiones contra peccatum originale . . . . . » 162

CAPITULUM QUINQUAGESIMUM SECUNDUM

Solutio obiectionum positarum . . . . . » 163

CAPITULUM QUINQUAGESIMUM TERTIUM

Rationes quibus videtur probari quod non fuit conveniens Deum incarnari . . . . . » 170

CAPITULUM QUINQUAGESIMUM QUARTUM

Quod conveniens fuit Deum incarnari . . . . . » 173

CAPITULUM QUINQUAGESIMUM QUINTUM

Solutio rationum supra positarum contra convenientiam Incarnationis . . . . . » 178

CAPITULUM QUINQUAGESIMUM SEXTUM

De necessitate Sacramentorum . . . . . » 189

CAPITULUM QUINQUAGESIMUM SEPTIMUM

De distinctione Sacramentorum veteris et novae legis » 191

CAPITULUM QUINQUAGESIMUM OCTAVUM

De numero Sacramentorum novae legis . . . . . » 193

CAPITULUM QUINQUAGESIMUM NONUM

De Baptismo . . . . . » 194

CAPITULUM SEXAGESIMUM

De Confirmatione . . . . . » 196

CAPITULUM SEXAGESIMUM PRIMUM

De Eucharistia . . . . . » 198

CAPITULUM SEXAGESIMUM SECUNDUM

De errore infidelium circa Sacramentum Eucharistiae . » 199

CAPITULUM SEXAGESIMUM TERTIUM

Solutio praemissarum difficultatum, et primo quoad conversionem panis in corpus Christi . . . . . » 200

CAPITULUM SEXAGESIMUM QUARTUM

Solutio eorum quae obiiciebantur ex parte loci . . . » 206

CAPITULUM SEXAGESIMUM QUINTUM

Solutio eorum quae obiiciebantur ex parte accidentium » 209

CAPITULUM SEXAGESIMUM SEXTUM

Solutio eorum quae obiiciebantur ex parte actionis et passionis . . . . . » 213

CAPITULUM SEXAGESIMUM SEPTIMUM

Solutio eorum quae obiiciebantur ex parte fractionis » 216

CAPITULUM SEXAGESIMUM OCTAVUM

Solutio auctoritatis inductae . . . . . *pag.* 218

CAPITULUM SEXAGESIMUM NONUM

Ex quali pane et vino debet confici hoc sacramentum » 218

CAPITULUM SEPTUAGESIMUM

De sacramento Poenitentiae. Et primo, quod homines post gratiam sacramentalem acceptam peccare possunt. . . . . » 220

CAPITULUM SEPTUAGESIMUM PRIMUM

Quod homo peccans post sacramentorum gratiam potest converti per gratiam . . . . . » 223

CAPITULUM SEPTUAGESIMUM SECUNDUM

De necessitate Poenitentiae et partium eius . . . . . » 225

CAPITULUM SEPTUAGESIMUM TERTIUM

De sacramento Extremae Unctionis . . . . . » 233

CAPITULUM SEPTUAGESIMUM QUARTUM

De sacramento Ordinis . . . . . » 237

CAPITULUM SEPTUAGESIMUM QUINTUM

De distinctione Ordinum. . . . . » 239

CAPITULUM SEPTUAGESIMUM SEXTUM

De episcopali potestate: et quod in ea unus sit summus » 241

CAPITULUM SEPTUAGESIMUM SEPTIMUM

Quod per malos ministros sacramenta dispensari possunt. . . . . » 244

CAPITULUM SEPTUAGESIMUM OCTAVUM

De sacramento Matrimonii. . . . . » 246

CAPITULUM SEPTUAGESIMUM NONUM

Quod per Christum resurrectio corporum sit futura. » 248

CAPITULUM OCTOGESIMUM

Obiectiones contra resurrectionem . . . . . » 251

CAPITULUM OCTOGESIMUM PRIMUM

Solutio praemissarum obiectionum . . . . . » 252

CAPITULUM OCTOGESIMUM SECUNDUM

Quod homines resurgent immortales . . . . . » 260

CAPITULUM OCTOGESIMUM TERTIUM

Quod in resurgentibus non erit usus ciborum neque venereorum . . . . . *pag.* 262

CAPITULUM OCTOGESIMUM QUARTUM

Quod corpora resurgentium erunt eiusdem naturae. » 268

CAPITULUM OCTOGESIMUM QUINTUM

Quod corpora resurgentium erunt alterius dispositionis » 270

CAPITULUM OCTOGESIMUM SEXTUM

De qualitate corporum glorificatorum . . . . . » 272

CAPITULUM OCTOGESIMUM SEPTIMUM

De loco corporum glorificatorum . . . . . » 276

CAPITULUM OCTOGESIMUM OCTAVUM

De sexu et aetate resurgentium . . . . . » 278

CAPITULUM OCTOGESIMUM NONUM

De qualitate corporum resurgentium in damnatis . . » 279

CAPITULUM NONAGESIMUM

Quomodo substantiae incorporeae patiantur ab igne corporeo . . . . . » 281

CAPITULUM NONAGESIMUM PRIMUM

Quod animae statim post separationem a corpore poenam vel praemium consequuntur . . . . . » 284

CAPITULUM NONAGESIMUM SECUNDUM

Quod animae sanctorum post mortem habent voluntatem immutabilem in bono . . . . . » 288

CAPITULUM NONAGESIMUM TERTIUM

Quod animae malorum post mortem habent voluntatem immutabilem in malo . . . . . » 290

CAPITULUM NONAGESIMUM QUARTUM

De immutabilitate voluntatis in animabus in purgatorio detentis . . . . . » 291

CAPITULUM NONAGESIMUM QUINTUM

De immutabilitate voluntatis communiter in omnibus animabus post separationem a corpore . . . . . » 291

CAPITULUM NONAGESIMUM SEXTUM

De finali iudicio . . . . . » 296

CAPITULUM NONAGESIMUM SEPTIMUM

De statu mundi post iudicium . . . . . » 298

IMPRIMATUR

Iosephus Palica, Arch. Philippen., Vicesgerens.

Cards made

19,636

850
.T6
1882
v.15

v. 15



SOUTHERN EVANGELICAL SEMINARY
37387000524635